IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENT. PRVSSORVM REGIS
quondam a Consil. Sanctior. Iur. ac Philosoph. in ill. Frideric. Professoris publ. ord.

OPERVM

Ad

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM
PHILOSOPHIAM, ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

TOMVS PRIMVS,

QVI

I. VITAM AVCTORIS,

II. HISTORIAM IVRIS CIVILIS ROMANI ET GERMANICI,

III. ELEMENTA IVRIS CIVILIS

SECVNDVM ORDINEM INSTITVTIONVM COMMODA AVDITORIBVS METHODO ADORNATA EXHIBET.

NEAPOLI MDCCLVIIII.
IMPENSIS DONATI CAMPI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCII,

POT. PRVSS. REGIS A CONSILIIS AVLAE, AC IN REG. ACAD. EQVESTRI LIGNIC. PROF. IVR. PRIMARII

COMMENTARIVS

DE VITA, FATIS, ET SCRIPTIS

IO. GOTTLIEB

HEINECCII, IC.

POT. PRVSS. REGIS QVONDAM A CONSILIIS SANCTIORIBVS, IVRIS AC PHILOSOPHIAE IN ILLVST. FRIDERICIANA PROF. PVBL. ORDINARII,

DESIDERATISSIMI PATRIS.

DE VITA, FATIS, ET SCRIPTIS
IO. GOTTLIEB HEINECCII IC.
COMMENTARIVS.

§. I.

CELEBRE olim nomen in triga academiarum, Halenſi, Franequerana, et Viadrina, ius, philoſophiam, et litteras elegantiores docendo, clariſſimamque in republica litteraria famam ſcribendo conſecutus eſt IO. GOTTL. HEINECCIVS, Iureconſultus, Philoſophus, et litterator quondam inſignis, deſideratiſſimus pater meus. Huius viri adgredior vitam ſcribere, viri, inquam, quem non minus libri bene dixiſſe, quam diſcipuli bene docuiſſe teſtantur: pietate potius, quam ſingularium & memorabilium fatorum vbertate aut varietate motus, non ab obliuione eum vindicaturus, memoriae enim ſatis ipſe conſuluit tot ingenii monimentis; ſed quod ſacram eſſe debere magnarum animarum memoriam, et ad ingenii humani hiſtoriam noſcendam apprime vtile cenſeo, priuatorum quoque hominum, meritis quibuſcumque eminentium, mores, indolem, animum, ingenium, ſtudia, fata noſſe. Non equidem egeremus mea opera, ſi quod ipſe olim inſtituerat, perfeciſſet. Memini enim Beatum Patrem, donec ſuperſtes erat, aliquando de rebus ad ſe pertinentibus commentarium moliri, idque tum conuicio amicorum, tum flagitatione in primis CHRISTIANI GODOFREDI

DI, et IOANNIS GVILIELMI HOFFMANNORVM, quorum Francofurti ad Viadrum summa et familiari consuetudine fruebatur. At neque horum expectationem, neque nostrum desiderium expleuit, taedio, modestia, negotiis, an fati inuidia impeditus, ignoro, expleturus tamen, vt videtur, si monitores vixissent diutius. Rem profecto fecisset gratam, eademque vel maiore forsan voluptate nunc legeremus, illa εἰς ἑαυτόν, quam qua legimus veterum aliquot iureconsultorum, veluti SEX. POMPONII, P. IVVENTII CELSI, C. AQVILLII GALLI, SALVII IVLIANI, et recentiorum FRANCISCI BALDVINI, IAC. CVIACII, BARTH. CHESII, GVID. PANCIROLI (*a*) vitas eleganter ab ipso conscriptas, in quibus dictionis cultum, praeceptorum vbertatem, iudicii vim, eruditionem variam, obseruationum copiam facile vnusquisque agnoscet. Magis certe accurata est inspectio, & maturior pleniorque meditatio, facilior quoque narratio eorum, quae in vita experimur ipsi, quam quae ex relatione aliorum siue audimus, siue legimus. Magna certe praerogatiua, maximaque fides debetur historicis, qui aut ea, quae ipsi gesserunt, aut quibus interfuerunt, memoriae produnt. Sed spe illa, a Beato Patre olim facta, excisi, hoc interea Catone contenti simus. Sequar ego, passibus licet non aequis, exemplum, et pietatem *Merici Casauboni*, cuius elegans extat vitae paternae historia, narraturus ea, quae tam ex sermonibus, quos Pater mecum saepe familiariter de fatis suis habuit, quam quae mihi aliunde constant. Recensebo, at breui, quae in vita fortunisque ejus fuere notabilia, plura forte, et certiora allaturus iis, quae in *variis Ephemeridibus* (*b*) de vita paterna leguntur.

§. *II.*

(*a*) Variae illae ICtorum vitae Tomo II. et III. et vltimo Operum paternorum insertae sunt.

(*b*) Veluti in *der Potz-damichen Quint-Essentz de a.* 1742. In *den aller-neuesten Nachrichten von Iuristischen Buchern*, Parte XVI. Dans *la nouvelle Bibliothèque Germanique*, quae Amstelodami prodit, Tomo II. Art. V. *p.* 51. et forte aliis.

§. *II.*

Natus diuae memoriae Pater eſt EISENBERGAE, Principatus Altenburgenſis municipio, in Thuringiae oppidis, & ſitus amoenitate conſpicuo, & tum CHRISTIANI, ex Gothana ſtirpe Saxoniae Ducis ſede, anno erae Chriſtianae MDCLXXXI. a. d. III. Idus Septembres. Pater illi fuit IOANNES MICHAEL HEINECKE, ſiue vt a filiis poſtea Latine redditum eſt gentilitium nomen, HEINECCIVS, Lycaei patrii Collega, vir ad formanda ingenia, inſtituendamque iuuentutem non doctus, ſed a natura veluti factus. Iſtud certe obſtetricium munus, quemadmodum Socrates apud Platonem in *Theaeteto* lepide vocat, & quo omnium maxime gloriari ſolebat mortalium ſapientiſſimus, & hanc vmbraticam vitam, quam multi moleſtiſſimam & deſpicabilem ducunt, ita ſemper amauit, vt non contemnenda ſacerdotia, ipſi ſubinde oblata, cum illa permutare nollet. Neque deſeruit vmquam ſtationem, in qua et Optimi Principis, cuius munificentia ſchola alebatur, gratiam, & ciuium ſuorum laudem doctrina, moribus, diligentia, integritate meruerat. In maioribus numeramus MARTINUS HAYNECCIVM, Theologum, ſcriptis quibuſdam & maxime *Soteria aeterna*, quae Lipſiae an. 1603. prodiit, non ignotum. Matrem habuit DOROTHEAM, MATTHAEI PRVFERI, honeſti in patria ciuis, ſenatoris & mercatoris filiam, quae eum poſt ſororem unicam, IOANNAM DOROTHEAM, adhuc ſuperſtitem, & duos fratres, Io. MICHAELEM, *olim S. Theologiae Doctorem, ſacri in Ducatu Magdeburgico Tribunalis Conſiliarium, ſuperintendentem generalem Vicarium, Inſpectorem Eccleſiarum in Tractu Salano, Paſtorem Halenſium primarium, et Gymnaſii Scholarcham*, iam anno 1722. vita functum, & Io. ANDREAM, *rerum Silveſtrium in Tractu quodam Ducatus Brunſuicenſis quondam Praefectum*, co-

eodem quo noſter anno defunctum, poſtremo partu enixa eſt. Et ita quidem enixa eſt, vt infantulum pro mortuo haberent parentes, iamque nulla vitae indicia dantis corpuſculum terrae mandandum praepararent. Conſilio tamen & ope cuiuſdam, quae forte aderat, matronae, probe perfricatis pedum plantis, excitatus quidem infantulus, ſed tam infirma per aliquot annos vſus eſt valetudine, vt vix ſpiritum duceret, ipſique parentes illi non longam vitae vſuram ominarentur. Omen tamen auertit Deus O. M. Ex quo enim infantiae annos tranſgreſſus eſt, firma ſemper et ſtabili per omnem vitam valetudine vſus eſt.

§. *III.*

Primam aetatem ſub fauſtis penetralibus patris, oculatiſſimi morum ſpectatoris, egregiique ingeniorum indagatoris egit. Is, ſimul ac in puero primus ingenii vigor emicuit, iis doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, erudiuit. Neque ſine fructu fuit haec patris tam ſolliciti cura, vt pote qui uſu in aliis diſcipulis decernere didicerat, quo tendendum et qua, cuiue tamquam perito alicui explorata erant omnia, in quae procedendum. Magnopere patrem, vti deinde ceteros praeceptores, iuuit ſumma diſcendi cupiditas, ingenii docilitas, & naturalis quaedam ſollertia. Haec tanta in puero fuit, vt condiſcipuli animum illius, bonarum rerum auidiſſime adpetentem, et a rebus ludicris auerſum aequo animo non ferrent, ſed tamquam moroſum et difficilem traducerent. Certe iam tum immoderatius in ſtudia ferebatur, quam aetas patiebatur. Pater autem hoc impenſius amauit filium, filiique amorem, indeque ſpem concepit non vanam, fore vt aliquando in rei publicae & litterariae bonum adoleſcat. At ille mature de-

deceſſit, filio vix vndecim annos nato. Triſtis hoc caſu in familia conuerſio, mater vidua, liberi orbi, non lauta res domi, Nihil niſi deſiderium ſui & bona omina liberis, matri tamen amicos reliquit, In Deo et matre liberis maximum praeſidium, Neque hoc defuit illis. Mater enim et pietate Deo, et moribus amicis cara facile inuenit, qui opera, conſilio, re iuuarent. Hoc itaque praeſidio amicorum ſuffulta in primis operam dedit, vt filii probe inſtituerentur. Permiſit itaque illos fidei ac diſciplinae DITERICI, PEZOLDI, et GSCHWENDII, qui ad litteras docendas in patria publice conſtituti erant, Numquam ſine voluptate meminit illius temporis, quod in ſchola patria tranſegit, quin recordaretur Conrectoris, cuius diſciplinae traditus erat, cuiuſque nomen tacere praeſtat, quam dicere, Orbilium per omnia referentis, imaginarii, vehementis, plagoſi, ſordidi & ridiculi, vt ſunt haud pauci, qui in ſcholae vmbra ſeneſcunt, litteris tamen inquinati, et in Graecis verſatiſſimi, Is enim non tulit praecox diſcipuli in illa aetate ingenium, & quo laetiora illius indicia dabat, hoc magis illum tamquam ſciolum & ante pilos ſapientiae inhiantem increpauit. Oderunt alii puerulos praecoci ſapientia, exemplo veteris poetae apud Apuleium, ſed non eo, vt in adoleſcentibus improbarint haud vulgarem diligentiam, et ſciendi curioſitatem. Adeo verum eſt, quod ait ille, *Virtus non habet oſores, niſi ignorantes*, et; *numquam eminentia inuidia carere*. Certe inſanum, aut necromantam illum crediaiſſes, ſi quod elogium HEINECCIO collegae darent, aut hic concinnius aliquid vel promtius reliquis condiſcipulis elaboratum traderet, Saepe ſcripturam in cathedra pedibus conculcare, ac geſticulatione plus quam pantomimica conſpuere, non quod eſſet male concinnata, ſed quod opinionem illius ſuperaret, Tali cum eſſet ingenio magiſter,

eo

eo siue inuidia, siue animi impotentia se abripi passus est, vt apud FRANCKIVM, Superintendentem, et Lycaei tum scholarcham insistere non intermitteret, vt ex suo ordine in superiorem translocaretur. Qui cum interrogaret, quidnam esset, quod HEINECCIUM, de quo nemo collegarum vmquam questus esset, pati nollet? respondit: *me miserum, de rebus quaerit, quas ipse non intelligo, & ludibrio ideo apud discipulos sum. Certe Spiritus sanctus in puero est.* Haec ipsa verba magistri sunt, quae referre non piguit, quod honori cedant patris, in bona quaeuis tum adolescentis. Interea Rector illius scholae, GSCHWENDIVS, cuius disciplinae tradebatur, vir doctus et aequior ingenii aestimator, nihil intermisit, quo discipulus ad optimarum rerum cultum formari posset.

§. *IIII.*

Vsus autem est horum praeceptorum institutione ad annum vsque 1698. in quo temporis interuallo assidua lectione veteres auctores Graecos et Latinos versando fundamenta posuit scientiae elegantiorum litterarum, et eloquentiae Latinae, in qua postea excelluit maxime. Frater interea natu maior, IO. MICHAEL, in libera Imperii ciuitate Goslariensi muneri ecclesiastico admotus, multos et magnos sibi doctrina, morum cultu et eloquentia sacra, qua in primis pollebat, conciliauerat patronos. Qui cum esset fratris amantissimus, et profectuum, quos in vtraque tam Graeca quam Latina, quin et Hebraica lingua, ceterisque studiis humanioribus fecerat, gnarus, illum ad se vocauit. Patria itaque exiit, et Goslariam venit anno 1698. ibique breui tempore adeo se bonis quibusque probauit, vt commendatione fratris adiutus in domum & familiam Illustris SEIDENSTIKERI, Iudicii Imperialis aulici Consiliarii receptus be-

benignissime haberetur. Multum haec commoratio vtrique fratrum profuit. Nam cum patruus meus illo potissimum tempore praeclara illa opera, alterum *de Antiquitatibus Goslariensibus*, alterum *de Sigillis veterum Germanorum*, aliaque scripta moliretur, illaque ex chartis membranisque veteribus instrueret, multa fratri describenda dedit, alia excerpenda permisit. Magnopere haec opera patruum subleuauit, patri vero identidem non infructuosa fuit. Praeterquam enim, quod illa supersedere poterat operoso librorum euoluendorum, et vetustos caracteres in chartis medii aeui obuios expediendi, et describendi labore, obseruationes quandoque patri natae sunt, de quibus non cogitauerat auctor, quasue in rem suam vertere adeo non dubitauit patruus, vt memor semper fuerit nauatae operae fraternae. Pater vero hoc ipso variarum rerum cognitione imbuebatur, et laboriosae inquisitioni, et meditationi rerum a vulgi notitia abstrusarum paullatim adsuefiebat. Scriptorum etiam meliorum, medii, antiquiorisue aeui instituta & mores illustrantium, tum se primum adquisiuisse notitiam, grate saepe professus est.

§. V.

Etsi vero multum apud Patrem fraterna consuetudo, et exempli vis valeret; bonarumque rerum cognitio maiora indies incrementa meliorum lectione librorum, quos diurna nocturnaque manu versabat, caperet, non tamen hanc studendi viam rectam & satis commodam aut sufficientem arbitrabatur. Accedere oportebat institutio viuae vocis; quae iudicio doctissimorum hominum maiorem lectione vim, et efficaciam habere solet. Firmius certe haerere in animo et memoria solent, quae audiuntur, quam quae leguntur, et compendium di-

cendi facimus audiendo viros doctos, de pulpito dicentes. *Vno enim momento temporis*, vt verbis vtar ALEX. FICHETI, (*) *effundunt in sinum nostrum, quod longissimo plurium annorum labore concervarunt, atque hoc nullo nostro labore, magnaque cum animi nostri voluptate contingit*. Fratri inde exposuit desiderium, Academiam aliquam adeundi, ibique seuerioribus litteris operam dandi. Fratri non abnuit frater, qui ne feruorem illum discendi restinguere videretur, illum ex amplexibus suis aegre tandem dimisit. Anno itaque 1700. almam Lipsiam adiit, beneficiis Illustris SEIDENSTICKERI potissimum, et commendatione fratris subleuatus, eoque animo adiit, vt sacris litteris operam sedulo nauaret, munerique ecclesiastico, cui tum a matre destinabatur, sese praepararet. Lipsiae in contubernio vixit SEIDENSTICKERI iunioris, cui ab illustri parente tamquam studiorum socius et moderator additus erat. Iam ibi erat, vbi ingenii neruos intendere, illudque tamquam in palaestra aliqua sapientiae et virtutis iuuare, ornare, roborare et in maius meliusque promouere posset. Academia illi obtigerat elegantiarum omnium sedes, sapientiae bonaeque mentis domicilium, musarum ac gratiarum augustissimum sacrarium. Docebant ibi tunc temporis IO. SCHMIDIVS, ADAMVS RECHENBERGIVS, et THOMAS ITTIGIVS, magna in Theologia, Philologia sacra, et Historia ecclesiastica nomina. His aliisque claris viris operam sedulo dedit. Neque satis illi fuit, tantos Doctores audire. Expendere enim singula solebat, et quam firmis probationibus quaeque niterentur dispiciebat, perque bibliothecas exquirebat, quid consignatum ab antiquissimis atque fide dignissimis auctoribus extaret. Magno autem vsui illi tum fuit continua consuetudo ADAMI RECHENBERGII, in cuius aedibus sibi socioque

(*) *In arcana studiorum methodo Cap.* 10.

que museum conduxerat, cuiusque ex ore et disciplina maxime pependit. Hic vir paterno discipulum amore complexus est, atque vt assiduae diligentiae subueniret, bibliothecam suam, quam instructissimam habebat, illi vtendam fruendam benigne concessit. Omnium autem maxime tum Pater delectabatur historiae ecclesiasticae, et sacrarum Antiquitatum studio. Hanc sitim expleturus BARONII *Annales* diligentissime legit, atque ex optimis rarissimisque libris grandia aliquot aduersariorum volumina excerptis, obseruationibusque repleuit, iis aliquando vsurus ad nouam, et plenissimam Ecclesiae historiam, cuius sibi iam tum ideam impresserat, concinnandam. Sed mutata paullo post vitae studiorumque ratione in spongiam tandem incubuit hic Aiax, ipsaque Adversaria magno dispendio pridem, fraude an casu, non dicam, perierunt. Ex vngue tamen, vt dicitur, iudicare leonem poterit, quisquis illius dissertationem, *de habitu et insignibus Apostolorum sacerdotalibus*, anno 1701. sub praesidio IO. SCHMIDII publice defensam, legerit. Primus hic ingenii foetus fuit, et cum auctor ipse huius scriptionis historiam texat, (*) ipsum audire iuuabit. *Vt vero*, inquit, *de singulis nonnulla, quae scire te, tua interesse videtur, moneam, primum locum occupat Dissertatio paullo diffusior, de habitu et insignibus Apostolorum sacerdotalibus, quam vndeuiginti annorum adolescens Lipsiae, vbi tum prima studiorum academicorum tirocinia faciebam, sub praesidio* V. C. IO. SCHMIDII, *e cathedra philosophica defendi. Destinatus tunc a matre veneranda studio theologico, facile animaduertebam, me vix operae pretium facturum, nisi cum illo et elegantiores litteras, et philologiam sacram, et quod tum in ista Academia quam maxime florebat, antiquitatum ecclesiasticarum studium coniungerem. Cum itaque ea diligentia mi-*

 bi

(*) *in Praef. Opusculorum variorum συλλογῇ praemissa.* Tomo II. Opp.

bi viri summe reuerendi D. ADAMI RECHENBERGII, *cuius in aedibus mihi museum conduxeram, amorem ac beneuolentiam conciliassem, vir iste doctissimus, qua erat humanitate, mihi bibliothecae suae vsum liberaliter obtulit, eaque re factum, vt dum virorum doctissimorum,* RECHENBERGII *et* THO. ITTIGII *praelectiones assidue audio, diesque ac noctes antiquae ecclesiae monimenta voluo, notitiam non mediocrem historiae ecclesiasticae mihi compararem, quam deinde non parum locupletaui, cum relicta Academia Lipsiensi in fratris* τȣ μακαρίτȣ *contubernio aliquamdiu viuere, eiusque et consiliis, et institutione, et bibliotheca frui contingeret. Cum ergo profectuum specimen a me exigerent patroni, a quorum arbitrio tum pendebam, et legens inter alia* BARONII *Annales animaduertissem, Cardinalem illum Apostolis habitum, atque insignia sacerdotalia, qualibus hodie Clerus Romanae Ecclesiae inter sacra superbit, passim tribuere non dubitare: miratus sum eam viri purpurati audaciam, et audire mihi visus sum clamantem Melicertam,*

Perisse
Frontem de rebus.

Itaque iuuenili feruore arripui calamum, illaque BARONII *aliorumque Pontificiorum argumenta excussi, et dissertationem ea de re conscriptam obtuli venerabili* SCHMIDIO, *qui illam vnice probauit, suumque mihi obtulit praesidium. Quamuis vero iuuenile hoc sit opusculum, et multa sint, quae ipse iam vel in dictione vel in elaboratione desiderem: eo tamen magnopere me delectari fateor, tum quod hae sint studiorum meorum primitiae, tum quod mihi postea viam ad beneuolentiam Reuerendissimi* VRSINI DE BAEHR, *summi in aula Regia sacrorum Antistitis, muniuit, cui perlecta dissertatio ita placuit, vt mihi auctor esset, ne illam auctiorem edere dubitarem. Ita prodiit altera edi-*

editio in forma minore, quam octauam vocant, eaque ita locupletata, vt iusti molem libelli ferret, qui ita ad palatum fuit viro reuerendissimo, cui dicatus fuerat, vt eius commendatione paullo post publicum docendi munus mihi in Academia Halensi longe clementissime demandaretur.

§. VI.

Edito illo ingenii specimine, non indignus a praeceptoribus habitus est primo honorum Academicorum gradu, qui tamquam praemium vigiliarum et in vicem stimuli ad conandum maiora olim tribuebatur, iam vero, vt sunt tempora, petentibus potius, quam merentibus dari mos est. Hortantibus itaque amicis et consilio fratris, quo insulato adhuc nihil agere audebat, ordini sese philosophico ad examen magisteriale obeundum obtulit. In hoc cum plausu inter ceteros magisterii candidatos stetit, et anno 1703. a. d. VII. Februarii magisterii philosophici honoribus ornatus est, lauream tribuente CHRISTOPHORO PFAVZIO, Matheseos professore publico. Hoc quoque doctore in mathematicis et chronologico in primis studio, in quo prae aliis excelluit, aliquamdiu usus est. Praelectionibus enim chronologicis, quibus AEGIDII STRAVCHII *Breviarum chronologicum* explicabat, assidue interfuit, non sine interiore temporum notitia historiam siue profanam siue ecclesiasticam, quam in deliciis habebat, addisci posse ratus. Decurso hoc modo studiorum academicorum stadio, desiderium in illo nascitur reuisendi fratrem, cujus identidem litteris inuitabatur. Eodem ergo anno Goslariam redit, aut sacerdotium, si quod vacaret, aut aliud munus data copia ambiturus; sin minus, Lipsiam rediturus. Deo aliter visum. Nihil enim horum accidit. Apud fratrem interea otio obtorpere non passus est ingenium, omni exercitationum genere

nere in academia, legendo, ſcribendo, dicendo, docendove exacultum. Multum iuuit fratris inſtructa ſatis ſupellex libraria, neque minorem illi vſum praeſtitit eiuſdem fratris et inſtitutio et exemplum ad perficiendum oratorem ſacrum. Ipſe enim, vt dixi, ſacro muneri erat dicatus, et frater in eloquentiſſimis ſui temporis oratoribus numerabatur, nec facile in alio maior erat oris atque orationis commendatio. Pater itaque meus nihil fecit reliqui, vt in dicendo ad perfectionem aliquam perueniret. Iam Lipſiae aliquoties non ſine plauſu e ſacro ſuggeſtu verba fecerat. Idem ſaepe fecit Goslariae, quoties erant, qui vicaria ejus opera egere profiterentur. Hic vero praeter omnem ſpem et opinionem conſilium cepit, gradum mutandi. En rationes. Primo quidem obſequit magis lege, quam ex animi ſententia Theologico ſtudio mentem adplicuit. Deinde ſemper animum geſſit auerſum a muniis quibuſdam Eccleſiaſticorum, quae ſunt cum officio aegrotos et moribundos viſendi conjuncta. Tanta enim illi nauſea erat, vt natura quaſi abhorreret ab huiuſmodi commercio. Accedebat poſtremo anhelatio, et dyſpnoea, quacum iuueni colluctandum erat, cuius tamen poſtmodum non magnopere incommoda ſenſit. Illo tamen tempore verebatur, ne, ſi vocem, quam a natura ſonoram et plenam acceperat, in ſuggeſtu iuſto plus intenderet, grauius pectori malum arceſſeret. His aliiſque rationibus motus ſerio de nouo ſtadio ingrediendo cogitare coepit, non diſſimulans apud matrem fratremque conſilium. Vterque equidem initio reluctabatur, ſed a propoſito ſe deterreri non paſſus eſt contrariarum rationum momentis. Neque profecto illi male ceſſit priſtini ſtudii deſertio, quae et in aliis doctiſſimis viris in magnum rei publicae et litterariae commodum vertit. Quot et quanti viri e Theologorum in Themidos caſtra tranſierunt, et tantum abeſt,

est, vt sacratam Themidem poenituerit transfugarum, vt potius ad summos et amplissimos honores euexerit, illaque non inhonesta defectione neque litteris neque sibi ipsis defuerint.

§. VII.

Lipsiam procul dubio rediisset, ibique rerum suarum sategisset Pater meus, nisi Deus praeter opinionem aliam, eamque percommodam occasionem obtulisset, consilium iurisprudentiam addiscendi, exsequendi. Dum enim has animo volvit curas, amplissima fratri saepius laudato munera sacra in vrbe Halensi sub lautis admodum conditionibus offeruntur. Recusandi nulla caussa erat, et tum maxime florens Fridericiana, ac doctissimorum hominum copia, tanto magis inuitabat virum et doctrinae laude florentem et litteras amantem. Itaque breui quantumuis aegre dimissus a Goslariensibus, Halam accessit, non sine fratre, quem sibi comitem itineris et fortunae adiunxerat. Huic iam non perdendum aut inaniter consumendum tempus videbatur, vt qui serio iurisprudentiae studium animum adiicere statuerat. Neque ad illam rem deerat copia. SAM. STRYCKII enim, et CHRISTIANI THOMASII, aliorumque, quos sibi moribus et diligentia conciliauerat, patronorum opera et commendatione continuo in Golloukinorum, ex praecipua Russorum nobilitate iuuenum, Halensem Academiam tum ornantium, contubernium adsociatus est, tum vt priuatim illos institueret, tum vt in acroasibus SAM. STRYCKII audita domi repeteret, praeceptaque percepta redderet. Inter haec non intermisit philosophiae et litteris elegantioribus, in quibus a puero non mediocriter versatus erat, porro operam dare. Et cum docendo plurimum disci sciret, sibi vna aliisque pro-

profuturus hanc excolendi ingenii viam statim ex quo Halam accessit ingressus est. Saepe in memoriam reuocare solebat primos hos publice docendi conatus. Proscriptis enim in albo Academico acroasibus in Io. FRANC. BVDDEI *Elementa philosophiae* habendis, tanta frequentia confluxit studiosa iuuentus, vt ipse miratus sit adplausum, veterani autem doctores inuiderent. Fuerunt sane inter auditores, & forte plerique, qui explorandi tantum caussa, quale principium adueniens sit daturus, concurrerant. Quod cum facile praeuideret, tanta diligentia sese ad lectiones praeparauit, vt omnia memoriter edisceret, quae tradere vellet. Quod institutum diu postea sollicite retentum multum illi profuit ad luculentam et distinctam docendi rationem, qua postea plurimum polluit. Auditoribus autem iis, qui initio animi nouitatisque tantum caussa aduenerant, vt viderunt nouellum magistrum facundia, solida rerum tractatione, libero et saepe iocoso dicendi genere praestare, subsellia illa adeo placuerunt, vt nusquam frequentiores irent. Veterani contra doctores aequo animo non tulerunt illam gloriolam. Rara profecto docendi dona sunt, doctissimis saepe viris negata. Sed figulus figulum, et faber fabrum: Certe iam tum suo exemplo didicit, academiis obiici posse, quod Megaricorum scholae olim obiecit Diogenes: οὐ σχολὴν ἀλλὰ χολήν, *non scholam sed meram bilem esse*. At pater inuidiam, tamquam virtutis comitem, eo tempore non magnopere moratus, hoc egit, quod officium et ratio postulabat, et sic se gessit, vt dexteritate, eruditione, et diligentia se non paucis patronis probaret, quin illos identidem ad se ornandum provocaret.

§. VIII.

§. VIII.

In primis autem ſpem potiundi loci inter publicos Academiae Doctores tum fecit ſupra laudatus VRSINVS DE BAEHR, vir magnae in aula regia auctoritatis, Epiſcopi dignitate fulgens, patri amiciſſimus. Huic viro, vt multa alia, ita hoc etiam debuit, vt anno 1708. ordini philoſophico adiungeretur. Auſpicatus eſt nouum illud munus more maiorum exercitatione ad diſputandum praepoſita: *de genuina natiuitatis Chriſti era, e numis, et inſcriptionibus illuſtrata*. Quo animo, inſtituto, et adparatu illam ſcripſerit, ipſe nos docet in praefatione opuſculis Academicis praemiſſa. Nimirum iam a prima aetate ardere coepit in rei antiquariae, lapidariae et numariae ſtudium. In ſchedis adhuc habemus excerpta numorum, marmorum, gemmarum, ipſius manu delineatarum, ex codicibus, et libris rariſſimis, quin et ipſis archetypis congeſta; ex quibus colligere licet, quanta diligentia olim hoc ſit ſtudium ſectatus. Et niſi poſtea ſeuerioribus ſtudiis, et multis ſaepe quam magnis negotiis diſtrictus eſſet, plura eius ſpecimina non poenitenda dediſſet. Sed vti numquam antiquitatibus pretium ſtatuit, quam quatenus lucem ſeuerioribus diſciplinis accendunt, ita lapidarias et numarias muſas non aliter amauit, quam generatim antiquitates. Itaque illud ſtudium primo ad hiſtoriam tam ſacram, quam profanam, deinde ad iuriſprudentiam tranſtulit, ceu ſcripta iuridica, poſtea edita, pluribus teſtantur. Sed de vero, et recto vſu antiquitatum in omni eruditionis genere, et ſpeciatim in iuris ſcientia ipſe ſatis in ſcriptis, et operibus ſuis paſſim dixit.

§. *VIIII.*

In medio ſtudiorum curſu praeripiebatur illi, anno ſcilicet 1710. praeceptor, et patronus inſignis, SAM. STRYCKIVS, iuris conſultorum ſui ſaeculi facile princeps. Qui caſus non poterat non et Fridericianae, in quam immortalia, et patri, in quem multa magnaque ejuſdem merita exſtabant, luctuoſus et feralis eſſe. Magno tum animorum motu de extremo officio tanto viro rite praeſtando certatum eſt. Diſcipulus autem praeceptori pietatis, venerationis, et grati animi monimentum poſiturus, ſempiternae ejus memoriae conſecrauit panegyricum, qui adhuc omnium manibus teritur. (*) Quamuis autem hoc modo pietas ſimul, et eloquentia HEINECCII illuſtraretur, hanc tamen laudem non ſine inuidia inuenit. Quidam enim patri, vt lenius dicam, aemulus, atque inſuper IO. SAMVELIS STRYCKII, SAM. FILII, patri neſcio cur infenſi, amicitia abutens in fraudem patris, honorificum illud pietatis officium illi variis machinationibus extorquere conatus eſt. Neque ſatis ſcio, an publice dicere integrum illi fuerit.

§. X.

Nondum illo tempore adeo candidi patri fulſere ſoles, vt non de meliore et ſtabiliore fortuna, ſi non ipſe, amici tamen ſubinde eſſent ſolliciti. Fratrem in primis amicoſque angebat illa patris aequanimitas, qua iuxta Plautum, *virtute ambire oportere*, *non fautoribus*, arbitrabatur, cum ſine his perraro aliquid effici probe intelligerent. Erat certe eo animo a natura factus, vt litterarum ſtudiis, et ornandae ſpartae vnice intentus, diſſimilis ſemper fuerit iis, qui vt aliquid aucupentur, ardelionum more trepide concurſant, potentiorum limi-

na

(*) Iunxit auctor illum *Fundamentis ſtili cultior's. Tomo I. Operum.*

na fine fine modoque exofculantur, amicos anxie quaeritant, minutum et pufillum animum quauis occafione prodentes, Graeculis efurientibus fimillimi. Longe his aliter animum induxit pater meus, qui nullo quidem officiorum genere defuit patronis, fed vt non facile neque nifi parciffime ab iis fibi emendicaret gratiam aliquam. Saepe haec negligentia, fi ita adpellare fas eft, qua fibi fuifque magnopere defuit, vitio illi ab amicis non immerito data eft. Magnis tamen vfque ad exitum patronis probatus fuit, qui eius cauffa omnia voluerunt, effeceruntque. Vtcumque fit, illa animi fententia ei tum non male ceffit, praeter fpem et opinionem eorum, qui bene maleque illi cupiebant. Leui enim opera confecutus eft, vt fibi munus philofophiam publice docendi auguftali codicillo anno 1713. demandaretur. Non placuit nouum illud dignitatis augmentum obtrectatoribus, et ftimulus ita factus eft aduerfariis, inque iis difficili tum Theologorum Halenfium nationi, quorum odium non tam fua, quam fratris, vt putabatur, culpa incurrerat. Hic nimirum ab illis multum diuerfus, non probabat fimulatam, et adfectatam quorumdam pietatem, ac peruerfam et prorfus fanaticam, qua tamquam Circeo poculo inebriati erant, opinionem; non decere homines, diuinarum maxime rerum ftudiofos, philofophiam et profanas litteras. Et quo magis iis vterque frater dediti erant, hoc magis illis obtrectabat fcrupulofiffimum et irritabile illud hominum genus. Quibus calumniis fub idem fere tempus concuffus, et paene proftratus fuerit philofophorum huius faeculi princeps, Illuftris CHRIST. L. B. de WOLF, et ii fciunt, qui aliud nihil. Interea cum fratre fenfit frater, illiufque partibus addictus erat, et fic fieri potuit, vt per occafionem illi, cui difficile erat, fatyram non fcribere, exciderint fcommata, iis, qui nihil ferre folent, intoleran-

da, et tantum non cruce digna visa. Rem itaque inuidia plenam deferunt ad Regem, qui tandem vtrumque fratrem clementissimo rescripto admonuit, ne turbas darent, abstinerentque se porro a litibus. Crabrones etiam, vt coniicio, irritauerat edito sub auspiciis novi muneris, programmate, *de verae falsaeque sapientiae characteribus*, quo cum ciuibus academicis communicabat, quibus potissimum partibus illos iuuare animus esset. Legenti certe cuiuis iudicandi potestas est, in quale hominum genus faba cudatur. Mox sequebatur illa *de incessu animi indice* elegans dissertatio, qua illud physiognomiae genus, hominum mores et indolem ex variis signis externis, vultu et maxime incessu coniectandi egregie illustrat. Occasionem huic disquisitioni procul dubio dedit ridiculus eorum, qui ficto simulabant pia pectora vultu, quibus tum Hala scatebat, incessus. Qui cum suos haberent fautores, non facile cuiquam impune licebat hanc mouere camarinam.

§. XI.

Viam, quam semel ingressus erat, indefesso pede perrexit, neque a coepto vitae genere, quod erat in docendo scribendoque positum, cursum deflexit. Hujus industriae specimen sequente anno vulgauit, edita Commentatione *de philosophis semichristianis*. Non est, quod hic de ratione instituti quidquam dicamus, cum id ipse iam praestiterit auctor, tum in ipso libello, tum in praefatione Opusculis praemissa. (*) Quidquid autem hactenus publici iuris fecit, materia erat, aut ex historia ecclesiastica, aut philosophia, aut illius historia, hanc enim numquam neque a Theologia, neque philosophia, neque adeo a iure seiunxit, depromta. Tantum tamen abest, vt subinde amorem, quo in iuris legumque

(*) *Tomo II. Operum.*

que peritiam ferebatur, deposuerit, vt potius serio ac summa ope niteretur, illam eruditionis partem, cui se statim vt Halam concessit, dedit, animo complecti. Non tamen ausus est quidquam in illa scientia moliri aut scribere ante annum 1716. quo se iureconsultorum ordini, summis in iure honoribus ornandum, obtulit. Auspicalem enim tum, more Academiis recepto, differtationem publico eruditorum examini proposuit: *de origine atque indole iurisdictionis patrimonialis*. *Quandoquidem vero*, inquit Auctor, *ea tum erat rerum mearum ratio, vt intra quatuordecim dierum spatium et capiendum esset consilium, et exsequendum: temporis exclusus angustiis, omnia, quam fieri poterat, breuissime proposui, easque theses sine alterius praesidio defendi*. Dicam vero, ne quid intactum relinquam, quid sit, cur tam cito et tamquam in arena capiendum esset consilium. Varie quippe sollicitatus de coniugio contrahendo, adhuc tamen non adpetiit, donec non contemnendae demum rationes offerrentur, quas repudiare et adspernari religioni sibi ducebat. Intra breue temporis spatium cum actum transactumque esset, legi etiam sponso a sponsa dictae satisfacere non detrectauit: vt nimirum Doctoris iuris gradum ante nuptias, quibus iam dies constitutus erat, susciperet. Hinc nulla mora nectenda, indeque caussa breuissimi interualli ad hoc negotium concessi.

§. *XII.*

Venio nunc ad id tempus, quo domi satis clarus exteris quoque innotescere coepit. Priuatus enim iuris Doctor cupidae legum iuuentuti docendo apprime seruiit. Iam vero iuris et antiquitatum singularem scientiam publicis monimentis testatam saeculo fieri, reliquum erat. Factum id est autem insigni illo *Antiquitatum ius Roma-*

manum illustrantium syntagmate, quod primum Halae 1717. prodiit. Dici non potest, quam auide exceptum sit venustissimum illud opus. Toties certe repetitae editiones, inuenisse emtores, satis testantur. Recusus enim liber iste emendatior auctiorque est primum Argentorati, deinde Venetiis, Basileae, Traiecti ad Rhenum, et postremo Geneuae inter Opera omnia. Hoc certe specimine, tamquam esca aliqua allecti Batavi, illum post aliquot annos ad se vocarunt. Eodem libro et hanc laudem promeruit, vt inter iurisprudentiae humanioris, in Germania fere euilescentis, restauratores haberetur. Incubuerat nempe vitio practicorum, si Diis placet, vsum et praestantiam elegantiorum litterarum ignorantium, Academiis Germaniae quaedam barbaries, quam a iurisprudentia depellere elegantioribus litteris, antiquitatibusque, et historia cum illa coniunctis exemplo doctissimorum hominum summa semper ope nisus est Beatus Parens. Licet tamen hoc opere doctissimum quemque domi forisque in admirationem traxisset, non tamen, vt suum cuique iudicium est, omnia in illo placuerunt omnibus, vt non subinde censores et aduersarios inuenerit. Notarunt certe eum viri clarissimi B. BRANCHV *in Obseruationibus*, GOTTL. CORTIVS, *in Vindiciis Praetoris iurisque honorarii*, quibus quid reposuerit pater contrauindicans, legere est in *Hist. Edictorum Edictique perpetui. Lib. I. Cap. 6. §. 19. sequ.* nec non in *Historia iuris Lib. I. Cap. 3. §. 70.* IAC. VOORDA *in Commentario ad L. Falcidiam*, IO. AVG. ERNESTI, *in Indice Ciceroniano*, aliique maiorum minorumque gentium litterati. Nemo tamen maiore animi motu adparatuque contra auctorem hujus operis insurrexit, quam laudatus CORTIVS. Hic enim initio amicus, mox aemulus, postremo infestum animum non alia de caussa gessit, quam quod spe potiundae profes-

su-

furae alicuius excidit, ex quo Patri illa demandaretur. Ex quo tempore non aliud fere fibi negotium credidit datum esse, quam vt tam in praelectionibus, quas Lipsiae in hoc syntagma instituit, quam scriptis, doctis ceterum et laboriosis, patrem censeret, notaret. Sunt et alii, qui in hoc mustaceo laureolam quaesiuerunt. Inueneríntne, non dixerim? Non equidem mihi harum litium arbitrium sumo, cum nec meo auxilio, nec me defensore pater egeat, et bella eiusmodi semper putarim nullos habitura triumphos, neque ita vmquam in Patris verba iurauerim, vt credam, numquam illum aliquid humani passum. Rem potius iudicio eorum relinquo, quibus iudicandi vis est, et potestas, et otium. Hoc tamen dissimulare nequeo, fuisse in aduersariis, qui magnum putarunt, in re illiquida et dubia, qualia sunt multa in Antiquitatibus capita, probabilem sententiam contra aeque probabilem, vel etiam probabiliorem summa contentione defendere. Sed missis his ad alia transeamus. Eodem fere tempore, quo iurisprudentiam antiquitatibus illustrare adgressus erat, historiam etiam iuris Romani et Germanici, ad quod, ab hoc lumine destituti, non possunt non caligare, meditabatur. Sed tum quidem in aliud tempus differre propositum coactus, Christiani Thomasii *delineationem historiae iuris*, breuem illam quidem, sed instituto satis aptam, in vsum auditorum recudi curauit, eamque praefatione commendatitia ornauit.

XIII.

Eloquentiae famam sibi pridem parauerat Pater, et cum Nic. Hier. Gvndlingio in facundissimis sui aeui oratoribus numerabatur. Stili sane Latini omnes elegantias callebat; et siue scriberet, siue diceret, facile intelligebatur, illum fere quod summum est in dicendi arte

arte attigisse. Eminuit certe in Parentis mei dictione Latinae linguae puritas, rerum copia, et pronunciandi grauitas. Neque haec dicendi facultas et fructus, qui ex eius institutionibus oratoriis in studiosam iuuentutem manabant, Fridericianae curatores, neque per hos ipsum Principem latebant. *Cum itaque*, (inquit ipse *in Praef. Fundamentorum stili*) *beatissimus, et immortalis gloriae princeps*, FRIDERICVS, *rex Prussiae, publicum docendi munus in illustri hac Academia mihi decreuisset, eo potissimum consilio id se facere professus est rex sapientissimus, vt iis, qui se politioribus litteris consecrassent, viam, qua ad pulcherrimam istam laudatissimamque doctrinam possent peruenire, commostrarem. Quam bene de studiosa iuuentute merendi occasionem tametsi mihi tunc, nescio quae praeriperet inuidia: tamen ex quo potentissimus rex*, FRIDERICVS GVILIELMVS, *publice docendi prouinciam mihi imposuit, dandam mihi operam existimaui, ne nullum ex illa beatissimi principis voluntate fructum caperetis.* Et sic nata sunt *fundamenta stili cultioris*, Halae primum 1717. excusa, et postea vndecies, et amplius recusa. Gratus in primis hic labor docentibus, commodusque discentibus fuit, adeo vt classicam fere auctoritatem consecutus, ac in plerisque Germaniae scholis introductus sit libellus, ab eo profectus, qui ad alia plane quam vmbratica et scholastica studia natus videbatur. Fuerunt, qui intempestiue seduli neque rogati obseruationes suas, a mente auctoris non raro alienas, huic libro interseruerunt, cum quibus aliquoties recusus extat. Non sine indignatione alienam illam operam tulit, tametsi honorificum illud officium grate agnouerit, quod in commentando illo libro praestare haud grauatus est, Vir celeberrimus musisque Heineccianis amicissimus IO. MATTH. GESNERVS. Adhuc non sine vberrimo fructu insignique gratia priuatus iurium Doctor

ctor ius ciuile auditoribus legum cupidis enarrauerat, cum in dies magis, magisque effloresceret B. Parentis nomen. Itaque triennio post commendatione eorum, quorum curae Fridericiana, et res Palladia in orbe Prussico erat, in primis illustrissimi MARQVARDI LVDOVICI A PRINZEN dignitas ab augusto Rege illi professoris iuris extraordinarii decreta est. Huic iungebatur assessura facultatis iuridicae, Professoribus iuris, qui extra ordinem sunt, non facile concedi solita. Inde publico disputantium examini proposuit dissertationem *de leuis notae macula, ad l. 27. Cod. de inoffic. test.* in qua enucleata illa lege, et querelae inofficiosi historia, cur Constantinus M. fratribus praeteritis aduersus heredes, probro aliquo diffamatos, succurrendum putarit, deinde quae sit illa leuis notae macula, quam in animo habuerit Imperator, et denique num tota illa de hac macula doctrina ICtorum vllum in ista lege praesidium inueniat, cum cura disquisiuit. Dubia quaedam contra nouam sententiam, in dissertatione illa propugnatam, mouit Collega olim coniunctissimus, Vir illustris IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS in dissertatione *de querela inofficiosi fratrum consanguineorum*, quibus in praefatione Opusculorum variorum συλλογῇ praemissa occurrendum putauit.

§. *XIIII.*

Nec defuit porro amicorum, et patronorum in ornando patre gratia, auctoritas, et voluntas, neque Optimi Principis clementia. Sequente itaque anno 1721. Antecessor ordinarius factus est, illique dignitati etiam honorificus aulae Regiae Consiliarii titulus additus. Et sane nouum hoc dignitatis ac fortunae augmentum nouos etiam stimulos addidit patri, dignum se expectatione iudicioque patronorum probandi. Itaque non curam aliam

priorem habuit, quam vt ſtudioſae iuuentuti docendo, reique litterariae ſcribendo prodeſſet. Neque intermiſit publicum diſputandi exercitium. Specimina huius induſtriae edidit binis diſſertationibus, altera *de collegiis, et corporibus opificum*, altera *de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis*, quam calculo ſuo probauit Illuſtris BYNKERSHOEKIVS *Obſeru. iur. publici Lib. I. cap.* 14. licet in quibuſdam a patre diſſentiat. Et alienis hoc tempore aliquot egregiis ſcriptis hanc operam nauauit, vt recuderentur, quo in plurium manus venirent. Hinc Triadem diſſertationum IACOBI PERIZONII, *ad Legem Voconiam, de conſtitutione diuina ſuper ducenda defuncti fratris vxore, et de variis antiquorum numis*, et elegantiſſimos CORN. VAN BYNKERSHOEK *obſeruationum libros priores* recudi fecit, illiſque luculentas praefationes *de antiquitatum, et artis criticae vſu in iuriſprudentia* praemiſit. Aliquot annos Bibliothecae Marianae Halenſi praefectus erat, ex quo munere non vnum ipſe, et res litteraria fructum retulit.

§. *XV.*

Quae adhuc vulgauerat B. Pater ingenii monimenta, aliaque in Academiam Halenſem, et iuriſprudentiam merita non latere eum ſinebant. Famae quidem non admodum ſtudioſus, ac propemodum, ceu ipſe fatetur, (*) illud λάθε βιώσας a puero adfectans, eam tamen nominis celebritatem ſatis mature conſecutus eſt, vt iam expeti ab exteris coeperit. Magnus certe ille in Aula Regia adminiſter, et Academiarum Curator MARQV. LVDOVICVS A PRINZEN non deſtitit illum enixe commendare REGI. Quo factum eſt, vt anno 1723. in Viadrinam anteceſſor deſignaretur. Conditiones oblatas repu-

(*) *in Epiſt. Amoeb. p. 19. T. III. Oper.*

repudiandi nulla caussa erat, mox tamen consilium mutandi noua nata est. Eodem enim tempore ab Illustrissimis Frisiae ordinibus Franequeram, in locum ORTVINI WESTENBERGII sufficiendus, euocatus, voluntati tam prolixae non prorsus abnuendum duxit. Dubius tamen adhuc, et anceps animi, et quo se verteret nescius. Quemadmodum enim ea indole erat, vt quieto et tranquillo vitae genere, stabilique sede nihil prius, nihilque antiquius haberet; ita vix à se impetrauit, vt mutatis sedibus coeloque in tam dissitas regiones migraret. Mox tamen verum expertus est illud Senecae sapienter dictum: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt*. Quod postea adeo animo infixit, vt symboli loco haberet, ac philothetis amicorum, et commilitonum memoriae caussa inscriberet. Quid tamen fuerit, quod posthabitis Viadrinis conditionibus, Franequeranas acceperit, dicam. Primo quidem morte ereptus illi fuerat frater amantissimus, IO. MICHAEL, qui illo ipso anno diem obierat supremum. Tali praesidio orbato iactura videbatur irreparabilis, ipsaque Fridericiana ingrata sedes, a qua iam abesse quam longissime non admodum dolebat. Neque minus momentum lautiores Frisiorum conditiones. Et hoc denique multum apud patrem valuit, quod sciret, nullibi quam in Belgicis academiis largius et honestius otium, musis amicissimum, concedi, quo in Germania non facile fruantur Antecessores, molesto satis et ingrato respondendarum caussarum labore distenti, ac prope ciuilibus vndis mersi. His itaque aliisque rationibus motus, impetrata prius a Rege honesta missione sub hiemem anni 1723. cum familia Franequeram migrat, amicis et discipulis ingenti sui desiderio relicto.

§. XVI.

Confecto satis molesto itinere, ingruebat enim hiems, vrbem ingreditur, tanto concursu, et adplausu a ciuibus, collegis, et studiosa iuuentute exceptus, vt facile adpareret, quanta fuerit illius, exspectatio. Florebant tum in illa Academia, multis olim magnisque nominibus illustri, viri clarissimi RVARDVS ANDALA, ALBERTVS SCHVLTENS, VENEMA, MELCHIORIS Theologi, ZACHARIAS HVBERVS, DOM. BALCK Iureconsulti, MVYS et REGWS Medici, TIBERIVS HEMSTERHVIS, PETRVS WESSELINGIVS Philologi, et litteratores clarissimi, cum quibus collegis adeo amice vixit, vt numquam se cum his in gratiam rediisse meminerit. Antecessoris autem munus non ita multo post auspicatus est oratione sollemni *de iurisprudentia veterum Romanorum formularia, ritibusque, quibus negotia ciuilia explicabantur, sollemnibus*. Deinde summo auditorum plausu cathedram iuridicam adperuit. Ante quam Franequeram concederet, Leouardiam digressus innotuit celsissimo Arausoniensium Principi, Magnae Britanniae Regis nunc genero, totiusque foederati Belgii cum maxime gubernatori hereditario, vti et Serenissimae eius matri, quorum gratiam continuo adeo sibi propriam fecit, vt non multo post Princeps hic iuuentutis, Franequeram studiorum caussa accedens suae institutioni committeretur. Eadem simul vsi sunt plurimi ex praecipua Angliae nobilitate iuuenes, praesentia Principis, futuri regis sui generi, illuc allecti. Quamdiu Franequerae docuit, sequentia in lucem misit: *Elementa iuris ciuilis secundum ordinem Institutionum, et Pandectarum*, quibus luculentissimis iuris compendiis satis docuit, iuris ciuilis non solum vsum, sed et artem in eo fuisse. Nouam quidem, sed commodissimam auditoribus, et discentibus viam, et rationem secu-

fecutus eft auctor, et quifquis cogitauerit, quibus inftructus praefidiis huic operi manus admouerit, ab eo non fine fummo iudicio hanc methodum electam effe, libens fatebitur. Auctor fane, qui iam inde ab ineunte aetate ita percoluerat ingenium, vt omnem doctrinae elegantioris adparatum referret ad iurifprudentiam, ex illa fola arti in fe abftrufae, et interpretum plerorumque infcitia mirae inuolutae caligini lucem accendi poffe arbitrabatur. Ea opinione imbutus in omnem antiquitatem litterafque et Graecas, et Romanas ita fe penetrauerat, vt fibi eorum nihil, quae ad eruendas legum rationes pertinent, praetermittendum putaret. Quumque fatis animaduerteret, veteres iurifconfultos certa artis fuae praecepta, ac veluti principia ante oculos habuiffe, ex quibus omnes decifiones fuas foecundo ingenio deriuarent, omni ope incubuit, vt puros iftos, et limpidiffimos fontes recluderet. Quo id demum confecutus eft, vt omnes iuris ciuilis doctrinas non male cohaerentes, nec tamquam fparfa Hyppoliti membra, difiectafque, fed nexu arctiffimo copulatas iftis libellis fifteret, incredibilique fructu e cathedra explanaret. Dici non poteft, quantam initio inuidiam fibi conciuerit noua illa ac politiore fcribendi docendique ratione, mox tamen calculum vel inuitis extorfit. Sed de lite illa methodo paternae a quibufdam intentata infra pluribus erit differendi locus. Et *Commentarius ad Legem Iuliam, et Papiam Poppaeam*, Halae quidem conceptus, Franequerae natus editufque eft. Differtationem quoque *de vitiis negotiationis collybifticae* ibidem, vt et aliam de *origine teftamentifactionis, et ritu teftandi*; quae tamen maximam partem Refpondenti debetur, edidit. Repetitis Vinniani *Commentarii in Inftitutiones iuris ciuilis*, Boekelmannianique *iuris Compendii* editionibus praefationes addidit, quae Tomo III. Operum, iunctim editorum, legun-

leguntur. *Grotius*, *et Pufendorfius illustratus*, opera postuma a V. C. Io. Lvd. Vhlio, Antecessore Viadrino edita, praelectiones sunt, quibus auctores istos Franequerae explicauit. Anno 1725. vacationum tempore animi caussa iter Amstelodamum instituit, cuius hunc praecipue fructum retulit, vt Amplissimum tum curiae supremae, quae Hagae vice sacra iudicat, Senatorem, mox Praesidem, iureconsultorum nostrae aetatis facile principem, Cornelivm van Bynkershoek, qui tum forte eamdem vrbem inuiserat, coram salutare, et venerari liceret. Tanto viro patris adeo placuerunt studia, vt amicitiae illum suae, ac iurisprudentiae honorem adpellare non dubitarit. Iam diu vnus alterius propius noscendi desiderio flagrabat, et iam forte fortuna vtrique copia insperato data. Nihil hoc congressu iucundius aut amicius, neque, vt ipse pater in Dedicatione Commentarii ad Legem Iuliam meminit, retulisse piget. Pater nimirum apud Waesbergivm, ni fallor, Bibliopolam, virum honestissimum integerrimumque diuertens, ab hospite ad coenam cum aliis quibusdam viris litteratis vocatur. Vt Bynkershoekius vna esset curatum, ignarus vterque conuiuarum, quibuscum coenandum esset. Coenae pater, suauibus vt erat moribus, rem sic consulto et dedita opera instituerat, vt vtrique suauissima captio esset. Itaque varios sermones, qui forte ferebantur, eo tandem inflectere, vt cum patre de Bynkershoekio colloqueretur. Pater, ignarus fraudis, tanto viro iustas debitasque laudes plena manu admetiri, votumque addere propius venerandi. Tum idem ad Bynkershoekium conuersus nunciare, se breui Heineccium hospitio excepturum. Hic vero non minus neque sine elogio optare sibi illius salutandi copiam. Vtrimque admiratio, de se tam honorifice dici, et sciscitatio ex hospite. Hic tandem animi impatientiam in vtroque ani-

animaduertens, non possum, inquit, quin innocentem vobis fraudem meam palam faciam, suauissimumque errorem demam. Amore et cultu vnus alterius tenemini; En ergo tibi, Amplissime Bynkershoeki, Heineccium, tibique Bynkershoekium. Quanta tum laetitia, quantaque voluntatis, mutuaeque amicitiae significatione se inuicem amplexi sint, facile est ad intelligendum. Praeter Bynkershoekium quam maxime etiam coluit Sicconem a Goslinga, Virum togae artibus illustrem, Frisiorum Academiae curatorem, qui certe patrem vnice patrisque studia probauit, neque vllam ornandi augendique occasionem elabi passus est.

§. *XVII.*

Non diuturna tamen apud Belgas commoratio fuit, tametsi suo res acta si arbitrio esset, numquam has terras dulciaque arua, vbi nihil fere triste expertus est, praeter obitum suauissimae coniugis, quam primo post aduentum anno, florentissima aetate, puerperam amiserat, liquisset. Fautorum enim copia, amicorum consuetudo, splendidae conditiones, altero anno auctae munificentia Ordinum, et quae primo loco nominanda erat, libertatis, qua Belgae fruuntur, dulcedo, vsuraque amplioris honestiorisque otii, ac vitae veluti desultoriae taedium, spes etiam fulgentioris in Belgio fortunae, facile eum dimouissent a consilio in Germaniam, si qua occasio nasceretur, reuertendi. Sed valetudinis et corporis, continuis febribus attriti, magis habenda ratio erat, quod non aliter, quam haustu aurae siccioris, nam marina ista, et palustris corpori non omnino amica erat, refici posse videbatur. Animo haec voluenti offeruntur binae Professurae in Academia Viadrina morte Bernardi Henrici Reinoldi et Arnoldi Wesenfeldii va-

vacantes, ad ius ciuile, et philoſophiam in ea Academia docendam, cui iam ante quadriennium deſtinatus erat. Oblatae conditiones acceptandae videbantur. Rem itaque, venia ſimul diſcedendi rogata, ad Illuſtriſſimos Ordines, nec non Arauſionenſem Principem defert. Propoſitis quibuſcumque melioris ſortis conditionibus a conſilio auertere ſtudent. Sed praeualuit, neque iniuria, corporis ratio. Miſſione itaque impetrata, nam haec quidem in Belgio nemini denegatur, conclamatis vaſis, iter adgreditur non ſine dolore votiuiſque acclamationibus amicorum. In his V. C. PETRVS WESSELINGIVS elegante proſphonemate diſcedentem proſequitur.

O, qui flos hominum es venuſtiorum,
HEINECCI, et Themidos decus ſacratae,
Id, quod nunc agitur, iter vorabis
Aptis ſarcinulis, et expeditis:
Non vmquam metues graues ruinas,
Nec caſus alios periculorum,
Saluus peruenies, domumque figes,
Qua muſae Viadri colunt fluenta.
Quin ſemper Tibi erit bene ac beate,
Si caros modo me, et meos ſodales,
Qui te plus oculis ſuis amarunt,
Haud vmquam ex animo tuo repelles.
Hinc me, ſi ſapis, et meos ſodales
Inſcribes penitus tuis medullis,
HEINECCI, Aonidum decus ſororum.

Sub autumni ingreſſum Francofurtum adpellitur, ab amico in primis vetere, cuius deſiderium vix ferebat, quoue illi nemo coniunctior alter, V. ILL. CHRIST. GODOFREDO HOFFMANNO, cuius opera plurimum illi apud Regem regioſque adminiſtros valuit, amiciſſime exceptus. Compoſitis ſarcinis, feſſoque ab itinere corpore, necdum a febre libero, paullisper refecto, auſpicium

cium noui muneris fecit sollemni oratione: *de iureconsultis semidoctis, caussisque cur tam pauci hodie ad veram iurisprudentiae laudem perueniant.* Hanc autem publico programmate indixit: *de* P. IVVENTIO CELSO, *saeculi sui ornamento.* Varia postmodum scripta edidit, quorum rationem auctor in praefationibus, quantum satis est, dixit. Actum itaque non acturi, summam tantum exhibemus. *Elementa philosophiae rationalis et moralis*, quibus praemisit *historiam philosophicam.* Haec aliquoties summo auditorum plausu e cathedra explicauit, et hinc natae sunt adnotationes Germanico idiomate scriptae in Historiam philosophicam, quas post fata Viri edidit diligentissimus patris discipulus, V. GL. IO. LVD. VHLIVS, *Marchioni Brand. Onoldino a Consil. aulae, et in Viadrina Professor iuris publ.* Huc pertinent variae Dissertationes Academicae: *de vsufructu materno iuris Germanici, maxime Hamburgensis; de mercatorum, qui foro cesserunt, rationibus et codicibus; de lubricitate iurisiurandi suppletorii; de religione iudicantium circa reorum confessiones; de suprema principum magistratuumque tutela; de eminentioribus ducatus Lotharingiae praerogatiuis.* Postrema honori maiestatique transeuntis tum Francofurtum, Celsissimi Principis FRANCISCI STEPHANI, Augustissimi iam Imperatoris dicata ab auctore et Respondente, iam Tribunalis Ecclesiastici Meclenburgici Consiliario ENGELKENIO est. Programmata variis occasionibus publicauit *de Vlpiani Hebraismis, de iurisconsultis reformationi praeludentibus, de variis Saturninis iureconsultis.* Alterum adornauit anno 1730. quo saecularia sacra ob exhibitam Carolo V. Imp. confessionem Augustanam celebranda essent. Anno, qui sequebatur, munus Rectoris Academici suscepit, eaque occasione publice dixit orationem: de C. AQVILLIO GALLO, *Iureconsultorum sua aetate Coryphaeo.* Sed et de alienis scriptis

quibusdam bene meritus est. Non enim solum recudi curauit BALTH. GRACIANI *Aulicum*, IO. SELDENI opus *de Synedriis et praefecturis iuridicis Hebraeorum*, nec non EZECH. SPANHEMII *orbem Romanum*; sed elegantissimas etiam illis praefationes praescripsit, et tamquam hederam suspendit. Illa *de vtilitate litterarum orientalium in iurisprudentia* quantiuis pretii est, alteraque, qua perperam dicta quedam ab Ez. Spanhemio emendantur, doctissima.

§. *XVIII.*

Francofurtum illi gratissima et optata sedes, nec vspiam sibi magis placuit. Hinc inter musas Viadrinas senescendi perpetuumque ibi et immotum, si fata vellent, domicilium figendi, firma sedet animo sententia. Itaque aedes sibi comparare, Bibliothecam instruere, quasi de stabili mansione certus. Vndique iam confluere ad virum audiendum, cuius fama late vagauerat per orbem. Et certe nimium non tribuo patri, si dixero, numquam illam Academiam neque florentiorem neque frequentiorem exterorum studiosorum concursu fuisse, neque statum, quo nunc est, vlla ex parte comparandum esse cum illo tempore, quo ibi docuit HEINECCIVS. Cum illo fere natum esse florem, et interiisse dixeris, neque ibi ciuium est quisquam, in quo non viuat gratissima HEINECCII memoria, quiue non florentissima illa tempora cum desiderio reminiscatur. Quanti propterea apud illustrissimos Academiae curatores fuerit, et quantum momentum in hoc vno Doctore situm existimarit ipse Princeps, ex eo adparet, quod post aliquot annos eumdem in Fridericianam, cuius singularem et praecipuam curam gessit, inuitum paene et reluctantem migrare iusserit, persuasus, neminem illi maius HEI-

NEC-

NECCIO adlaturum incrementum. Eadem aliis quoque Regibus, Germaniae ordinibus, et foederati Belgii de hoc viro ſtat ſententia. In Academias enim Hafnienſem, Marburgenſem, Gieſſenſem, Ienenſem, Lugdunenſem, Traiectenſem, honeſtiſſimis et ſplendidis conditionibus euocatus eſt, quae neſcio an vlli facile euenerit gloria. Quod cum intellixiſſet Potentiſſimus Pruſſiae Rex, noua clementiae ſingularis erga illum documenta editurus, operamque illius ſibi tanto magis addicturus, anno 1731. contulit ſplendidiſſimum *Conſiliarii Intimi* honorem, addita inſigni gratiae teſtificatione. Ex quo tempore rogatus a Principe ſententiam in magnis et momentoſis negotiis publicis conſilia edidit. Nihil autem in Francofurtana commoratione illi ſuauius fuit conſuetudine CHRIST. GODOFREDI HOFFMANNI, ordinis iuridici Praeſidis, fratriſque IO. GVIL. HOFFMANNI, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimi, quibuſcum tam indiuulſam amicitiam coluit, vt nulla paene dies praeterierit, quin aliquot horas vna conſumerent. Locupletiſſima HOFFMANNO ſeniori bibliotheca erat, in qua tamquam communi aliquo amicorum nido, plurima de communibus ſtudiis, ſcriptiſque, quae moliebantur, conferre ſolebant conſilia.

§. *XIX.*

Ex voto et animi ſententia apud Francofurtanos iam ſextum, et quod excurrit, annum egerat, cum de ſe Fridericianae reddendo Clementiſſimi Regis voluntatem cognoſceret. Deſtinabatur tertius in ordine iuridico locus poſt Cancellarium IO. PETRVM DE LVDEWIG et Directorem IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM, ſeruato Francofurtano ſtipendio ampliſſimo M. Ioachimicorum. Deprecatus, quibus rationibus poſſet, mutationem ipſe, deprecati ciues, memores, quam aduentus

illius res Francofurtanas prouexiſſet, nihil haec tamen tenacem propoſiti Principem, non ſine ſumma ratione quidquam decernentem, mente quatiunt ſolida. In obſequio ergo relicta gloria. Quare iuſſui Principis obtemperaturus, ſine mora itineri Halenſi ſeſe accingit. Ex quo Lipſiam, veterem alumnam et formatricem excurrens, doctiſſimos, quos ſinu ſuo fouebat, viros ſalutauit. Fridericianae poſtliminio reſtitutus, factum id eſt autem anno 1733. Maio exeunte, eo anni tempore, quo iuris ceterarumque diſciplinarum Profeſſorem acroaſium, quas ibi ſtato tempore ſinguli ſemeſtribus exordiri ſolent, initium iam fecerant, praelectiones ordinarias differre coactus eſt. Otium itaque aliquot menſium in aedibus comparandis, bibliotheca inſtruenda, adornandaque *hiſtoria iuris Romani et Germanici*, idque ſatis feſtinante calamo, conſumſit. Vix primae huius libelli plagellae typis exſcriptae erant, cum praelectiones, quibus illum publice interpretaretur auditoribus, indiceret programmate: *de* SALVIO IVLIANO *Iureconſulto*, *Edicti perpetui conditore.* Ingenti numero et plauſu auditores habuit. Ex quo tempore omnes fere iurium partes, ciuile Romanum, Germanicum, feudale, publicum, cambiale, tum et philoſophia moralis, ciuilis, ius naturae et gentium, Hiſtoria et Antiquitates iuris, notitia optimorum iuris ſcriptorum, diſputandi artificium, argumentum praelectionum fuerunt. Quod temporis reliquum erat, libris ſcribendis, aut de iure quaerentibus tribuit. Creſcit fama, et cum illa fortuna, et Hala iam non ingrata ſedes, ſtatioque, occupatiſſima licet, non honorifica minus quam lucroſa. Plurima idemtidem ſcripta prodeunt in lucem. Nam praeter *hiſtoriam iuris*, quae auctior ſubinde emendatiorque Traiecti recuſa eſt, edidit *Elementa iuris Germanici tum veteris*, *tum hodierni*; *Elementa iuris naturae et gentium*, quae in Anglia etiam, in Angli-

glicanam linguam versa, prodiisse scimus. Tum quoque Dissertationes: *de marito tutore et curatore vxoris legitimo; de testamentifactione, iure Germanico arctis limitibus circumscripta; de praescriptione iuris Lubecensis a iure communi diuersa; de pecunia in casum, si caussa ceciderint, ab adpellantibus alioue remedio vtentibus, deponenda; de reductione monetae ad iustum pretium; de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam; de iure principis circa ciuium studia; de caussa seruitutum perpetua; de locatione conductione iurisdictionis; de venditione illicita fructuum in herbis; de dominis subditos suos in iudicio suo conuenientibus.* Illa *de tutela pactitia Dissertatio* alieno nomine a patre concinnata est, nec vmquam antehac typis expressa. Praefatus est libris sequentibus:

1) Opusculis quibusdam historiam iuris et maxime Pomponii Enchiridion illustrantibus. Praefatio est *de Sex. Pomponio iurisconsulto, eiusue Enchiridio*, Halae 1735. 4.

2) Io. Iac. Wisenbachii Emblematibus Triboniani, et Io. Wybo Triboniano ab Emblematibus Wisenbachii liberato, Halae 1735. 8.

3) Corpori Iuris ciuilis. In praefatione *defendit Iustinianum Imperatorem, Tribonianum, et compilationem Iuris Romani*, Lipsiae 1735. 4.

4) Sam. Stryckii Cautelis contractuum. *Praefatio est de iurisprudentia cauente*, Berolini 1736. 4.

5) Fasciculo scriptorum iuris nautici et maritimi, Io. Fr. Stypmanni ius maritimum, Rein. Kuricke de adsecurationibus diatriben, et Io. Loccenii ius maritimum complexo. Praefationem praemisit *de iurisprudentia, diuinarum humanarumque rerum notitia*, Halae 1740. 4.

6) Nic. Hier. Gundlingii Exercitationibus academicis, cum praef. *de vsu et praestantia numismatum in iurisprudentia*, Halae 1735. 4.

7) Pet.

7) Pet. Georgisch Corpori iuris Germanici veteris. Praef. *de Lege Salica, eiusque origine et vsu.* Halae 1738. 4. mai.

8) Iac. Cuiacii Obseruationibus iuris Romani Praef. *de obtrectatoribus et aduersariis Cuiacii*, Halae.

9) Iurisprudentiae Romanae et Atticae, quae Lugduni Batauorum tribus Tomis prodiit. Praefationes primo et altero praemisit de *vita*, *fatis et scriptis* FRANC. BALDVINI, GVID. PANCIROLI *et* BARTH. CHESII, *horumque interpretandi genere.* Tertius Tomus Samuelis Petiti Comm. ad Leges Atticas complectens post fata demum Patris prelo exiit, illique praefatus est vetus Collega Petrus Wesselingius.

10) Io. Ge. Sulpicii (hoc est Culpisii) libello de studio iuris publici recte instituendo. In praefatione comparauit SER. SVLPICIVM RVFVM cum IO. GE. CVLPISIO. Halae 1738. 4.

11) Io Christ. Fischeri Selectis et rarioribus purioris Latii monimentis, Ienae 1737. 4.

Schediasma illud *de eo, quod admirandum est in arte typographiea* anno 1741. scripsit, quo saecularia festa inventae tertio abhinc saeculo diuinae istius artis celebrabant Typographi Halenses.

§. XX.

Quam vtiliter tempus suum Halae triuerit Venerandus Parens, ex tot tantisque ingenii monimentis, operaque indefessa, discipulis nauata, satis adparet. Sed hic non substitit indefessa animi cura, assiduusque labor viri, non ad speciem docti, sed ad vsum et vitae commoda traducentis late patentem scientiam. Taceo enim innumeras fere quaestiones iuris, quae ad collegium iuridicum, tamquam commune totius orbis oraculum, si-

ue a

ue a litigantibus rerum ſuarum dubiis, ſiue a iudicibus deferri ſolent, quibus illi cum collegis reſpondendum fuit. Adhuc priuatim ipſe conſultus in arduis et maximi momenti cauſſis ſententiam dicere non detrectauit. Specimina aliquot poſt fata optimi Parentis edita in *Volumine Conſiliorum, Deciſionum et Reſponſorum iuris, cauſſas illuſtres complectente, ex iure Imp. Germ. publico, feudali, et matrimoniali tractatus*, quod Vratislauiae 1744. in forma maiore prodiit, pluraque adhuc volumina ſelectorum iuris ciuilis Reſponſorum edi poſſent. Fuerunt extraordinaria quoque munia ſubeunda, illiſque temporis aliqua pars tribuenda. Magiſtratum academicum ſemel Halae geſſit, ſaepius Decani tam iuridici quam philoſophici ordinis prouincia ad illum rediit, quae omnia labore non vacant. Societati litterariae vni alterique nomen dedit. Cum enim prae ceteris Halae amicos coleret, virum ſumme reuerendum IAC. SIGISM. BAVMGARTEN, SS. Theologiae Doctorem, Fridericianae et litterarum inſigne ornamentum fratremque ALEX. GOTTL. BAVMGARTEN, V. C. iam Prof. Viadrinum, nec non V. C. IO. HENR. SCHVLZIVM, Medicinae, Eloquentiae et Antiquitatum Profeſſorem, iam fatis functum, aliquot ante obitum annos cum his litterarium commercium iniit, eo conſilio, vt ſtato ſingulis hebdomadibus die conuenirent, et circa hiſtoriam ſacram et profanam, litteras elegantiores Graecas et Romanas, et maxime rem numariam SCHVLZII in primis delicias, conſilia conferrent. Sed et Societati Latinae, quae Ienae floret, ceu ſocius honorarius adſcriptus eſt. Poſtremus labor fuit ſplendida accuratiſſimaque Lexici Briſſoniani editio, quae poſt obitum Halae 1743. lucem vidit. Abſoluit autem ipſe XIII. priores libros, partemque Libri XIIII. reliquos iuſſu et mandato moribundi tum patris eadem cura et induſtria ipſe exigere conatus ſum. Poſtremum

cium

hunc laborem dixi. Et postremum quidem, nam huic immortuus est. Et vere labor fuit, integrum hoc opus amplissimum describere, omnes et singulas leges ex Corpore Iuris ciuilis excitatas, omniaque loca a uctorum veterum euoluere, numerosque, paragraphos et capita sigillatim notare, articulos omnes rectius disponere, diuersas vnius verbi significationes accuratius eruere, suoque loco inserere, nouis denique obseruationibus locupletare. Animus auctori erat, luculentam et prolixam *de vsu artis Grammaticae et criticae in iurisprudentia* praefationem addere, sed morte praeuentus est. Praefandi tamen officio functus est Vir Illustris. Ducatus Magdeburgici Cancellarius, et Fridericianae Director, IVST. HENNING. BOEHMERVS, amicissimus quondam patris collega.

§. XXI.

Multa, vt vidimus, scripsit diligentissimus auctor, plura editurus, nisi aut mutatum toties domicilium, et vitae genus, et cum hoc studia, negotia item multa magnaque, vitae denique summa breuis vetassent spes inchoare longas. Liceat mihi Catalogum brevi texere scriptorum, quae viuus olim meditatus est, vti si forte alios inuitare queam, siue ad telam coeptorum pertexendam, siue ad idem conandum. Equidem memini, me iam supra referre, statuisse illum aliquando *historiae Ecclesiasticae Syntagma* adornare, noua autem studia illum auocasse a pristinis amoribus. Alte tamen infixum menti haesit hoc propositum. Sub extremum enim vitae tempus, cuius non minimam partem contemplationi diuinarum rerum, Annaliumque Ecclesiae inuestigationi impendit, iterum repetiit, diuerso licet consilio. Constituerat enim historiam ecclesiasticam condere, quatenus iurisprudentiae lucem accendit. Sed nihil tamen, aliis districtus negotiis perfecit. Cum apud Frisios ageret,

ret, tria opera meditatus est. Edere enim illi animus erat. *Edictum perpetuum*, a Saluio Iuliano Hadriani Imp. auspiciis conditum; cuius restitutionem iam ante tentarunt Viri doctissimi, IAC. GOTHOFREDVS, HVB. GIPHANIVS, GVL. RANCHINVS et forte alii, deinde SEX. POMPEIVM FESTVM *de verborum significatione*, postremo IAC. CVIACII *opera omnia*. Certe si otium suppetiisset, quo Franequerae certis anni interuallis fruebatur, non dubium est, quin perfecerit Edictum perpetuum, opus iureconsulto et votis eruditorum dignum. Consilium autem illius in hoc versabatur, primo vt pleniorem Edictorum Edictique perpetui historiam conderet. Quidquid illius perfecit, *Opusculis postumis* a me editis inserui. Deinde Edictum ipsum pristino ordini suaeque integritati, quantum fieri posset, restituere, simulque probationes, ac postremo Commentarium pleniorem adiicere animus erat. Sub calcem ordinem restituisset librorum, quo varii apud Romanos iureconsulti commentati sunt in Edictum perpetuum. Sed praeter primas restituti Edicti partes cum probationibus nihil in schedis paternis inueni. Festi quoque noua editio in spongiam abiit. Iam schema operum omnium Cuiacii a se edendorum publicauerat ὁ μακαρίτης. Enimuero iusto minor subscribentium, vt vocant, numerus a proposito deterruit Bibliopolam Io. vander Linden. Priusquam in Frisiorum Academiam tenderet, de *Antiquitatibus iuris Germanici* eodem instituto, quo illud Antiquitatum Rom. syntagma, edendis non cogitauit solum, sed etiam ad finem perduxit. Egerat autem cum Dulseckero, Bibliopola Argentinensi, de illis nitide accurateque imprimendis, simulque de honorario. Conuenerat res per litteras. Hic autem, rogato Auctore, ut exspectaret, donec Lipsia, quo ad nundinas autumnales ire statuerat, Halam ipse excurreret, conuentionisque legibus coram satisfaceret,

 ex-

expectari a patre tum non potuit. Nam itineri in Frisios intentus, Franequeram festinabat. Itaque cum Io. Christ. Franckio, cui totum negotium commiserat perficiendum, conuenit, vt honorarii a Dulfeckero promissi partem aliquam ab illo praeciperet, autographo in pignoris vicem tradito, ea lege, vt nomine expuncto Dulfeckero redhiberet pignus. Tum Auctor in Frisios tendit, ignarus fatorum, quae habiturus sit libellus. Tristis tamen illorum nuncius continuo perfertur. Franckius enim foro cedens fuga salutem petierat, cesso creditoribus, quidquid bonorum superesset. In his cum libraria supellex esset, illam illustris quondam Cancellarius Io. Petrus de Lvdewig, cui plurimum debebat, ad se deriuat. Inter libros latebant quoque Antiquitates illae Germanicae. Equidem Pater non minus quam Dulfeckerus nihil fecerunt reliqui, vt redimerent pignus. Sed irrito conatu. Dissimulauit enim possessor vsque hanc praedam, donec totam rem palam fecerunt illustris viri heredes, inserto Catalogo Bibliothecae Ludewigianae illo manuscripto. In manibus adhuc illorum delitescit elegans illud opus, quod luce dignius esset nisi, postea hanc iacturam aliquo modo reparasset Auctor, editis Elementis iuris Germanici. Sed et alia minatus est diligentissimus scriptor, veluti Lexicon iuris Germanici, syllogen paroemiarum iuris Germ. Historiam Ludouici Germanici, Historiam genealogicam Ser. Domus Hassiacae, Elementa prudentiae ciuilis, vti & iuris publici Imp. Ger. Et Gellii aliquando nouam editionem procurandi mens erat. Fasciculos quosdam Dissertationum iuris rariorum edendi consilium subtitit in Triade Dissertationum Perizonianarum.

§. XXII.

§. XXII.

De amicis, quos sibi iudicio quodam delegit, et patronis ex nobilitate et optimatibus, suarum virtutum aestimatoribus, nec non de obtrectatoribus et aduersariis, si quos habuit, praeter eos, apud quos inuidiae fama erat, nonnihil dicendum restat. Quos in primis coluerit amicos, passim me referre memini, noloque repetere. Patronos autem veneratus est maximos in Aula Regia administros, viros illustrissimos, MARQ. LVDOV. L. B. DE PRINZEN, FRIDERICVM ERNESTVM S. R. I. BAR. IN CNYPHAVSEN, LVDOV. OTTONEM NOB. DOM. DE PLOTHO, CHRIST. DE BRAND, FRID. DE REICHENBACH, et, qui primo loco nominandus erat, virum illustrissimum, quouis elogio maiorem, SAMVELEM LIB. BARON. DE COCCEI, magnum orbis Borussici Cancellarium, iustitiae statorem, litterarum decus, et praesidium. Taceremne ego patronum, cui Pater innumera; ego vero aliquando per integrum biennium in domo familiaque benignissime habitus, munereque ac dignitate, qua nunc fruor, ab illo ornatus, omnia debeo? Magnopere etiam probatus fuit Illustrissimis Frisiae ordinibus, et in his SICCONI A GOSLINGA, Academiae Franequeranae Curatori quondam splendidissimo. Sua etiam gratia dignum existimarunt Germaniae heros sagatus et togatus, FRID. HENRICVS S. R. I. COMES DE SECKENDORF, nec non alter eiusdem nominis et gentis, vir illustrissimus CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LIB. BARO DE SECKENDORF, senatus sanctioris Onoldini princeps. In magnis quoque patronis censendus etiam Illustrissimus HENRICVS VI. IVN. STIRPIS COMES RVTHENVS, Regis Daniae et Noruagiae Cubicularius; nec non in aula Hanoüerana Administer status, illustrissimus GERL. ADOLPHVS DE MVNCHAVSEN, conditor Aca-

f 2 de-

demiae Goettingensis. Hos inter innumeros memorare sufficiat. Nam quis non probauit Patrem, ingenio, scriptis, et meritis illustrem?

§. XXIII.

De amicis hactenus. De obtrectatoribus et aduersariis, horumque in patrem iris adhuc pauca. Non vnius seculi fuit ea labes et macula, virtuti inuidere. Et pater aut sine merito, aut solus inter mortales inuidiae non obnoxius fuisset. Hoc vitium et famae studium plerarumque inter eruditos aemulationum et contentionum caussa, sed non omnium. Et amor veritatis, laudandus quidem, sed temere plerumque praetensus, non iniusta quandoque bella mouet. Huic forte adsignanda est amica disceptatio, a V. C. E. A. O. C. PAGENSTECHERO, Antecessore Herbornensi Patri meo de sensu *l.* 1. *D. de curat. furios.* illata, quam sine pulueris iactu agitatam videmus in *Epistolis Amoebaeis*, Tomo III. Operum iunctim editorum insertis. Vnum tamen, et insigne illud quidem maleuolentiae specimen, memorare non dubito, quod in Patrem quondam edidit collega quondam IO. WOLFGANG TRIERVS, non modo nulla a collega iniuria prouocatus, sed non vno etiam officio deuinctus. Vir ille, non nullius doctrinae aut ingenii, impotentis tamen animi, ingenio feruido, ambitiosus, vt qui neminem nec superiorem nec aequalem ferebat, vanissimus ore et gestu, Patri, luminibus forte suis officienti, occasionem nocendi, exemplo lupi in fabula, diu anquisiuerat. Inuenit tandem, vel rapuit potius, cum non nemo patrem aduersus CHRIST. MATT. PFAFFI iniquum de methodo axiomatica, qua interpretatus erat ius Romanum, iudicium defendisset.

Sic

Sic nocet innocuo nocuus, caussamque nocendi
Inuenit. Heu regnant qualibet arte lupi.

Originem litis ab ouo, vt dicitur, repetam. Classicum cecinit Vir summe reuerendus CHRIST. MATT. PFAFFIVS, Tubigensis Academiae Cancellarius, et ornamentum, edita oratione, de *Chirographo Apostoli Paulli*, in qua refutaturus eorum sententiam, qui illud negotium, quod inter D. Paullum et Philemonem intercessit, *pro expromissione* cum ZACH. HVBERO et qui hunc sequitur Ven. Patre habent, ὡς ἐν παρόδῳ in methodum axiomaticam, qua in Elementis iuris ciuilis vsus est Parens, calamum strinxit. Vix in lucem prodiit magni huius Theologi de iurisprudentia eiusque docendae ratione iudicium, cum addictissimus quidam discipulorum, edito *Examine orationis Pfaffianae* defensorem methodi Heineccianae agens, nimio in praeceptorem amore abreptus, asperiore, quam par erat, (cur enim diffitear,) stilo in celeberrimum aduersarium inueheretur. Non omnino probauit nimium in se studium Pater, a litium feruore et tantis iris alienus. Et certe si rem tanti existimasset, satis ipse in se praesidii inuenisset. Interea IO. WOLFG. TRIERVS occasionem sibi opportunam natam ratus, aliquid contra optimum Patrem, cuius semper aemulus fuerat, moliendi, sub persona GOTHOFREDI IAC. SCHVTZII *Examen methodi axiomaticae, qua in Elementis iuris ciuilis vsus est Heineccius*, protrudit. Praetendebatur caussa, intolerandus Examinatoris orationis Pfaffianae contemtus Compendii Lauterbachiani, et inmodica eiusdem methodi Heineccianae aestimatio. Nihil ipse, tametsi male habitus, initio reposuit, ven. Pater. Vindicem tamen breui inuenit virum celeberrimum GODOFREDVM SELLIVM, qui in *Vindiciis methodi, qua in Elem. iur. ciu. vsus est* IO. GOTTL. HEINECCIVS

Tra

Traiecti ad Rhenum 1734. in forma octaua editis, depexum dedit TRIERVM, nihilque quod ad vsum et praestantiam methodi axiomaticae pertinere videbatur, intactum reliquit. Ipse etiam Pater vexatus denuo, nescio quibus vindiciis examinis, a TRIERO oppositis Selliano scripto stilum acuit, sed quasi aliud agens, in *praefatione, Corporis iuris ciuilis nouae editioni praemissa, Tomo III. Operum p. 166. sequ.* vti et altera, *Opusculis Pomponii Enchiridion illustrantibus, praefixa, p. 104. sequ. T. III. opp.* Obmutuit tandem maleuolissimus ille obtrectator, et Principis rescripto monitus, et auctoritate Illustrissimi COCCEI interposita.

§. XXIIII.

Vitam venerandi Parentis praeclare actam, fata memorabilia, studiorum rationem, scripta, dignitates, honores, praemia, et quidquid ad eum pertinere videbatur, describendi dulci officio functus sum. Iuuabit adhuc imaginem compendio expressam sistere, vt indolem, animumque et mores priuatos cognoscas. Corpus illi robustum et decorum, statura mediocris, insignis oris atque orationis commendatio. Equidem ab ineunte aetate parce ac frugaliter, non tamen sordide vixit. Genium defraudare, auaritiam, pecuniam in tempore negligere, lucrum reputauit. Firma inde stabilisque valetudo, ingenium ad omnia promtum. Labores multiplices, quos sibi vel ipse imperabat, vel imperabantur, sustinere facile et perferre. Adeo negotiosus, vt cathedra, libri, respondendi munus omne tempus absumerent. Parum temporis amicis, animo fere nihil, dedisse, vitio datum est. Rei familiaris et domesticae, vitium doctissimis hominibus proprium, admodum incurius. Vix senas horas, etiam ad senectutem vergens, somno de-

dedit, museo adeo adfixus, vt ne hortulum quidem, quem aedibus proximum eumque peramoenum habebat, vix semel iterumque per annum inuiseret. In concinnandis scriptis tam expeditus, ut calamus vix cogitationes sequeretur, et autographa nitide scripta, et fere sine litura. In litteris scribendis parcus, et talibus officiis prope mancus, multum temporis his inaniter absumi ratus. Non defuerunt tamen in doctissimis clarissimisque aeui sui viris, qui litterarum commercium exoptarunt, tam in Germania, quam Belgio et Italia. Exstant adhuc apud me Hoffmannorum, Eu. Ottonis, Io. Matth. Gesneri, Io. Pet. de Ludewig, Petri et Casp. Burmannorum, Corn. van Bynkershoek, Tib. Hemsterhusii, Alb. Schultens, Io. And. Duckeri, God. Sellii, Io. Barbeyracii, Toullieu, Matthaeuccii IC. Lucensis, Cursi de Riccis Florentinis, Iselini, Iac. et Godofredi Mascouiorum, Ab. Wielingii, Pet. Wesselingi cet. epistolae ad illum exaratae, quarum pleraeque de rebus litterariis agunt. Cetera hilaris, iucundus, facilis, medius inter omne genus occupationum. Numquam difficilis, morosus aut grauis, siue amici, siue peregrini, siue liberi aut domestici turbarent circulos. Abrumpere saepe filum in scribendo, et confabulationi se totum dare. Vt erat suauibus moribus et affabilis, iocari non inscite et salibus sermones miscere, siue in cathedra, siue inter amicos haberet. Historias nemo melius recitare, nihilque narrationibus eius facetius aut suauius. Inter amicos et familiares sine adfectatione et exserto animo risit, atque alios ridere fecit, nihil insulsius ducens, quam in amicorum concione de rebus agere seriis aut eruditis, quamuis cum eruditis non inerudite iocaretur. Nemini grauis, nisi quod ne in amicis quidem, nedum familiaribus, ridiculum ferret. Difficile tum illi erat, satyram non dicere. Si verum est, vti profecto est, acerrima quaeuis in-

ingenia maxime satyrica esse, nescio an quisquam illum ingenio superauerit. Certe ironicum illud ingenium sic in mores abiit, vt si vel minimum, in liberis maxime et familiaribus, animaduerteret, quod absonum esset, continuo salse et scommate aliquo perfricaret, illis autem minime omnium parceret, qui sensu abundare et altius sapere viderentur. Si cui illudere vellet, vocem, vultum, gestus, actionem ita imitabatur, vt coram videre putares. In hac sane arte Roscius. Idem tamen ingenium ad satyram pronius negotium aliquoties facessiuit. Hinc simultas illa cum Theologis quibusdam Halensibus, de qua supra. Et postea si quod eo adhuc iuuene in lucem prodiret dicacius scriptum, ii qui nasum habere credebant, continuo ad illum referre. NIC. HIER. GVNDLINGIVS, coniunctissimus quondam collega, ediderat Systema Logicum, sub titulo: *Via ad veritatem*. Mox censor prodibat, editoque libello, qui inscriptus erat: *Salebrae in via ad veritatem*, Gundlingium durius habuit; Gundlingius aequo animo non tulit istum conatum, et sollertius inquirens in auctorem, Patri tandem adsignauit. Res in simultatem erupisset, nisi hic mature, vt facile erat, diluisset suspicionem. In adfectibus vehemens, et in iniuriis ad animum reuocandis ardentior, ita tamen vt temperaret impetum rationis vsu. In adiuuandis amicis strenuus ac diligens, commendandis suis paullo negligentior, vel, vt lenius dicam, cautior, probe memor illius dicti Horatiani:

> *Qualem commendes, etiam atque etiam aspice: ne mox*
> *Incutiant aliena tibi peccata pudorem.*

Futilitatis, inconstantiae et leuitatis osor acerrimus. Nihil temere, omnia serio et velle et agere, ita vt quidquid volebat, agebat, valde vellet, ageret. Summus et religiosus Dei cultor, rerumque diuinarum studium, sum-

summa voluptas. Cum vxore, quam anno 1716. duxit, anno vero 1724. Franequerae puerperam, praematura morte anno aetatis vicesimo octauo ereptam, amisit, suauissime vixit. Duxerat autem virginem omnibus animi corporisque dotibus ornatissimam HENRICAM CLARAM IOANNAM, Viri amplissimi IACOBI HEIRINGII, hereditarii domini in Gros-Winnigstadt, tractibus ditionis Brunsuicensis Hessumensi, Lerkheimensi et Vogtsdalensi Praefecti supremi, filiam natu minorem. Ex quo auspicatissimo matrimonio suscepit praeter me, FRIDERICVM ANTONIVM, in copiis olim Danorum, nunc Caesarianis militantem, et HENRICAM LVDOVICAM, Viro clarissimo CHRISTOPHORO ANDREAE MEYCKIO, Iurium Doctori, nec non iuris et historiarum in Regio Altonaensi Gymnasio Professori ante decennium nuptam. Vxore amantissima amissa, sepulta autem est Leouardiae in Templo Lutherano, viduus reliquam aetatem transegit.

§. XXV.

Venio nunc ad summum, ad tristia illa et excessum viri incomparabilis, desideratissimi Patris. Quam vellem acerbum illud et luctuosum parentandi officium longius dilatum. Sed vixit eheu! Optimus Parens, sublatumque ex oculis quaerimus frustra. Diuturnior illius vsura bonis omnibus optanda erat; sed noluit summus rerum humanarum votorumque arbiter DEVS O. M. illum diutius inter mortales superstitem. Ita voluisse Numen, cuius decreta nobis pro ratione merito sunt, sufficiat. Vitam transegit dignam DEO, a quo creditam accepit, dignam coelo, quo rediit, neque nimio funera fletu facere fas est; nam ipsa morte praemium virtutis et laborum consecutus est immortalitatem. Exiit autem ex vita, tamquam virtutum suarum theatro, anno seculi

huius quadragesimo primo, pridie Calendas sextiles, aetatis sexagesimo. Eo quidem tempore, quo alium plane, quam ex vita, discessum, (corpore enim ad votum valebat,) meditabatur. Cum enim Pot. Suecorum Rex, Landgrauius Hassiae paullo ante Fridericianae redonasset splendidum illud, quo nunc fulget, lumen, Illustrem Cancellarium CHRIST. L. B. DE WOLF; vacuum in Marburgensi Academia locum claro aliquo viro supplere summo studio nitebatur. Itaque egit cum Patre, oblataque splendidissima Procancellarii, et Conciliarii Regiminis dignitate, primariaque iuris Cathedra, illum sacro diplomate euocauit, ab ipso Pot. Prussiae Rege, veniam, quam ipse iam enixe rogauerat, impetraturus, ni fata intercessissent. Dum haec aguntur, solita haemorrhoidum incommoda acrioraque mala sensit, quibus pediluuio aliquo salino consulturus, vlcus in altero pede natum, cuius non rationem habuerat, adeo excitat et irritat, vt dolores illum diutius extra lectum non sinerent. Medici, quibus curandi negotium permissum erat, in arte medica & chirurgica peritissimi, HOFFMANNVS, IVNCKERVS et BASSIVS initio nihil minus quam vitae discrimen ab vlcere metuebant. At insitata virium defectio, quam simul ac decubuit aeger, sensit, spem recuperandae valetudinis valde minuit. Quippe natura ipsa in expellenda noxa segnior, mox deficere videbatur. Inde vlcus tam profunde et pertinaciter haesit, vt ad vicinas partes decurreret. Abscindi digitum, vlceris sedem, passus esset, si suasum maturius esset a medicis. Succedentibus deinde spasmis vesicae, vrinam acribus et erosiuis humoribus repletam non sine summo dolore propellentibus, gangraena ad has partes subnata est, et iam omnis spes euanuit. Tantae labis origo non potest non ad insueti coeli, sub quo aliquot annos vixit, rationes, vitamque sedentariam et nocturnas

nas vigilias, ne ingrauescente quidem aetate intermissas referri. Ita ergo diem obiit supremum, animamque Deo reddidit, in quo per omnem vitam vnicam fiduciam, omnemque salutis spem collocauit. Postremis vitae annis, quibus solus ego ex liberis iucundissima Patris consuetudine vsus sum, sacrae doctrinae studiis se totum dedit, et tamquam praesaga mente proximae migrationis, piis cogitationibus pectus impleuit. Cum morbum ingrauescere, horamque decretoriam appropinquare animaduerteret, arcessi iussit Senem venerandum, Virum S. R. Franckium, fratris quondam in ministerio successorem, coram quo, post confessionem, venia peccatorum a Deo suppliciter rogata, et sacrae synaxeos symbolis rite vsurpatis, tam graues mortis meditationes habuit, vt descendens Franckivs mihi confiteretur, se, qui consolaturus aegrum accessisset, multo fortius ab aegro solatium reportare. Eodem mane grauissima et consilii plena oratione, cuius non sine lacrimis memini, adfectu plane paterno fausta mihi omina adprecatus, vltimum vale dixit. Reliquis vitae diebus placide et fere sine sensu dolorum, quibus ante vexatus est, sine vlla alienatione mentis obdormuit. Sepultus autem est in hereditario monumento Illustris quondam Lvdewigii, in quo iam ipsius, et patris et Sam. Strykii et doctissimi quondam iuuenis Io. Phil. Baraterii ossa quiescunt. Tu vero ter quaterque beate Pater, salue, et inter coelites coram Deo sorte tua laetare.

Memoriae beati viri epitaphium, quod in calce praefationis ad Brissonii Lexicon iuris legitur, consecrauit illustris Cancellarius, quondam Collega, IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS.

LVGE
QVI HAEC ATTONITVS LEGIS
ET ACCEDIS AD HOC MONIMENTVM
SVB QVO NON CINERES CLAVDVNTVR
SED IN QVO PVBLICA LVGENDI CAVSSA PANDITVR
EXSTINCTVM MOESTISSIMO FVNERE
FLEMVS DOCTOREM
OCCASVM SIDERIS GERMANIAE MICANTIS
QVOD LVXIT SPLENDVITQVE PER ERVDITVM ORBEM
LVGEMVS OBITVM
VIRI ILLVSTRIS OMNIQVE ELOGIO MAIORIS
IOANNIS GOTTLIEB HEINECCII
IVRISCONSULTI CONSVMMATISSIMI
POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS
INTIMIS IVRIVM ET PHILOSOPHIAE PRO-
FESSORIS PVBLICI
IN REGIA FRIDERICIANA
VEL HOC SOLVM NOMEN SVFFICIT
AD COMMVNEM PLANCTVM ET LVCTVM EXCI-
TANDVM
QVIS ENIM AEQVO ANIMO FERRE POTEST

VI.

VIRI DOCTISSIMI EXITVM EX HAC VITA
LVGET
ACADEMIA REGIA MOERET ORDO IVRECON-
SVLTORVM INCLITVS
SQVALENT CIVES ACADEMICI ET HVIVS CIVITATIS
ADFLICTANTVR EXTERI
TOTVS ORBIS LITTERATVS TAM SALVTA-
REM CIVEM DESIDERAT
PLVRIMAE VBIQVE FLENDI CAVSSAE GRAVISSIMAE
QVIS ENIM NON DOLVIT
CASVM VIRI
QVEM REX POTENTISSIMVS BORVSSIAE COLVIT
ORBIS LITTERATVS OBSERVAVIT
ACADEMIA NOSTRA DILEXIT
SINGVLI STVDIORVM CVLTORES IN OCVLIS
TVLERVNT
QUOD GENTIS CVIVSVIS OCVLOS SVA DOCTRINA
ILLVSTRAVERIT
PLVS VIDENS QVAM TOT ALIORVM OCVLI
SED EHEV IAM OCULOS CLAVSIT
QVORVM ACIES OMNIA PENETRAVIT
IN RE LITTERARIA ABSCONDITA RESERAVIT
TOT INGENII FOETVS FELICISSIMOS EDIDIT
IN RE LITTERARIA IVRIDICA PHILOSOPHICA
QVIBVS ALIARVM GENTIVM ERVDITIS PALMAM
PRAERIPVIT OSTENDENS

GER-

GERMANIAM ETIAM DECORA PLVRIMA ET INGENIA MAGNA ALERE
NEC ERVDITIONEM SOLIDAM SOLIS EXTERIS GENTIBVS PROPRIAM
DOCVIT ELEGANTISSIMO ELOQVIO
CIVES IN TRIBVS ACADEMIIS DEGENTES
SED SCRIPTIS SVIS ETIAM REMOTISSIMAS GENTES DOCVIT
EOSQVE IN VIAM DEDVXIT
VERITATIS QVIBVS EIVS AVDITORIVM ADIRE NON LICVIT
IMMO EFFICACIVS ET PLENIVS DOCVIT IN SCRIPTIS
QVAM VIVA VOCE ET LINGVA
ILLA MORTE EIVS PRAEMATVRA OBMVTVIT
HAEC LOQVI DESIIT
DIE XXXI. AVG. ANNI MDCCXLI.
SED SCRIPTA EIVSDEM ADHVC SEMPER LOQVVNTVR
PER OMNE AEVVM DOCEBVNT
ET ITA DOCTOR PERPETVVS ERIT
QVI VIX AD SEXAGINTA ANNOS VIXIT
VIXIT EHEV
SED ITA SEMPER VIXIT
VT POST MORTEM OMNIBVS PERPETVO PRODESSET

QVI

QVI IN LITTERIS VIVVNT
SINGVLIS EXEMPLVM PRAEBENS
ITA VIVENDVM ESSE
QVO VIVENTES GENERI HVMANO SINT IN DE-
LICIIS
MORTVI COMMVNIBVS HOMINVM COMMODIS
INSERVIANT ET ITA
OMNIVM SECVLORVM VIVANT PROSINT CON
SVLANT POSTERITATI.

IO. GOTTLIEB
HEINECCII,
POTENT. PRVSSORVM REGIS
quondam a Consil. Sanctior. Iur. ac Philosoph.
in ill. Frideric. Professoris publ. ord.

HISTORIA
IVRIS CIVILIS
ROMANI AC GERMANICI
QVA VTRIVSQVE
ORIGO ET VSVS IN GERMANIA
EX IPSIS FONTIBVS OSTENDITVR,
COMMODA AVDITORIBVS METHODO
ADORNATA,
MVLTISQVE OBSERVATIONIBVS HAVD VVLGARIBVS
PASSIM ILLVSTRATA.

EDITIO SEXTA, PRIORIBVS MVLTO AVCTIOR ET CASTIGATIOR.

NEAPOLI
IMPENSIS DONATI CAMPI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

HONORATISSIMO LECTORI
S. P. D.
IO. GOT. HEINECCIVS.

QVOD plerosque facere animaduertimus, qui praefationes scribunt, vt vel rerum, quas explicant, vtilitatem ac praestantiam verbis ornatissimis commendent, vel vino alioquin minus vendibili veluti hederam suspendant: eorum ego hic nihil facere constitui. Quemadmodum enim incredibilem HISTORIAE IVRIS vtilitatem satis perspiciunt harum rerum intelligentes, eamque re ipsa experiuntur quotidie: ita apud imperitos et veteris barbarei statores frustra verba facerem, neque vlli mortalium tantum est flumen ingenii, tanta scribendi dicendique vis ac copia, vt his hominibus, vel ad ipsum elegantiorum litterarum nomen cohorrescentibus, non dicam persuadere, sed verosimile tantum facere possit, earum vllam in iuris prudentia vtilitatem esse. Et sane qui fieri posset, vt illi harum deliciarum suauitatem salubritatemque percipiant, qui quotidie carduelibus sentibusque vescuntur, asperumque illum victum calceatis istis dentibus suis facillime subigunt? Quare quum et rem in se commendatissimam verbis extollere, superuacuum; et surdis narrare fabulam, molestissimum videatur: de vtilitate praestantiaque huius studii, vt praediximus, iam non differemus, sed instituti tantum nostri rationem reddemus iis, quibus nos, nostraque studia, vigilias ac labores probari quam maxime cupimus.

Placuit nuper REGI nostro longe clementissimo, vt, relicta illustri Viadrina, in Fridricianam hanc celeberrimam me conferrem, docendique munus, quo iam olim ibi non sine fructu studiosae iuuentutis perfunctus fueram, postliminio obirem.

Parui ego, prout decet, OPTIMI PRINCIPIS voluntati, et quamuis nouam illam migrationem, decliui iam aetate, quantum fieri potuit, deprecarer, eiusque taedio conditiones splendidissimas, a REGIBVS ac REBVSPVBLICIS potentissimis mihi propositas, aliquoties repudiassem, Halam tamen familiam ac supellectilem transtuli, operamque dedi, vt obsequio erga PRINCIPEM nec prius mihi, nec antiquius quidquam esse, re ipsa ostenderem. Inciderat haec profectio mea in illud anni tempus, quo Halae praelectionum publicarum priuatarumque iam pridem factum fuerat auspicium, nec integrum mihi erat, a disciplinarum quarumdam interpretatione munus meum auspicari, nisi turbare vellem ordinem, quem doctores celeberrimi iam inde a felicissimis academiae huius primordiis religiose seruarant. Ne tamen paucos hos menses otio ac silentio transirem, statui iuuentuti studiosae publice ea praelegere atque inculcare, quae tortuosum iuris prudentiae iter ac veluti Labyrinthum ingressurae instar fili Ariadnei esse possent. Expensis itaque, quae huc facere videbantur, vniuersis, subductisque rationibus, hanc feci cogitationum mearum summam, nihil illis fore vtilius, nihilque fructuosius, quam si iis iuris tum Romani, tum Germanici, origines ac progressum paullo adcuratius enarrarem, ex ipsaque historia ostenderem, quis vtriusque illius iuris in foro vsus sit, et quantum decipiantur ac decipiant, tum qui, vt ius Romanum in exsilium agant, Germanicum nescio quod, in tribunalibus vnice regnare contendunt, tum qui, recepto in subsidium illo iure, tantam rerum conuersionem factam esse existimant, vt moribus patriis foro, ac veluti aqua et igni interdictum sit. Ne vero auditoribus, qui magno numero ad has acroases confluebant, deesset libellus, quem et in auditorio, et domi, prae manibus haberent, breues has positiones in chartam conieci, calamo tam festinante, vt saepenumero schedae adhuc madidae in officinam mittendae essent. Quamuis autem mihi veniam paratam fore putem apud aequos rerum arbitros, si quaedam vel praeteruisa, vel non satis ad amussim facta perpolitaque deprehenderint: adfirma-

re

re, tamen possum, me haud pauca obseruasse mihi videri, quae non omnibus in mentem venerunt, ac proinde breuiter perstrictis iis, quae iam ab aliis adcuratius tradita noueram, ea, quae vulgo vel omitti, vel perperam proponi solent, diligentius explicasse, meque multo plura atque exquisitiora eius generis additurum, si eo vsque vitam produxerit summum Numen, vt limam iterum subeat libellus poene extemporarius. Ita enim comparatum est hoc studiorum genus, ad quod nos horis tantum subcesiuis furtim veluti referimus, vt quotidiana lectio multas nobis obseruationes nouas sufficiat, quibus ea, quae olim in chartam conieceramus, mirifice illustrari locupletarique possint. Cuius rei vt quaedam specimina hic demus, pauca, quae interea, dum prelum feruebat, animaduertimus, veluti per lancem saturam recensere iuuabit, ita tamen, vt chartae habeamus rationem, et temporis, quod nobis ob imminentes nundinas conceditur, perquam exigui.

Libro priore (1) fusius egimus de edictis magistratuum, solideque, nisi fallimur, demonstrauimus, dictatores, consules, censores, praetores, aediles curules, tribunos plebis, quin et praefectos praetorio, adeoque omnes fere magistratus, edicta de rebus ad curationem suam pertinentibus reddidisse, quin ideo HONORARIVM illud ius dictum esse, quod omnes, qui Romae honoribus fungerentur, ipsique adeo sacerdotes, nedum magistratus, ius illud edicendi sibi arrogarent. Frustra adhuc desideraueram aliquot magistratuum, qui edicta proposuerint, exempla, veluti praefectorum vrbi, praefectorum Augustalium, et quaestorum, in quae tamen interea, dum plagellae hae typis describebantur, aliud plane agens, incidi. Praefecti enim vrbi, Turcii Aproniani, edicta bina, alterum de carnibus, non micatione, sed ad exagium vel stateram vendundis, alterum de suariis eorumque canone vinario, integra exstant apud Gruterum (2): similiaque aliorum praefectorum passim memorat Ammianus Marcelli-

nus

(1) §. 61. *pag.* 20. *hui. edit.*

(2) *Inscript. pag.* 747. *num* 6. 7.

nus (3), eo notatu digniora, quo magis ex illis patet, etiam post edictum perpetuum hos praefectos edicta iurisdictionis suae caussa promulgare non desiisse. Ita et praefectos Aegypti Augustales eo iure vsos esse, numquam quidem dubitaram, qui non ignorabam, eos ab Arriano (4) ob proconsulare imperium *ὑπάρχους* Αἰγύπτου vocari, quique apud Tacitum (5) legeram, illos *loco regum in Aegypto egisse*, apud eosque *lege agi* potuisse, et *eorum decreta perinde habita esse, ac si magistratus Romani constituissent*. At nondum tamen occurrerat locus, quo diserta fieret edictorum ab iisdem propositorum mentio. Talem postea praeter spem atque opinionem reperi apud Philonem (*6*), qui Auidium Flaccum, praefectum Augustalem, crudelem alioquin et flagitiis omnibus coopertum hominem, eo tamen maxime nomine laudat, quod primis praefecturae suae annis *τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἀνέπλησεν εὐνομίας*, *quod bonas leges in vrbem Alexandrinam, et totam prouinciam, induxerit*. Quod profecto non aliter, quam proposito edicto prouinciali, fieri potuit: vt iam non dicam de edictis repentinis, quae, prout res inciderent, promulgasse eumdem Flaccum, idem Philo (7) testatur. Denique et quaestores eo iure vsos esse, mihi persuasit locus Ciceronis (8) *L. Octauio et C. Cottae coss. senatus permisit, vt vini et olei decimas, et frugum minutarum, quas ante te quaestores in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur*, EDICERENT. Ex eo enim manifesto patet, consules tum Romae fecisse, quod antea quaestores in prouinciis, id est, vendidisse decimas, legemque venditioni, proposito edicto, dixisse, vt dubitari non possit, quin et quaestoribus commune ius edicta reddendi fuerit cum reliquis magistratibus omnibus.

Alio loco (9) de SCHOLA IVRIDICA ROMANA, Constantinopolitana et Berytensi diximus, ad easque ad saeculum sextum vsque magnum concursum factum esse ostendimus.

(3) *Histor. Lib. XXVII. cap. 9. et Lib. XXVIII. cap. 4.*

(4) *Expedit. Alex. Lib. III. cap. 5. pag. 210.*

(5) *Histor. Lib. I. cap. 11. et Annal. Lib. XII. cap. 60.*

(6) *In Flacc. pag. 966.*

(7) *Ibid. pag. 972.*

(8) *Orat. in Verr. III. cap. 7.*

(9) *Lib. I. §. 36.*

dimus. Subdubitaui adhuc; an et sub Gothicis, et Langobardicis regibus, itemque sub imperatoribus Francicis et Germanicis, florem suum conseruarit Romanum istud gymnasium. Sed reperi quaedam veterum testimonia, quae id adfirmandum esse suadent. Apud Cassiodorum (*) enim Athalaricus, rex, professoribus Romanis stipendia integra persolui iubet, in aliisque numerat etiam *iuris expositorem*. Et in pacto, inter Leonem PP. VIII. et Ottonem M. in synodo Lateranensi anno 1464. inito, a Theodorico de Niem (10), Melch. Goldasto (11), Io. Schiltero (12), aliisque edito, sub finem dicuntur ea omnia facta esse *in patriarchio Lateranensi, in ecclesia S. Saluatoris, synodo constituta a pluribus viris catholicis, episcopis et abbatibus, insuper iudicibus et LEGIS DOCTORIBUS*, per quos quum intelligi nequeant doctores, sollemni ritu in academiis creati, (quos aetas illa ignorasse omnino videtur,) manifestum est, intelligi professores legum, qui Romae tum docendi munere fungebantur. Quo quantiuis pretii testimonio simul confirmatur, quod alibi obseruauimus (13), iuris ciuilis in foris Italiae a Iustiniani temporibus ad Lotharii Saxonis imperium permagnam fuisse auctoritatem, quamuis postremis temporibus defuerint, qui cupidae legum iuuentuti viam ad iuris prudentiam monstrarent, et ob eam potissimum caussam desertam hanc ab aliis prouinciam PEPO, IRNERIVS, aliique Bononienses, occuparint.

Libro posteriore (14) obseruauimus, omnes prouinciales, Italos, Gallos, Hispanos, qui sub Francorum, Ostrogothorum, Wisigothorum, Burgundionum, Langobardorum imperio vixerint, iuris Romani vsum retinuisse. Eam obseruationem mirifice illustrat doctissimus Ant. Matthaeus (15), qui multis demonstrat, eos, quamuis a populis istis Germanicae originis oppressos, se tamen adhuc *Romanos* et *ciues Romanos*; omnesque prouincias, in quibus degerent, quantumuis

(*) *Varior. Lib.VIIII. cap. 21.*
(10) *De iure et priuil. imp. pag.* 248.
(11) *Constit. imp. Tom. I. pag.* 34.
(12) *Inst. iur. publ. Tom. II. Lib. II. tit.* 10.
(13) *Lib. I.* §. 414.
(14) *Lib. II.* §. 15.
(15) *de Nobilit. Lib. I. cap.* 27. *pag.* 107. *sequ.*

tumuis a barbaris perdomitas, *Romaniam* vocasse. Ex quo facile patet, cur in manumissionum formulis apud Marculfum aliosque, manumissis etiam ea tempestate praeter libertatem concedatur *ius ciuitatis Romanae* (16), quod tamen tum in eo tantum constitisse arbitramur, quod iure Romano, si vellent, vterentur, neque inuiti adstringerentur barbarorum, ceu vocabant, legibus. Dixi, iure Romano eos, si vellent, vti potuisse. Optionis enim ius vnicuique dabatur, qua potissimum lege viuere vellet, idque constituerat Lotharius imp. (17) cuius haec est sanctio: *volumus, vt omnis senatus et populus Romanus interrogetur, quali vult lege viuere, vt sub ea viuat*. Ac proinde saepenumero factum est, vt sententiam mutarent, et, qui se antea iuri Romano submiserant, postea aliam aliamque eligerent: id quod apud Langobardos potissimum viduae faciebant, viuis quippe maritis horum legibus adstrictae, iisdem vero solutae, simulac solutum esset matrimonium (18).

Quae de vsus iuris Romani in Germania, qualis saeculo XIIII. fuerit, disseruimus, (19) ea iam multis illustrari possent, maxime ex insigni eius aeui monimento, puta PHIL. DE LEYDIS *libro de cura rei publicae et sorte principantis*, primum *Leidae* 1516. impresso, posteaque nitide recuso *Amstelod.* 1705. 4. Floruit hic Belga, testibus Desselio (20) et Io. Meursio (21), adulto iam saeculo XIIII. impetratisque Aureliae doctoris Decretorum honoribus, primum ius pontificium Parisiis aliquamdiu explanauit, posteaque in Belgium redux, circa annum 1369. in Guilielmi Bauari, Hollandiae comitis aula consenuit, fato functo anno 1370. Ex eius libro passim adparet, quae tum fuerit iuris in Belgio ac Germania facies. Quantae tum dignitatis fuerint Doctores iuris ciuilis, quantumque splendorem, vel potius πολλὴν φαντασίαν adsectarint, discimus ex *casu* 33. (22) vbi proponit speciem: *quidam legista, non doctorizatus, nec legum*

(16) *Form.* Lindenbrog. 91. 96. 95. 101. Baluz. *Adpend. Capitular. nu.* 105. *Tom. II.*

(17) *Capitul. ann.* 824. *cap.* 5.

(18) *Capit. Lothar.* apud Baluz. *Tom. II. cap.* 14.

(19) *Lib. II. §.* 68.

(20) *Biblioth. Belg. pag.* 775.

(21) *Athen. Batau. Lib. I. pag.* 72.

(22) *pag.* 99.

legum dominus, nec professor, impetrauit ab imperatore, vt insignia doctoralia deferret, videlicet AVRI ORNATVM *in* FRAENIS, CALCARIBVS, *et* SELLIS EQVESTRIBVS; *numquid concessum valet? Hic patet, quod non.* En doctores eius saeculi, auspiciis imperatorum creatos, qui iure nobilibus proprio, fraena, ephippia, et calcaria auro exornanti vtebantur. Quumque suo loco ostenderimus, iuris peritos tum nihil reliqui fecisse, vt vsum ac praestantiam artis suae vbique commendarent, quin eo factum esse, vt in vrbibus celebrioribus sequente saeculo syndicorum munere fungerentur: (23) idem multo citius in Gallia, Anglia, et Belgio factum esse, ex eodem libello discimus. Ait enim (24): *similiter ad habendum initium legalis experientiae, esset et alia via, vt in quolibet bono oppido esset per principem statutus vnus iuris peritus, cui prouideretur de congrua pensione, cuius prouidentia deciderentur singula, vt fit in Francia, Anglia, Flandria, et aliis ordinatis patriis.* Non adiungit auctor Germaniam, cui potius alibi (25) ideo male ominatur, quod minor ibi sit iuris peritorum copia, minorque auctoritas. *Notum est tamen,* inquit, *quod istud priuilegium pluribus priuatis concessum est, et obseruatum propter defectum iuris peritorum, qui magnus est in regno Alamanniae, quod principibus istis ad magnam cedit iuris et honoris detrimentum.* Non dicit, nullos ibi iuris peritos esse, (id enim falsum fuisset, ceu in opusculo (26) demonstrauimus), sed minorem tantum numerum, quam tanti imperii amplitudo exigere auctori videbatur. Fortassis etiam multos Germanorum principes ciuitatesque adspernari audiuit ciuilem illam sapientiam, *miratos*, quod de maioribus nostris memoriae prodidit Velleius Paterculus (27), *solita armis discerni iure terminari.* Id enim ipse subinnuere videtur Philippus noster, dum porro scribit (28): *et igitur bene felix patria, in qua plurimi praesunt sapientes. Hic sumas argumentum, multum expedire rei publicae, viros habere litteratos, qui* LEGES *nouerint et* IVRA MAIORVM. *Et*

 facit

(23) *Lib. II. §. 98.*
(24) *Cas. 60. pag. 128.*
(25) *Cas. 38. pag. 121.*
(26) *Lib. II. §. 68.*
(27) *Histor. Lib. II. cap. 118.*
(28) *Cas. 6. pag. 42.*

facit pro regno Franciae, et contra ALLEMANNOS, qui ſtudia litterarum minus frequentant, in ipſius rei publicae maximum incommodum, ruinam, et iacturam. Hinc VIOLENTIA MAGNA publica deformatur vrbanitas: praeſidet LVPORVM RAPACITAS, et ipſi principes ignominiae ſubiacent, nec honorem et ſtatum cognoſcunt ſibi ipſis et ſubditis ſuis imperandi. Vnde in politicis dicitur: felix illa ciuitas, in qua philoſophi ſunt praeſides. Nimirum maior tum erat Germanorum ferocia, quam vt ſtatim nouitate incognitae diſciplinae manſueſcerent, ſibique extorqueri paterentur arma, in quibus ius omne poſitum habebant, neque aequo animo ferebant, mores patrios a iuribus peregrinis in exſilium agi. Quod et ipſe Philippus iniquum ratus eius modi iuris peritos rem publicam capeſſere volebat, *qui LEGES noſſent, et IVRA MAIORVM*, id eſt, qui iuris patrii peritiam cum adcuratiore iuris prudentia coniunxiſſent.

Sed ad alia properamus. In libro priore (29) de LIBRIS FEVDORVM, nec non de ANT. MINCVCCII et BARTH. BARATERII operibus feudalibus; in poſteriore (30) de IVRE FEVDALI SAXONICO et SVEVICO ſeu ALAMANNICO egimus. Sed et hic quaedam tunc ſe nobis ſubduxerunt, quae addita mallemus. Dici enim quaedam debuiſſent de IVRE FEVDALI OSNABRVGENSI, quod edidit IO. PETRVS A LVDEWIG (31), cuius in has litteras merita grato animo agnoſcent poſteri, quamdiu iſtis ſuus honor erit, pretiumque, quo dignae ſunt, ſtatuetur. Notitiam praeterea dare potuiſſem IVRIS FEVDALIS FLANDRICI, cuius codex MSC. membranaceus, ſaeculo circiter XIIII. nitide exaratus exſtat in bibliotheca publica Franequerana, haud parum illuſtraturus ea, quae de feudorum illorum indole a Iac. Curtio (32), Iac. Marchantio (33), Friderico a Sande (34), aliiſque traduntur. Denique, quod maxime nollem, neſcio quo fato contigit, vt nihil dixerim

(29) *Lib. I. §. 421. et §. 424.*
(30) *Lib. II. §. 77. et §. 83.*
(31) *Reliqu. MSC. Tom. II. pag. 297.*
(32) *Coniectur. ad Viuid. L. 18. II. 6.*
(33) *Deſcript. Flandr. libr. de feudal. Flandr. morib.*
(34) *Conſuetud. Feud. Gelr. Tract. I. tit 3. §. 12.*

xerim de libro insigni DE BENEFICIIS, quem ab Eybenio acceptum, tamquam ἀνέκδοτον cum eruditis dissertationibus de libri huius veteris auctore, fato, vetustate, raritate, et vsu anno 1708. in *Selectis feudalibus* edidit CHR. THOMASIVS, edoctus postea ab aliis, eum iam pridiem cum Franc. Dureni *Commentario in consuetudines feudales* editum esse a Io. Hauichorstio, *Colon. Agripp.* 1569. 8. sub titulo: *Liber vetustus de feodis, siue feudis, item de ordine placitationis et vrbano beneficio, per aphorismos distinctus* (35). Laudauerat eum iam Marquardus Freherus (36), qui sub Saxonicis imperatoribus scriptum putabat, quod in eo feuda semper beneficia vocarentur. Eidem hac in re suffragatur laudatus Thomasius (37), eo inprimis motus argumento, quod nepotibus ius succedendi in feudo negetur (38), quos tamen ad successionem iam admiserit Conradus Salicus imperator (39). Contra Lotharii Saxonis temporibus auctorem vixisse censuit Nic. Hier. Gundlingius (40). At rem omnem conficere videtur locus insignis istius libelli, (41) vbi dicitur, *regem, quem eligant Teutonici, quum Romam vadat ordinari, secum adducere debere sex principes, qui primi sint in eius electione, vt pateret apostolico regis iusta electio.* Hinc enim manifestum est, librum hunc paullo post Lotharium scriptum sub Conrado III. vel Fridrico Ahenobarbo. Ante Lotharium enim neminem imperatorum iudicium de electione sua pontifici Romano detulisse, sed ipsos potius imperatores de pontificum electione cognouisse, pluribus iam demonstrauit Gundlingius (42). Ex quo autem Lotharius ille pontifici plurimum tribuere coeperat: hoc arbitrium sibi vnice arrogabat curia Romana, adeo vt in *Caerimoniali Romano* (43) legamus, *electum regem, futurum Romanorum imperatorem, debere decretum electionis pontifici ostendere, hunc*

 vero

(35) *Summarische Nachr. von auserlesenen Buchern, Part. XXIIII. pag.* 1007. Thomas. *Adpend. Select. feud. Tom. II. pag.* 426. *sequ.*

(36) Not. ad *Const. de expedit. Rom. ad verba: feodo suo.*

(37) *Diss. de libri vet. de benef. auct.* §. 25. et 26.

(38) §. 5. 20. 24. 44. 76.

(39) I. *Feud.* I. 1. 2.

(40) *Diss. de vnione el Elor.* §. 21.

(41) §. 6.

(42) *Gundlingian. Part. III. pag.* 216. *sequ.*

(43) *Caerimon. Rom. Lib. I. sect.* 5. *cap.* 1.

vero solere, viso decreto, et examinata electione in sacro senatu, habitaque sufficienti informatione, tam super forma electionis, quam super idoneitate et habilitate personae electi, per commissarios a se constitutos, ad instantiam dicti electi ipsum electum in spiritualem filium suum et ecclesiae Romanae suscipere. Sed notatu dignum est, auctorem *Caerimonialis*, dum subiungere voluit exempla imperatorum, qui hoc obseruarint, non nisi *Carolum IIII. et antea Henricum VII. et Albertum, eius praedecessorem, et Rudolphum*, nominare potuisse, adiecisseque quidem *et plures alios* id fecisse, sed non alios pròcul dubio intellexerit, quam Lotharium, eiusque aliquot successores. Et quibus, quaeso, temporibus magis conuenit numerus ille principum senarius, quam Conradi III. quibus, proscripto Henrico Superbo, et dubia aliquamdiu Saxoniae et Bauariae possessione, vnus ex primariis Germaniae principibus deerat, adeoque sex tantum supererant, quorum suffragia in eligendis imperatoribus praerogatiua donari iam tum solebant. His ergo demum temporibus prodiit monimentum praestantissimum, ex quo pleraque decerpsisse iuris feudalis Saxonici et Alamannici auctores, iam ab aliis obseruatum est. Nec in eo ego quidem quidquam deprehendo, quod isti tempori minus conueniat, quum et *beneficii* vox sequioris aeui scriptoribus non ignota sit, et nepotes disertis verbis a successione excludantur nusquam, sed sub *filiorum* vocabulo commode satis comprehendi posse videantur.

Sed haec quoque scribentem, et plura tecum, lector, confabulari volentem interpellant me operae, et praefationem non sine conuicio flagitant. Abrumpendum itaque fuit filum, reliquis, quae dicenda supererant, alii occasioni sepositis. Tu itaque vale, meisque conatibus faue. *Halae* e museo *prid. Kal. Octobr.* CIↃIↃCCXXXIII.

PRAE-

PRAEFATIO ALTERA.

QUAE mihi hunc adornandi libellum octauo abhinc anno fuerit occasio, amice lector, quamque paene praecipiti festinatione ille a me tunc in chartam coniectus sit, ex ea, quam primae editioni praemisi, praefatione, satis, vt opinor, perspexeris. Non potui ergo non tum vereri, ne ea scriptione satisfecisse videar quam paucissimis, iique saltim, quibus nihil, nisi quod eximia quadam cura scriptum perpolitumque sit, placere solet, perfectius quid atque elegantius sint a me desideraturi. Quum enim ea sim tenuitate ingenii, vt et si adnitar, omnesque animi neruos intendam, vix quidquam, quod oculis tuis dignum videatur, proferat, quanto minus mihi sperare licuit, subitaneum hoc et vix satis praemeditatum opusculum vlli viro docto, maxime in tam vbere, quem saeculum nostrum vidit, talium librorum prouentu esse placiturum? Enimuero multo aliter, quam metueram, res accidit. Tantum enim abest, vt Hecyrae Terentianae fato explosus sit hic libellus, vt tametsi auditorum tantum vsibus initio destinatus, tamen et extra academiae nostrae pomeria inuenerit lectores, et distractis paene diuenditisque exemplaribus omnibus, noua eaque nitidior editio iam pridem flagitari coeperit. Cur ea non prius prodierit, illi norunt, quibus bibliopolarum res paullo sunt perspectiores. Demum tamen moras omnes, egregii publici studio ruperunt viri integerrimi, IO. et HERM. VERBEEKII, qui alieni ab exsecrabili illo libellos alienos furtim recudendi consilio, cum priore bibliopola ita composuerunt rationes, vt eis iure recudendi hanc iuris historiam vltro cedere non dubitarit. Quum ergo hi operis redemtores nullis sibi parcendum ducerent sumtibus, vt et splendidissimis typis chartaque prodiret in lucem: debere ego hoc mihi visus sum lectoribus aequis, vt, qui antea imperfectum illud opusculum tam aequo animo tulerunt, ii iam aliquid si non perfectius, at adcuratius tamen limatiusque a me accipiant. Itaque

tot

tot licet occupationibus distractus, infirmaque valetudine prope oppressus, me recensendo huic libello accingo, multa, quae deesse videbantur, suppleo, quaedam nouis veterum testimoniis firmo, quaedam, vt fit, emendo ac muto, idque tanto studio, vt si quis opus hoc nouum esse crediderit, eum ego non aberraturum a vero esse existimem. Fecerimne operae pretium, tuum, beneuole lector, *erit iudicium. Me certe noua haec opera nauata iuris prudentiae maximopere delectauit, vt adfirmare possim, illam mihi et curas, quibus tum excruciabar, plerasque abstersisse, et ad amissas difficili morbo vires recuperandas firmandasque mirifice profuisse. Ceterum ne sic quidem dubito, quin alii eamdem rem acturo permagnum reliquerim spicilegium. Experiundo enim didicisse mihi videor, nullam esse difficiliorem veteris historiae partem, quaeque pluribus egeat, paucioribusque instructa sit subsidiis, quam historiam iuris prudentiae. Siue enim veterum rerum publicarum, siue ecclesiae Christianae res et fata quis scribere constituerit, tot exstant incorrupta veteris aeui monimenta, vt se copia fere inopem reddi animaduertat. At quis, quaeso, veterum vel ad historiam iuris scribendam, vel vitas iureconsultorum enarrandas adpulit animum? Quotus quisque tot doctorum hominum, qui rei publicae Romanae annales adcuratissima industria condiderunt, ea, quae ad artem nostram pertinent, non obiter attigit? Solus fere DIONYSIVS HALICARNASSENSIS ea, quae de iure et legibus, earumque interpretatione obseruatu digniora esse animaduertebat, diligentius videtur persequutus. Sed inuiderunt nobis fata maximam operis incomparabilis partem, vt, quae ab anno ab V. C. 312. acciderunt, hodie fere sciamus iuxta cum ignarissimis. Liuius enim, et si qui alii res Romanas tradiderunt, res potius bello praeclare gestas, quam quae circa leges euenerint, memoriae prodiderunt, et, si quid de his quoque memorant, illas, quae ad rem publicam pertinere viderentur, quibusque tamquam seditionum flabellis populum agitabant tribuni plebis, paullo diligentius descripserunt, plerisque, quae ad ius priuatum amplificandum perlatae fuerant, vel praetermissis, vel leui saltim brachio tactis. Plura eius generis, ea-*

que

que praeclara procul dubio in tot libris suis obseruauerant veteres iureconsulti, qui, si exstarent integri, non magnopere fortassis laboraremus. Sed hos quoque siue Triboniani industria, siue illaetabili quodam artis nostrae fato amisimus, vt pro instructissimo adparatu et ferculis delicatioribus, hodie reliquiis dumtaxat, tamquam parasiti, perfruamur. Solum POMPONII fragmentum nobis seruauit Tribonianus, si seruatum dici potest, quod nobis vbique, vt videtur luxatum, mutilatumque superest. Saltim plura ac pleniora non scripsisse iureconsultum, nemo sibi temere persuaserit, nisi simul totum Enchiridii libellum duabus tribusue plagulis constitisse, velit existimare. Ita fere omnia interciderunt, ex quibus veteres, quorum aetas in beatiora saecula inciderat, iuris originem, progressum, fata, legum auctores, eorumque finem ac consilia, edictorum, senatusque consultorum aetatem, iuris consultorum vitam, ac quae eorum in iuris prudentiam exstiterunt, merita, discere potuerunt. Iacent hodie tot excellentissimi ingenii viri paene omnes illacrymabiles et obruti multa nocte, quia carent vate sacro, et, si dicendum, quod res est, nondum iuris historiam, sed eius paucissima squallidaque rudera, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, habemus. Sed qualecumque istud sit, quod in communi tot veterum monimentorum naufragio interitum euasit, aequi profecto bonique consulendum, et quidquid vel in veterum annalibus, vel in ipsis libris nostris, de iuris prudentiae fatis vel obiter notatum occurrit, in rem vertendum videtur. Quod ego quidem hoc libello an praestiterim nescio; conatum me saltim esse id praestare, nullique propterea labori, nullisque vigiliis parsisse et scio, et quemuis, qui libellum perlustrare voluerit, facile pespecturum, arbitror. Quandoquidem vero, qui adhuc in eo argumento versati sunt, plerique non nisi Romanae iuris prudentiae fata descripserunt: me idem agentem facile subegit patriae caritas, studiumque, quod iam a multis annis enucleando iuri patrio impendi, haud mediocre, vt et huius historiam cum illa coniungerem, maxime quum post HERM. CONRINGIVM, qui primus Germanorum Germanici iuris origines exposuit, pauci fere reperti sint, qui inuen-

inuentis ab eo aliquid adderent, iisque, quae CONRINGIO defuerant subsidiis ad locupletandam pulcherrimam hanc historiae partem vterentur. Iam innumera viderat CONRINGIVS; (quid enim scire quisquam vellet, quod docere non posset ingenium istud sine exemplo maximum?) at sexcentos qui post eum e situ et puluere in lucem protracti sunt, rerum Germanicarum scriptores, innumeraque, quae postea prodierunt, diplomata ille non viderat. Ex quibus sane permulta suppleri posse, a viris doctis, quae in opere illo Conringiano *desiderantur, facile intelligitur. Ipse sane, cui per alia negotia non tantum fuit otii, vt irem per omnes Germanorum annales, omnesque veteres chartas et diplomata perlustrarem, plura tamen huius industriae specimina in breui hoc opusculo mihi videor dedisse, neque dubito, quin multo plures eiusdem generis obseruationes colligi possint ab iis, qui vel maiora instructi adparatu, vel otio magis abundantes, vel feliciore ingenio praediti studium, industriamque ad illustrandam patrii iuris historiam conferent. Quibus si me mea hac scriptione veluti igniculos quosdam iniecisse animaduertero; nae ego mihi operae fecisse pretium, vberrimumque lucubrationum fructum cepisse videbor. Interea, dum alii meliora dederint, vtere meis, tuamque beneuolentiam, quae mihi et senescenti paullatim ad quidlibet in rei publicae litterariae commodum conandum incitamento erit, mihi integram, quaeso, conserua, atque illibatam. Vale*, lector beneuole. *Halae, prid. Id. Mart.* CIↃIↃCCXXXX.

IO. GOT.

IO. GOT. HEINECCII HISTORIA IVRIS CIVILIS.

LIBER I.

DE ORIGINE, PROGRESSV, VARIISQVE MVTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

CAPVT I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI SVB REGIBVS.

§. I.

ROMA, Albanorum colonia, sed initio magno advenarum, maxime ad asylum Romuli confluentium, concursu, postea & totis ciuitatibus gentibusque dedititiis intra moenia receptis sensim suppleta, mores ac religionem maioris patriae, aliarum coloniarum exemplo retinuit. * Quum ergo illi patrii mores in scripturam nondum essent redacti: *vrbs Roma initio sine lege certa, sine iure certo, egisse* dicitur Pomponio *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.*

Quomodo Romani initio, sine lege, sine iure certo egerint.

* Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib.* I. *cap.* 45. Romam diserte vocat τῆς Ἄλβης ἀποικίαν, *Albanorum coloniam*. Et paullo post *cap.* 72. addit: τῷ δ' ἑξῆς ἔτει τῆς Νεμίτορος ἀρχῆς, δευτέρῳ δὲ καὶ τριακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἀποικίαν στείλαντες Ἀλβανοί, Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἐχόν-

ἀρχόντων, κτίζουσι Ῥώμην: altero deinde Numitoris anno, post Ilium vero captum 432. *Albani*, Romuli et Remi ductu, COLONIAM *miserunt*, *condideruntque* ROMAM. Vti vero colonias deos, mores, instituta, sacra cum metropolibus communia habuisse, pluribus exemplis probavit Ez. Spanhem. *de vsu & praest. numism. Tom. I. Dissert. VIII. pag.* 580. *sequ.* ita de Romanis & Albanis Strabo *Lib. V. pag.* 353. *edit. nou.* diserte scribit, eos communia habuisse καὶ ἱερὰ, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά, *cum sacra, tum alia iura ciuilia*.

§. II.

Id quomodo intelligendum?

Quod tamen nolim eam in partem interpreteris, ac si populus Romanus nullis plane legibus, nulla actionum norma sub vrbis incunabula vsus sit: (qui enim fieri potuisset, vt sine lege in ciuitatem coalesceret turba incondita, & extorris patria hominum colluuies?) sed sensus est, Romanos initio iure scripto caruisse. * Quod commune illis fuit cum gentibus plerisque antiquissimis. Tac. *Annal. Lib. III. cap.* 26. Justin. *Histor. Lib. I. cap.* 1. & *Lib. II. cap.* 7. Porphyr. περὶ ἀποχῆς *Lib. III. pag.* 283. *edit. Lugdun. anni* 1620.

* Nimirum lex lata Pomponio est ius constitutum, seu scriptum. Id vero ipse opponit *iuri incerto* vel consuetudini. *Sine iure* ergo *certo egerunt*, quod sine lata lege & iure scripto vixerent. Bynkershoekii *Praetermiss. pag.* 236. *sequ. edit. nou.* Similiter Dionys. Halicarnass. *Antiqu. Lib. X. cap.* 1. Οὔτω γὰρ τότε ἦν ὅτι ἰσονομία παρὰ Ῥωμαίοις, ὅτι ἰσηγορία, οὔτε ΕΝ ΓΡΑΦΑΙΣ ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα: *nondum enim erat apud Romanos ius aequum omnibus ciuibus, nec omnibus ex aequo suffragandi potestas erat, nec* IN SCRIPTVRAM *relata erant iura omnia*; ubi itidem ἰσονομία opponitur τοῖς ἐν γραφαῖς δικαίοις.

§. III.

Regum arbitria defectum legum supplebant.

Quum vero, vt in noua ciuitate permulta inciderent, quae ad illos antiquae patriae mores componi non poterant: res ipsa poposcit, vt ea omnia temperarentur regum arbitriis, * quae vetustissimis mortalibus pro legibus erant. Seneca *Epist.* 90. Iustin. *Histor. Lib. I. cap.* 1. Atque inde est, quod *omnia initio* MANV *a regibus gubernata esse*, dicit Pomponius *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.*

* Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap.* 1. ubi de statu iuris ciuilis sub regibus: τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων τοῦτο νόμος ἦν: *ius ab illis constitutum pro lege erat*. Quoties ergo noua aliqua ac repentina inciderent: toties ipsi reges erant νόμος ἔμψυχος, *viua ac spirans lex*, vti loquitur Philo *de vita Mosis, Lib. II. pag.* 506.

§. IV.

Hinc edicta regia pro lege erant.

Quidquid ergo vel fieri, vel omitti a ciuibus vellent reges Romani: id propositis, vel per praeconem promulgatis EDICTIS praecipiebant *. Quod facientes manu omnia gubernare dicebantur.

* Hinc passim scriptores mentionem faciunt EDICTORVM regiorum ALBIQVE REGII, veluti Liuius *Lib. I. cap.* 32. & 44. Dionys. Halicarnass. *Antiqu. Lib. III. cap.* 50. *Lib. IV. cap.* 13. *Lib. V. cap.* 1. MANVS ergo REGIA erat potestas regum edicendi, quaecumque e re publica videbantur, quaeque legibus & moribus patriis nondum erant definita. Quo sensu *manus* accipi videtur a Tacito *in Agric. cap.* 9.

§. V.

Mox tamen leges flagitauit populus.

Eum rei publicae statum vel ideo aequo animo ferebat populus, quod reges ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spe-

spectata inter bonos moderatio, iustitiaeque fama euexisset. Quandoquidem tamen, vti recte obseruauit Cicero, *ad diuers. Lib. IX. epist. 16. omnia incerta sunt, quum a iure discessum est, nec praestare quisquam potest, quale futurum sit id, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine*: non sane mirandum est, ferocem populum, libertatisque cupidum magis, quam patientem, Romulo ipso paullo rigidius dominante, mox LEGES flagitasse. *, & tales quidem, quas ipse curiatis comitiis sciuisset.

* Libertatis enim argumentum id est certissimum, *si leges imperent*. Aristot. *Polit. Lib. III. cap. 16.* Hinc veteres scriptores ciuitates *liberas* LEGVM; *regna* PRINCIPVM REGVMQVE esse, dicebant, legibusque redditam esse censebant ciuitatem, quae se in pristinam libertatem adseruisset. Testimonia plurima Lucani, Quinctiliani, Claudiani, aliorumque melioris aeui auctorum collegit Io. Frid. Gronouius *in Statium Papin. Silu. Diatr. I. cap. 2. pag. 11. sequ.* Addo ego, & Graecos ita loquutos, veluti Aristotelem, qui dum *Politic. Lib. III. cap. 11.* ex instituto quaerit, *πότερον συμφέρει μᾶλλον, ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων; praestetne a bono viro regi, an a bonis legibus?* manifesto imperium boni viri pro principatu; imperium bonae legis pro libertate accipit. Hinc semper, qui libertatis, iidem & *ἰσονομίας* adpetentissimi esse solent.

§. VI.

Immo hoc vel ideo suo quodam iure postulabant Romani, quod Romulus ipse non merum principatum instituerat, ceu ex male intellecto loco Taciti *Annal. Lib. III. cap. 2. & l. 2. §. 1. D. de orig. iur.* vulgo colligunt, sed summum imperium ita communicauerat cum patribus & populo, vt REX senatui praeesset, populum rogaret, bella administraret, & ius in vrbe diceret: PATRES consilia cum rege de re publica caperent, magistratusque gererent: POPVLVS denique in comitiis de legibus, de bello & pace, nec non de magistratibus creandis curiatim ferret suffragia. * Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap. 14.*

Idque & rei publicae forma exigere videbatur.

* Recte ergo L. Ampelius *Lib. memor. cap. 50.* tria esse obseruat rerum publicarum genera: esse tamen & *quartum genus, quod Romani commenti sint, vt ex his tribus vnum efficerent*. His non obloquitur Pomponius, dum omnia aliquamdiu a regibus *manu* gubernata esse, memoriae prodit; vt adeo merito miremur, virum doctissimum Scipionem Gentilem *in Disp. illustr. de iure publ. Rom. Disp. I. §. 2. p. 8.* scribere non dubitasse: *quod Pomponius scribit: initio ciuitatis nostrae omnia manu a regibus gubernabantur, quod nihil aliud est, quam summum omnium rerum arbitrium ac iudicium penes eos fuisse: id de regibus Romanis dici non posse, nec a Pomponio dictum, existimamus.* Adeo totam illam legem Pomponio abiudicare mauult vir eximius, quam credere, *reges initio omnia manu gubernasse*: quod his verbis veram *παμβασιλείαν* describi putaret.

§. VII.

Hinc ipse ROMVLVS *leges quasdam curiatas ad populum tulit. l. 2. §. 2. D. de orig. iur.* Quum enim ipse populum vniuersum primum in tres TRIBVS, *Tatiensem, Lucerem, & Ramnetem*; hasque deinde in triginta CVRIAS descripsisset: Dionys. *Lib. II. cap. 7.* Festus, *voce: Curiae*; quoties ferendae essent leges, populo indicebat comitia, peractisque sacris & addicentibus auspiciis, eum rogabat verbis sollemnibus:

Hinc latae leges curiatae.

bus *: VELITIS JVBEATIS, *Romani*. (QVIRITES enim multò post a Romulo, *in caelum*, ut fingebant, rapto, cognominari coeperant. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 1.) Quo facto curiae ibant in suffragia, &, quod plures sciuerant, id pro lege erat, & legis curiatae nomine veniebat. * Vnde lucem capit definitio legis §. 4. *Inst. de iure nat. gent. & ciuil.*

* Videntur LEGES CVRIATAE tantum ad Servii Tullii regis tempora obtinuisse. Hic enim noua inuenta populi partitione in classes, vt potentiorum atque opulentiorum suffragia plebis infimae turbaeque proletariae consiliis praeualerent, pleraque per comitia CENTVRIATA explicauit. Accesserunt postea demum comitia TRIBVTA, in quibus plebiscita potissimum fiebant tribuum suffragiis. Demum libera re publica tam rarae esse coeperunt LEGES CVRIATAE, vt eo nomine, mutata notione venirent decreta, quibus magistratibus maioribus imperium militare auspicii caussa deferebatur. Liu. *Lib. V. cap.* 46. *& Lib. IX. cap.* 38. De qua *lege curiata* inter viros doctissimos, Car. Sigonium, & Nic. Grucchium acrem intercessisse disputationem nouimus. Scripta amoebea eo pertinentia *Thesauro Antiquitatum Romanarum Tomo I. pag.* 531. *seqq.* inferuit Graeuius.

§. VIII.

Exempla legum Romuli.

Talium legum curiatarum a ROMVLO perlatarum vestigia passim exstant, non quidem in vetere tabula, quam Franc. Balduinus se a Io. Barthol. Marliano accepisse, scribit *ad leges Romuli, pag.* 22. *Tom. I. Iurisprud. Roman. & Attic.* (eam enim a recentiore manu esse, nemo negauerit: vid. Schubart. *de fatis iurisprud. Rom. Exerc. I. pag.* 64.) sed apud auctores veteres *, ex quibus eas collegerunt, cum alii, tum Ant. Augustinus, Iustus Lipsius, Fulu. Vrsinus, Franc. Balduinus, & his omnibus accuratior Paull. Merula *de legib. Rom. cap.* 2. *seqq.* vt adeo falsi sint Iustinianus *Nouell. XLVII. praef.* & Gratianus *can. I. distinct.* 7. qui a Romulo nihil omnino legum latum, existimarunt.

* Tales leges ad ius priuatum & animadversionem in facinorosos homines pertinentes, apud Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 26. sunt sequentes: *mulier, quae secundum sacras leges conuenit in manum, particeps bonorum sacrorumque mariti esto. Patri in liberos ius vitae & necis, illosque ter venumdandi ius esto. Tertium venumdati & manumissi e patria potestate exeunto. Sordidas sellulariasque artes ciues ne faciunto, sed studiis militaribus reique rusticae vacanto. Temetum mulier ne bibito.* Ex aliis scriptoribus hae colliguntur: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD. Seru. *ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. v.* 622. *Quod natum erit, parentes tollunto. Monstrosos partus sine fraude exponere ius esto. Moenia sancta sunto.* Plutarch. *in Romulo pag.* 30. Est quoque fragmentum legis Romuli de nuruum in soceros saeuitia apud Festum *in voce: Plorare:* cui occasionem dedisse mulierum Sabinarum a Romanis raptarum ferociam, suspicatur Merula *de Legib. Rom. cap.* 2. §. 4. Reliqua Romuli instituta ad sacra & rem publicam, atque adeo ad ius publicum, pertinent.

§. IX.

Nec non a Numa, Tullo Hostilio, & Anco.

Sed & sequentes Reges leges quasdam curiatas ad populum tulisse constat. Et NVMA quidem POMPILIVS eas potissimum, quae ad sacra pertinere visa sunt, adiecit, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. quas ipse in octo partibus pro totidem classibus descripsit *. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap.* 65. De TVLLI HOSTILII legibus & *Lib. III. cap.* 23. qui & item habemus eumdem Dionysium *ibid. cap.* 28.

28. laudat legem de tergeminis ex publico alendis, ad suam vsque aetatem obseruatam. Reperta etiam quaedam ab ANCO MARCIO, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. qui tamen Numae praecipue, aui, instituta in vsum reuocasse fertur. Liu. *Hist. Lib. I. cap.* 32.

* Sacris istis institutis, quibus simulato nocturno cum Egeria nympha congressu auctoritatem conciliabat, Liu. *Lib. I. cap.* 19. Dionys. *Lib. II. cap.* 61. 62. callide vtebatur Numa, ad eo acriora vincula legibus ciuilibus iniicienda. Sic vt vites diligentius putarent ciues, sanxerat: *ne quis diis ex vite imputata libaret*. Plin. *Hist. nat. Lib. XIV. cap.* 12. & *Lib. XVIII. cap.* 12. Ne insanos sumtus sepeliendis cadaueribus coenisque impenderent: instituerat, *ne quis vino rogum respergeret:* Plin. *ibid.* & *Lib. XIV. cap.* 12. neue pisces, nisi squamosos, ad polluctum emeret. Plin. *ibid.* & *Lib. XXXII. cap.* 11. Ne termini nefarie mouerentur; neue pellicatus gliseeret in ciuitate; vel fidem quisquam impune fallere auderet: callide praeceperat, *vt Terminus Deus esset, & si quis terminum exarasset, ipse cum bobus Diuis sacer esset:* Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 76. Festus *in voce* Termino. *Ne pellex aram Iunonis tangeret: si tetigisset, crinibus demissis agnum feminam caederet*. Fest. *in voce Pellices*. Denique, *vt Fidei numen omnes metuerent*. Dionys. *ibid. cap.* 72. Proprie ad leges ciuiles Numae pertinent sequentes: *Si quis liberum hominem dolo malo occiderit, parricida esto: sin imprudens, in concione pro capite occisi & natis eius arietem offerto*. Festus, *in voce Parricida*. *Si filiusfamilias, volente patre, vxorem duxerit, patri eius venumdandi potestas ne esto. Vidua intra decem menses luctus ne nubito*. Plutarc. *in Numa, pag.* 71. Addimus legem regiam, cujus mentio fit *l.* 2. *D. de mort. infer. ne mulier, quae praegnans mortua fuerat, nisi exciso partu humetur*. Ejus enim auctorem esse NVMAM, ex ipsa illius indole colligit Ant. Augustin. *de Legib. & senatusconsult. pag.* 130. Sunt, qui Mosis leges, sunt qui Pythagorae instituta Numae ob oculos fuisse contendunt. Clem. Alex. *Stromat. Lib. I. pag.* 304. Euseb. *Praeparat. euang. Lib. IX. cap.* 6. *pag.* 410. Sed, vti prius vix probabile: ita posterius manifesto falsum, & ob rationes chronologicas absurdum est. Liu. *Histor. Lib. I. cap.* 18. Dionys. *Lib. II. cap.* 60.

§. X.

An & a reliquis regibus.

TARQVINII PRISCI lex, quae quidem ad ius priuatum pertineat, a veteribus nulla describitur: at tanto plures laudantur SERVII TVLLII, non curiatae tamen, sed centuriatis, vti videtur, comitiis perlatae *. Quas deinde omnes vno edicto sustulit, suo omnia arbitrio, tamquam tyrannus, acturus TARQVINIVS SVPERBVS. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. V. cap.* 2.

* SERVIVS TVLLIVS non modo Romuli, & Numae leges reuocavit in vsum: Dionys. *Lib. IV. cap.* 13. sed & plures nouas sanxit, veluti de iudiciis, Dionys. *ibid. cap.* 29. de libertinis ciuitate donandis, *ibid. cap.* 26. 27. 28. Cicero *pro Cornelio Balbo cap.* 24. de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis: Dionys. *Lib. IV. cap.* 12. de filio patrem verberante, Festus, *in voce: Plorare*. Denique de contractibus, & iniuriis priuatis. Dionys. *Lib. IV. cap.* 17. Vnde Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 26. *Praecipuus*, inquit, *Seruius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent*. Nam cum in toto imperio suo, tum in ferendis legibus tam popularis erat, vt non modo de patrum, sed & regia potestate dimidium detraxisse videretur. Dionys. *ibid. cap.* 29.

§. XI.

Regii imperii finis.

Sed non diu tyrannidem tulit ferocissimus populus. Mox enim regnari Romae desiit, postquam TARQVINIVS SVPERBVS ex magno imperio non nisi maximam retinens licentiam, euersis legibus, oppressoque populo, ciuium suorum incurrit odia, regno ipsaque ciuitate pulsus anno V. C. 244. Flor. *Lib. I. cap.* 1.

§. XII.

vero ſolere, viſo decreto, et examinata electione in ſacro ſenatu, habitaque ſufficienti informatione, tam ſuper forma electionis, quam ſuper idoneitate et habilitate perſonae electi, per commiſſarios a ſe conſtitutos, ad inſtantiam dicti electi ipſum electum in ſpiritualem filium ſuum et eccleſiae Romanae ſuſcipere. Sed notatu dignum eſt, auctorem *Caerimonialis*, dum ſubiungere voluit exempla imperatorum, qui hoc obſeruarint, non niſi *Carolum IIII. et antea Henricum VII. et Albertum, eius praedeceſſorem, et Rudolphum*, nominare potuiſſe, adiecitſeque quidem *et plures alios* id feciſſe, ſed non alios procul dubio intellexerit, quam Lotharium, eiuſque aliquot ſucceſſores. Et quibus, quaeſo, temporibus magis conuenit numerus ille principum ſenarius, quam Conradi III. quibus, proſcripto Henrico Superbo, et dubia aliquamdiu Saxoniae et Bauariae poſſeſſione, vnus ex primariis Germaniae principibus deerat, adeoque ſex tantum ſupererant, quorum ſuffragia in eligendis imperatoribus praerogatiua donari iam tum ſolebant. His ergo demum temporibus prodiit monimentum praeſtantiſſimum, ex quo pleraque decerpſiſſe iuris feudalis Saxonici et Alamannici auctores, iam ab aliis obſeruatum eſt. Nec in eo ego quidem quidquam deprehendo, quod iſti tempori minus conueniat, quum et *beneficii* vox ſequioris aeui ſcriptoribus non ignota ſit, et nepotes diſertis verbis a ſucceſſione excludantur nuſquam, ſed ſub *filiorum* vocabulo commode ſatis comprehendi poſſe videantur.

Sed haec quoque ſcribentem, et plura tecum, lector, confabulari volentem interpellant me operae, et praefationem non ſine conuicio flagitant. Abrumpendum itaque fuit filum, reliquis, quae dicenda ſupererant, alii occaſioni ſepoſitis. Tu itaque vale, meiſque conatibus faue. *Halae* e muſeo *prid. Kal. Octobr.* CIↃIↃCCXXXIII.

PRAE-

PRAEFATIO ALTERA.

QUAE mihi hunc adornandi libellum octauo abhinc anno fuerit occasio, amice lector, *quamque paene praecipiti festinatione ille a me tunc in chartam coniectus sit, ex ea, quam primae editioni praemisi, praefatione, satis, vt opinor, perspexeris. Non potui ergo non tum vereri, ne ea scriptione satisfecisse videar quam paucissimis, iique saltim, quibus nihil, nisi quod eximia quadam cura scriptum perpolitumque sit, placere solet, perfectius quid atque elegantius sint a me desideraturi. Quum enim ea sim tenuitate ingenii, vt et si adnitar, omnesque animi neruos intendam, vix quidquam, quod oculis tuis dignum videatur, proferat, quanto minus mihi sperare licuit, subitaneum hoc et vix satis praemeditatum opusculum vlli viro docto, maxime in tam vbere, quem saeculum nostrum vidit, talium librorum prouentu esse placiturum? Enimuero multo aliter, quam metueram, res accidit. Tantum enim abest, vt Hecyrae Terentianae fato explosus sit hic libellus, vt tametsi auditorum tantum vsibus initio destinatus, tamen et extra academiae nostrae pomeria inuenerit lectores, et distractis paene diuenditisque exemplaribus omnibus, noua eaque nitidior editio iam pridem flagitari coeperit. Cur ea non prius prodierit, illi norunt, quibus bibliopolarum res paullo sunt perspectiores. Demum tamen moras omnes, egregii publici studio ruperunt viri integerrimi, IO. et HERM. VERBEEKII, qui alieni ab exsecrabili illo libellos alienos furtim recudendi consilio, cum priore bibliopola ita composuerunt rationes, vt eis iure recudendi hanc iuris historiam vltro cedere non dubitarit. Quum ergo hi operis redemtores nullis sibi parcendum ducerent sumtibus, vt et splendidissimis typis chartaque prodiret in lucem: debere ego hoc mihi visus sum lectoribus aequis, vt, qui antea imperfectum illud opusculum tam aequo animo tulerunt, ii iam aliquid si non perfectius, at adcuratius tamen limatiusque a me accipiant. Itaque*

tot licet occupationibus distractus, infirmaque valetudine prope oppressus, me recensendo huic libello accingo, multa, quae deesse videbantur, suppleo, quaedam nouis veterum testimoniis firmo, quaedam, vt fit, emendo ac muto, idque tanto studio, vt si quis opus hoc nouum esse crediderit, eum ego non aberraturum a vero esse existimem. Fecerimne operae pretium, tuum, beneuole lector, *erit iudicium. Me certe noua haec opera nauata iuris prudentiae maximopere delectauit, vt adfirmare possim, illam mihi et curas, quibus tum excruciabar, plerasque abstersisse, et ad amissas difficili morbo vires recuperandas firmandasque mirifice profuisse. Ceterum ne sic quidem dubito, quin alii eamdem rem acturo permagnum reliquerim spicilegium. Experiundo enim didicisse mihi videor, nullam esse difficiliorem veteris historiae partem, quaeque pluribus egeat, paucioribusque instructa sit subsidiis, quam historiam iuris prudentiae. Siue enim veterum rerum publicarum, siue ecclesiae Christianae res et fata quis scribere constituerit, tot exstant incorrupta veteris aeui monimenta, vt se copia fere inopem reddi animaduertat. At quis, quaeso, veterum vel ad historiam iuris scribendam, vel vitas iureconsultorum enarrandas adpulit animum? Quotus quisque tot doctorum hominum, qui rei publicae Romanae annales adcuratissima industria condiderunt, ea, quae ad artem nostram pertinent, non obiter attigit? Solus fere DIONYSIVS HALICARNASSENSIS ea, quae de iure et legibus, earumque interpretatione obseruatu digniora esse animaduertebat, diligentius videtur persequutus. Sed inuiderunt nobis fata maximam operis incomparabilis partem, vt, quae ab anno ab V. C. 312. acciderunt, hodie fere sciamus iuxta cum ignarissimis. Liuius enim, et si qui alii res Romanas tradiderunt, res potius bello praeclare gestas, quam quae circa leges euenerint, memoriae prodiderunt, et, si quid de his quoque memorant, illas, quae ad rem publicam pertinere viderentur, quibusque tamquam seditionum flabellis populum agitabant tribuni plebis, paullo diligentius descripserunt, plerisque, quae ad ius priuatum amplificandum perlatae fuerant, vel praetermissis, vel leui saltim brachio tactis. Plura eius generis, eaque*

que praeclara procul dubio in tot libris suis obseruauerant veteres iureconsulti, qui, si exstarent integri, non magnopere fortassis laboraremus. Sed hos quoque siue Triboniani industria, siue illaetabili quodam artis nostrae fato amisimus, vt pro instructissimo adparatu et ferculis delicatioribus, hodie reliquiis dumtaxat, tamquam parasiti, perfruamur. Solum POMPONII fragmentum nobis seruauit Tribonianus, si seruatum dici potest, quod nobis vbique, vt videtur luxatum, mutilatumque superest. Saltim plura ac pleniora non scripsisse iureconsultum, nemo sibi temere persuaserit, nisi simul totum Enchiridii libellum duabus tribusue plagulis constitisse, velit existimare. Ita fere omnia interciderunt, ex quibus veteres, quorum aetas in beatiora saecula inciderat, iuris originem, progressum, fata, legum auctores, eorumque finem ac consilia, edictorum, senatusque consultorum aetatem, iuris consultorum vitam, ac quae eorum in iuris prudentiam exstiterunt, merita, discere potuerunt. Iacent hodie tot excellentissimi ingenii viri paene omnes illacrymabiles et obruti multa nocte, quia carent vate sacro, et, si dicendum, quod res est, nondum iuris historiam, sed eius paucissima squallidaque rudera, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, habemus. Sed qualecumque istud sit, quod in communi tot veterum monimentorum naufragio interitum euasit, aequi profecto bonique consulendum, et quidquid vel in veterum annalibus, vel in ipsis libris nostris, de iuris prudentiae fatis vel obiter notatum occurrit, in rem vertendum videtur. Quod ego quidem hoc libello an praestiterim nescio; conatum me saltim esse id praestare, nullique propterea labori, nullisque vigiliis parsisse et scio, et quemuis, qui libellum perlustrare voluerit, facile pespecturum, arbitror. Quandoquidem vero, qui adhuc in eo argumento versati sunt, plerique non nisi Romanae iuris prudentiae fata descripserunt: me idem agentem facile subegit patriae caritas, studiumque, quod iam a multis annis enucleando iuri patrio impendi, haud mediocre, vt et huius historiam cum illa coniungerem, maxime quum post HERM. CONRINGIVM, qui primus Germanorum Germanici iuris origines exposuit, pauci fere reperti sint, qui inuen-

inuentis ab eo aliquid adderent, iisque, quae CONRINGIO *defuerant subsidiis ad locupletandam pulcherrimam hanc historiae partem uterentur. Iam innumera viderat* CONRINGIVS; *(quid enim scire quisquam vellet, quod docere non posset ingenium istud sine exemplo maximum?) at sexcentos qui post eum e situ et puluere in lucem protracti sunt, rerum Germanicarum scriptores, innumeraque, quae postea prodierunt, diplomata ille non viderat. Ex quibus sane permulta suppleri posse, a viris doctis, quae in opere illo* Conringiano *desiderantur, facile intelligitur. Ipse sane, cui per alia negotia non tantum fuit otii, vt irem per omnes Germanorum annales, omnesque veteres chartas et diplomata perlustrarem, plura tamen huius industriae specimina in breui hoc opusculo mihi videor dedisse, neque dubito, quin multo plures eiusdem generis obseruationes colligi possint ab iis, qui vel maiora instructi adparatu, vel otio magis abundantes, vel feliciore ingenio praediti studium, industriamque ad illustrandam patrii iuris historiam conferent. Quibus si me mea hac scriptione veluti igniculos quosdam iniecisse animaduertero; nae ego mihi operae fecisse pretium, vberrimumque lucubrationum fructum cepisse videbor. Interea, dum alii meliora dederint, vtere meis, tuamque beneuolentiam, quae mihi et senescenti paullatim ad quidlibet in rei publicae litterariae commodum conandum incitamento erit, mihi integram, quaeso, conserua, atque illibatam. Vale,* lector beneuole. *Halae, prid. Id. Mart.* CIↃIↃCCXXXX.

IO. GOT.

IO. GOT. HEINECCII
HISTORIA IVRIS CIVILIS.

L I B E R I.
DE ORIGINE, PROGRESSV, VARIISQVE MVTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

C A P V T I.
DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS ROMANI SVB REGIBVS.

§. I.

Quomodo Romani initio, fine lege, fine iure certo egerint.

ROMA, Albanorum colonia, fed initio magno advenarum, maxime ad afylum Romuli confluentium, concurfu, poftea & totis ciuitatibus gentibufque dedititiis intra moenia receptis fenfim fuppleta, mores ac religionem maioris patriae, aliarum coloniarum exemplo retinuit. * Quum ergo illi patrii mores in fcripturam nondum effent redacti: *vrbs Roma initio fine lege certa, fine iure certo, egiffe* dicitur Pomponio *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.*

* Dionyf. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib.* I. *cap.* 45. Romam diferte vocat τῆς Ἄλβης ἀποικίαν, *Albanorum coloniam*. Et paullo poft *cap.* 72. addit: τῷ δ' ἑξῆς ἔτει τῆς Νομίτορος ἀρχῆς, δευτέρῳ δὲ καὶ τριακοσιοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἀποικίαν στείλαντες Ἀλβανοί, Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου τὴν ἡγεμονίαν αὐτῆς ἐχόν-

ἐλθόντων, κτίζουσι Ῥώμην: *altero deinde Numitoris anno, post Ilium vero captum 432. Albani*, Romuli et Remi *ductu*, COLONIAM *miserunt*, *condideruntque* ROMAM. Vti vero colonias deos, mores, instituta, sacra cum metropolibus communia habuisse, pluribus exemplis probavit Ez. Spanhem. *de usu & praest. numism. Tom. I. Dissert. VIII. pag. 580. sequ.* ita de Romanis & Albanis Strabo *Lib. V. pag. 353. edit. nou.* diserte scribit, eos communia habuisse καὶ ἱερά, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά, *cum sacra, tum alia iura ciuilia*.

§. II.

Id quomodo intelligendum?

Quod tamen nolim eam in partem interpreteris, ac si populus Romanus nullis plane legibus, nulla actionum norma sub vrbis incunabula vsus sit: (qui enim fieri potuisset, vt sine lege in ciuitatem coalesceret turba incondita, & extorris patria hominum colluuies?) sed sensus est, Romanos initio iure scripto caruisse. * Quod commune illis fuit cum gentibus plerisque antiquissimis. Tac. *Annal. Lib. III. cap. 26.* Justin. *Histor. Lib. I. cap. 1.* & *Lib. II. cap. 7.* Porphyr. περὶ ἀποχῆς *Lib. III. pag. 283. edit. Lugdun. anni 1620.*

* Nimirum lex lata Pomponio est ius constitutum, seu scriptum. Id vero ipse opponit *iuri incerto* vel consuetudini. *Sine iure ergo certo egerunt*, quod sine lata lege & iure scripto viuerent. Bynkershoekii *Praetermiss. pag. 236. sequ. edit. nou.* Similiter Dionys. Halicarnass. *Antiqu. Lib. X. cap. 1.* Οὔπω γὰρ τότε ἦν οὔτε ἰσονομία παρὰ Ῥωμαίοις, οὔτε ἰσηγορία, οὔτε ΕΝ ΓΡΑΦΑΙΣ ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα: *nondum enim erat apud Romanos ius aequum omnibus ciuibus, nec omnibus ex aequo suffragandi potestas erat, nec* IN SCRIPTVRAM *relata erant iura omnia*; ubi itidem ἰσονομία opponitur τοῖς ἐν γραφαῖς δικαίοις.

§. III.

Regum arbitria defectum legum supplebant.

Quum vero, vt in noua ciuitate permulta inciderent, quae ad illos antiquae patriae mores componi non poterant: res ipsa poposcit, vt ea omnia temperarentur regum arbitriis, * quae vetustissimis mortalibus pro legibus erant. Seneca *Epist. 90.* Iustin. *Histor. Lib. I. cap. 1.* Atque inde est, quod *omnia initio* MANV *a regibus gubernata esse*, dicit Pomponius *l. 2. §. 1. D. de orig. iur.*

* Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap. 1.* ubi de statu iuris ciuilis sub regibus: τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων τοῦτο νόμος ἦν: *ius ab illis constitutum pro lege erat*. Quoties ergo noua aliqua ac repentina inciderent: toties ipsi reges erant νόμος ἔμψυχος, *viua ac spirans lex*, vti loquitur Philo *de vita Mosis*, *Lib. II. pag. 506.*

§. IV.

Hinc edicta regia pro lege erant.

Quidquid ergo vel fieri, vel omitti a ciuibus vellent reges Romani: id propositis, vel per praeconem promulgatis EDICTIS praecipiebant *. Quod facientes manu omnia gubernare dicebantur.

* Hinc passim scriptores mentionem faciunt EDICTORVM regiorum ALBIQVE REGII, veluti Liuius *Lib. I. cap. 32. & 44.* Dionys. Halicarnass. *Antiqu. Lib. III. cap. 50. Lib. IV. cap. 13. Lib. V. cap. 2.* MANVS ergo REGIA erat potestas regum edicendi, quaecumque e re publica videbantur, quaeque legibus & moribus patriis nondum erant definita. Quo sensu *manus* accipi videtur a Tacito *in Agric. cap. 9.*

§. V.

Mox tamen leges flagitauit populus.

Eum rei publicae statum vel ideo aequo animo ferebat populus, quod reges ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spe-

ſpectata inter bonos moderatio, iuſtitiaeque fama euexiſſet. Quandoquidem tamen, vti recte obſeruauit Cicero, *ad diuerſ. Lib. IX. epiſt. 16. omnia incerta ſunt, quum a iure diſceſſum eſt, nec praeſtare quiſquam poteſt, quale futurum ſit id, quod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine*: non ſane mirandum eſt, ferocem populum, libertatiſque cupidum magis, quam patientem, Romulo ipſo paullo rigidius dominante, mox LEGES flagitaſſe. *, & tales quidem, quas ipſe curiatis comitiis ſciuiſſet.

* Libertatis enim argumentum id eſt certiſſimum, *ſi leges imperent*. Ariſtot. *Polit. Lib. III. cap.* 16. Hinc veteres ſcriptores ciuitates *liberas* LEGVM; *regna* PRINCIPVM REGVMQVE eſſe, dicebant, legibuſque redditam eſſe cenſebant ciuitatem, quae ſe in priſtinam libertatem adſeruiſſet. Teſtimonia plurima Lucani, Quinctiliani, Claudiani, aliorumque melioris aeui auctorum collegit Io. Frid. Gronouius *in Statium Papin. Silu. Diatr. I. cap.* 2. *pag.* 11. *ſequ.* Addo ego, & Graecos ita loquutos, veluti Ariſtotelem, qui dum *Politic. Lib. III. cap.* 11. ex inſtituto quaerit, πότερον συμφέρει μᾶλλον, ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων; *praeſtetne a bono viro regi, an a bonis legibus?* manifeſto imperium boni viri pro principatu; imperium bonae legis pro libertate accipit. Hinc ſemper, qui libertatis, iidem & *ἰσονομίας* adpetentiſſimi eſſe ſolent.

§. VI.

Immo hoc vel ideo ſuo quodam iure poſtulabant Romani, quod Romulus ipſe non merum principatum inſtituerat, ceu ex male intellecto loco Taciti *Annal. Lib. III. cap.* 2. *&* *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.* vulgo colligunt, ſed ſummum imperium ita communicauerat cum patribus & populo, vt REX ſenatui praeeſſet, populum rogaret, bella adminiſtraret, & ius in vrbe diceret: PATRES conſilia cum rege de re publica caperent, magiſtratuſque gererent: POPVLVS denique in comitiis de legibus, de bello & pace, nec non de magiſtratibus creandis curiatim ferret ſuffragia. * Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap.* 14. Idque & rei publicae forma exigere videbatur.

* Recte ergo L. Ampelius *Lib. memor. cap.* 50. tria eſſe obſeruat rerum publicarum genera: eſſe tamen *& quartum genus, quod Romani commenti ſint, vt ex his tribus vnum efficerent.* His non obloquitur Pomponius, dum omnia aliquamdiu a regibus *manu* gubernata eſſe, memoriae prodit; vt adeo merito miremur, virum doctiſſimum Scipionem Gentilem *in Diſp. illuſtr. de iure publ. Rom. Diſp. I.* §. 2. *p.* 8. ſcribere non dubitaſſe: *quod Pomponius ſcribit: initio ciuitatis noſtrae omnia manu a regibus gubernabantur, quod nihil aliud eſt, quam ſummum omnium rerum arbitrium ac iudicium penes eos fuiſſe: id de regibus Romanis dici non poſſe, nec a Pomponio dictum, exiſtimamus.* Adeo totam illam legem Pomponio abiudicare mauult vir eximius, quam credere, *reges initio omnia manu gubernaſſe:* quod his verbis veram παμβασιλείαν deſcribi putaret.

§. VII.

Hinc ipſe ROMVLVS *leges quaſdam curiatas ad populum tulit. l.* 2. §. 2. *D. de orig. iur.* Quum enim ipſe populum vniuerſum primum in tres TRIBVS, *Tatienſem, Lucerem, & Ramnetem*, haſque deinde in triginta CVRIAS deſcripſiſſet: Dionyſ. *Lib. II. cap.* 7. Feſtus, *voce: Curiae*; quoties ferendae eſſent leges, populo indicebat comitia, peractiſque ſacris & addicentibus auſpiciis, eum rogabat verbis ſollemni- Hinc latae leges curiatae.

bus: VELITIS IVBEATIS, *Romani*. (QVIRITES enim multò post a Romulo, *in caelum*, ut fingebant, rapto, cognominari coeperant. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 1.) Quo facto curiae ibant in suffragia, &, quod plures sciuerant, id pro lege erat, & legis curiatae nomine veniebat. * Vnde lucem capit definitio legis §. 4. *Inst. de iure nat. gent. & ciuil.*

* Videntur LEGES CVRIATAE tantum ad Servii Tullii regis tempora obtinuisse. Hic enim noua inuenta populi partitione in classes, vt potentiorum atque opulentiorum suffragia plebis infimae turbaeque proletariae consiliis praeualerent, pleraque per comitia CENTVRIATA explicauit. Accesserunt postea demum comitia TRIBVTA, in quibus plebiscita potissimum fiebant tribuum suffragiis. Demum libera re publica tam rarae esse coeperunt LEGES CVRIATAE, vt eo nomine, mutata notione venirent decreta, quibus magistratibus maioribus imperium militare auspicii caussa deferebatur. Liu. *Lib. V. cap.* 46. & *Lib. IX. cap.* 38. De qua *lege curiata* inter viros doctissimos, Car. Sigonium, & Nic. Gruchium acrem intercessisse disputationem nouimus. Scripta amoebea eo pertinentia *Thesauro Antiquitatum Romanarum Tomo I. pag.* 531. *seqq.* inseruit Graeuius.

§. VIII.

Exempla legum Romuli.

Talium legum curiatarum a ROMVLO perlatarum vestigia passim exstant, non quidem in vetere tabula, quam Franc. Balduinus se a Io. Barthol. Marliano accepisse, scribit *ad leges Romuli*, *pag.* 22. *Tom. I. Iurisprud. Roman. & Attic.* (eam enim a recentiore manu esse, nemo negauerit: vid. Schubart. *de fatis iurisprud. Rom. Exerc. I. pag.* 64.) sed apud auctores veteres *, ex quibus eas collegerunt, cum alii, tum Ant. Augustinus, Iustus Lipsius, Fulu. Vrsinus, Franc. Balduinus, & his omnibus accuratior Paull. Merula *de legib. Rom. cap.* 2. *seqq.* vt adeo falsi sint Iustinianus *Nouell. XLVII. praef.* & Gratianus *can. I. distinct.* 7. qui a Romulo nihil omnino legum latum, existimarunt.

* Tales leges ad ius priuatum & animadversionem in facinorosos homines pertinentes, apud Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 26. sunt sequentes: *mulier, quae secundum sacras leges conuenit in manum, particeps bonorum sacrorumque mariti esto. Patri in liberos ius vitae & necis, illosque ter venumdandi ius esto. Tertium venumdati & manumissi e patria potestate exeunto. Sordidas sellularias que artes ciues ne faciunto, sed studiis militaribus reique rusticae vacanto. Temetum mulier ne bibito.* Ex aliis scriptoribus haec colliguntur: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD. Seru. *ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. v.* 622. *Quod natum erit, parentes tolliunto. Monstrosos partus sine fraude exponere ius esto. Moenia sancta sunto.* Plutarch. *in Romulo pag.* 30. Est quoque fragmentum legis Romuli de nuruum in soceros saeuitia apud Festum *in voce: Plorare:* cui occasionem dedisse mulierum Sabinarum a Romanis raptarum ferociam, suspicatur Merula *de Legib. Rom. cap.* 2. §. 4. Reliqua Romuli instituta ad sacra & rem publicam, atque adeo ad ius publicum, pertinent.

§. IX.

Nec non a Numa, Tullo Hostilio, & Anco.

Sed & sequentes Reges leges quasdam curiatas ad populum tulisse constat. Et NVMA quidem POMPILIVS eas potissimum, quae ad sacra pertinere visa sunt, adiecit, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. quas ipse in octo partibus pro totidem classibus descripsit *. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. II. cap.* 65. De TVLLI HOSTILII legislatione testem habemus eumdem Dionysium *ibid. cap.* 23. qui & *Lib. III. cap.* 28.

28. laudat legem de tergeminis ex publico alendis, ad suam vsque aetatem obseruatam. Reperta etiam quaedam ab ANCO MARCIO, Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 26. qui tamen Numae praecipue, aui, instituta in vsum reuocasse fertur. Liu. *Hist. Lib. I. cap.* 32.

* Sacris istis institutis, quibus simulato nocturno cum Egeria nympha congressu auctoritatem conciliabat, Liu. *Lib. I. cap.* 19. Dionys. *Lib. II. cap.* 61. 62. callide vtebatur Numa, ad eo acriora vincula legibus ciuilibus iniicienda. Sic vt vites diligentius putarent ciues, sanxerat: *ne quis diis ex vite imputata libaret*. Plin. *Hist. nat. Lib. XIV. cap.* 12. *&* *Lib. XVIII. cap.* 22. Ne infanos sumtus sepeliendis cadaueribus coenisque impenderent: instituerat, *ne quis vino rogum respergeret*: Plin. *ibid. & Lib. XIV. cap.* 12. neue pisces, nisi squamosos, ad pollucum emeret. Plin. *ibid. & Lib. XXXII. cap.* 11. Ne termini nefarie mouerentur: neue pellicatus glisceret in ciuitate; vel fidem quisquam impune fallere auderet: callide praeceperat, *vt Terminus Deus esset, & si quis terminum exarasset, ipse cum bobus Diuis sacer esset*: Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 76. Festus *in voce Termino*. *Ne pellex aram Iunonis tangeret: si tetigisset, crinibus demissis agnum feminam caederet*. Fest. *in voce Pellices*. Denique, *vt Fidei numen omnes metuerent*. Dionys. *ibid. cap.* 72. Proprie ad leges ciuiles Numae pertinent sequentes: *Si quis liberum hominem dolo malo occiderit, parricida esto: sin imprudens, in concione pro capite occisi & natis eius arietem offerto*. Festus, *in voce Parricida*. *Si filiusfamilias, volente patre, vxorem duxerit, patri eius venumdandi potestas ne esto*. *Vidua intra decem menses luctus ne nubito*. Plutarc. *in Numa, pag.* 71. Addimus legem regiam, cujus mentio fit *l.* 2. *D. de mort. infer. ne mulier, quae praegnans mortua fuerat, nisi exciso partu humetur*. Ejus enim auctorem esse NVMAM, ex ipsa illius indole colligit Ant. Augustin. *de Legib. & senatusconsult. pag.* 130. Sunt, qui Mosis leges, sunt qui Pythagorae instituta Numae ob oculos fuisse contendunt. Clem. Alex. *Stromat. Lib. I. pag.* 304. Eufeb. *Praeparat. euang. Lib. IX. cap. 6. pag.* 410. Sed, vti prius vix probabile: ita posterius manifesto falsum, & ob rationes chronologicas absurdum est. Liu. *Histor. Lib. I. cap.* 18. Dionys. *Lib. II. cap.* 60.

§. X.

TARQVINII PRISCI lex, quae quidem ad ius priuatum pertineat, a veteribus nulla describitur: at tanto plures laudantur SERVII TVLLII, non curiatae tamen, sed centuriatis, vti videtur, comitiis perlatae *. Quas deinde omnes vno edicto sustulit, suo omnia arbitrio, tamquam tyrannus, acturus TARQVINIVS SVPERBVS. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. V. cap.* 2. An & a reliquis regibus.

* SERVIVS TVLLIVS non modo Romuli, & Numae leges reuocavit in vsum: Dionys. *Lib. IV. cap.* 13. sed & plures nouas sanxit, veluti de iudiciis, Dionys. *ibid. cap.* 29. de libertinis ciuitate donandis, *ibid. cap.* 26. 27. 28. Cicero *pro Cornelio Balbo cap.* 24. de ciuibus ob aes alienum in vincula non ducendis: Dionys. *Lib. IV. cap.* 12. de filio patrem verberante, Festus, *in voce: Plorare*. Denique de contractibus, & iniuriis priuatis. Dionys. *Lib. IV. cap.* 17. Vnde Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 26. *Praecipuus*, inquit, *Seruius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent*. Nam cum in toto imperio suo, tum in ferendis legibus tam popularis erat, vt non modo de patrum, sed & regia potestate dimidium detraxisse videretur. Dionys. *ibid. cap.* 29.

§. XI.

Sed non diu tyrannidem tulit ferocissimus populus. Mox enim regnari Romae desiit, postquam TARQVINIVS SVPERBVS ex magno imperio non nisi maximam retinens licentiam, euersis legibus, oppressoque populo, ciuium suorum incurrit odia, regno ipsaque ciuitate pulsus anno V. C. 244. Flor. *Lib. I. cap.* 1. Regii imperii finis.

§. XII.

§. XII.

Legum regiarum indoles.

Ex his omnibus intelligitur, leges Regum Romanorum fuisse paucas, easque, siue verba, siue rem ipsam consideres, priscam simplicitatem vbique redoluisse, fini tamen reipublicae, qui in potentia bellica consistebat *, si paucissima Numae instituta exceperis, tam callide attemperatas, vt Romulum ipsis Graecorum legislatoribus anteferre non dubitet Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 23. *seqq.*

* Fuit noua res publica ex earum numero, quarum finis est, *ὅτι πάντα πρὸς τὸ κρατεῖν, ἢ πρὸς πόλεμον νομοθετοῦντο, ut cuncta ad potentiam bellumque gerendum instruantur*. Aristot. *Polit. Lib. VII. cap.* 14. Nimirum quum nec ager Romanus admodum amplus, nec artificum in promiscua turba magna multitudo, nec commodus ad commercia instituenda portus esset: non poterat non intelligere Romulus, neque agriculturam, neque opes per opificia vel commercia adquirendas finem esse posse nouae rei publicae, ac proinde ipse auctor erat ciuibus suis, vt omnia ad bellicam potentiam referrent, commendabatque iis *ἐν μὲν τοῖς ὀθνείοις πολέμοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κράτος, ἐν δὲ ταῖς ἐμφυλίοις ταραχαῖς τὴν ὁμοφροσύνην, καὶ σώφρονα, καὶ δίκαιον ἑκάστου βίον, in externis bellis armorum potentiam, in ciuilibus vero tumultibus concordiam, temperantiamque, & iustitiam*. Dionys. Halicarn. *Lib. II. cap.* 7. Et ad hunc finem pleraeque leges regiae comparatae fuerunt. Pleraeque, inquam. Numam enim id in primis egisse, vt ferocem populum ad pacis studia paullatim inflecteret, iam supra diximus. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 2. & 8.

C A P V T II.

DE STATV IVRIS ROM. AB EXACTIS REGIBVS AD LATAS LEGES XII. TAB.

§. XIII.

Exactis regibus bini creati consules.

Regibus *lege tribunicia*, id est, a *Iunio Bruto*, tum tribuno celerum, lata, exactis, bini consules rei publicae eorum loco praeesse coeperunt, eadem auctoritate potestateque, ac olim reges, ut, si a vocabulo, numero, ac diuturnitate dignitatis discesseris, nihil omnino de regio imperio diminutum videretur *. Liu. *Lib. II. cap.* 1. Vnde & *regiae maiestatis imperium* consulatus vocatur a Liuio *Lib. IV. cap.* 2. Nimirum *ex perpetuo annuum placebat, ex singulari duplex imperium, ne potestas vel mora, vel solitudine, corrumperetur: CONSVLESque adpellati pro regibus, vt, consulere se ciuibus suis debere meminissent*. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 9.

* Vere ergo manebat forma rei publicae pristina, vt nomen magis, quam potestas regum abolita videretur. Vere regia potestas erat penes consules. Patribus quoque salua erant, quae antea habuerant, iura: nec populo ius de legibus, honoribus, bello ac pace statuendi adimebatur. Attamen quum consules tantum patricii generis initio eligerentur, nec plebi adhuc via pateret in senatum: id praecipue agebant patres, vt, oppressa plebe, res publica paullatim aristocratiae schema indueret. Sane id consilium non celauit, sed ingenuo professus est Appius Claudius, dum obiurgatus a Valerio ob callida illa plebem opprimendi consilia, his se verbis defendit: *Ἃ δὲ εἰς χαλεπότητα, καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων προστασίαν ὀνειδίζει μοι, μισόδημόν τε καὶ ὀλιγαρχικὸν ἀποκαλῶν, ὅτι* ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΙΑΣ *περιέχομαι, κοινὰ πάντων ὑμῶν ἐστι κατηγορήματα: Quod autem*

autem me difficilem adpellauit, & malorum hominum antesignanum, infensumque plebi, & paucorum potentiae studiosum, quod ARISTOCRATIAM *tuear: communia mihi vobiscum sunt crimina.* Dionys. Halicarn. *Lib. VI. cap. 62.*

§. XIV.

Qualis tunc Iuris Romani facies?

Iam quae ab eo tempore fuerit iuris Romani facies, paucis ita describit Pomponius: *exactis deinde regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleuerunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure & consuetudine ali, quam per latam legem; idque prope VIginti * annis passus est. l. 2. §. 3. D. de orig. iur.*

* Non congruit annorum numerus, si legas VIGINTI. Nam ab exactis regibus ad conditas XII. tabulas non viginti, sed sexaginta fere anni elapsi sunt: ut probabile sit, primam syllabam VI. majusculis litteris expressam signum numeri senarii fuisse, adeoque legendum esse SEXAGINTA: Bynkershoekii *Praetermiss. ad l. 2. D. de orig. iur. pag. 237. edit. nou.*

§. XV.

Leges regiae adhuc pro moribus valebant.

Enimuero id denuo non ita accipiendum est, ac si interiecto tempore exleges vixerint Romani. Potius quum *ius incertum legi latae* opponat Pomponius (§. 2.) sensus est, leges regias non amplius, tamquam ius scriptum, sed, tamquam mores maiorum & consuetudines patrias, viguisse. Tantum enim abest, vt leges, olim a regibus latae, vel populi scito abrogatae sint, vel non vsu exoleuerint, (quod iam refellit Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. I. cap. 4. pag. 61. edit. nou.*) vt permultas a primis coss. confirmatas esse, quasdam & in ipsas XII. tabulas migrasse satis constet *.

* Dionys. Halicarn. *Lib. V. cap. 2.* Τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων τοὺς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, φιλανθρώπους κ̀ δημοτικοὺς εἶναι δοκοῦντας, οὓς ἅπαντας κατέλυσε Ταρκύνιος, ἀνενεώσαντο: *Leges Tullii, de contractibus, humanas admodum & populares, quas in vniuersum Tarquinius sustulerat, reuocarunt in vsum.* Et paucis interiectis: Καὶ τἄλλα πράττειν, ὅσα κατὰ τοὺς προτέρους ἐθισμοὺς ἔπραττον, ἀπέδοσαν: *ceteraque omnia secundum priscas consuetudines facere permiserunt.* Non ergo valebant amplius leges regiae, tamquam ius scriptum, nisi quatenus de nouo legibus sacratis essent firmatae. Et hinc *ius patriae potestatis*, quod ex ipsius Romuli legibus esse, obseruauimus, (§. 8.) MORIBVS *esse receptum*, testatur Vlpianus *l. 8. D. de his, qui sui vel al. iur.*

§. XVI.

Hinc ius Papirianum.

Et quis, quaeso, dubitet, quin post Tarquinii etiam exsilium legum regiarum vsus haud exiguus fuerit, quum iisdem temporibus eas singulari opere collegerit C. PAPIRIUS *? Sane si nullus plane earum legum superfuisset vsus, eas colligendo maximas nugas egisset Papirius. Ius istud PAPIRIANUM, quod SEXTO potissimum *libro* leges *ciuiles*, reliquis *sacras* comprehendisse videtur, *l. 2. §. 2. D. de orig. iur.* luculento commentario illustrauerat GRANIVS FLACCVS, *l. 144. D. de verb. signif.*

* Huius CAII PAPIRII meminit Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. III. cap. 59.* additque, eum Numae leges post Ancum regem in vsum reuocasse, tanquam pontificem maximum. Non ergo SEXTI praenomen habuit ille iuris Papiriani auctor, sed *sexto libro* comprehendit leges ciuiles, idque vel inde probatur, quod Cuiacius se in codice MSC. legisse testatur *in libro VI. Papirii*: vt facile

cile

cile nota numeri senarii in praenomen mutari potuerit. Non magis verum est PVBLII praenomen, quod occurrit in eadem *l.* 2, §. 36. *D. eod.* adeoque & ibi errauit Pomponius, nisi legere malis *un primis peritus publici iuris Papirius.*

§. XVII.

Cuius interpres Granius Flaccus.

GRANIVS ille FLACCVS, de cuius gente & libris quaedam non vulgaria obseruauit Ludou. Carrio *Emendat. Lib. I. cap.* 4. Iulio Caesari fuit *σύγχρονος*, ceu ex Censorino *de die nat. cap.* 3. obseruauit Dukerus *de Latinit. vet. ICtor. pag.* 156. Laudat enim ibi Censorinus *Granii Flacci librum, quem ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit.* Idem ergo videtur, cuius exstitit in ius Papirianum commentarius, qui tamen iam pridem haud leui iuris prudentiae incommodo periit *.

* Exstat fragmentum bene longum, quod ex ipso iure Papiriano citat Macrobius *Saturnal. Lib. III. cap.* 11. ex Granii vero Flacci potius commentario esse obseruauit Wesselingius *Obseru. Lib. I. cap.* 4. Immo ex eodem probabile est, Seruium & Festum depromsisse fragmenta legum regiarum, quae supra (§. 8. * & 9. *) attulimus. Nam ne illa quidem stilum redolere temporis, quo Romae regnatum est, notauit Io. Nic. Funccius *de puerit. Lat. linguae, cap.* 3. §. 5. *pag.* 224.

§. XVIII.

Quae deerant, edictis supplebant consules.

Pauciores tamen superfuisse leges regias, quam quae nouae rei publicae formae sufficerent, facile est ad intelligendum, idque ipse obseruauit Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap.* 1. dum scripsit: Τού-των δὲ τὰ μὲν πολλὰ τοῖς ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων ἀρεστῶδην ἐπιδεικνυμένων ἀκόλουθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς· κομιδῇ δὲ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα ἃ νόμων εἶχε δύναμιν: *Id ius maxima ex parte constabat virorum potestate praeditorum praeiudiciis, &* PERPAVCA *in sacris libris habebantur, quae legum vim obtinebant.* Hinc quemadmodum initio reges pleraque, de quibus leges scriptae non exstabant, MANV, (§. 3.) id est, propositis edictis, (§. 4.) GVBERNABANT: ita consules, non minore, quam reges, auctoritate praediti, (§. 13.) edictis tum pleraque moderabantur *.

* Rem luculenter eodem loco probat Dionysius, vbi diserte ait: Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ὑπατεύουσιν ἀνέκειτο τά τε ἄλλα, τῶν βασιλέων ἔργα, καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήποτε οὗτοι τὰ δίκαια διαιροῦντες ἦσαν: *imperio regio cessante, eoque ad annuos magistratus translato, inter cetera regia officia iuris quoque cognitio ad eos translata est, atque illi, lite quacumque de caussa inter aliquos orta, iura reddebant.* Postea obseruat ea, quae constituissent, postea, tamquam translatitia, seruata esse a successoribus: vt ne dubitari quidem posse videatur, quin de edictis consularibus loquatur Dionysius.

§. XIX.

Tribunorum plebis origo & potestas.

At his consulatus luminibus non parum offecit noua potestas TRIBVNORVM PLEBIS, anno ab exactis regibus decimo sexto creatorum a plebe, per truculentiam patriciorum ad seditionem consternata, quum, facta in montem sacrum secessione, patribus & id nouum libertatis praesidium, & *leges sacratas* * extorsisset. Liuius, *Lib. II. cap.* 32. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 9. *ex.* 7. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 23.

cap. 23. His enim creatis, initio numero quinque, postea decem, Liu. *Lib. III. cap.* 30. patres non modo sua de constituenda aristocratia consilia valde turbata, sed & legislatoriae potestatis partem non minimam in plebem translatam esse non sine indignatione animaduerterunt.

* *Sacratae* dicebantur hae leges, quia iis erat sancitum, vt si quis aduersus illas fecisse diceretur, alicui deorum cum familia pecuniaque sua SACER esset. Festus, *in voce*: *Sacrata*. Hinc alibi, vbi de *sacro homine* differit, adducit veterem formulam: SI QUIS EVM, QUI EO PLEBISCITO SACER SIT, OCCIDERIT, PARRICIDA NE SIT. De legibus sacratis tum latis adcurate egit Car. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. I. cap.* 6. *pag.* 26. de aliis tali sanctione poenali munitis Radulph. Forner. *Rer. quotidian. Lib. VI. cap.* 15. *pag.* 295. *seqq. Thesaur. iur. civ. Tom. II.* Non enim hae tantum, sed omnes simili sanctione munitae, leges SACRATAE vocantur. Perizon. *Animadu. histor. pag.* 418. *sequ.*

§. XX.

Ex eo tempore frequentissimi ac paene quotidiani esse coeperunt furores tribunicii, non modo aduersus impotentem patrum dominationem, sed & ad euertendam aristocratiam, quam senatus adfectabat. Quin nouas iam rogationes quotannis ferebant ad plebem, quas haec, tanquam ad minuendam patrum auctoritatem comparatas, tributim facile ratas habebat, nisi vnus vel alter tribunorum plebis reliquis collegis intercederet. Liu. *Lib. IV. cap.* 49. *Lib. VI. cap.* 35. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap.* 37. Quaecumque vero plebs, plebeio illo rogante magistratu, constituerat, PLEBISCITA vocabantur. §. 4. *Inst. de iure nat. gent. & ciuil.* quemadmodum leges proprie dictas, id est, a toto populo latas POPVLISCITA eleganter vocat Cornelius Nepos *Alcibiad. cap.* 5.

Plebiscita ab iis rogata.

§. XXI.

Quo frequentius itaque plebiscita condebantur, eo rariores erant LEGES, ut post illas a Iunio Bruto, primo Consule, latas, & aliquot Valerias & Publilias non alia fere memoretur, quam ATERIA TARPEIA, anno V. C. 300. comitiis centuriatis perlata, qua cautum, ut liceret omnibus magistratibus, *τοὺς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν αὐτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. τὸ μέντοι τίμημα οὐκ ἐπὶ αὐτοῖς ζημιοῦσιν, ὁπόσον εἶναι δοκῇ, κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα*: *suae potestatis laesae reos mulctare: mulctae tamen modus non mulctantium arbitrio relictus esset, sed ab ipsis praefinitus, ne scilicet mulcta, quantumuis grandis, duos boues & triginta oues excederet* *. Dionys. Halic. *Lib. X. cap.* 57.

Lex Ateria Tarpeja.

* Ita hanc legem describit Dionysius: at plura tamen de illa notanda sunt ex aliis auctoribus. Nam primo satis probabile est, pro *δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα* inuerso ordine legendum esse *δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας*. Quum enim minor ouium, quam boum prouentus esset: Festus *in voce*: *Peculatus*: diserte scribit: *ante aes aut argentum signatum, ob delicta poena grauissima erat* DVARVM OVIVM & TRIGINTA BOVM. Deinde, quum haec poena ante aes signatum exigi consueuerit, aes autem Romae primum signauerit Servius Tullius rex: Plin. *Hist. nat. Lib. XVIII. cap.* 2. *Lib. XXXIII. cap.* 3. unusquisque videt, hunc mulctae modum non primum hac lege, sed iam inde ab antiquissimis temporibus suisse definitum. Hinc vir doctis-

ctiffimus, Jo: Koolius, Vltraiectinus, libello singulari *ad legem Ateriam Tarpeiam, cap. 2. pag. 1507. Thesaur. iur. ciu. Tom. V.* obseruat, duo potissimum hac lege sancita fuisse, primum vt omnibus magistratibus fas esset multare eos, qui sibi non obtemperent: quum antea id ius soli consules habuissent: Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap. 57.* alterum, vt numerum ouium boumque certa pecunia, & quidem ouem aeris denis, bouem centenis redimere liceret. Gell. *Noct. Att. Lib. XI. cap. 1.* Festus *in voc. Aestimata, Ouibus, Multa.* An vero & modus hic ea lege primum definitus sit, ut multa duas oues & triginta boues non excederet, merito dubitat ob locum Festi *in voce: Peculatus*, ex quo hunc poenarum modum iam ante aes signatum obtinuisse vidimus. Ceterum ex hac lege nata postea esse videntur edicta praetoris: SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT, *l. 1. D. si quis ius dic. non obtemper.* itemque: SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, QVVM EVM IRE OPORTERET, VT IS IN MVLCTAM PRO IVRISDICTIONE MAGISTRATVS CONDEMNETVR. *l. 2. pr. & §. 1. D. si quis in ius voc. non ierit.*

§. XXII.

Lex Terentilla de legibus scribendis.

PLEBISCITA vero, quae ex eo tempore multo frequentius condebantur, pleraque magis ad ius publicum, quam ad priuatum, pertinebant. Quum vero consules tantum non regiam majestatem adfectarent; tribuni plebis eamdem perpetuis concionibus impugnarent; adeoque neutra pars alteri potestatem ferendi leges concederet: misera fuit iuris conditio tantisper, dum ferocissimus tribunorum anno V. C. 293. ad plebem ferret, *ut quinque viri crearentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se ius dederit, eo consulem vsurum.* Liu. *Lib. III. cap. 9.* Quin, *&, vt iuri de omnibus negotiis, publicis aeque, ac priuatis, scribendo decemuiri crearentur.* Dionys. Halic. *Antiqu. Lib. X. cap. 3.*

§. XXIII.

SC. de legatis in Graeciam mittendis plebiscito firmatum.

Magna haec ac diuturna seditionum materia, nec patribus plebi, nec hac illis quidquam concedere volentibus. Denique anno V. C. 300. auctore T. Romilio in legis Terentillae sententiam factum est SC. vt legati mitterentur in Graeciam, qui describerent Graecarum ciuitatum leges, ex quibus deinde DECEMVIRI LEGIBVS FERVNDIS, extra ordinem creandi, corpus aliquod Romanarum legum conficerent. Quod SC. deinde, rogante Sicinio, tribuno plebis, plebiscito firmatum est. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap. 57. seqq.*

§. XXIV.

Ii in Graeciam missi leges descripserunt.

Missi itaque eodem anno in Graeciam legati, non decem, vti apud Pomponium in *l. 2. §. 4. D. de orig. iur.* est, cuius textum tamen leui verborum traiectione emendat Bynkersh. *in Praetermiss. pag. 238. edit. nou.* sed tres, SP. ALBVS, A. MANLIVS VVLSO, & SER. SVLPICIVS CAMERINVS, qui insequente anno magnam inde retulerunt peregrinarum legum farraginem, quae postea praecipuus fuit fundus legum XII. tabularum *. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Lib. X. cap. 60.* Liu. *Lib. III. cap. 31.*

* A quibusnam vero ciuitatibus petierunt leges? ATHENAS exprimit Liuius *Lib. III. cap. 31.* attamen *& alias Graeciae ciuitates* addit. Contra *accita esse, quae vsquam egregia*, obseruat Tacitus *Annal. Lib. III. cap. 27.* quod ad Grae-

Graecas vrbes, quae erant in Italia, id est, ad Magnae Graeciae ciuitates restringere videtur Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap.* 58. & 61. De Lacedaemone adhuc sub iudice lis est, vnde leges quasnam petitas esse adfirmant Plin. *Epist. Lib. VIII. epist.* 24. Athen. *Deipnosoph. Lib. VI. cap.* 21. & Ammian. Marcell. *Lib. XVI. cap.* 5. negant contra Augustinus *de ciuit. Dei Lib. II. cap.* 16. Galuan. *de vsufr. cap. 6. num.* 5. quorum sententia vel ideo verosimilior est, quod Spartae describi nihil legum potuit, quum Lycurgi ῥῆτραι litteris mandatae non essent, ceu obseruant Plutarch. *in Lycurgo, pag.* 47. & Schol. Graec. *in Lucian. Tomo I. pag.* 26. Add. Eu. Otton. *praef. Tomi III. Thesauri iur. ciu. cap. 3. pag. 7. seqq.*

§. XXV.

Legatis cum illa legum farragine Romam reuersis, creati sunt DECEMVIRI legibus ferendis, quorum veluti antesignanum APPIVM CLAVDIVM fuisse constat. Et hi quidem summum, quod acceperant, imperium initio tanta moderatione animi administrabant, vt paene populares viderentur, simul per ocium componebant X. tabulas, interprete vsi HERMODORO, viro prudente, Epheso tum exsule, statuamque ob nauatam illam Decemuiris operam merito, teste Plinio *Hist. nat. Lib. XXXIV. cap.* 5. *

Ex quibus potissimum compilatae leges XII. tabularum.

* HERMODORVM illum Ephesium vrbe sua expulerant ciues per ostracismum, non crimine vllo exsilium istud meritum, sed virtute, qua ceterorum ciuium suorum luminibus officere videbatur. Quod consilium adeo damnauit Heraclitus philosophus, vt diceret, ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀποθανεῖν πᾶσι, καὶ τοῖς ἀνήβοις τὴν πόλιν καταλιπεῖν, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἑωυτῶν ὀνηϊστὸν ἐξέβαλον, λέγοντες, ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνηϊστὸς ἔστω· εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων: *merentur Ephesii omnes adulti mori, impuberibusque vrbem derelinquere, quoniam Hermodorum, suum benefactorem, expulerunt, dicentes: nostrum nemo meritis excellat, quoniam si quis erit talis, alibi degat, & cum aliis.* Diog. Laert. *Vit. philos. Lib. IX. segm.* 2. Cic. *Tuscul. quaest. Lib. V. cap.* 36. Exstat praeterea *epistola*, quae inter Heracliteas tertia est, in qua per somnium se vidisse ait, ad Hermodori leges vniversi orbis diademata accedere, & ex Persarum more, ἐγκλίνοντας τὸ στόμα προσκυνεῖν αὐτούς, *ore obuoluto eas adorare*. Immo addit, Sibyllam cum alia plurima, tum id quoque vaticinatam esse:

Ἐξ Ἰάδος γαίης ἥξειν σοφὸν Ἰταλιητῶν
Venturum Ionia sapientem ex vrbe Latinis.

Vid. Stanleii *Histor. philos. Parte VIII. cap. 3. pag.* 832. Sed fungus sit, qui fucum non videat. Non sane ipse has leges scripsit Hermodorus, quod Strabo *Lib. XIV. pag. 951. edit. nou.* velle videtur, sed, vt Pomponius *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* scribit, *auctor decemuiris fuit ferendarum legum*, id est, vt ego interpretor, consilio illos iuuit, & obscuriora interpretatus est. Quamobbrem illum *decemuirorum interpretem* vocat Plinius *Hist. nat. Lib. XXXIV. cap.* 5. Et quis, quaeso, dubitet, quin illis opus fuerit interprete, nulla Graecae sapientiae cognitione imbutis? Falluntur etiam, qui et Iustinianum verbis *l.* 2. §. 19. C. *de vet. iur. enucl. hasce itaque leges & ADORATE, & obseruate*, ad illud Heracliti somnium alludere, & pontificem *cap. 5. X. de praescript.* Hermodoro *Ephesini legislatoris* elogium tribuere contendunt. Maran. *de aequit. pag. 15. Tom. I. Opp. edit. nou. Ephesinus* enim *legislator* ibi est Theodosius Imp. qui concilium Ephesinum indixit, Ciron. *Obseruat. Lib. I. cap.* 15. Euer. Otto *praefat. Tom. III. Thes. iur. ciu. cap. 1. pag.* 4. quemque praescriptionis tricennalis auctorem esse, praeclare docuit Gonzal. Tellez *Tomo II. Part. II. pag.* 678. vt mirum sit, virum doctissimum postea cum Io. Savarone *ad Sidon. Epist. Lib. VIII. epist.* 6. pro *Ephesinus* rescribi iubere *Eugenius legislator*.

§. XXVI.

Priores has tabulas anno V. C. 303. promulgatas prius populo, & cen-

Quarum decem initio propositae.

centuriarum suffragiis, more maiorum probatas, tabulis, siue *eboreis*; *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* siue *roboreis*, & paucis annis post *aeneis* inciderunt, Liu. *Lib. III. cap.* 7. & pro ROSTRIS, (id est, eo loco, cui postea, circumactis plus quam centum annis nauium Antiatium rostra suffixa nomen fecerunt, Plin. *Hist. nat. Lib. XVI. cap.* 4. Liu. *Lib. VIII. cap.* 14. Flor. *Lib. I. cap.* 11.) publice proposuerunt, Liu. *Lib. III. cap.* 34. & 57. Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap.* 66. *l.* 2. §. 4. *D. de orig. iur.* sparso simul rumore, duas adhuc tabulas illi corpori ad perfectionem deesse. Liu. *Lib. III. cap.* 34.

§. XXVII.

Postea, additis duabus reliquis, imperium abrogatum decemuiris.

Quum vero deinde in tyrannidem abiret illud decemuirale imperium, ac proinde populus magno duarum reliquarum tabularum desiderio teneretur: Appii Claudii libidine, & iniquitate * factum est, ut insequente anno 304. magistratu se abdicare cogerentur decemuiri, publicatis tamen prius duabus, quae deesse dicebantur, tabulis. Dionys. Halicarn. *Lib. X. cap.* 69. Liu. *Lib. III. cap.* 37. Itaque tota illa legislatio XII. constitit tabulis, *fonte uniuersi publici priuatique iuris*. Liu. *Lib. III. cap.* 34.

* Nihil maiorem decemuiris inuidiam concitauit, quam Appii iniquitas, qui alienato in libidinem animo, vt Virginia puella quantocyus potiretur, contra suam ipse legem vindicias secundum seruitutem decernere non dubitauerat. Inde enim maxima seditio, inde caedes Virginiae vel potius parricidium, inde motus castrensis, denique Appii carcer, omniaque ad plebis voluntatem instituta, quae fusius exsequitur Liu. *Lib. III. cap.* 43. *sequ.*

§. XXVIII.

In iis tamen & leges regiae moresque patrii.

Neque tamen ex solis peregrinis legibus nouum istud legum Romanarum corpus confectum est *, sed & ex legibus patriis plura in illud migrarunt, ceu iam supra exemplo patriae potestatis ostendimus. (§. 15. *) De lege, quam de patronis & clientibus tulerat Romulus, idem adfirmat Servius *ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. v.* 622.; de quibusdam Numae institutis Festus, *in voce: Murrata*. Quapropter & Dionys. *Lib. II. cap.* 28. monet, leges regias in XII. tabulis exstitisse, & *Lib. X. cap.* 66. generatim docet, leges illas decemuirales, compositas esse *ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν ἀγράφων ἐθισμῶν*, *tum ex Graecorum iure, tum ex patriis eorum consuetudinibus*. Non mirum itaque est, Romanos, excisa a Gallis vrbe, leges etiam regias vna cum XII. tabulis per Italiam conquisiuisse. Liu. *Lib. VI. cap.* 1.

* Non leuem quorumdam reprehensionem incurrunt Romani, quod peregrinas leges adsciuerint, quum non omnes leges omni quadrare rei publicae ex ciuilis prudentiae principiis notissimum sit. At *primo* non omnes illae leges peregrinae fuerunt: sed plerisque iam pridem sua Romae constitit auctoritas. *Deinde* non sine delectu ex illa Graecarum legum farragine corpus quoddam informe & sibi dissimile, composuerunt decemuiri, sed, prudente adhibita ἐκλογῇ ea tantum, quae concinna rei publicae suae videbantur, in tabulas illas retulerunt. *Tum porro* non omnes leges peregrinas seruabant integras, sed eas, prout e re esset, emendabant, suaeque ciuitatis accommodabant moribus, ceu ad oculum patebit, si quis leges Atticas cum Romanis contulerit, quod praeter alios fecit Pard. Prateius *in Iurisprud. vete-*

re,

re, *Tomo IV. Thes. iur. ciu.* Denique in tanta patrum plebisque aemulatione ipsam necessitatem Romanis id consilium extorsisse satis patet ex oratione Romilii apud Dionys. Halicarnass. *Lib. X. cap.* 58. vt iam non dicamus, & alias gentes peregrina instituta non adspernatas esse. Lycurgum enim e Cretensibus leges suas accepisse, docet Plato *in Minoe*. Charondae quoque & Zeleuci leges non nisi exterorum institutorum συλλογὴν quamdam fuisse, observant Diodor. Sicul. *Biblioth. Lib. XII. cap.* 11. & Strabo *Lib. VI. pag.* 398. Quin prudentiam Romanorum, quam adsciscitis exterorum institutis ostenderunt, mirifice laudat Sallust. *in Bell. Catilin. cap.* 51.

§. XXIX.

Leges XII tabb. constante vsu viguerunt.

Leges illae XII. tabularum, scriptae quidem verbis antiquis, ac proinde posteris paullo obscurioribus, Horat. *Lib. II. Epist.* 1. Seneca *Epist.* 114. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 12. Symmach. *Epist. Lib. III. epist.* 44. non tamen in metrum vel carmen umquam redactae sunt *. Eu. Otto *praef. Tomi III. Thesaur. iur. ciu. cap.* 1. *pag.* 5. Viguerunt postea constante vsu, & multis iuris nostri capitibus dederunt originem, adeo vt Ciceronis tempore, qui iuris prudentiae dare vellent operam, ipsa verba *tamquam carmen necessarium* ediscere cogerentur. Cicero *de legib. Lib. II. cap.* 23.

* Vocantur quidem hae leges CARMEN, veluti apud Ciceronem loco paullo ante laudato. Sed *carmen* de quibusuis verbis conceptis, etiam prosaicis, vsurpatur. Sic apud Liuium *Lib. III. cap.* 64. reperimus *rogationis carmen*: & *Lib. X. cap.* 38. *dirum exsecrationis carmen*, denique apud Ciceronem *pro Muraena, cap.* 12. formula: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM vocat *carmen compositum*. Eodem modo & Graeca vocabula μέλος, ὕμνος, ᾠδὴ de soluta oratione usurpari, ostendit Gisbert. Cuper. *Obseru. Lib. II. cap.* 10. *pag.* 319. *sequ.*

§. XXX.

An illis derogatum per legem Aebutiam?

Quum tamen quaedam in illis rigidiores priscorum mores redolerent: detersa paullatim illa vitae austerioris rubigine, populus capita quaedam abrogasse dicitur lata lege AEBVTIA. Id enim plerique colligunt ex loco Gellii *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 10. Videri potest, qui de ea lege operosissime egit, Abr. Wielingius *de furto per lanc. & lic. concepto, cap. 6. pag. 94. seqq.* Tamen & aetas & ipsa legis istius sententia incertissima manet.

* Attulerat Charondas *ad Udalr. Zasii Catalogum legum* monimentum, ex quo, si genuinum esset, lex illa posset mirifice illustrari:

L. AEBVTIVS. TR. PL. VIR. POPVLARIS. LEGEM. TVLIT. AD. POPVLVM. VT. XII. TABB. CAPITA. QVAE. INVTILIA. ESSENT. REIP. TOLLERENTVR. QVAE. LEX. MVLTIS. CONTRADICENTIBVS. TANDEM. ROGATA. EST.

Sed vereor, ne a falsaria manu sit totum istud monimentum, miror que, laudatissimum Wielingium id non obseruasse. Locus Gellii satis obscurus est. Ait enim auctor: *sed enim quum proletarii, & Assidui, & Sanates, & vades, & subuades, & viginti quinque asses, & taliones, furtorumque quaestio cum lance & licio euanuerint, omnisque illa XII. tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumuralium caussarum, LEGE AEBVTIA lata, consopita sit: studium scientiamque ego praestare debeo iuris & legum, vocumque earum, quibus vtimur*. Ex eo enim Gellii loco alii colligunt, centumurale iudicium institutum esse Aebutia, vti Siccama *de centumural. iudic. cap.* 1. *num.* 8. alii, legem Aebutiam tantum ad vocabula antiqua pertinuisse, contendunt, vti Paull. Busius *Subtil. Lib. II. cap.* 1. & Eu. Otto *praef. Tomi III. Thesaur. iur. cap.*

cap. 9. *pag.* 44. Sed quum de solis vocabulis legem latam esse vix sit verosimile: ego quidem adsentiri malim Paullo Manutio *de legib. cap.* 16. quaedam legum XII. tabularum capita hac lege abrogata esse, existimanti, maxime quum Gellii verba alium sensum admittere vix videantur.

§. XXXI.

Commentarii in legem XII. tabularum scripti.

Quin perpetuo fere vsu viguisse has leges, vel id argumento est, quod eas commentariis suis certatim illustrarunt iurisconsulti veteres, SEX. AELIVS, L. ACILIVS, L. AELIVS, (non *Laelium*, uti vulgo scribunt, Turneb. *ad Cic. de legib. Lib. II. cap.* 23.) MESSALLA, ANTISTIVS LABEO, SER. SVLPICIVS, CAIVS, fortassis etiam ATEIVS CAPITO *, quem Plin. *Hist. nat. Lib. XIV. cap.* 13. cum Scaeuola & L. Aelio coniungit.

* Attamen quum Plinius nomen tantum auctorum, non librorum, exprimat: an in leges XII. tabularum scripserit Capito, aeque incertum est, ac quod de SERV. SVLPICIO, C. AVLO OFILIO, VALERIO MESSALLA fertur. Schubart. *de fatis iurispr. Rom. Exerc. II. p.* 255. Eu. Otto *praef. Tom. III. Thesaur. iur. pag.* 47. *seqq. & de Seruio Sulpicio, cap.* 7. §. 3. *pag.* 1598. *Tom. V. Thesaur. iur. ciu.*

§. XXXII.

Earum interitus,

Quamvis vero permultis saeculis canescerent duodecim istae tabulae, & Cyprianus *Epist. Lib. II. epist.* 2. suo adhuc aevo eas publice extitisse, innuat, quin saeculo VI. integrae procul dubio superfuerint in CAII *Dodecadelto*, ex quo fragmenta non pauca in Digesta relata animaduertimus *: periere tamen illae in ista rerum perturbatione, quam barbarorum irruptio in prouincias Romanas inuexerat, praeter paucissima, quae passim apud veteres scriptores supersunt, fragmenta. Ritthersh. *Dodecad. proleg. cap.* 5. *pag.* 13.

* Fragmenta ex CAII δωδεκαδέλτῳ supersunt tantum sequentia: *l.* 1. *D. de orig. iur. l.* 18. *l.* 20. *l.* 22. *D. de in ius voc. l.* 6. *D. si quis caut. in ind. sist. fact. non obtemperau. l.* 2. *l.* 4. *D. de arb. furt. caes. l.* 48. *D. de pact. l.* 43. *D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 9. *D. de incend. ruin. naufr. l. vlt. D. de colleg. l. vlt. D. fin. reg. l.* 3. *D. de litigios. l.* 19. *D. de vsuc. l.* 233. *l.* 234. *l.* 235. *l.* 236. *l.* 237. *l.* 238. *D. de verb. signif.* Quumque fragmenta ista ex omnibus, quos CAIVS scripserat, commentariorum libris depromta sint: opus illud integrum superfuisse oportet temporibus Iustiniani, adeoque & leges XII. tabularum, quarum ipsa verba κατὰ πόδα iureconsultus ille interpretatus est.

§. XXXIII.

Et restitutio.

Quamobrem nihil reliqui fecerunt viri docti, vt opus insigne, &, iudice Cicerone *de orat. Lib. I. cap.* 44. *omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendum*, pristinae integritati, quoad eius fieri posset, restituerent. Longum eorum catalogum texunt alii *: sed notasse sufficiet, omnium industriam superasse ICtum eximium, IAC. GOTHOFREDUM, qui in *Fontibus quatuor iuris ciuilis*, *Tomo III. Thesauri iur. ciu.* recusis, non modo fragmenta omnia cum cura collegit, eaque a iureconsultorum interpretamentis cum cura seiunxit, sed & in qua unumquodque tabula positum fuerit, ostendit, omniaque & ex fontibus ipsis probauit, & notis illustrauit bonae frugis plenissimis.

* Con-

* Congesserunt legum decemviralium fragmenta ex veterum monimentis IVSTVS LIPSIVS & FRANC. PITHOEVS. Eadem interpretati sunt FRANC. BALDVINVS, FRANC. HOTOMANVS, IAC. RAEVARDVS, ANT. AVGVSTINVS, THEOD. MARCILIVS, PAVLLVS MERVLA, PARD. PRATEIVS, CONTIVS, CHARONDAS, RITTERSHVSIVS, AYMARVS RIVALLIVS, CLAR. SYLVIVS, RIC. VITVS, BASINSTOCHIVS, JAN. VINCEN. GRAVINA, & alii. Sed nemo paria fecit GOTHOFREDO, qui non contentus collegisse fragmenta, eaque qualicumque ordine explicasse, ipsas XII. tabulas ordini integritatique suae restituere primus conatus est. Quamuis ne hunc quidem eximium virum omnia vidisse, aliquando etiam humani quid passum esse, exemplo non vno ostenderit Euerd. Otto *in praef. Tomi III. Thes. iur. ciu. cap.* 8. *pag.* 26. *seqq.*

§. XXXIV.

Ex hoc vero IAC. GOTHOFREDI quantiuis pretii opere patet, *primam* tabulam leges de in ius vocatione, & reliquis, quae in iure fiebant; *secundam* de iudiciis & furtis; *tertiam* de rebus creditis, & contractibus; *quartam* de iure patrio & connubiis; *quintam* de hereditatibus & tutelis; *sextam* de dominio & possessione; *septimam* de delictis & criminibus; *octauam* de iuribus praediorum; *nonam* de iure publico; *decimam* de iure sacro; *undecimam* & *duodecimam* reliquarum supplementa comprehendisse *. De quibus rebus singulis tabulis actum sit?

* IAC. GOTHOFREDVS singulas leges tum stilo vetere, quo eas scriptas existimat, sistit, quamvis eas, quarum ipsa verba legitima auctores veteres seruarunt, majusculis litteris distinguat) tum & nouam earum paraphrasin addit. Enimuero quum in repraesentanda vetere Latinitate iusto plus sibi indulgeat vir doctissimus: non sine fructu simul consuli poterit Io. NIC. FUNCCIVS *de pueril. Lat. Linguae, cap.* 4. §. *sequ. pag.* 260.

§. XXXV.

Postremo obseruandum, harum legum fragmenta insignem vtilitatem adferre posse iuris studiosis. Inde enim iurium multorum origines, inde Pandectarum & Codicis, ipsiusque Edicti perpetui ordinem, eiusque rationem, inde multarum actionum naturam atque indolem intelligent. Fueruut ergo, qui iurisprudentiae studium a XII. tabulis auspicandum esse monerent. Vid. V. C. Eu. Otto *praefat. Tomi III. Thesaur. iur. ciu. cap.* 9. *pag.* 44. Ego illis tantum, qui erectioris ingenii impetu ad interiorem sapientiae ciuilis cognitionem adspirant, auctor sum, ut sibi familiares reddant has tabulas. Reliquis enim, qui cruda studia propellere in forum, & ea tantum, quae πρὸς τὰλφιτα sunt, addiscere properant, adclamari satius fuerit: Earum utilitas.

Procul, o, procul este, profani.

CA-

CAPVT III.

DE STATV IVRIS ROM. POST XII. TABB. AD TEMPORA AVGVSTI.

§. XXXVI.

Cur post XII. tabulas tot nouae leges conditae?

ITa sane perfectum, fuisque absolutum numeris videri potuit illud legum Romanarum corpus. Sed laborauit res publica formae vitio, tam quippe male temperata, ut non posset non perpetua inter patres, & plebem gliscere aemulatio. Siue ergo interpretandae, siue negotiis quotidie obuenientibus adplicandae essent leges: eam potestatem sibi vindicabant hinc patres, illinc tribuni plebis, qui nihil faciebant reliqui, vt patriciorum regnum euerterent. Quod non potuit non legum Romanarum numerum mirifice amplificare *.

* Recte ac prudenter Tacitus *Annal. Lib. III. cap. 27. corruptissima re publica plurimae leges*. Est enim corruptissima res publica, quoties plurimi in ciuitate nouis rebus student. Id status praesentis taedium, studiumque nouarum rerum efficit, vt homines turbulenti quotidie de nouis ferendis legibus cogitent. Quotidie ergo nouae leges feruntur, adeoque *corruptissima re publica plurimae leges*. Quod obseruauit etiam Isocrates, *Areopagit. pag. 292.* negans eos esse εὐπολιτευομένους, qui videant τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, *porticus litteris impleri*: (solebant enim Graeci leges tabulis incisas in porticibus proponere), sed *apud quos animo inscriptae leges circumferantur a ciuibus*. Denique & Plato *apud* Strabonem *Geograph. Lib. IV. pag. 309. edit. nou.* ait: ὅτι παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, καὶ δίκαι παρὰ τούτοις καὶ βίοι μοχθηροί. καθάπερ καὶ παρ' οἷς ἰατροὶ πολλοὶ, καὶ νόσους εἰκὸς εἶναι πολλάς: *apud quos plurimae sunt leges, apud hos etiam lites esse, & malos mores: sicut morbi soleant esse multi, vbi multi sint medici*.

§. XXXVII.

Plebs nouis plebiscitis pleras que praerogatiuas patribus extorsit.

Quod vt eo rectius intelligatur, sciendum, tribunos plebis in rostris esse dominatos, eosque, quoties, patres altiora spirare, animaduerterint, plebem turbulentis concionibus aduersus patres concitasse, & sic fere quotannis noua PLEBISCITA de statu rei publicae mutando emendandoque, & plebis commodis augendis * fuisse perlata. Hoc modo sane tribuni plebis cum alias praerogatiuas, tum praecipue *honores*, *sacerdotia*, *& ius connubii*, immo & maximam *agri publici* partem paullatim extorserunt, effeceruntque, vt priora iura plebi cum patribus essent communia, agri vero publici subinde inter plebeios inopes diuiderentur.

* Ius connubii inter patricios & plebeios sancitum anno ab V. C. 309. LEGE CANVLEIA, de qua Liuius *Lib. IV. cap. 1. sequ.* Augustin. *de ciuit. Dei*, *Lib. III. cap. 17.* Honorum ius plebeii cum patriciis commune habere coeperunt ab anno V. C. 386. per LEGEM SEXTIAM, de qua Liu. *sub finem Libri VI.* Val. Max. *Lib. VIII. cap. 8. exemplo 3.* Auctor *de vir. illustr. cap. 20.* Denique & pontificarum aliaque sacerdoria promiscue patribus, & plebeiis dari plebs iussit LEGE OGVLNIA, condita anno ab V. C. 454. de qua Liuius *Lib. X. cap. 6.* At praecipua litium inter patres, & plebem LEGES AGRARIAE,

RIAE, de quibus vere Liuius *Lib. II. cap.* 41. ad ann. V. C. 268. *tum primum* LEX AGRARIA *promulgata est: numquam deinde vsque ad hunc memoriam sine maximis motibus rerum agitata*. De his adcuratissime egit Vir. Obrecht. *Diss. acad. VI. pag.* 109. *seqq.*

§. XXXVIII.

Sed initio non adeo faciles erant patres in potestate illa legislatoria plebi indulgenda. Hinc noua certamina: patribus non se, sed plebem plebiscitis teneri, non sine aequitatis specie contendentibus, plebe vero, vt & patres illis se subiicerent, acriter postulante. Liu. *Lib. III. cap.* 55. Quibus plebiscitis sese obligari negabant patres.

§. XXXIX.

Videbatur ei malo remedium inuentum anno ab V. C. 306. plebe iterum in montem sacrum secedente. Liu. *Lib. III. cap.* 52. Creati enim tum consules populares L. VALERIVS & M. HORATIVS legem rogarunt centuriatis comitiis, *vt, quod tributim plebs iussisset* *, *populum teneret*. Quam legem non sine offensione patrum perlatam esse, facile est ad existimandum, quum hi, quidquid plebis commodo sanciebatur, id suis decedere opibus credebant. Liu. *Lib. III. cap.* 58. Dionys. Halicarn. *Lib. XI. cap.* 49. Quod tamen cautum primum lege Horatia;

* IVBERE & SCISCERE dicebatur populus vel plebs, magistratus vero FERRE, ROGARE, & PERFERRE. Io. Fridr. Gronou. *ad Liu. Lib. X. cap.* 23. Non satis ergo Latina est phrasis, qua tres uiri, *Institutionum* auctores, vsi sunt §. 15. *Inst. de Lege Aquill. plebem Romanam, Aquillio tribuno rogante, hanc legem* TVLISSE, acriter ideo reprehensi ab Hotomano ad *d.* §. 15.

§. XL.

At ne haec quidem laetitia populo admodum fuit diuturna. Patres enim noua cauillatione plebiscitis iterum negabant obsequium, fortassis, quod se *populi* vocabulo comprehendi, negarent. Quo factum est, vt anno ab V. C. 416. Q. PVBLILIVS, dictator, noua, eaque admodum populari lege sanciret, *vt plebiscita* OMNES QVIRITES * *tenerent*. Liu. *Lib. VIII. cap.* 12. deinde Publilia;

* QVIRITIVM vocabulo patres non minus, quam plebeios comprehendi, numquam dubitatum. Iidem enim *Quirites* & *Romani*, §. 2. *Inst. de iur. nat. gent. & ciu.* Liu. *Lib. I. cap.* 13. quamuis de vocabuli origine parum inter auctores veteres conueniat. Vide praeter *d.* §. 2. & Liuium, Ouid. *Fastor. Lib. II. v.* 475. Sed quamuis domi omnes Romani communi *Quiritium* nomine venirent: ab eo tamen postea abhorruerunt milites, qui exauctorati censebantur, simul ac eos ita adloqueretur imperator. Sueton. *Iul. Caes. cap.* 70. Lamprid. *Alex. cap.* 53. *sequ.*

§. XLI.

At ne id quidem impediunt patres, quo minus plebem, legislatoriae potestati inhiantem, alio modo vlciscerentur, puta acerbitate iniquissimi foenoris. Qua calamitate plebs ad desperationem acta anno ab V. C. 465. in Ianiculum montem secessit, quumque ad comprimendam seditionem parum opis esse videretur in consulibus, ad vltimum, vt in re trepida, remedium deuentum est, vt dictator diceretur Q. HORTENSIVS *. Hic tempori cessit, & non modo plebem a foeneratorum denique Hortensia.

truculentia vindicauit, sed & insequente anno, lata noua lege adcuratius sanxit, *vt, quod plebs iussisset, omnes* QVIRITES *tenerent*. Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 27. §. 4. *Inst. de iure nat. gent. & ciuil.*

* Ridicula est Accursii glossa *ad d.* §. 4. legem Hortensiam *a quodam Hortensio rege latam esse*. Sed talia vbique in Glossa, vt misereri possis illius saeculi, quod doctores pedore & squallore horridos, pannis obsutos, semper illotos, semper intonsos, tamdiu perpessum est, vt loquitur Rupertus *ad Pompon. exhibit.*

§ XLII.

Ex eo tempore plebiscita vim nomenque legum adsumserunt.

Et ex eo demum tempore plebiscita perinde ac ipsae leges, iure optimo maximo valuerunt: quin & LEGVM vocabulum adsumserunt, ceu vel ex iure nostro patet, in quo commemorantur LEGES *Aquilia*, *Atilia*, *Falcidia*, *Atinia*, *Scribonia*, *Voconia*; & aliae, quas omnes non leges, sed plebiscita fuisse, constat *.

* Characterem, quo leges & plebiscita discerni possint, hunc nonnulli commendant, quod haec vnum nomen ferant, a tribuno plebis, qui plebem tum rogarit, illae ab vtroque consule, adeoque duplici nomine vocentur, veluti in iure nostro leges AELIA SENTIA, IVNIA NORBANA, IVLIA & TITIA, PAPIA POPPAEA, ceterae. Paull. Merula *de Leg. Roman. cap.* 24. Sed quamuis hoc se, vt plurimum ita habeat: sunt tamen & leges proprie sic dictae, quarum non nisi ab vno consule vel dictatore nomen est. Tales sunt, quas modo recensuimus HORATIA, PVBLILIA, HORTENSIA. Tales tot leges CORNELIAE, POMPEIAE, IVLIAE, quibus & FABIAM *de plagiariis* addimus, quod leges de iudiciis publicis raro solerent ab aliis, quam coss. vel dictatoribus, rogari.

§. XLIII.

Quid *lege agere* & *legis actio*?

Eadem fere LEGIS ACTIONVM fata fuisse deprehendimus, quae ALTERVM erant patriciorum peculium, quod veluti separatum a plebis rationibus diutissime retinuerant. De his quoque vt dicamus adcuratius: quicumque aliquid in iure rite faciebant, ii LEGE AGERE dicebantur. Sigon. *de iudic. Lib. I. cap.* 9. Hinc *lege agebant*, qui actione experiebantur *. Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 10. *pro Caecina, cap.* 12. *in Verr. II. cap.* 37. *l.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Valer. Max. *Lib. VII. cap.* 7. Plin. *Hist. nat. Lib. VII. cap.* 5. *lege agebant* lictores, dum colligabant manus, deligabant ad palum, virgis, securi, gladio in corpus rei saeuiebant. Liu. *Lib. XXVI. cap.* 15. & 16. Valer. Max. *Lib. III. cap.* 8. Seneca *de ira Lib. I. cap.* 16. At praecipue tamen postea id nomen retinuerunt actus voluntariae iuris dictionis apud magistratus, apud quos erat legis actio, sollemniter explicandi. *l.* 4. *D. de adopt.*

* Fieri enim & id oportebat rite & sollemniter, certis diebus, quibus magistratui fari licebat tria verba: DO, DICO, ADDICO, Cicero *pro Muraena*, *cap.* 11. certo ritu, qualis erat vetus ritus vindiciarum, certis denique formulis, ad quas adeo adstricti erant actores, vt ipsae actiones FORMVLAE vocentur, vt *formula iniuriarum* apud Sueton. *Vitell. cap.* 7. *damni dati formula*, apud Plin. *Epist. Lib. IX. epist.* 50. *formula de dolo malo* apud Cicer. *de offic. Lib. III. cap.* 13. Omnis ergo actio sollemniter & rite erat instituenda, adeo, vt qui in formula aberrasset, caussa caderet. Cic. *de inuent. Lib.*

Lib. II. cap. 19. Sen. *Epist. 49.* Quinctilian. *Inst. orat. Lib. III. cap. 6. §. 68.* Hinc Pomponius noster *l. 2. § 6. D. de orig. iur. Deinde*, inquit, *ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones*, NE POPVLVS PROVT VELLET INSTITVERET, *certas* SOLLEMNESque *esse voluerunt*.

§. XLIV.

Iam equidem, quo ritu, quibusve conceptis verbis lege agi oporteret, legibus XII. tabularum non fuerat expressum. At patricii, qui sibi iuris prudentiam obtentu iuris patronatus, tamquam gentilem possessionem vindicabant, (*Antiqu. nostr. Rom. Lib. I. tit. 2. §. 29.*) & pontifices, quales itidem tum soli patricii erant, certos commenti erant ritus, certas formulas, quibus tum voluntariae, tum contentiosae iurisdictionis actus explicarentur, quin & certi erant dies, quibus lege agere vel fas, vel nefas esset, quorumque fasti, a Numa Pompilio primum confecti, Liu. Lib. *I. cap. 9.* in pontificum custodia erant *. Cic. *pro Mur. cap. 11.* Et haec omnia LEGIS ACTIONVM nomine veniebant. — *Origo legis actionum.*

* Vere ergo haec omnia comparata erant ad tuendam pontificum patriciorum in ciuitate potentiam. Hinc patres initio haec *in latenti retinere studebant l. 2. §. 35. D. de orig. iur. interpretandique potissimum scientia & actiones apud collegium pontificum erant. l. 2. §. 6. D. eod.* Eoque non poterat non euenire, quod scribit Cicero *pro Muraen. cap. 11. erant in magna* POTENTIA, *qui consulebantur, a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis, petebantur*: & quod ille repetit *de orat. Lib. I. cap. 41. veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt*, OBTINENDAE atque AVGENDAE POTENTIAE SVAE *caussa peruulgari artem suam noluerunt*.

§. XLV.

Sunt ergo ACTIONES LEGIS quilibet actus, tum contentiosae, tum voluntariae iurisdictionis, apud magistratum, apud quem legis actio erat *, sollemni ritu, certisque formulis explicandi, quique & id proprium habebant, vt nec diem, nec conditionem, nec procuratorem admitterent. *l. 77. & l. 123. D. de reg. iur.* & a pupillis sine tutorum auctoritate non possent explicari. *l. 19. D. de auctor. tut.* — *Quid per illas intelligatur?*

* Elegans est coniectura Guil. Marani, qui *ad l. 77. D. de reg. iur. Tomo II. Opp. pag. 620.* LEGIS ACTIONES dictas esse putat, quae non nisi lege lata, adeoque apud populum explicari potuerint. Id enim saltim de adrogatione tradit Gell. *Noct. Attic. Lib. V. cap. 19.* de testamentis Iustinianus *pr. Inst. de testam. ord.* Postea tamen certis magistratibus eam facultatem datam esse specialibus legibus, vt apud eos esset legis actio, eoque facto pristinum nomen nihilominus mansisse.

§. XLVI.

Eadem erant ACTVVM LEGITIMORVM adfectiones, qui tamen, si adcuratius loqui velimus; (nam aliquando omnino promiscue accipiuntur, vti *l. 4. D. de adopt.* iuncta *l. 77. D. de reg. iur.*) a prioribus in eo differunt, quod & ipsi sollemniter quidem, adhibitisque certis formulis, nec tamen absciffe apud magistratum essent explicandi. Et tales erant *hereditatis aditio, serui optio, mancipatio*, nisi cum ces- — *Quid per actus legitimos?*

cessione in iure esset coniuncta; *acceptilatio*, & similes *. *l. 77. D. de reg. iur.*

* Errant ergo, qui haec confundunt, quum non vnum, sed multiplex inter actiones legis & actus legitimos discrimen sit, ceu ostenderunt Franc. Hotoman. *Quaest. illustr.* 33. *pag.* 226. & Guil. Budaeus *ad l. 4. D. de adopt.* Omnes actiones legis erant, & actus legitimi, quippe certo ritu certisque formulis explicandae: at hi non omnes erant actiones legis, quia non apud magistratum, sed priuatos intra parietes, explicabantur.

§. XLVII.

Omnia haec in latenti retinebant patricii.

Omnem hanc formularum, rituum, dierumque cognitionem patricii & pontifices, qui soli iuris prudentiam formulariam, tamquam auitam possessionem sibi retinebant, in latenti habebant *, vt plebs omnis a se penderet, ipsique rebus omnibus interessent. Sane neque actionem quisquam sine periculo instituere, neque adoptare, emancipare, similemve actum explicare poterat, nisi haec adiisset oracula, eique formulas, ritus, dies, tamquam ex tripode eloquuti essent isti Apollines. *l. 2. §. 6. D. de orig. iur.* Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 61.

* Liuius *Lib. IV. cap.* 46. diserte ait, *in pontificum penetralibus repositum fuisse ius ciuile, fastosque, ex quibus, quando lege agi posset, sciretur, plebi* ante Cn. Flauium *ignotos* mansisse. Idque & Cicero *pro Muraen. cap.* 11. testatur. Hinc mirae fraudes pontificum, fastos in gratiam vel odium quorumdam hominum pro lubitu turbantium, de quibus conquestus Ammianus Marcellinus *Lib. XXVI. cap.* 1. *haec nondum extentis fusius regnis, diu ignorauere Romani, perque saecula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora, vel augebant. Hocque ex coepto emerserunt alia plurima, quae fallebant, quorum meminisse nunc superuacuum puto.* Magis perspicua sunt illa Censorini *de die nat. cap.* 20. *quod delictum vt corrigeretur, pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusue fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnoue esset, plus minusue ex libidine interkalando, rem sibi ad corrigendum mandatam, vltro deprauarunt.* Eamdem pontificum fraudem notarunt Sueton. *Iul. Caes. cap.* 40. Solin. *cap.* 3. & Macrob. *Saturn. Lib. I. cap.* 14.

§. XLVIII.

Prodidit arcanum Cn. Flauius, vnde ius Flauianum.

Sed id quoque forense regnum euertit anno ab V. C. 449. CN. FLAVIVS, scriba, patre libertino natus, qui formulas istas cum fastis, ab Appio Claudio Caeco, cui tamquam scriba adparuerat, in codicem collectas publicauit, eoque munere tantam a populo gratiam iniit, vt aedilis crearetur *, *l. 2. §. 7. D. de orig. iur.* Liu. *Lib. IX. cap.* 46. Cicero *pro Muraen. cap.* 11. *& ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. *& de orat. Lib. I. cap.* 40. Plin. *Hist. nat. Lib. XXXII. cap.* 1. Gell. *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 9. Idque est IVS illud FLAVIANVM, de quo eo loco Pomponius.

* Ita rem referunt Pomponius & Gellius, immo & Cicero, qui Flauium quum id mysterium enarraret, scribam fuisse aiunt. Liuius contra illum *haec omnia* IN ALBO ait *proposuisse*, quod quum a magistratibus fieri soleret, videri

deri potest iam tum aedilis fuisse, quum hoc beneficio plebem adficeret. Ac potuit Cn. Flauius, vt fieri solet, primum clanculum enunciasse id arcanum, & promisso illius mereri aedilitatem, postea aedilis creatus, *& actionum formulas, & fastos*, (vtroique enim ei tribuit Cicero,) in ALBO proposuisse, maxime quum se contemni a patribus & nobilibus animaduerteret. Ceterum huius modi esse fastos dixeris, quos edidit, commentarioque illustravit Sicama *apud* Graev. *Thesaur. antiqu. Rom. Tomo VIII.*

§. XLIX.

Quam aegre hanc iacturam tulerint patres, vel ex eo patet, quod amissam recuperare cupientes possessionem, nouas excogitarunt formulas, easque, ne in vulgus manarent, non litteris, sed notis praescripserint *, quo nihilominus rebus omnibus interessent. Sed iterum circa annum ab V. C. 552. secretum prodidit *egregie cordatus homo*, vti ab Ennio vocatus est, SEX. AELIVS CATVS, de quo nos infra pluribus. Is liber IVRIS AELIANI nomine venit **. *l. 2. D. de orig. iur.* Add. Cicero *pro Muraen. cap.* 11.

Et iterum Sex. Aelius Catus, a quo ius Aelianum.

* *Notae* non sunt *siglae*, seu litterae singulares tota vocabula exprimentes, veluti S. P. Q. R. pro *Senatus populusque Romanus*, sed certa signa, quibus vnum, pluraue vocabula inuoluebant, vti ⁐° quod eadem verba significabat, ceu pluribus exemplis ostendit ὁ πάνυ Cuiac. *Obseru. Lib. XII. cap.* 40. Vnde qui notis excipiebant alterius verba dicebantur NOTARII, qui siglis, SINGVLARII vel SINGVLARES, vt in *l.* 1. §. 8. *C. de offic. praef. praet. Afric.* Vtrosque iungit Manil. *Astron. Lib. IV. v.* 197. vbi de nato sub Virginis signo:

Hic & scriptor erit velox, cui LITTERA verbum est,
Quique NOTIS linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas noua per COMPENDIA voces.

Plura habet Scaliger *in Notis ad Manil. pag.* 287. & Io. Ge. Graevius ad Cicer. *pro Mur. cap.* 11. Tales ergo hic intelliguntur *notae*, quales Tironis & Senecae nomina prae se ferentes in fine *Thesauri inscriptionum* edidit Ian. Gruterus. Contra quae sub Valerii Probi, Magnonis, Petri Diaconi nominibus exstant *Notae Romanae*, *Notae iuris*, *Notae litterarum*, editae a Dionys. Gothofr. *Auct. lingu. Lat. pag.* 1451. *seqq.* eae, si a paucis discesseris, non *notas*, sed siglas sistunt. Ceterum saepe critici Tribonianum notas male expressisse putant, eoque melio emendandi saepe, tamquam Deo e machina vtitur Cuiacius. Sed vanum plerumque esse hoc praesidium, iam alii ostenderunt, maxime Bynkersh. *Obseru. Lib. I. cap.* 23. *& Lib. VII. cap.* 21.

** IVS AELIANVM differre non videtur a Sex. Aelii Cati *Tripertitis*, in quibus *lege XII. tabularum proposita, iungebatur interpretatio, dein subtexebatur* LEGIS ACTIO. *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* Nec alia esse videtur LEX AELIA apud Ciceron. *Topic. cap.* 2. vbi librarii absurde reposuerunt *lex Aelia Sentia*, qualis Ciceronis tempore nulla exstitit. Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. III. cap.* 9. *pag.* 423.

§. L.

TERTIVM, quod patres iuri XII. tabulis comprehenso adstruxerant, quodque tamquam auitam possessionem sibi solis retinere cupiuerant, est INTERPRETATIO & DISPVTATIO FORI, quarum meminit Pomponius *l.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* Iurisconsulti enim ex legibus illis, quas Diodor. Sic. *Biblioth. Lib. XII.* βραχέως καὶ ἀπερίττως, Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. *eleganti atque absoluta breuitate verborum* scriptas fuisse, ait, per interpretationem, quam extensivam vocant, varia eliciebant iura noua, varias actiones vtiles, aliaque, quae propalam & κατὰ τὸ ῥητὸν legibus istis haud comprehendebantur.

Interpretatio legum XII. tabularum.

tur *. Atque inde est, quod passim non modo *interpretes*, sed & AVCTORES & CONDITORES IVRIS vocantur. Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap.* 25. Brisson. *de verbor. sign. sub voce: Iuris auctores.*

* Sic patronorum tutela dicitur LEGITIMA, *non quod* NOMINATIM *de hac tutela in XII. tabulis cautum esset, sed quod perinde acciperetur, ac si verbis legis introducta esset* §. vn. *Inst. de legit. patr. tut.* Actiones VTILES in iure nostro vtramque faciunt paginam. Eae vero dicuntur *exemplo*, vel *ad exemplum*, & veluti *ad similitudinem directarum compositae*. *l.* 5. §. 21. *D. vt in possess. legat. l.* 1. *C. de precar. & interdict. Salu. l.* 13. §. 25. *D. de action. emt.* Et videntur accepisse nomen VTILIVM, quasi *vtibilium*, quia tametsi nec legum verbis, nec in albo praetoris proditae essent, vti tamen iis liceret ob paritatem rationis. Promiscue veteres dixisse VTILE & VTIBILE patet ex locis Plauti *Mostellar. Act. IV. Sc.* 1. *v.* 2. Terent. *Phorm. Act. IV. Sc.* 4. *v.* 9. Alia iura a iurisconsultis per interpretationem reperta, collegimus in *Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 2, §. 36.

§. LI.

Disputatio fori. Iidem iurisconsulti, quum saepe, ut fit, de interpretando adplicandoque iure dissentirent, vel in ipso foro, vel, vti Scholiastes *Iuuenalis ad Satyr. III. v.* 128. memoriae prodidit, iuxta Apollinis templum, inter se disceptabant. Cuius modi disputationis forensis exempla exstant, non modo recentiora, *l.* 19. *D. de liber. & postum. l. vlt.* §. 26. *D. de muner. & honor. l.* 17. *D. de iure patron.* sed & vetera: veluti Crassi & Galbae apud Ciceron. *de orat. Lib. I. cap.* 56. nec non Scaeuolae, Manilii & Bruti apud eumdem *de finib. Lib. I. cap.* 4. Quidquid vero *post magnas varietates obtinuerat*, *l. vlt. D. pro legat. l.* 32. *D. de obligat. & act. l.* 55. §. 1. *D. de legat. II.* id iuris habebat auctoritatem, & ex DISPVTATIONE FORI *venire* dicebatur, Ascon. Paedian. *in Verrin. III.* & IVRIS RECEPTI vel RECEPTAE SENTENTIAE nomen accipiebat *. Festus, *in Receptum. l.* 215. *D. de verb. oblig. l.* 41. *D. de reb. cred.*

* Quum vero *recipi* dicatur, quod vsu ac consuetudine inolescit: omnia illa iureconsultorum interpretamenta, & quaecumque per disputationem fori ad liquidum perduxisse sibi videbantur, tamquam consuetudines valuerunt. Hinc vocantur *ius, quod* SINE SCRIPTO *venit*: *l.* 2. §. 5. & 12. *D. de orig. iur.* MOS, *pr. Inst. de pupill. substit.* Cic. *de legib. Lib. II. cap.* 24. *ius* CONSVETVDINIS, *quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobauit*. Cicero *de inuent. Lib. II. cap.* 54.

§. LII.

Inde natum ius ciuile stricte dictum. Omnia ista iura, interpretatione prudentum, vel disputatione fori introducta, IVS CIVILE communi nomine vocantur. *l.* 2. §. 5. *D. de orig. iur.* Cicero *de offic. Lib. III. cap.* 16. itemque IVS CONSENSV RECEPTVM, *pr. Inst. de adquis. per adrog.* nec non IVS COMMENTICIVM, vti *l.* 20. *D. de poen.* interpretatur Bynkershoekius *Obs. Lib. V. cap.* 16. Vt adeo ius ciuile, quod alioquin latius patet, saepe opponatur legibus, Cic. *pro Caecin. cap.* 26. adeoque solam [illegible] (uti vocat Theophil. *ad* §. 2. *Inst. de offic. iud.*) id est ius a iureconsultis interpretando disputandoque inuectum denotet.

§. LIII.

§. LIII.

Hanc quoque scientiam initio in penetralibus suis repositam habebant patricii generis iurisconsulti, rati, id, quod res erat, non parum se inde auctoritatis consequuturos, si sibi solis hanc possessionem retinerent. Enimuero circa annum ab V. C. 500. repertus est, qui hos iurisconsultorum circulos turbaret, TIBERIVS CORVNCANIVS, vir consularis, triumphalis, & primus e plebe pontifex maximus. *Epit. Liu. Lib. XVIII. Ante hunc enim ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, publice professum neminem traditur: ceteri autem ad hunc IN LATENTI ius ciuile retinere cogitabant* *, *solumque consultatoribus potius, quam discere volentibus se praestabant*. l. 2. §. 35. & §. 38. D. de orig. iur. Quod initio clam habitum, postea publice professus est Tib. Coruncanius.

* Tales fuere vetustissimi iurisconsulti omnes PAPIRIVS, APPIVS CLAVDIVS, SEMPRONIVS SOPHVS, C. SCIPIO NASICA, OPTIMVS, Q. MVCIVS, quippe nec docendo, nec scribendo celebritatem consequuti. At qui post Tiberium Coruncanium memorantur, partim publice professi sunt, veluti SEX. & P. AELII, fratres, & P. ATILIVS, l. 2. §. 38. D. de orig. iur. BALBVS LVCILIVS, AQVILLIVS GALLVS, SER. SVLPICIVS: l. 2. §. 43. 44. D. eod. partim iuris ciuilis mysteria scriptis diuulgarunt. Sic enim SEX. AELII *Tripartita veluti cunabula iuris continuerunt*; l. 2. §. 38. D. eod. P. MVCIVS, BRVTVS & MANILIVS *ius ciuile fundarunt*. l. 2. §. 39. D. eod. Q. MVCIVS *ius ciuile primus constituit generatim in libros decem & octo redigendo*: l. 2. §. 41. D. eod. Demum in vulgus manauit id secretum, vt non modo plebeii, sed & peregrini, summam sibi scientiam adquirerent, vereque cecinerit Iuuenalis Satyra VIII. v. 47.

Tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies; solet hic defendere caussas
Nobilis Indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos & legum aenigmata soluat.

§. LIV.

Interea contigit, vt MAGISTRATVVM ROMANORVM numerus non parum amplificaretur. Quum enim initio bini tantum CONSVLES rei publicae praeessent, (§. 13.) & praeter eos ac TRIBVNOS PLEBIS, (§. 19.) itemque binos AEDILES PLEBIS, tribunorum adiutores, anno ab V. C. 261. simul cum illis creatos, Gell. *Noct. Att. Lib. XVII. cap. 21.* Dionys. Halicarnass. *Lib. VI. cap. 81.* ac denique QVAESTORES, iam a regibus institutos, deinde a primis consulibus restitutos, & postea subinde multiplicatos *, Plutarch. *in Poplicol. pag.* 103 r. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap. 22.* Vlpian. *l. vn. D. de offic. Quaest.* nulli in vrbe magistratus ordinarii essent: postea multi alii, tum ordinarii, tum extraordinarii accesserunt. Idque tanto facilius indulgebat populus, quanto magis eo imminui videretur potentia consulum, quippe inter plures distrahendam. Magistratus initio pauci.

* Initio duo erant patricii generis, qui *vrbani* dicebantur. Eos anno ab V. C. 363. duplicari voluerat senatus, vt praeter duos vrbanos duo consulibus ad ministeria belli praesto essent. Exigente vero plebe, vt pars ex plebe fieret, tota res de augendo quaestorum numero tum omissa est. Liu. *Lib. IV. cap.* 43. Nihilominus quatuor, & in his tres plebeii creati anno V. C. 346. Liu. *Lib. IV. cap.* 54. Anno 487. denuo ampliatus quaestorum numerus, vt essent octo. *Epit. Liu. Lib. XV.* ex Cornelii Sullae porro instituto viginti, Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 20. ex Caesaris quadraginta creari coeperunt.

Dio

Dio Caſſ. *Lib. XLIII. pag.* 237. At quo plures fuerunt ſub principibus; eo minus auctoritatis retinuerunt, cura aerarii primum ad praetorios viros; Dio Caſſ. *Lib. LIII. pag.* 507. Sueton. *Aug. cap.* 36. poſtea ad praefectos aerarii translata: Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 28. *Hiſtor. Lib. IV. cap.* 9. Plin. *Epiſtol. Lib. III. epiſt.* 4. vt demum quaeſtura ingreſſus tantum gerendorum honorum, ſententiaeque in ſenatu dicendae eſſet. *l. vn.* §. 3. *D. de offic. quaeſt.*

§. LV.

Poſtea his acceſſere cenſores, & praetores.

Sic primum anno V. C. 312. CENSORES cenſui agendo, luſtro condendo, legendo ſenatui, moderandaeque diſciplinae publicae, creati ſunt. Dionyſ. Halicarn. *Lib. XI. cap.* 67. Liu. *Lib. IV. cap.* 8. *l.* 2. §. 17. *D. de orig. iur.* Deinde anno 388. iuri dicundo inſtitutus eſt PRAETOR *vrbanus*, cui anno ab V. C. 507. acceſſit alter, qui inter ciues & peregrinos ius diceret, & his paullatim alii, vt primum eorum numerus ad quatuor, deinde ad ſex, mox ad octo, denique ad decem, duodecim, immo & ad ſedecim excreuerit *. Dio Caſſ. *Lib. LVIII. pag.* 634. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Lipſ. *Excurſ. D. ad Tacit. Annal. Lib. I.*

* Ex his vnus iurisdictionem *vrbanam*; alter *peregrinam*; quidam *prouincias praetorias*; reliqui *quaeſtiones publicas* ſortiebantur. Maxima erat dignitas praetoris vrbani, qui ideo PRAETOR MAIOR dicebatur. Feſt. *in Maior. conſul.* Plutarch. *in Brut. pag.* 987. Dio Caſſ. *Lib. XLII. pag.* 195. Caeſar *de bello ciuili Lib. III. cap.* 20. & COLLEGA coss. cui omnia abſentium coſſ. officia incumbebant. Cic. *ad diuerſ. Lib. X. epiſt.* 12. Plin. *Panegyr. cap.* 77. Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 15. Dio Caſſ. *Lib. LIX. pag.* 659. Aliquando tamen duae coniungi ſolebant iurisdictiones, veluti *vrbana* & *peregrina*, Liu. *Lib. XXIV. cap.* 44. *Lib. XXV. cap.* 3. *Lib. XXVII. cap.* 36. quemadmodum & apud Gruter. *Inſcr. pag.* 503. laudant ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ. Ita & duas de criminibus quaeſtiones interdum coniungi conſueuiſſe, iam olim obſeruauit Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 4. *pag.* 400.

§. LVI.

Nec non aediles curules.

Eodem tempore, quo primum praetorem vrbs vidit, & duo AEDILES CVRVLES creati, qui foro rerum promercalium, ludis, viis, aedibuſque publicis, omnibus denique, quae ad decus & tutelam vrbis pertinere videbantur, praeeſſent. Liu. *Lib. VI. extr.* & *Lib. VII. cap.* 1. *l.* 2. §. 26. *D. de orig. iur.* Iis Iulius Caeſar rei frumentariae cauſſa quatuor alios ex plebe, & in his binos, quos CEREALES vocauit *, adiecit. Dio Caſſ. *Lib. XLIII. extr. l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Sueton. *in Iul. cap.* 41.

* Alias aedilibus plebis praecipue incubuit cura annonae & rei frumentariae, adeo vt nihil in nummis frequentius ſit, quam aedilitatis iſtius ξύμβολον puta duo modii cum ſpicis. Vaillant. *de famil. Rom. Tom. II. pag.* 213. Ez. Spanhem. *de vſu & praeſt. numiſm. Tom. II. pag.* 153. *ſeqq.* Videtur ergo Caeſar hanc annonae curam ab aedilibus plebeiis ad cereales (quamuis & hi ex plebe eſſent,) tranſtuliſſe. Ceterum ineptiunt Alex. ab Alexandro *Genial. dier. Lib. II. cap.* 15. & Roſin. *Antiqu. Rom. Lib. VII. cap.* 1. & quotquot eos ſequuntur, ac ii, qui ex locis Dionis, & Pomponii duos *praetores cereales*, quales numquam Roma vidit, exſculpunt. Eos vero iam ſatis refellit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. cap.* 3. *pag.* 16. *ſeqq.*

§. LVII.

§. LVII.

Itemque magistratus maiores extra ordinem creati.

Addimus magistratus maiores, aliquando extra ordinem creatos, veluti DICTATORES, in re trepida ab alterutro consulum, cuius sors exierat, noctu, silentio dictos: Liuius *Lib. VIII. cap.* 23. Dio Caff. *Lib. XXXVI.* DECEMVIROS legibus ferendis, quos semel tantum creatos, diximus. (§. 25.) TRIBUNOS MILITUM COS. POTEST. qui ab anno V. C. 311. quum de consule alterutro ex plebe creando patribus cum plebe non conueniret, aliquamdiu loco coss. fasces tenuerunt: Liu. *Lib. III. cap.* 51. *Lib. IIII. cap.* 6. INTERREGES, ad quos, abdicantibus se consulibus, vel in magistratu exstinctis, imperium curaque comitiorum consularium redibat: Liu. *Lib. III. cap.* 8. *Lib. V. cap.* 31. *Lib. VI. cap.* 1. *Lib. VII. cap.* 17. & 21. *Lib. VIII. cap.* 23. denique PRAEFECTOS VRBI, qui initio profectis ab vrbe regibus, deinde feriarum Latinarum caussa, reliquis magistratibus in monte Albano sacra facientibus, vt vrbi interim praeessent, ex nobili iuuentute extra ordinem creabantur *. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 10. 11. Gell. *Noct. Attic. Lib. XIIII. extr. Excerpta Peiresc. pag.* 477. & *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.*

* Caue ergo hos praefectos vrbi confundas cum illis, qui postea ab Augusti temporibus vrbi praeerant, & de quibus singularis in Pandectis exstat titulus *de officio praefecti vrbi*. Nostri enim, de quibus hoc loco loquimur, fuerunt magistratus extraordinarii, et qui vice aliorum absentium fungebantur: ii, qui ab Augusto constituti, ordinarie praeerant vrbi, et quaeuis fere iura reliquorum magistratuum vsurpabant, non modo ius gladii intra vrbem, sed & iurisdictionem intra centum ab vrbe lapides sibi vindicantes. Sed de his infra plura dicendi locus erit.

§. LVIII.

XXuiri, in quo numero decemuiri stlitibus iudicandis.

Sed et minores MAGISTRATVS alii *quotannis* vel statis temporibus, alii interdum *extra ordinem* creabantur. Primi generis erant, qui numero rotundo XXVIRORVM nomine veniebant, quamuis eorum XXVI. numerarentur. Dio Caff. *Lib. LIIII. pag.* 540. In eo numero erant DECEMVIRI STLITIBVS IVDICANDIS *, qui praetori cognoscenti aderant in consilio, Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 13. et hastae iudicioque centumuirali praeerant. Sueton. *Aug. cap.* 36. *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur.* Ger. Noodt, *de Iurisd. Lib. I. cap.* 12. Siccama *de iudic. centumuir. cap.* 9.

* STLITIBVS veteres dicebant pro *litibus*, vt asperitate quadam iuuarent litteram nimis lenem L. Sic et *locus* illis erat STLOCVS, *latus* STLATVS, Fest. *voce*: *Stlata*. De eo ἀρχαϊσμῷ plura Ian. Rutgers. *Lect. var. Lib. V. cap.* 16. Funcc. *de puerit. Lat. lingu. cap.* 4. §. 4. *pag.* 263. Ceterum postremis temporibus auctum hunc numerum esse, vel inde patet, quod et XVVIRI immo et XXVIRI STLIT. IVD. occurrunt in marmoribus apud Reines. *Inscr. Class. VI. num.* 42. 50. et 131.

§. LVIIII.

Quatuoruiri viar. curand. triumuiri A.A.

In eodem XXVIRORUM numero erant QVATVORVIRI VIARVM PUBLICARVM CVRANDARVM *, de quibus *l.* 2. §. 30. *D. de orig. iur.* Gruter. *Inscr. pag.* 16. *num.* 10. TRIVMVIRI A. A. A. F. F. id est, *auro*,

F. F. triumuiri capitales, quinqueuiri cis et vltra Tiberim, II. viri curat. viar.

auro, argento, aeri flando feriundo, Cic. *Lib. VII. ad diuers. epist.* 13. TRIVMVIRI CAPITALES, qui carceris custodiae suppliciisque sumendis praeerant, quin et de furibus, seruis, aliisque vilioribus capitibus cognoscebant apud columnam Maeniam *l. 2. §. 30. D. de orig. iur.* Epit. Liu. *Lib. XI.* Valer. Max. *Lib. V. cap. 4. exemp. 7.* Rupert. *ad Pompon. Enchir. Lib. II. cap. 16. pag. 138. sequ.* QVINQVEVIRI CIS et VLTRA TIBERIM, qui suae quisque regionis aedificiis nocturno tempore incendiorum caussa praeerant, *l. 2. §. 31. D. de orig. iur.* Liu. *Lib. XXXI. cap. 14.* et, quorum postea suppressum est officium, IIVIRI CVRATORES VIARVM extra vrbem, *l. 2. §. 3. D. eod.* Dio Cass. *Lib. LIIII. pag. 550.* Eu. Otto *de tutel. viar. Part. II. cap. 5. pag. 375.*

* Dicti etiam VIOCVRI, Varr. *de lingua Lat. Lib. IIII. pag. 6. et 38.* Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap. 40.* IIIIVIRI VIAR. CVRAND. IIII. VIAR. CVRAND. Gruter. *Inscript. pag. 26. num. 10.* IIIIVIRI. ITER. Idem *pag. 1066. num. 7. pag. 1078. num. 14. et pag. 1083. num.* 11. quod exponunt *quatuor viri iteris* pro itineris, cuius ἀρχαϊσμοῦ vestigia passim supersunt. De iis, vti et de reliquis magistratibus omnibus viarum curatoribus adcuratissime suo more egit Euerard. Otto *de tutela viar. Part. II. cap. 5.*

§. LX.

Magistratus minores extraordinarii.

Denique & extra ordinem aliquando creatos animaduertimus magistratus quosdam minores, veluti PRAEFECTOS ANNONAE, Liu. *Lib. IIII. cap. 12.* QVINQVEVIROS MENSARIOS, Liu. *Lib. VII. cap. 21.* DVVMVIROS NAVALES, qui orae maritimae praeerant, classisque ornandae reficiendaeue curam habebant. Liu. *Lib. VIIII. cap. 30. Lib. XXXX. cap. 18. et 26.* Celebratur etiam in iure nostro PRAEFECTVS VIGILVM, qui et ipse magistratus extraordinarius *: *l. 2. §. 33. D. de orig. iur.* sed eum ab Augusto demum constitutum, non huius esse epochae; patet ex *l. 3. pr. D. de offic. praef. vigil.*

* Praefectum vigilum magistratum esse negat Pomponius *l. 2. §. 33. D. de orig. iur.* Sed sensus est, eum inter magistratus ordinarios non fuisse, ceu ad eum locum recte obseruarunt Cuiacius, *pag. 24. sequ. edit. nou.* Ian. Guill. *de magistrat. Rom. litt. G. p. 1.* et Bynkersh. *Praetermiss. pag. 262.* Quum vero ipse Pomponius *d. l. 2. §. 18. eod.* dictatorem vocet magistratum, qui et ipse extra ordinem in re trepida solebat creari: cur, quaeso, id nomen abiudicemus praefecto vigilum?

§. LXI.

Illi habebant ius edicta proponendi.

Quum itaque consulum munia postea per tot maiores minoresque magistratus spargerentur: non mirum profecto est, plerosque eamdem sibi sumsisse potestatem, edictis iura noua constituendi, qua consules vsos esse diximus (§. 18.) Vti enim hoc ideo faciebant consules, quod in regum locum successissent (§. 18. iuncta §. 4.): ita nihil aequius videbatur, quam eadem potestate gaudere reliquos magistratus, in quos quaedam consularis potestatis partes fuerant translatae *.

* Caussa ergo, quamobrem magistratus edicta possent proponere, non erat IMPERIVM, ceu existumauit Car. Sigon. *de iure ciu. Rom. Lib. 1. cap. 20.* Nam et AEDILES CVRVLES edicta proponebant, qui nec vocationem, nec pren-

prensionem habebant, Gell. *Noct. Att. Lib. XIII. cap.* 13. itemque TRIBVNI PLEB. *quos* SINE IMPERIO *esse*, diserte ait Appius Claudius apud Liu. *Lib. II. cap.* 52. nec non SACERDOTES, veluti pontifices et decemuiri sacrorum, Liu. *Lib. XXXX. cap.* 37. augures, Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 2. *exempl.* 4. et in primis PONTIFEX MAX. cuius de edicto perpetuo, sub sacerdotii auspicium proposito videndi Tacit. *Histor. Lib. II. cap.* 91. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 28. Iac. Guther. *de iure pontif. Lib. I. cap.* 12. Io. Andr. Bos, *de pontif. max. Rom. cap.* 4. §. 4. Henr. Dodwell. *Append. praelect. Cambden. p.* 655. *seqq.* Et tamen sacerdotes sine imperio et potestate fuisse, scribit Liuius *Lib. IIII. cap.* 54. ipseque fatetur Car. Sigon. *ibid. Lib. I. cap.* 19. Fundamentum ergo genuinum iuris edicendi est HONOR, quo quicumque fungebantur, ii et edicta reddebant. Honoribus autem fungebantur non modo magistratus, nec hi soli dicebantur HONORATI, Liu. *Lib. XXV. cap.* 5. Ouid. *ex Ponto*, *Lib. IIII. epist.* 5. *v.* 2. *et ad Liuiam*, *v.* 329. Sallust. *Catilin. cap.* 34. vel HONORE VSI apud Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 13. et Gruter. *Inscr. pag.* 253. *num.* 6. *pag.* 387. *num.* 8. *pag.* 392. *n.* 1. verum etiam sacerdotes, vt docent exempla apud Gruter. *pag.* 357. *num.* 3. *et pag.* 364. *num.* 1. Vnde et hi aeque edicebant, ac illi. Nec alia est ratio, cur IVS, quod ex magistratuum edictis descendit, dicatur HONORARIVM. *l.* 52. §. 6. D. *de obligat. et act.* §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* Cuiac. *Not. prior. ad d.* §. 7. et Raeuard. *de auctoritat. prudent. cap.* 10. *pag.* 1008.

§. LXII.

Iisque definiendi ea, quae legibus non erant definita.

Quod itaque obseruauit Aristoteles *Polit. Lib. III. cap.* 11. *oportere leges dominas esse, si sint recte scriptae, magistratus autem* EDICERE *de illis*, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι, καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων: *de quibus leges exquisite aliquid decernere nequeant, eo, quod non facile sit sermone generali singulos casus comprehendere*: id semper obseruarunt MAGISTRATVS ROMANI plerique, vt alucinentur omnino, qui solos PRAETORES edicta reddidisse existimant *.

* Eius sententiae fuit Iason *in l.* 1. *pr. D. de nou. oper. nunciat. n.* 7. Et quamuis viro non indocto ignotum non fuerit, proconsules etiam et aediles curules edixisse, ex *glossa* tamen ad §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* notat, praesides quoque prouinciarum, & aediles ex praetoribus fuisse. Quo nihil dici potuisset absurdius. At, si fingamus, eos iure praetorio gauisos, (quod tamen de aedilibus curulibus nemo dixerit): plerosque sane alios magistratus edicta proposuisse, iam obseruarunt Pomponius *l.* 2. §. 10. *D. de orig. iur.* Modestinus *l.* 52. §. 6. *D. de obligat. et action.* Theophilus *ad* §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* Guil. Maran. *in Paratitl. pag.* 91. Camill. Borell. *de edict. magistrat.* I, 17, 6. et alii.

§. LXIII.

Quod exemplis probatur.

Quemadmodum ergo supra edicta REGVM (§. 4.) et CONSVLVM (§. 18.) vidimus: ita apud veteres non minus celebrantur edicta DICTATORVM, quae *pro numine olim obseruata esse*, ait Liuius *Lib. VIII. cap.* 34. CENSORVM, ea quae ad ciuium disciplinam pertinebant, complexa, Cornel. Nepos *Caton. cap.* 1. et ex quibus quaedam decerpsit Plin. *Hist. nat. Lib. VIII. cap.* 57. *Lib. XIII. cap.* 13. *Lib. XIIII. cap.* 14. *Lib. XXXVI. cap.* 1. TRIBVNORVM PLEBIS, Cicero *in Verr. II. cap.* 41. qui aliquando et vna cum praetoribus, et de communi vtriusque collegii sententia, edicta proponebant, Cic. *de offic. Lib. III. cap.* 20. et ex edictis suis ius dicebant. Idem *in Verr. II. cap.* 41. *.

* Eo

* Eo minus vero dubitandum de magistratibus, qui liberam adhuc rem publicam administrabant, quo certius constat, ea iam occupata plerosque magistratus ius edicendi sibi more maiorum vindicasse. Turcii Aproniani, PRAEFECTI VRBI, (de quo aliisque Apronus legendus Lud. Anton. Muratorius *Anecdot. Tom. I. pag.* 141. *seqq.*) bina edicta notatu dignissima extant apud Gruter. *Inscr. pag.* 747. *num.* 6. 7. Similia aliorum *praefectorum vrbi* suggerit Ammian. Marcellin. *Histor. lib. XXVII. cap.* 9. *lib. XXVIII. cap.* 4. Auidii porro Flacci, PRAEFECTI AVGVSTALIS Aegypti edictum laudat Philo in *Flacc. pag.* 966. *et p.* 972. Quin ne minores quidem magistratus dubitasse edicta de rebus ad cuam suam pertinentibus reddere, patet exemplo QVAESTORVM, de quibus Cicero *in Verr. III. cap.* 7. L. *Octavio & C. Cottae coss. senatus permisit, vt vini et olei decumas, et frugum minutarum, quas ante te QVAESTORES in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent, legemque his rebus, quae ipsis videretur,* EDICERENT. Vbi manifesto permittitur consulibus, quod antea ad quaestorum pertinebat officium, vt edicta de venditionis legibus proponerent.

§. LXIIII.

Omnes praetores, non solus vrbanus edicta proponebant.

At celeberrima omnium sunt edicta PRAETORVM, AEDILITIA, et PROVINCIALIA, quia ex iis pleraque in ius iustinianeum migrarunt. Edicebant vero non modo praetores VRBANI, verum etiam PEREGRINI *. Valer. Max. *Lib. I. cap.* 3. *exempl.* 2. Boeth. *ad Cic. Topic.* Theophil. *ad* §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. & ciu.* immo et qui eorum PROVINCIAS AUT QVAESTIONES PVBLICAS fuerant sortiti. De illis paullo post erit dicendi locus. Horum exempla extant apud Ciceron. *pro P. Sext. cap.* 41. Varron. *de lingua Lat. Lib. V. pag.* 62. Add. Fridr. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* 6. §. 7. *et* 8.

* His a nobis adlatis testimoniis Eu. Otto *in Not. ad instit. pag.* 42. addit aliud Ciceron. *ad diuers. Lib. XIII. epist.* 59. vbi Tullius Curtius Peduceanum, praetorem tum peregrinum, *edicti et instituti sui* admonet. Recte ergo id iam olim obseruauit Bern. Henr. Reinoldus *Varior. cap.* 37. *pag.* 267. quum ea de re dubitassent viri doctissimi, Franc. Hotomanus *de Magistrat. pop. Rom. pag.* 386. et Nic. Hieron. Gundling. *in* Πρῶτ *Pandect. tit. de orig. iur.* §. 31. quorum prior praetorem peregrinum ex edicto vrbano: posterior ex iuris naturae et gentium principiis ius dixisse, censent. Sed vbi manifesta in promptu sunt veterum testimonia, ariolari nec licet, nec decet.

§. LXV.

Edicta quotuplicia?

Edictorum praetoriorum aeque, ac aliorum magistratuum alia REPENTINA erant, quae, prout res inciderent, proponebantur, alia ad PERPETVAM IVRISDICTIONEM, id est, per totum magistratus tempus explicandam, pertinebant *, *l.* 7. *pr. D. de iurisdict.* Horum porro quaedam erant TRALATITIA, quae ex sui quisque decessoris edicto in suum totidem paene verbis transferebat, et NOVA, quae quisque de suo veteri edicto quotannis adstruebat. Quamuis enim multo maxima pars eorum, quae praetores edicere consueuerant, certa viderentur propter vetustatem: Cicero *de inuent. Lib. II. cap.* 22. non temere tamen quisquam auspicabatur praeturam, quin noua quaedam adsueret capita **, vel aetatem latura, si laudem haberent aequitatis, vel negligenda a posteris, si ambitiosa aut iniqua essent. Ex quo patet, cur edictum praetorium a Cicerone *in Vetrem II. cap.* 42. vocetur *lex annua, cui finem adferant Kalendae Ianuariae.*

* Equi-

* Equidem in *l. 7. D. de iurisdict.* verba quaedam a Triboniano explicationis caussa inserta esse videntur viris doctis. Cuiac. *Obseru. lib. XXI. cap.* 24. Ian. a Costa *ad* §. 12. *Inst. de action.* At res ipsa tamen, puta quod edicta quaedam perpetuae iurisdictionis caussa proposita, alia repentina fuerint, aliunde satis certa est. De prioribus nemo dubitauerit. *Repentinorum*, vel *peculiarium*, quae *ex tempore* proponi solita fiot, meminit Cicero *in Verr. III. cap.* 14. edictorum, *quae ratio temporum reddi* postularit Plinius *Hist. nat. Lib. XXXVII. cap.* 1.

** Atque hinc intelligitur, cur quaedam edicta auctorum suorum nomina retinuerint, veluti DRVSI apud Ciceron. *ad Attic. Lib. VII. Epist.* 2. CN. OCTAVII quod metus caussa. Idem *ad Q. fratr. Lib. I. epist.* 7. AQVILLII de dolo malo. Id. *de nat. deor. Lib. III. cap.* 30. IPVBLICII de actione in rem, et restitutione maiorum viginti quinque annis §. 4. *Inst. de act. l.* 35. *D. de oblig. et act. l.* 57. *D. mand.* Vt iam non dicam de actionibus SERVIANA, CALVISIANA, FABIANA, PAVLIANA, edicto CARBONIANO, interdicto SALVIANO, quae omnia ex pretorum sunt edictis, eaque nomina acceperunt, quod praetores isti primi haec edicta tamquam noua, tralatitiis maiorum suorum adstruxerunt, eaque postea ob aequitatem a posteris retenta maximam paullatim auctoritatem in foro sunt consequuta.

§. LXVI.

Ea edicta praetores sub auspicia magistratus sui solebant proponere. Inituri enim honorem in concionem adscendebant, et pro rostris habita more maiorum oratione, quae essent in iure dicundo obseruaturi, EDICEBANT. Cicero *de finib. Lib. II. cap.* 22. Id est, edictum suum domi compositum, non modo per praeconem recitari, (quod ex *μιμήσει* imperatoris histrici apud Plaut. *in prolog. Poenuli v.* 11. *sequ.* colligitur *), verum etiam scriptum in ALBO publice proponi iubebant. Vnde formula edictalis: APVD. FORVM. PALAM. VNDE. DE. PLANO. RECTE LEGI. POTEST, (vel ἀρχαϊκῶς, POTESTVR, de qua forma vid. Voss. *de arte grammat. Lib. V. cap.* 36. *pag.* 319. *Tom. II. Oper.*) De ea formula legi possunt Ioseph. *Antiquit. Iudaic. Lib. XIIII. cap.* 12. *Lib. XVIIII. cap.* 4. Auson. *Grat. act. ad Gratian. Imp. cap.* 21. Cuiac. *Obs. Lib. VII. cap.* 29.

Modus illa proponendi.

* Ibi enim prologus comoediae, qui se *magistratum* vel *imperatorem histrionicum* fingit, primum praeconem ita excitat:

Exsurge, praeco, fac populo audientiam:

Iamdudum exspecto, si tuum officium scias.

Deinde recitat ipsum edictum fictitium:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt seruetis mea.*

eoque finito subiicit.

Haec, imperata quae sunt, pro imperio histrico,

BONVM, *hercle*, FACTVM, *pro se quisque vt meminerit.*

Est vero haec formula: BONVM FACTVM, antiqua et sollemnis, quam edictis suis praemittebant magistratus, quamque Iosephus *Antiquit. Iud. Lib. XIII. cap.* 10. et *Lib. XVIII. cap.* 5. exprimere solet: ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙ, quae verba sollemnia in *Hudsoniana* pessime vertuntur: *proinde aequum esse censeo*: Appianus vero *de bello ciuil. Lib. IIII. pag.* 593. 595. et 607. et veteres lapides apud Selden. *in Marm. Arundell. pag.* 130. Reines. *Inscript. pag.* 497. Smith. *de sept. eccles. Asiae, pag.* 20. *seq.* et Iac. Gronou. *in Memoria Cossoniana, pag.* 142. 145. et 148. ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, qua formula ideo vti noluisse videtur Iosephus Iudaeus, quod *Bonam Fortunam* pro dea colerent Romani. Alex. ab Alexandr. *Genial. dier. Lib. I. cap.* 22. Dalechamp. *ad Plin. Hist. nat. Lib. I. cap.* 7. Ceterum de formula edictali: BONVM FACTVM, consuli debet Barn. Brisson. *de formul. pop. Rom. Lib. III. pag.* 274. *seq.*

§. LXVII.

Finis edictorum.

His porro edictis praetores non modo leges, propositis actionibus vel exceptionibus, adiuuabant, sed et multa, quae praeteruiderant legislatores, constituebant, quin et rigorem legum aequitate temperabant, ne videlicet summum ius in summam euaderet iniuriam. Quae omnia eleganter complexus Papinianus, *ius praetorium* ADIVVANDI, *vel* SVPPLENDI, *vel* CORRIGENDI *iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam, introductum esse*, ait *l.* 7. §. 1. *D. de iust. et iur.*

§. LXVIII.

Iis aliquando praetores ius scriptum euertebant.

Ipsum equidem ius scriptum directe mutare edictis suis non poterant praetores, idque non modo ipsi prae se ferunt, quoties in edictis suis LEGES, SCTA, EDICTA, DECRETAQVE PRINCIPVM diserte excipiunt, *l.* 7. §. 7. *D. de pact.* *l.* 1. §. 5. *D. de postul.* *l.* 1. §. 1. *D. quib. ex causs. mai.* sed & iurisconsulti passim profitentur. *l.* 12. §. 4. *D. de Public. in rem act.* *l.* 12. §. 1. *D. de. bon. poss.* Enimuero vt mali magistratus potestate, etiam legitima, facile abutuntur: ita et de praetoribus idem obseruat Dio Cass. *Histor. Lib. XXXVI. pag.* 19. dum scribit: *Οὐ γὰρ οἱ σρατηγοὶ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐπόιυν, ὅτε ἰσαπαξ τοῦτ' ἐπόιυν, ὅτι τὰ γραφέντα ἐτήρυν, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον: neque enim praetores omnia ea iura, quae ad contractus dirigendos constituta erant, obseruabant, neque id vmquam fecerant, sed saepenumero ea variauerant* *.

* Potest id per inductionem, quam vocant, probari, modo ad leges XII. tabularum respicere velimus. Ita sane praetor mutauit poenam furti manifesti, Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap. vlt.* Theophil. *ad* §. 2. *Inst. de perpet. et temp. act.* poenam frugis noctu demessae, Plin. *Hist. nat. Lib. XVIII. cap.* 3. iniuriarum, Gell. *Noct. Attic. Lib. XX. cap.* 1. actiones arborum furtim caesarum, Plin. *Hist. nat. Lib. XVII. cap.* 1. depositi dolo malo abnegati, *Pariat. Mos. et Rom. leg. tit.* 10. §. 6. conditionem liberorum emancipatorum, §. 9. *Instit. de success. ab intest.* nec non cognatorum. *l.* 1. *D. vnde cogn.* Nec magis praetor pepercit aliis legibus, veluti Aquiliae, cuius capita quaedam exstitisse *de seruo corrupto, et de effusis, et deiectis*, quae deinde praetor edicto suo excluserit, suspicatur Bynkersh. *Obs. Lib. I. cap.* 13. Iam obiter addo, eam veram ac genuinam esse rationem, cur actiones quaedam poenales, licet praetoriae, tamen sint perpetuae, veluti actiones furti manifesti, *pr. Inst. de perpet. et temp. act.* arborum furtim caesarum, *l.* 7. §. 6. 7. *D. arb. furt. caes.* furti aduersus nautas, caupones, stabularios, *l. vlt.* §. 6. *D. naut. caup. stab.* depositi miserabilis, *l.* 18. *D. depos.* serui corrupti, *l.* 12. *D. de seru. corr.* de effusis, et deiectis, si non de occiso libero homine agitur, *l.* 5. §. 5. *D. de his, qui effus. vel deiec.* Omnes enim hae actiones non sunt origine praetoriae, sed ciuiles, at immutatae, et correctae a praetoribus.

§. LXVIIII.

Quibus artibus id consequuti sint praetores.

Quod ergo directe non poterant praetores, id indirecte, adhibitisque quibusdam artibus, eos praestitisse, dudum ostendimus. Nam & NOVIS excogitatis VOCABVLIS leges eludebant, & actiones ciuiles, datis EXCEPTIONIBVS, et RESTITVTIONIBVS, euertebant, et FICTIONI-

NIEVS suis efficiebant, vt aliam paene faciem inducerent iura ciuilia *, *Antiq. Rom. Lib. II. tit.* 14.

* Ita NOVIS ludebant VOCABVLIS, dum iis, qui *heredes* esse non poterant, dabant *bonorum possessionem*, dum argentarios non *promittere*, sed *recipere*, eosque, qui rem a se aliisque promissam iterum promittebant, *constituere*, dicebant, atque inde dabant actiones *recepticiam, et constitutae pecuniae*: *l.* 1. §. 1. *l.* 16. §. 2. *l.* 18. §. 1. *l.* 25. *D. de const. pec. l.* 2. *C. eod.* quasi inter *pacisci*, *promittere*, *recipere*, *constituere*, tantum interesset discriminis, vt priora non mererentur actionem, posteriora mererentur. Deinde et variis EXCEPTIONIBVS elidebant iura: & iis quidem non tantum aequis, veluti *pacti*, *doli mali*, similibus, sed et iniquissimis, qualis vere fuit *exceptio lenocinii* apud Valer. Max. *Lib. VII. cap.* 7. *exempl.* 7. Quod et de RESTITVTIONIBVS dicendum, quas saepe dabant praetores mali, quando minime oportebat, ceu patet exemplo C. Verris apud Ciceron. *in Verr. I. cap.* 16. FICTIONVM exempla omni exceptione maiora sunt in §. 4. *Inst. de action.*

§. LXX.

Enimuero aduersus omnes, qui praetori haec exprobrant, stilum vindicem, quod mireris, expediuit GOTTL. CORTIVS, editis Lipsiae *Vindiciis praetoris ac iuris honorarii*, vbi iis, qui talia scripserunt, tam grandem dicam scribit, ac tam vehementer indignatur, vt magis non potuisset, si coniurassent aduersus rem publicam. Et tamen vir ille doctus, effusa omni bile, magno conatu maximas nugas egit. * De Gottl. Cortii vindiciis Praetoris & iuris honorarii.

* Primo enim mutato ipso quaestionis statu §. 4. *p.* 3. se non perfidorum ac malitiosorum praetorum, sed praeturae caussam acturum, minatur. Quasi ipsam praeturam quisquam mortalium impugnasset, aut alii praetores quam perfidi ac malitiosi, istis artibus abusi sint. Cum laruis ergo pugnat vir doctus, neminem habiturus aduersarium. Deinde ostensurus, praetores, ne si voluissent quidem, his artibus vti potuisse, a §. 5. multa ex aduersariis suis corradit de insigni Romanorum cura in seruandis legibus, de edictis consentiente Senatu scriptis, de intercessione tribunorum plebis, qua et aduersus iniqua edicta praetorum vti potuerint, denique de iureiurando, quod in leges iurarint praetores. Enimuero, qua fronte negatur fieri potuisse id, quod re ipsa factum est? Ius praetores edictis euertisse, et Dio testatur, et Cicero: qui ergo euerti non potuit? Cur, quaeso, C. Verrem, talia ausum non cohibuit insignis ista Romanorum cura in seruandis legibus? cur hunc senatus non in ordinem coegit auctoritas? cur tribuni plebis non domuerunt? et cur hominem non saltim iuris iurandi religio in officio continuit? Praeterea, si quid aliud, falsum est, praetores edicta sua, vel de senatus, vel de collegii tribunicii sententia composuisse, neque id probant adducta a viro docto testimonia. Praeterea ridiculum est, vindicem initio negare praetores his artibus vti potuisse, et postea tamen §. 8. non modo fateri, eos iura mutasse, sed et iure id ab illis factum esse contendere: partim, quod *similis legislatoriae esse debeat praetorum potestas*, (quo nescio an quidquam scribi potuisset infulsius), partim *quod populo potius vitio vertendum sit, quod tamdiu vetustis obscurisque legibus inhaeserit*. Quid ergo sibi vult vindex? cur iis indignatur, qui praetores iura mutasse censent? cur id fieri potuisse negat? Non minus absonum est, quod §. 9. illam veterum querelam, in primis locum Dionis Cassii non de ordinariis annuis, sed de subitaneis praetorum edictis accipiendum esse ait, veluti de citatoriis, monitoriis, similibusque. Quasi vero lex Cornelia, de qua ibi agit Dio Cassius, ad edicta subitanea pertinuerit, & quasi vlli magistratui lege praecipi possit, vt omnia edicta subitanea, citatoria, monitoria sub auspicium honoris sui semel simulque proponat. Nugae!

gae! Denique vbi ad rem ipsam se accingit vindex, artes istas praetoribus iniuria tribui ostensurus, multum interfuisse monet inter bonorum possessionem & hereditatem, vbi pleraque; quae nemo dupondiorum ignorat, quaedam & falsissima adfert. Deinde exceptiones aeque, ac restitutiones in integrum aequissimas esse contendit, quum nemo eas iniquitatis coarguerit, et verissimum tamen sit, praetores, qui aequas vel exceptiones vel restitutiones inuexerunt, potuisse etiam inuehere iniquissimas, easque aliquando re ipsa inuexisse. Postremo, ne quid ineptiarum desit; fictiones fictiones esse negat, easque nihil aliud, quam *veritates probabiles, et interpretationes extensiuas esse*, contendit. Nam veritas admodum probabilis est, eum, qui non vsucepit, vsucepisse, non vsucepisse autem, qui vsucepit. Hoc vero est, quod gnorabamus miseri. Quae sub finem dissertationis adcumulantur de absentium praesentia, de seruitute poenae, id est, Furiarum, & similibus iuris, quod homo iste numquam intellexit, capitibus, tam frigida sunt, vt nolim ea recensendo anno tam insalubri febrim lectori excitare. Saltim si veterum praetorum aliquis has praetoris vindicias legisset, eum non dubito exclamaturum fuisse:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget.

§. LXXI.

Praetores edicta sua per annum frequenter mutabant.

Sed et id sibi adrogauerant praetores, ut edicta per annum, quotiescumque collibitum esset, mutarent, idque plerumque facerent εἰς χάριν καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, *in gratiam odiumque certorum hominum:* Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 19. Ascon. Paedian. *in argum. orat. pro C. Cornelio, maiest. reo* *, adeo, vt ad coercendam istam praetorum licentiam opus esset edicto ipsorum praetorum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. *l.* 1. *D. quod quisque iur. in alt. stat.*

* Fecisse id animaduertimus C. Verrem. Is edicto L. Annio heredi secundo P. Annii Asellii edicto condonauit hereditatem, exclusa filia unica herede a patre instituta. Cic. *in Verr. I. cap.* 41. De eo edicto Cicero *ibid. cap.* 42. *ac si hoc iuris non vnius caussa hominis edixisses, cautius composuisses*. Idem *cap.* 45. refert, ridiculum edictum proposuisse Verrem in gratiam heredis Minucii, cuius testamentum alioquin iure nullum erat. *Componet*, inquit, *edictum, iis verbis, vt quiuis intelligere possit, vnius hominis caussa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat*. Talia permulta sunt in illis in Verrem orationibus.

§. LXXII.

Hinc SCto iussi sunt ex edictis perpetuis ius dicere.

Id quum demum intolerabile videretur ciuitati liberae, et ius incertissimum redderet: anno ab V. C. 585. *L. Aemilio Paullo* et *C. Licinio Crasso* coss. *V. Kal. Apr.* in curia Hostilia factum est sc. VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS * IVS DICERENT. Cuius SCti notitiam verbaque debemus *Actis diurnis*, quorum fragmenta quaedam insignia ediderunt Steph. Vin. Pighius *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 378. Reines. *Inscript. Class. IIII. num.* 2. et omnium adcuratissime Henr. Dodwello, Adpend. *praelect. Cambden. p.* 665. *sequ.*

* Neque tamen PERPETVVM dicitur hoc edictum, quasi aeternum duraturum, quale esse debuit illud a Saluio Iuliano compositum sub Hadriano: sed quod illud per totum annum nullam subiturum esset mutationem. Nam *perpetuum* dicitur etiam, quod est continuum, vel non interruptum, quamuis

uis non infinitum. Sic *palus* PERPETVA apud Caesarem *de Bello Gall. Lib. VII. cap.* 57. PERPETVA *amicitia* apud Q. Ciceron. *de petit. consul. cap.* 6. *biennium* PERPETVVM apud Terent. *Hecyr. Act. I, scen.* 2. *v.* 12. vbi Donatus: *vt continuationem casus sui ostenderet*, PERPETVVM *dixit*. Huius notionis quum non meminissent Menardus *in Cicer. in Verr. I. pag.* 103. Guil. Grot. *de vit. ICtor. Lib. II. cap.* 6. non mirum est, eos maxime caecutiisse circa naturam edicti perpetui, quale ante Hadrianum Imp. inualuerat.

§. LXXIII.

Postea etiam lege Cornelia.

At ne id quidem SC. par fuit illi praetorum licentiae. Nam multo post illa tempora C. Verres in vrbe, et in Sicilia edicta sua in gratiam odiumque aliorum frequenter mutabat, et varie ius dicebat. Cicero *in Verr. I. cap.* 46. Nec religiosius reliqui praetores edicta sua seruabant. Quo factum est, vt anno ab V. C. 686. C. CORNELIVS, trib. pleb. magna cum nobilium hominum offensione * legem ferret, VT. PRAETORES. EX. EDICTIS. SVIS. PERPETVIS. IVS. DICERENT. *Quae* LEX CORNELIA *tum gratiam ambitiosis praetoribus, qui* VARIE *ius dicere adsueuerant, sustulit*, vti obseruat Ascon. Paedian. *ibid.* Meminit eiusdem legis Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 19. qui ejus sententiam ita exprimit: Κατ' ἀρχάς τε εὐθὺς στρατηγοὺς τοῦ δικαίου ὅτι χρήσονται προλέγειν καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρατρέπειν: *vt et statim praetores principio edicerent, quo iure essent vsuri, et deinde nequaquam ab eo deflecterent.*

* Rem perspicue exposuit Ascon. Paedianus in *argumento orationis pro C. Cornelio, maiestatis reo.* C. Cornelius, homo non improbus vita habitus, quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus plebis, Pisone consule, retulerat ad senatum, *ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret*. Relationem repudiabat senatus, quo ex ordine plerique hac credita pecunia permagnum et turpissimum lucrum faciebant. Offensus ea re Cornelius in concionibus senatum turpis lucri accusat, simulque legem rogat, qua senatus minueretur auctoritas, *ne quis, nisi per populum, legibus solueretur*. At senatus facile monuit P. Seruilium Globulum, tribunum pleb. vt Cornelio obsisteret. Et sane orto tumultu, in quo et C. Pisonis cos. fasces fracti, lapidesque in consulem ex vltima concione iacti sunt, concilium tum dimittendum fuit. Postea sine tumultu pertulit legem paullulum emendatam, *ne qui a senatu legibus solueretur, nisi ducenti adfuissent.* Audacior hoc successu factus et alias leges, et hanc de praetorum edictis promulgauit tulitque, per quas contentiones paene totus eius tribunatus peractus est. Sequenti deinde anno reus maiestatis factus est a Cominiis fratribus, defensusque a Cicerone, desistentibus accusatoribus, euasit, nomenque eius de reis exemtum est. Plura sciremus, si orationes illae Ciceronis integrae ad nos peruenissent. Iam vix fragmenta quaedam nobis seruauit laudatus Asconius.

§. LXXIIII.

Hinc ius praetorium multo, quam antea, certius factum.

Hac ergo lege effectum est, vt non modo paullo minus necessarium esset edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, nisi quis repentino aliquo edicto damnum sensisset, sed et ipsum ius praetorium in posterum paullo videretur certius, quod pleraque tralaticia edicta in albo legerentur, et praetores, licet quotannis edicerent, pauca tamen noua capita veteribus adstruerent. Hinc ICti ex eo tempore edicta praetoris colligere, suisque illustrare coeperunt ani-

ma-

maduersionibus, veluti SER. SVLPICIVS, *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* * A. OFILIVS, *d. l.* 2. §. 44. *D. eod. l.* 1. *D. ne quis eum, qui in ius voc.* et ANTISTIVS LABEO, *l.* 1. §. 5. *D. de fugitiu.* Gell. *Noct. Att. Lib. XIII. cap.* 10.

* Sunt hi ipsi libri, qui alias *ad Brutum* scripti dicuntur. Hinc Pomponius: *Idem Ofilius edictum praetoris primus diligenter composuit, nam ante eum* SERVIVS *duos libros ad Brutum perquam breuissimos ad edictum subscriptos reliquit.* Et *l.* 5. §. 1. *D. de instit. act.* laudatur SERVII *liber primus ad Brutum:* non quasi Bruti, ICti, libros commentario illustrarit, sed quod has meditationes edictales M. Bruto, Iulii Caesaris interfectori, cui Cicero etiam libros *de finibus*, et *de natura deorum*, itemque *Oratorem*, et paradoxa sua nuncupauerat, inscripsisset. Eu. Orton. *Ser. Sulpic. cap.* 7. §. 3. *pag.* 1598. *Tom. V. Thesaur. iur. ciu.* Ceterum quum vix minus necessariis scriptionibus operam dedisse virum negotiosissimum, probabile sit: recte ex ipsa breuitate, qua vius dicitur, colligere mihi videor, primum hunc libellum complexum esse iuris prudentiae elementa, eumque adeo in gratiam auditorum prodiisse. Studium fane iuris tum ab edicto auspicatos esse plerosque, testatur Cicero *de legib. Lib. I. cap.* 5. *a praetoris edicto plerique nunc, non a XII. tabulis, vt superiores, hauriendam iuris disciplinam, putant.* Vid. Iac. Perizon. *de leg. Vocon. pag.* 219. *edit. nou.* Ever. Otto *ibid. pag.* 1599.

§. LXXV.

Edictum aedilium curulium. Eodem iure, quo praetores, etiam AEDILES CVRVLES de rebus ad curam suam pertinentibus, (§. 56.) edicta proposuisse diximus, * (§. 61.) quae et ipsa *iuris honorarii portio* erant. §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* Nec tamen, sicuti praetores, singuli videntur edixisse, sed communiter. Cuiac. *Obs. Lib. XXV. cap.* 16. Vnde vix legas in *Digestis: ait aedilis:* sed in numero pluratiuo: AIVNT, VOLVNT, NOLVNT, PRAECIPIVNT, et DENVNCIANT, LOQVVNTVR, ORDINE FECERVNT AEDILES, cetera *l.* 1. §. 1. *l.* 17. §. 17. *l.* 12. *l.* 25. *pr. l.* 44. *pr. l.* 37. *l.* 38. §. 1. *l.* 25. §. 10. *D. de aedil. edict.*

* Quod ius ab ipsa magistratus sui origine videntur vsurpasse. Nam iam Plautus, qui centum circiter et septuaginta annis post primos aediles curules scripsit, ad edictum eorum, tamquam rem notissimam, suo more adludit *in Captiv. Act. IIII. scen.* 2. *v.* 43.

Eugepe, EDICTIONES AEDILICIAS *hic habet quidem:*
Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.

Loquitur enim de Ergasilo parasito, qui adcurrens in via inuehitur in *pistores scrophipascos, qui alunt furfuri sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum possit:* deinde in *piscatores, qui praebeant populo pisces foetidos, qui aduehantur quadrupedanti crucianti canterio, quorum odos subbasilicanos omnes abigat in forum:* tum in *lanios, qui concinnent liberis orbas oues, qui locent caedundos agnos, et duplam agninam dent, qui petroni nomen indant verueci sectario.* Haec omnia ad aedilium curam pertinebant, adeoque eleganter a Plauto vocantur *edictiones aedilicias.*

§. LXXVI.

Eorum capita, quae in iure supersunt. Quamuis vero Eu. Otto *de tutel. viar. Par. III. cap.* 2. *pag.* 427. contra Albericum a Porta, Fulgosium, Zoesium, et Boekelmannum, recte obseruauit, non vnum fuisse edictum aedilicium, sed plura, et ad varias caussas, de quibus eorum erat iurisdictio, pertinentia, eaque demum in vnum collecta corpus suis partibus et titulis

titulis distincta videri: in iure tamen nostro tria tantum supersunt capita, quae sola Saluius Iulianus in edictum perpetuum retulit, *l. 1. §. 1. sequ. D. de aedil. edict.* Vnum de mancipiorum *, *l. 1. §. 1. D. eod.* alterum de iumentorum venditionibus, *l. 38. §. 1. 2. D. eod.* tertium de cane, verre, similibusque animalibus ibi, vbi vulgo iter fit, non habendis, *l. 40. sequ. D. eod.* Quod postremum erudite illustrauit Otto *ibid.*

* At ne id quidem caput satis integrum in Pandectis reperitur. Quum enim in *l. 1. §. 1. de aedil. edict.* venditores tantum iubeantur CERTIORES FACERE EMTORES, QVID MORBI VITIIQVE CVIQVE SIT, EAQVE OMNIA PALAM RECTE PRONVNCIENT: verba vetusta et *γνήσια* apud Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. ita se habent: TITVLVS SERVORVM SINGVLORVM VTEI SCRIPTVS SIT COERATO, ITA VTEI INTELLIGI RECTE POSSIT, QVID MORBI, *cet.* Tituli huius modi, quo vitia morbiue mancipiorum exprimi solebant, meminerunt Seneca *Epist.* 46. et Philostrat. in *Vit. Apollon. Tyan. Lib. III. cap. 25. pag. 115. edit. Olear.* vbi *ἄνωθεν τῶν ἀνδραπόδων* ΤΟ ΜΗ ΚΛΕΠΤΕΙΝ ΑΥΤΑ: *titulus mancipiorum:* NON FVRANTVR.

§. LXXVII.

Passim tamen et aliorum huius edicti capitum extant vestigia. Quum enim et funerum cura penes aediles esset: permulta edixisse videntur de sumtibus funerum, ritibus funebribus, et structura monimentorum sepulcralium. Ouid. *Fastor Lib. VI. v. 663.* Caput de funeribus et eorum sumtibus.

Adde quod AEDILIS *pompam qui funeris irent,*
Artifices solos iusserat esse decem *.

Et Reines. *Inscript. Class. II. num. 73. pag. 291.* elegans describit marmor, in quo C. Cestii heredes profitentur, se monimentum fecisse ex pecunia, quam pro suis partibus receperint ex venditione Attalicorum, QVAE EIS PER EDICTVM AEDILIS IN SEPVLCRVM C. CESTII INFERRE NON LICVERIT. Conf. Cicer. *ad Attic. Lib. XII. epist. 35. 36.*

* Quum ex Cicerone *de legib. Lib. II. cap.* 23. constet, iam legibus XII. tabularum cautum fuisse: TRIBVS RICINIS ET DECEM TIBICINIBVS FORIS EFFERRE IVS ESTO: verba Ouidii sollicitare non dubitat Iac. Gothofredus *Not. in XII. tabul. pag.* 233. pro *aedilis*, rescribens EDICTIS, et per *edicta* intelligens XII. tabulas, quae adpellatio sine exemplo esse videtur. Et cur non legem XII. tabularum, luxu insequentium saeculorum, vt fieri solet, euersam, in vsum reuocare potuerint aediles? Vid. Petr. Burmann. *ad Ouid. Tom. III. pag. 414. sequ.* Hos sane de minuendis funerum impensis edixisse, extra omnem dubitationis aleam positum est ob lapidem Reinesianum. Ex quo simul patet, quomodo sint intelligenda verba Ciceronis *Philipp. VIIII. cap. 7. senatum censuisse, atque aere publica existimare, aediles curules* EDICTVM, *quod de* FVNERIBVS *habeant, Ser. Sulpicii L. F. Lemonia Rufi funeri remittere.* Ea enim Paullus Manutius recte interpretatus est de sumtibus funerum, quum contra satisfacere vix videantur coniecturae Iac. Gutherii *de iure Man. Lib. II. cap.* 1. et Io. Guil. Hoffmann. *Histor. triumuirat. §. 10. pag. 31. seqq.*

§. LXXVIII.

Aliud edicti aedilicii caput de castratoribus puerorum quadruplo puniendis, memoratur *l. 27. §. 6. D. ad leg. Aquill.* quod iuuenili, sed docta commentatione illustrauit Euer. Otto edita *Steinuord.* 1710. De castratione puerorum, et rebus in see-

 Apud

fcenam non proiiciendis. Apud Macrobium porro *Saturn. Lib. II. cap. 6.* legimus, aediles aliquando propofuiffe edictum: NE QVIS ALIQVID IN SCENAM PRAETER POMVM IACERE VELLET: Cafcellium vero ICtum, interrogatum, num nux pinea pomum fit? facete refpondiffe: *fi in Vatinium miffurus es, pomum eft* *.

* Fuiffe & alia edicti aedilicii capita, et inde colligi poffe videtur, quod *l. 2. D. de diuerf. et temp. praefcript.* Marcellus PLERASQVE *actiones* AEDILICIAS *certo tempore finiri*, ait. Quum enim hodie nullam fciamus, quae non fit temporalis: confequi videtur, vt quarumdam, quae perpetuae fuerunt, ipfa memoria interciderit. At neruos huic argumento incidit Bynkershoekius, *Obf. Lib. VII. cap.* 8. cuius coniectura, pro PLERAEQVE, extrita vna littera, legentis PERAEQVE tam eft elegans et verofimilis, vt omnibus adfenfum extorquere videatur.

§. LXXVIIII.

Edicta prouincialia. Denique et magiftratus prouinciales, quales libera adhuc republica erant COSS. PRAETORES, PROCOSS. PROPRAETORES, (Car. Sigon *de iure prouinc. Lib. II. cap.* 1.) edicta in prouinciis fuis proponebant. Habebant equidem fingulae prouinciae fuas leges, quae victis gentibus ab imperatore de decem legatorum fententia dari folebant, fancte deinde feruandae a praefidibus: Cicero *in Verr. II. cap.* 13. Liu. *Lib. XXXIII. cap.* 31. *Lib. XXXXV. cap.* 25. erant etiam quaedam in prouinciis ciuitates αὐτονόμοι, quibus ob bene merita fuae leges permiffae*: Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap.* 9. denique et ipfae leges Romanae faepe ad vniuerfum orbem Romanum fingularibus fanctionibus porrigebantur: Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 18. 20. *et ibi* Schulting. *l. 5. pr. D. de manumiff.* attamen his omnibus veluti auctarium et fupplementum accedebant EDICTA PROVINCIALIA.

* Non vniverfa prouincia eafdem a victore leges accipiebat, fed prout fe ciuitates aduerfus victorem populum gefferant, de eoque meriti fuerant, ita vel duriores vel mitiores leges accipiebant. Car. Sigon. *de iure prouinc. Lib. I. cap.* 1. Aliquando humanioris ingenii imperatores totam prouinciam fuis vti legibus patiebantur: & tale exemplum L. Aemilii Paulli, Macedonibus αὐτονομίαν concedentis eft apud Liuium *Lib.* XXXXV. *cap.* 32. Si ciuitas αὐτονόμος, fuis relictis legibus, ius Romanum fua fponte adoptaffet, populus ille FVNDVS FACTVS dicebatur Cic. *pro Balb. cap.* 8. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVI. cap.* 13. Qua de re doctiffimae exftant NIC. RIGALTII, ISM. BVLLIALDI, et HENR. VALESII Diatribae *de populis fundis*, iunctim editae *Diuione* MDCLVI. 8. recufae in Graeuii *Thefauro Antiqu. Rom. Tom. II.*

§. LXXX.

Eorum varietas. Qui nimirum mittebantur in prouincias, exemplo praetorum, ipfi quoque fub aufpicium magiftratus fui, quomodo ius dicturi effent de quibuslibet cauffis, edictis denunciabant: Sigon. *de iur. prou. Lib. II. cap.* 5. idque faciebant non modo confules, et procoff. fed et propraetores, vti patet exemplis L. Domitii et P. Licinii Neruae, praetorum Siciliae, apud Valer. Max. *Lib. VI. cap.* 3. *exempl.* 6. *et in Excerpt. Peirefc. pag.* 633. Totidem ergo erant edicta PROVINCIALIA, quot prouinciae, celebranturque paffim edictum SICILIENSE, Cicer.

Cicer. in Verr. I. cap. 43. ASIATICVM, et SYRIACVM, Id. *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. nec non CILICICVM*. Id. *ad diuers. Lib. III. epist.* 8.

* Ex his locis adparet, diuersa quidem fuisse haec edicta: at saepe praesides prudentiores, optima quaeque ac saluberrima, non modo ex vrbano, sed et ex aliarum prouinciarum edictis in sua transtulisse. Fecit id sane Cicero, qui *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. de se ipso refert, quaedam se de Bibuli, Syriae procos. nonnulla ex Q. Mucii edicto Asiatico in suum Cilicicum transtulisse: pleraque de iure dicundo, praeter ea, quae sine edicto satis commode explicari non posse visa sint, ἀγράφως reliquisse, et praemonuisse tantum prouinciales, se de eo genere sua decreta ad edicta vrbana adcommodaturum.

§. LXXXI.

Ceterum et haec prouincialia edicta vel TRALATICIA erant, vel NOVA. Pleraque enim ex decessorum suorum edictis retinebant: at nihilominus tamen iisdem et noua quaedam adsuebant*. Cicero *ad diuers. Lib. III. epist.* 8. Quin ea in re vel maxime elucebat magistratuum prouincialium prudentia, si quid noui, quod prouinciis suis salutare esset, constituissent. Quo nomine L. Lucullum laudat Cic. *Quaest. acad. Lib. III. cap.* 1. quod *in eo tanta fuerit prudentia in constituendis temperandisque ciuitatibus, tanta aequitas, vt multo post steterit Asia, Luculli institutis seruandis, et quasi vestigiis persequendis.* Similes sunt laudes, quibus Quintum fratrem prosequitur *Lib. I. epist.* 1. Erant illa vel tralaticia vel noua.

* Ita ipse Cicero *ad diuers. Lib. III. epist.* 8. testatur, se pleraque ex Appii Pulcri edicto iisdem verbis transcripsisse in suum, et noua quaedam addidisse de minuendis ciuitatum sumtibus, quibus ipso magnopere delectetur. Fuere ergo in illo Ciceronis edicto Cilicico quaedam TRALATICIA, alia a Cicerone de NOVO addita: idque et reliqui, qui in prouincias ibant, magistratus adcurate obseruabant.

§. LXXXII.

Recte porro obseruatum est a Carolo Sigon. *de iure prou. Lib. II. cap.* 5. tria potissimum in edictis suis componendis exerendisque cauere solitos esse bonos praesides, qui famae seruirent: *primum*, ne quid edicerent contra legem vel formulam prouinciae, (§. 79.): quo nomine male audiebat C. Verres, quod in Sicilia pleraque edixisset contra legem Rupiliam. Cicero *in Verr. II. cap.* 13. *Alterum*, ne quod in vrbe antehac sanxerant, edictis euerterent prouincialibus, quod eidem C. Verri exprobrat Cicero *in Verr. I. cap.* 46. *Postremum* ne quid ipsi vnquam decernerent aduersus edictum suum. Cicero *ad Attic. Lib. VI. epist.* 1. Quae in edictis suis cauerint boni praesides.

§. LXXXIII.

Quandoquidem vero vix dubitandum est, quin idem sibi aliquando adrogarint magistratus prouinciales, quod sibi praetores vrbanos sumpsisse vidimus, puta vt edicta sua, quoties collibitum esset, mutarent: (§. 71.) nihil etiam videtur certius, quam LEGEM CORNELIAM de edictis perpetuis, supra descriptam, (§. 73.) prouinciales etiam An lex Cornelia prouinciales etiam magistratus obstrinxerit?

etiam magistratus obstrinxisse. Quin, si dicendum quod res est, praetorum prouincialium iniquitas occasionem primum dedisse videtur senatui, de edictis magistratuum perpetuis cogitandi. *

* Diximus supra (§. 72.) L. Aemilium Paullum cos. anno ab V. C. 585. auctorem fuisse senatui condendi SCti, vt praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Iam vero ex *Epit. Liu. Lib.* XXXXIII. patet, circa ea tempora praetores nonnullos eo, quod auare et crudeliter administrassent prouincias, damnatos esse, quae fusius narrat ipse Liuius *Lib.* XXXXIII. *cap.* 2. *et* 10. De remedio ergo cogitandum fuit, quo nimia coerceretur praetorum licentia, maxime in prouinciis, vbi senatus populique absentia magistratibus iniquis spem impunitatis multo maximam iniiciebat.

§. LXXXIIII.

Leges intra haec tempora post XII. tabulas conditae. Quamuis ergo iam essent in vrbe leges XII. tabularum, plebiscita, legis actiones, ius ciuile, ex interpretatione prudentum et fori disputatione ortum, ac denique edicta magistratuum quam plurima: non tamen quotannis deerat occasio nouas rogandi ferendique LEGES; nouaque PLEBISCITA, quibus permulta, antea vel plane non, vel aliter, quam e re publica videretur, definita sancirentur. Eas cum cura iam collegerunt alii. * Licebit tamen et hic earum texere catalogum; et quaedam ab aliis non obseruata, passim adspergere.

* Huc pertinet ANT. AVGVSTINI liber *de legibus* et alter *de SCtis Romanorum*, cum Fuluii Vrsini *fragmentis* Romae 1583. 4. et postea aliquoties in Gallia. PAVLLI MANVTII *de legibus* et separatim aliquoties, et cum priore insertus *Tomo II. Thesauri Graeuiani*. Ediderunt et VDALR. ZASIVS, et POMP. LAETVS, et FRANC. HOTOMANVS *legum Romanarum catalogos*, sed in quibus praeter earum nomina et obiectum vix quidquam notabile inuenias, quamuis ZASII catalogum passim illustrarit LVD. CHARONDAS, et cum aliis eiusdem argumenti scriptis inseri meruerit locupletissimo *Antiquit. Rom. Thesauro*. Addi debent PAVLLI MERVLAE *de legibus Romanorum* libri diligentissime scripti, et cum aliis eiusdem lucubrationibus, ad antiquitates Romanas pertinentibus editi *Lugd. Bat.* 1686. 4. et collegae olim coniunctissimi, nunc amici desideratissimi, CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNI *Historia iuris Rom. Iustin. pag.* 42. *seqq.*

§. LXXXV.

Earum recensus. Nos omissis iis, quae ad ius Romanorum publicum pertinent, eas tantum, quae de iure priuato, publicisque iudiciis agunt, obseruata litterarum serie *, paucis recensebimus, ita tamen, vt in earum aetatem, vbicumque id fieri poterit, simul inquiramus, et, quid illis sancitum sit, paucis indicemus. Quod studiosis eo gratius futurum speramus, quo minus in omnium manibus versantur, quae paullo ante laudauimus, doctissimorum virorum opera.

* Quum plerarumque legum aetas incerta sit; res ardua est, earum chronotaxin adcuratam dare. Ausus hic quaedam est STEPH. VIN. PIGHIVS *in Annal. Rom.* sed in eo opere permulta hariolatur auctor, paucissima certis ac exploratis veterum testimoniis probat. Nos temporis characteres vbique, quoad eius fieri potest, notabimus.

§. LXXXVI.

Leges Acilia Calpurnia de Agmen ducit LEX ACILIA CALPVRNIA *de ambitu*, lata anno ab V. C. 697. *M. Acilio Glabrione* et *C. Calpurnio Pisone* coss. qua ab

cautum, *vt id crimen et mulcta coërceretur, et damnati nullum amplius magistratum capere nec senatui interesse possent, et accusatoribus certa praemia constituerentur* *. Dio Cass. *Lib. XXXVI. pag.* 18. Sigon. *de Iudic. II. cap.* 30. *pag.* 435. Nec praetermittenda LEX AEMILIA *sibaria* lata a *M. Aemilio Lepido* et *Q. Luctatio* coss. anno ab V. C. 675. qua non sumptus coenarum, sed ciborum genus et modus praefinitus est. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 24. Macrob. *Saturn. Lib. II. cap.* 13. Cui iungimus LEGEM APPVLEIAM *maiestatis* conditam anno ab V. C. 652. *C. Mario* V. et *M. Aquillio* coss. qua vis praecipue in vrbe ac seditio videtur vindicata. Cic. *de orat. Lib. II. cap.* 25. 49. ambitu, Aemilia cibaria, et Apuleia maiestatis.

* Est haec lex inter eas, quam inuiti tulerunt coss. Auctor enim est Dio Cassius; adeo ab ambitu non alienos fuisse coss. vt ipsi alieno studio et magna contentione eum magistratum sint adepti. Pisonem certe ambitus accusatum vix euasisse. A senatu ergo coacti hanc legem rogarunt, quod C. Cornelius tribunus pl. acerbissimas poenas ambitus reis constituere cogitaret, atque id maxime populo adprobante. Et sane in fragmentis Ciceronianae *orat. pro C. Cornelio, maiest. reo*, legimus, *populum eam legem flagitasse*, senatum autem existimasse immodicarum poenarum denunciatione terrorem iniici hominibus, modicis autem poenis propositis nec accusatores, nec iudices defuturos. Hinc auctorem ferendae legis consulibus fuisse.

§. LXXXVII.

LEX AQVILLIA *de damno iniuria dato* est plebiscitum perantiquum, at incertae aetatis *. Eius capita primum et tertium supersunt in *l.* 2. *pr. et l.* 27. §. 5. *D. ad leg. Aquill.* Caput secundum in vsu esse negauit Iustinianus §. 12. *Inst. de leg. Aquill.* Hinc plures inanem operam impenderunt quaestioni, quid illo capite cautum fuerit? Vid. Iac. Cuiac. *in Paratit. D. et C. ad h. t.* cui nonnulla obuertunt Bynkersh. *Obseru. Lib. I. cap.* 13. et Ger. Noodt *de lege Aquill. cap.* 1. *pag.* 176. et qui rem singulari scriptione dignam credidit, Claud. Chiffletius *de secundo capite leg. Aquill. Tomo V. Thesaur. iur. pag.* 873. *seqq.* Immo plura fuisse huius legis capita, quae deinde perierunt, quod ea praetor mutasset, admodum est verosimile. Ger. Noodt *de lege Aquill. cap.* 1. Bynkersh. *Obs. Lib. I. cap.* 13. Ceterum praeter laudatum NOODTIVM hanc legem illustrauit FRANC. BALDVINVS. Lex Aquillia.

* Certum est, hanc legem exstitisse ante Ciceronem; qui *in Bruto, cap.* 34. meminit *legis Aquilliae de iniuriis*: immo et ante Brutum et Scaeuolam, qui primi ius ciuile fundasse dicuntur. Nam hos legem etiam Aquilliam exposuisse, constat. *l.* 27. §. 22. *l.* 39. *pr. D. ad leg. Aquill.* Vterque quum circa annum ab V. C. 600. floruerit: probabile est, auctorem huius plebisciti fuisse *L. Aquillium* P. F. L. N. *Gallum*, quem anno ab V. C. 572. tribunum plebis fuisse, tradit Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 330. quamuis, quem ille auctorem habeat, fatear me scire iuxta cum ignarissimis. Praeturam tamen eum gessisse anno ab V. C. 576. testis est Liu. *Lib. XXXXI. cap.* 18.

§. LXXXVIII.

Lege porro ATILIA cautum est, vt pupillis et mulieribus praetor cum maiore parte tribunorum plebis tutorem daret *. *pr. Inst. de* Lex Atilia.

Ati-

Atilian. tut. Addimus *mulieres*, quia et Hispala Fecennia, libertina, tutorem a praetore et tribunis accepit, teste Liuio *Lib. XXXVIIII. cap.* 9. Quod quum factum sit anno ab V. C. 566. oportet hanc legem iam ante id tempus extitisse, adeoque probabile est, conditam illam esse a *L. Atilio Regulo*, tribuno plebis anno ab V. C. 443. Liu. *Lib. VIIII. cap.* 30.

* Em. Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 37. ex eadem lege esse putat obligationem matris, intra annum a morte patris tutorem liberis impuberibus petendi. §. penult. *Inst. de SC. Tertull.* Petendus enim est *secundum legem*, vt est in *Nouella Theodosii de tutorib.* vel *secundum leges*, *l.* 10. *C. de legit. hered.* per quas probabiliter intelligi putat leges Atiliam, et Iuliam, et Titiam. Sed quum mater tempore conditarum harum legum nondum esset heres liberorum, (quod ius per SC. Tertullianum demum accepit), adeoque et hereditate mulctari non potuerit ob petitionem tutoris omissam, & praeterea id ius diserte ex constitutione esse dicatur: *l.* 2. §. 2. *l.* 4. *pr.* §. 1. §. 4. *D. qui pet. tut. vel curat.* parum verosimilis videtur haec Merillii sententia, malimque ego per *leges* intelligere constitutiones principum, quae saepe LEGVM nomine in Iure nostro veniunt, vti *l.* 22. *C. de admin. tut. vel curat. l.* 12. *D. de legat. praest.*

§. LXXXVIIII.

Lex Atinia de vsucapione rerum furtiuarum.

LEX ATINIA, ipsa quoque incertae aetatis *, rerum furtiuarum vsucapionem, antequam ad dominum reuersae sint, inhibuit, quamuis et legibus XII. tabularum idem cautum fuisse constet. §. 2. *Inst. de vsucap. l.* 4. §. 6. *D. de vsurp. et vsucap. l.* 215. §. 1. *D. de verb. signif.* Eam legem singulari libello illustrauit Hadr. Puluaeus, nuper a Conrado cum Raeuardi Triboniano, nec non *Tomo IIII. Thesaur. iur. pag.* 327. edito, qui tamen magis in Cuiacium iniuriis, quam bonae frugis plenus est.

* Immo et ipsum nomen legis non satis certum est. Theophilus enim §. 2. *Inst. de vsucap.* vocat Ἀτίνιον νόμον, quo nomine etiam reliquis Graecis venit, habeturque id vocabulum etiam in quibusdam *Institutionum* editionibus. At plus tribuendum pandectis Florentinis, Ciceron. *in Ver. I. cap.* 4. et Gell. *Noct. Attic. Lib. XVII. cap.* 7. quibus constanter dicitur ATINIA. Quare verosimile est, legem hanc latam a *C. Atinio Labeone*, tribuno plebis anno ab V. C. 556. Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Tom. II. pag.* 255.

§. LXXXX.

Lex Aufidia, et Cornelia Baebia de ambitu.

Nec praetermittenda LEX AVFIDIA *de ambitu*, anno ab V. C. 691. *Messalla* et *Pisone* coss. ab Aufidio Lurcone trib. pl. lata, in qua id de nouo sancitum erat, *vt qui nummos in tribu pronunciarit, si non dederit, impune esset; sin dederit, singulis tribubus sestertium XXX. deberet.* Cic. *ad Attic. Lib. I. epist.* 1. Eiusdem generis, at paullo antiquior, est LEX BAEBIA AEMILIA, vti Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 30. vocat, vel potius BAEBIA CORNELIA *de ambitu*, qua anno ab V. C. 571. cautum, *ne suffragationes et coitiones fierent* *. Plura de hac lege ignoramus.

* Legis ipsius meminit Liu. *Lib. XXXX. cap.* 19. sed verbis bis paucissimis: *et leges de ambitu consules auctoritate senatus ad populum tulerunt.* Sed supersunt quaedam fragmenta ex oratione Catonis pro hac lege adlata a No

Nonio, quae omnia ad largitiones pertinent: ex quibus adeo non inepte colligit Sigonius legem hanc potissimum largitionibus corruptionibusque tribuum ac centuriarum fuisse oppositam. Rogarunt legem eius anni consules, *P. Cornelius Cethegus*, et *M. Baebius Tamphilus*, vt adeo nescire me fatear, cur Sigonius hanc legem tribuerit Aemilio Paullo, tum non consuli, sed longe ab vrbe aduersus Macedonas bellum gerenti.

§. LXXXXI.

Leges Calpurnia repetundarum et Cincia de donis et muneribus.

Nec minus nota est CALPVRNIA *repetundarum*, lata anno ab V. C. 604. a *L. Calpurnio Pisone*, tribuno plebis, qua cautum, vt prouinciales pecuniam, quam magistratus contra leges acceperint, constituto Romae iudicio repetere possent. Cic. *in Verr. IIII. cap.* 56. Inprimis vero celebris LEX CINCIA *de donis et muneribus*, qua vetitum, ne quis ob caussam orandam donum munusue caperet. Liu. *Lib. XXXIIII. cap.* 4. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 5. Latam eam nouimus a *M. Cincio Alimento*, tribuno pleb. anno ab V. C. 549. *Cornelio* et *Sempronio* coss. nec quisquam ignorat eruditissimum de ea *Commentarium* scripsisse FRIDERICVM BRVMMERVM, editum *Lutet. Paris.* 1668. 4. recusumque Lipf. 1712. 8. *

* Eo commentario Brummerus, quidquid de hac lege dici poterat, tam luculenter exposuit, vt nemo Iliada post hunc Homerum scribere velit. Nam *cap.* 1. statim de auctore et nomine legis egit, eaque occasione de ipsa gente Cincia quaedam non vulgaria disseruit. Deinde non modo capita huius legis expendit, quorum primum, de quo *cap.* 2. fuit, NE QVIS OB CAVSSAM ORANDAM DONVM MVNVSVE CAPIAT; alterum, de quo *cap.* 12. VT NE PLVS .... HS. DONARE LICERET, EXTRA QVAM SI CONIVNCTIS PERSONIS DONARETVR, QVOD EO AMPLIVS DONATVM ESSET, RATVM NE ESSET: tertium, de quo *cap.* 13. VT IN DONATIONE QVIBVSCVMQVE PERSONIS FACTA MANCIPATIO TRADITIOVE INTERVENIRET. Sed et vbique occasiones huius legis, relationes eiusdem, temperamenta, obseruationem, fraudes ei factas, et totam donorum & munerum, quae vel advocatis, vel aliis data sunt, historiam adcurate exponit, vt quidem nihil, quod ad illustrandam hanc legem facere videatur, omiserit. Sententiam tamen eius, quod *caput* 2. per *l. vlt. C. Th. de sponsal.* sublatum sit, recte refellit Ant. Schulting. *ad Vlpian. Fragm. pag.* 561.

§. LXXXXII.

Plures leges Corneliae.

Sequumtur variae leges CORNELIAE, nec aetatis vnius, nec eiusdem omnes auctoris. Vt enim iam non repetam, quae paullo ante de variis legibus a C. CORNELIO, tribuno plebis, anno ab V. C. 686. latis, diximus: (§. 73. *) lex CORNELIA FVLVIA *de ambitu*, qua capitale esse coepit, suffragia donis et pecuniis emere, rogata est anno ab V. C. 594. *Cn. Cornelio Dolabella* et *M. Fuluio Nobiliore* coss. *Epit. Liu. Lib. XXXXVII.* Incertae aetatis est LEX CORNELIA *de lusu et sponsionibus*, cujus fit mentio *l.* 3. *D. de aleator.* LEGES vero CORNELIAE *maiestatis*, *de sicariis*, *veneficis*, *incendiariis*, *parricidiis*, *falsis*, *iniuriis*, *limitibus*, *et testamentis** omnes nomina obtinuerunt a *L. Cornelio Sulla*, dictatore, adeoque perlatae videntur anno ab V. C. 564. vel insequente:

* Lege *maiestatis*, quae ante Iuliam eiusdem argumenti apud Romanos obtinebat, cautum fuerat, *vt rei maiestatis essent*, *qui intercessionem sustulerint*,

rint, aut magistratui, quo minus munere suo fungerentur, impedimento fuerint, qui exercitum e prouincia eduxerint, aut sua sponte bellum gesserint, exercitum sollicitauerint, ducibus hostium captis ignouerint, potestatem suam in administrando non defenderint, qui, quum ciues Romani sint, apud reges externos versati sint. Vt porro et mulieris testimonium de hoc crimine acciperetur, nec ulla poena sit calumniatoribus. Denique vt damnatis aqua et igni interdiceretur. Cicero *in Pison. cap.* 21. *pro Cluent. cap.* 35. Ascon. Paedian. *argum. orat. pro Cornel. maiest. reo*, Cic. *in Verr. I. cap.* 5. et ibi Ascon. Paedianus *in Schol.* Legis CORNELIAE *de sicariis* capita varia fuerunt, veluti *de iis, qui homines occiderint, quorum dolo malo incendium factum fuerit, qui hominis occidendi furtiue faciendi caussa cum telo ambularint, qui quum magistratus essent, publicisue iudiciis praeessent, dedissent operam, quo quis falsum iudicium profiteretur, vt quis innocens conueniretur, condemnaretur, qui hominis necandi caussa venenum confecerint, dederint, quiue falsum testimonium dolo malo dixerint, quo quis iudicio publico rei capitalis condemnaretur: quiue quum magistratus essent iudicesue quaestionis sub capitalem caussam pecuniam acceperint, vt publica lege quis reus fieret. l. 1. pr. et §. 1. D. ad leg. Cornel. de sicar.* Paull. *Sent. rec. Lib. V. tit.* 23. §. 1. Poena erat aquae et ignis interdictio, bonorumque ademtio, sine discrimine, cuius esset conditionis, *l.* 3. §. 5. *l.* 1. §. 2. *D. eod.* postea in honestioribus deportatio, in vilioribus vltimum supplicium. *l.* 3. §. 5. *l.* 16. *D. eod.* Paull. *ibid.* Quin et occisi cognatis aliquid esse adiudicatum pro satisfactione, patet ex *l.* 4. §. 1. *D. eod. et Collat. leg. Mos. et Rom. tit.* 1. §. 11. Cuiac. *Obs. Lib. XIIII. cap.* 4. LEX CORNELIA *de parricidiis* passim memoratur, *l. vlt. C. Th. ad leg. Cornel. de fals. l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* immo et *l.* 11 *pr. D. ad leg. Pomp. de parricid.* Nam ibi aut legendum: *quae est legis Corneliae de parricidiis*, aut eamdem fuisse oportet legem CORNELIAM *de sicariis et de parricidiis*. Vid. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 513. De lege CORNELIA *de falsis*, quae et *testamentaria*, omnia nota sunt ex Paulli *Sent. rec. Lib. V. tit.* 25. §. 1. *seqq.* Et ex hac lege etiam esse videtur *fictio legis* CORNELIAE, qua is, qui apud hostes decessit, in ciuitate decessisse, fingitur. *l.* 18. *D. de captiu. et postlim. l.* 12. *D. qui test. fac. poss.* Paull. *Sent. rec. Lib. II. tit.* 4. §. 8. De lege quoque CORNELIA *de iniuriis* omnia peruulgata sunt. Addi tamen potest Schulting. *ibid. pag.* 430. Legis CORNELIAE *de limitibus* meminit Hyginus *de limit. pag.* 152. eaque cautum fuerat, *vt per actuarios limites populo, sicut per viam publicam iter faciendi ius esset*. Quamuis ab hoc, an alio Cornelio lata sit, nondum constet. Quin quum iungantur *leges Sempronia et Cornelia et Iulia*: fieri potest, vt lex dicta sit *Cornelia Iulia*. Collegas autem *Cn. Cornelium Cossum* et *C. Iulium Iulum*, tribunos milit. cos. pot. reperias anno ab V. C. 347. Liu. *Lib. IIII. cap.* 58.

§. LXXXXIII.

Leges Didia sumtuaria et Duillia Maenia de foenoribus, Fabia de plagiariis.

Nec minus celebris est lex DIDIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. 610. *Appio Claudio* et *Q. Metello* coss. qua cautum, *vt vniuersa Italia lege Fannia teneretur, vtque non modo qui sumtuosius epularentur, sed et conuiuae in poenas legis inciderent*. Macrob. *Saturnal. Lib. III. cap.* 17. Cui subiungimus legem DVILLIAM MAENIAM, a *M. Duillio* et *L. Maenio*, trib. pl. anno ab V. C. 398. *Marcio* et *Manlio* coss. perlatam, *ne quis foenus vnciario maius exerceret*. Liu. *Lib. VII. cap.* 27. Noodt *de foenor. et usur. Lib. II. cap.* 4. FABIAM *de plagiariis* latam esse volunt anno ab V. C. 571. Ex ea capitale crimen nascebatur aduersus eum, qui liberum hominem sciens emit, suppressit, vendidit, donauit, in dotem dedit, permutauit, fugitiuum alienum suscepit, celauit, inuinctum habuit, seruo alieno fugam persuasit. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 6. §. 2. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* Poenaque ex ea lege nummaria fuisse dicitur*. *l. vlt. D. eod.* Paull. *Sent. rec. Lib. V. tit.* 6. §. 14.

* Eam poenam nummariam vel pecuniariam in publicatione dimidiae partis bonorum constitisse, suspicatur Rittershusius *ad Paull. ibid.* Et sane ipse Paullus apud *Pariat. legum Mos. et Rom. tit.* 14. §. 2. ait, honestiores ademta dimidia parte bonorum in perpetuum relegatos, humiliores aut in metallum damnatos, aut in crucem sublatos. At id ex ipsa lege Fabia esse, ex Paulli loco non liquet. Immo vero Vlpianus *ibid.* §. 3. mentionem facit poenae sestertiorum quinquaginta millium; quamuis et haec summa satis grandis, et vix probabilis videatur. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 783. Immo ne ratio quidem excogitari posse videtur, cur *capitale crimen* vocetur *l.* 1. *D. ad leg. Fab. de plagiar.* si mere pecuniaria illa poena fuerit.

§. LXXXXIV.

Fabiae de ambitu et re agraria, Fannia sumtuaria, et Furia de modo legatorum.

Sunt et aliae leges FABIAE, veluti illa *de ambitu* vel *numero sectatorum*. Sed eam perlatam non esse comperio, quippe *cui tenuiores restiterunt*, teste Cicerone *pro Muraen. cap.* 34. Certior est lex FABIA, quamuis et ipsa incertae originis, *de re agraria et limitibus*, cuius capita quaedam extant inter Guil. Goesii *Rei agrariae scriptores, pag.* 339. Addimus legem FANNIAM *sumtuariam*, latam anno ab V. C. 592. *C. Fannio* et *M. Messalla* coss. cuius sanctiones * fusius describunt Plin. *Hist. nat. Lib. X. cap.* 50. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 24. Athenaeus *Deipnos. VI. extr. p.* 274. Macrob. *Saturn. Lib. III. cap.* 17. ac postremo legem FVRIAM incertae aetatis *de modo legatorum*, de qua *pr. Inst. de lege Falc.* Cuiac. *Obs. Lib. XVIIII. cap.* 31.

* Inter alia cautum ea lege fuerat, *ut ludis Romanis, plebeiis Saturnalibus et aliis quibusdam diebus centenos aeris in singulos dies impendere liceret: decemque aliis diebus singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. Ne quid volucrum poneretur, praeter quam gallinam, quae non esset altilis.* Ita legem describunt Plinius, Gellius, et Macrobius. Athenaeus vero addit, vetuisse legem, *ne praeter domesticos conuiuae plures tribus exciperentur, aut ad summum* (immo potius κατ' ἀγορὰν, *die nundinarum*, ceu docet Casaubon. *Animaduers. ad Athen. VI.* 21. *pag.* 295.) *quinque, et id singulis mensibus ter tantummodo fieret: neve plures, quam duabus drachmis et dimidia obsonarent e foro.* Porro eamdem legem *carnis in fumum inueteratae in annum talenta quindecim absumere permisisse* ait, *et leguminum, et olerum, quaecumque terra gignat, decocta.* Talia erant fungi, heluellae, beta, malua, et similes cibi parabiles. Casaubon. *ibid. pag.* 296.

§. LXXXXV.

Leges Genucia de foenore, et Hostilia de furtis.

Porro hac temporis periodo perlatae LEX GENVCIA *de foenore*, anno ab V. C. 413. *C. Martio IIII.* et *Q. Seruilio* coss. a *L. Genucio* trib. pl. qua prohibitum, ne cui foenerare liceret. Liu. *Lib. VII. cap.* 42. Ger. Noodt *de foenor. et usur. Lib. II. cap.* 4. LEX HOSTILIA *de furtis*, puta *ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes vel rei publicae caussa abessent. pr. Inst. de iis, per quos ager. poss.* lata, vt videtur, ab *A. Hostilio Mancino* et *A. Atilio Serrano* coss. anno ab V. C. 583. *.

* Legis huius nusquam alias fit mentio, quam *d. pr. Inst. per quos ag. poss.* nec aliud superest eius caput, quam quod pro iis, qui apud hostes aut rei publicae caussa abessent, furti agere permisit, quum adhuc nulli procuratores in foro admitterentur. Quum vero vix probabile sit de eo solo legem la-

latam: verosimile est, quaedam alia hac lege de furtis constituta esse. Ceterum sententia Iosephi Nerii, *Analect. Lib.* I. *cap.* 26. hanc legem ab *hostibus* nomen accepisse existimantis, non minus absona est, quam deriuatio legis Fusiae Caniniae a *cane*, Falcidiae a *falce*, quam vix in glossatoribus toleramus.

§. LXXXXVI.

Lex Iulia Caesaris de vi.

Sequuntur leges IVLIAE, quarum tam multae sunt, vt vel solae longum tractatum poscerent, si de iis agendum esset adcuratius. Sed quum pleraeque ab Augusto demum latae sint: ad hanc periodum pertinet tantum lex IVLIA, *de rebus vi possessis non vsucapiendis*, quae Plautia * recentior, lata est a *C. Iulio Caesare*, dictatore, eaque cautum, *vt nec rerum vi possessarum vlla esset vsucapio*, §. 2. *Inst. de vsucap. l.* 33. §. 2. *D. eod. et iis, qui vim fecerint publicam, aqua et igni interdiceretur*. Cic. *Philipp. I. cap.* 9.

* PLAVTIA multo antiquior est IVLIA, lata quippe *Catulo* et *Lepido* coss. anno ab V. C. 663. auctore praecipue Q. Catulo consule, at rogante C. Plautio, tribuno plebis, a quo et nomen tulit. At quia et hac lege vsucapio rerum vi possessarum fuit inhibita: iunguntur a Iustiniano §. 3. *Inst. de vsucap.* leges Iulia et Plautia, quum potius inuerso ordine dicendum fuisset Plautia et Iulia, vt in *l.* 33. §. 2. *D. de vsurpat. et vsucap.*

§. LXXXXVII.

Leges Iuliae maiestatis et repetundarum.

Inter leges IVLIAS, a Iulio Caesare latas, est etiam IVLIA *maiestatis*, cuius itidem meminit Cicero *Philipp. I. cap.* 9. Ea tamen, quae in Pandecte explicatur, non Iulii Caesaris, sed Augusti, esse videtur. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 29. Quod nos quidem non satis expeditum esse, arbitramur, quum contra certissimum sit, legem hanc saepe, sub malis potissimum principibus, auctam, et acrioribus poenis firmatam esse. Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 72. Freher. *Parerg. Lib. II. cap.* 9. De eius legis capitibus videndi Sigon. *ibid. pag.* 429. et, qui *singularia eius legis* expendit, Nic. Hier. Gundlingius. Addimus legem IVLIAM *de repetundis*, ab eodem Iulio Caesare latam in primo consulatu anno ab V. C. 695. Cic. *in Vatin. cap.* 12. *pro Rabir. cap.* 14. *pro Sext. cap.* 64. *in Pison. cap.* 21. *in Brut. cap.* 27. *de offic. Lib. II. cap.* 21. *in Verr. III. cap.* 84. Suet. *Iul. cap.* 43. Legis quaedam capita supersunt in ipso *titulo D. ad leg. Iul. repetund.* Alia ex Cicerone * collegit Car. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 27. *pag.* 425. *seqq.*

* Fuit haec ex legibus amplissimis, quippe cuius plura, quam centum, capita fuisse obseruat Cicero *ad diuers. Lib. VIII. epist.* 7. Quum enim πολύμορφον sit hoc crimen, et quod se facile in omnes formas ac species commutat: non mirum profecto est, oppositam illi legem capitibus compluribus constitisse. De poena criminis, hac lege proposita, omnia satis incerta sunt. Quae tamen de ea dici possunt, omnia occupauit Ant. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 525.

§. LXXXXVIII.

Lex Iulia

Nec omittenda LEX IVLIA Caesaris *de foenore*. Quum enim populus

pulus nouas tabulas frequentissime postularet : improbam illam spem disiecit Caesar, lata lege, *vt debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid vsurae nomine numeratum perscriptumue* * *fuisset*. Qua conditione quarta fere pars crediti deperibat. Sueton. *Iul. cap.* 42. Iul. Caes. *de bello ciuil. Lib. III. cap.* 1. Ex quo loco simul colligitur, legem hanc perlatam esse *Caesare* et *Seruilio* coss. anno ab V. C. 607. quum victo Pompeio in vrbem victor reuertisset.

de nouarum tabularum expectatione disiicienda.

* *Numeratum* dicitur, quod de domo solutum : *perscriptum*, quod per argentarios. Eo sensu accipiendae praescriptiones apud Ciceron. *de orat. Lib. I. cap.* 58. Burmann. *ad Sueton. Caes. cap.* 42. vbi et ostendit, Henr. Valesium *ad Excerpta Peiresc. p.* 27. *pecuniam perscriptam* male accipere pro in tabulas rationum relata, vel nondum soluta. Ceterum eam legem noua alia adiuuit Caesar. Quum enim multi plurimum pecuniae clam habere dicerentur: ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ ϗ χρυσίῳ κεκτῆσθαι: *ne quis in auro vel argento plus quam LX. sestertium possideret, vetuit.* Dio Cass. *Histor. Lib.* XXXXI. *pag.* 171.

§. LXXXXVIIII.

Celeberrima porro est LEX LAETORIA, quam Plautus *Pseudol. Act. I. scen. 3. v. 68. quinamuicennariam*; alii male *Plaetoriam* vel *Plectoriam* vocant. Quum ergo Plauto fuerit antiquior, eam *M. Laetorium Plancianum*, tribunum plebis circa annum ab V. C. 490. auctorem habuisse probabile est *. Hac quoque multo antiquior est LICINIA *de foenore de capite deducendo*, lata anno ab V. C. 376. a *C. Licinio Stolone*, tribuno pleb. Liu. *Lib. VI. cap.* 35.

Leges Laetoria, et Licinia de foenore.

* Multis capitibus constitit LEX LAETORIA, quae tamquam sparsa Hippolyti membra hic iuuat colligere. Primum enim haec lex annos minorennitatis definiuit, *l. 2. C. Theod. de donat.* dicta ob hanc ipsam caussam *quinauicennaria*. Plaut. *Pseud. Act. I. scen.* 3. *v.* 68. Deinde ex hoc ipso Plauti loco patet, creditoribus negatam esse actionem aduersus adolescentes, quibus crediderant pecuniam. Tertio eadem lex minoribus petentibus caussa cognita curatores dari iussit. Iul. Capitolin. *in Marc. cap.* 10. Quarto adolescentes instipulari vetuit, eorumque promissis vim omnem obligandi detraxit. Plaut. *Rudent. Act. V. scen.* 3. *v.* 25. Sueton. apud *Priscian. Lib. VIII.* Denique quinto minores in quocumque contractu dolo malo laesos restitui in integrum iussit. Cic. *de offic. Lib. III. cap.* 15.

§. C.

Exstitit etiam LEX LICINIA CORNELIA *sumtuaria*, lata anno ab V. C. 656. a *P. Licinio Crasso* et *Cn. Lentulo* coss. cuius sanctiones recensent Cicero *ad diuers. Lib. VII. epist.* 26. Gell. *Noct. Attic. Lib. II. cap.* 24. Macrob. *Saturnal. Lib. II. cap.* 13. * Addimus LEGEM LVCTATIAM *de vi* lata *Q. Luctatio* et C. *Mario* IIII. coss. anno ab V. C. 650. qua in primis cautum nouimus, vt de vi diebus etiam festis iudisque publicis quaereretur. Cicero *pro Coel. cap.* 29.

Leges Licinia Cornelia sumtuaria et Luctatia de vi.

* Videtur hac lege antiquior, FANNIA, quam supra descripsimus, in vsum reuocata, quum gliscente luxu, mox, vt fit, exoleuisset. Macrob. *Saturn.*

turn. Lib. II. cap. 13. Saltim ipſa legis Liciniae ſanctio alteri eſt ſimillima, niſi quod paullo plus, quam Fannia, in ſingulas coenas expenſum tulit. Nam et illa cauebatur, vt *Kalendis, Nonis, nundinis Romanis cuique in dies ſingulos centenos dumtaxat aſſes edundi cauſſa conſumere liceret: nuptiis ducenos; ceteris vero diebus, qui excepti non eſſent, carnis aridae pondo tria et ſalſamentariorum pondo: quod autem è terra, vite, arboreue natum eſſet, impune conſumere liceret.* Hinc *centenaria coena* Feſto eſt, in quam per legem Liciniam non plus centuſſibus, praeter e terra nata, impendere licebat. Gell. *Noct. Att. Lib. II. cap.* 24. Ceterum Macrobius memoriae prodidit, *legis iſtius ferundae probandaeque tantum ſtudium ab optimatibus impenſum eſſe, vt conſulto ſenatu iuberetur, vt ea tantummodo promulgata priuſquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obſeruaretur, quaſi iam populi ſententia confirmata.*

§. CI.

Leges Mamilia de finibus, Manlia de vigeſima manumiſſionis, et Maria de ambitu.

Proxima eſt LEX MAMILIA *de finibus agrorum*, frequentiſſime laudata a ſcriptoribus rei agrariae, in primis a Siculo Flacco *de condit. agror. pag.* 8. lataque anno ab V. C. 642. * Ei addimus LEGEM MANLIAM *de viceſima a manumiſſis aerario inferenda*, latam a *Cn. Manlio* et *C. Martio* coſſ. anno ab V. C. 398. Liu. *Lib. VII. cap.* 16. nec non LEGEM MARIAM *de ambitu*, rogatam a *C. Mario*, tribuno plebis, anno ab V. C. 634. et *vt pontes anguſtiores fierent*, praecipientem. Cic. *de legib. Lib. III. cap.* 17.

* Quum huius legis MAMILIAE ſanctiones, fragmentaque a Guil. Goeſio *Rei agrar. auct. pag.* 339. *ſeqq.* exhibita pauciſſimi intelligant: eam legem paullo adcuratius expendere, operae pretium fuerit. Leges XII. tabularum quinque pedum ſemitam inter fundos relinqui iuſſerant, quae *limitare iter*, et Gracis μεθόρια dicebatur. Idem et lex MAMILIA ſanxerat, teſte Flacco Siculo *de condit. agr. pag.* 8. cuius en ipſa verba: *ſignantur arbores finales vtrimque, id eſt, ex vtraque poſſeſſione, intra pedes quinos, vt legis Mamiliae commemoratae rationem habeant.* Et planius Aggenus Vrbic. *Comment. in Frontin. pag.* 53. *De fine*, inquit, LEX MAMILIA *quinque aut ſex pedum latitudinem praeſcribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod vſucapi non poteſt.* Similia ſunt apud Frontinum *pag.* 40. et Simplicium *pag.* 83. quae hic non adſcribimus. Erat ergo hoc ſpacium inter fundos, et in ipſis finibus: non quaquauerſum circa fines, vti contra Hotomanum oſtendit Guil. Goeſ. *Not. ad Sicul. Flacc. pag.* 129. Eius porro limitaris itineris nulla erat vſucapio. Aggen. Vrbic. *pag.* 53. Alciat. *de quinque ped. praeſcrips. Tomo III. Opp. pag.* 345. Goeſ. *ibid. pag.* 191. Ergo ſi quando de hoc quinque pedum limitari itinere naſcebatur controuerſia, quod imminutum eſſe ab alterutro vicino diceretur, ea vocabatur *controuerſia finalis*, vel *de finibus*, ſeu *iudicium finium regundorum*, in eoque nulla habebatur praeſcriptionis ratio. Sin de ipſo agro lis intercederet: erat haec *controuerſia de loco*, quae non ad agrimenſorem, ſed ad praetorem, pertinebat. Poſtea mos inualuit, vt ſpacium quinque pedum, non vſucapi quidem, at actioni de eo longiſſimo tempore praeſcribi poſſet. Sed id quoque mutarunt Valentinianus, Theodoſius, et Arcadius Augg. *l.* 4. *C. Th. fin. regund.* quam adcurate expoſuit, et a Iac. Gothofredi ὑποβολιμαίᾳ vindicauit Guil. Goeſ. *in Not. pag.* 192. Denique quum Iuſtinianus praeſcriptionem tricennalem limitaris itineris in vſum reuocaſſet: *l.* 3. *C. fin. reg.* factum eſt, vt ſpacium quinque pedum ſenſim plane aboleretur, et fines fierent lineares, quorum de confuſione quotidianas naſci querelas oportuiſſe, facile vnuſquiſque intelligit. Fuerunt vero et alia huius legis capita; veluti, *vt curaret ille, qui coloniam deduxerit, limites vt fiant, terminique vt conſtituantur, neue quis eiiciat, locoue moueat, qui ita conſtituti fuerint: ne limites, qui conſtituti fuerint, ferendo occuparentur, aliaue ratione reddantur inutiles*

tiles vsibus publicis: ut terminum, qui amotus fuerit, is, cuius ager esset, restitueret. Quorum capitum verba legitima supersunt apud Guil. Goes. *pag.* 329. *seqq.*

§. CII.

Leges Oppia et Orchia.

Aeque pulcra fuit LEX OPPIA *de cultu mulierum*, lata anno ab V. C. 539. *Q. Fabio* et *T. Sempronio* coss. a C. *Oppio*, tribuno plebis. Ea vetitum, *ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, neu veste versicolori vteretur, neue iuncto vehiculo in vrbe, vel oppido, aut propius inde mille passibus, nisi sacrorum caussa veheretur.* Liu. *Lib. XXXIIII. cap.* 1. et Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 33. *sequ.* Sed de hac lege nihil est, quod addamus post eruditissimam Io. Guil. Hoffmanni *de lege Oppia* Dissertationem, quae prodiit *Francof. iuxta Viadr. anno* 1736. LEX ORCHIA *de numero conuiuarum* nomen tulit a C. *Orchio*, tribuno plebis, qui anno ab V. C. 570. *Q. Fabio M. Claudio* coss. hanc legem sumtuariam rogauit. Festus *in Obsonitauere*, Macrob. *Saturnal. Lib. II. cap.* 13.

§. CIII.

Leges Pinaria de ambitu, et Plautia de vi.

LEX PINARIA *de ambitu* satis antiqua est, rogata quippe anno ab V. C. 323. a *L. Pinario*, tribuno mil. consul. potest. eiusque collegis. Placuerat enim senatui tollendae ambitionis caussa tribunos legem promulgare, *ne cui album inuestimentum addere petitionis caussa liceret* *. Liu. *Lib. IIII. cap.* 25. De PLAVTIA *quae vim, et rerum vi extortarum vsucapionem* cohibuit, iam supra (§. 96.) diximus. Ea cautum fuerat, *vt aqua et igni interdiceretur iis, qui aduersus rempublicam coniurassent, insidias senatui fecissent, magistratibus vim attulissent, qui cum telo fuissent in publico, aut seditionis caussa loca superiora occupassent: qui possessorem e fundo hominibus armatis deiecissent dolo malo, aut armatis obiectis, vt inde profugeret, caussam attulissent: denique ne praedium, vnde vi deiectus sit possessor vsucaperetur.* Quae legis capita ex Cicerone, Suetonio, et Dione Cassio miro ingenii acumine eruit Carol. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 33.

* Mos erat petitoribus honorum, togam candidam sumere, eamque creta ita imbuere, vt plane splenderet: vnde et λαμπρὸν vocat Polyb. *Lib. X. cap.* 4. quemadmodum et ipsi petitores ab hac toga candida *candidati* dicebantur. Lips. *Elect. Lib. I. cap.* 13. Bernegg. *ad Suet. Caes. cap.* 10. *et* 24. Hinc et togam candidam abiiciebant, qui abiecerant spem potiundi honoribus: quale exemplum Cicereii est apud Valer. Max. *Lib. IIII. cap.* 5. *exempl.* 3. Cur vero illum morem hac lege abolitum voluerit senatus, vix coniectura adsequimur, nisi huc trahere velis locum Plutarchi, ex *Quaest. Rom. pag.* 276. qui petitores, quando in campum descenderint, tunicas posuisse, refert eiusque rei cum alias, tum hanc potissimum rationem reddit: ἵνα μὴ δεκάζωσιν, ἀργύριον ἐν τῷ κόλπῳ κομίζοντες: *ne argentum in sinu gestantes suffragia redimerent.*

§. CIV.

Leges Poetelia de ambitu, et Poetelia Papiria de obaeratis

Nec minus memorabilis est lex POETELIA *de ambitu*, lata a C. *Poetelio*, trib. pl. anno ab V. C. 397. *C. Fabio* et *C. Plautio* coss. Liu. *Lib. VII. cap.* 15. qua cautum fuerat, *ne, qui honores peterent, nun-*

in compedibus non habendis.

nundinas et conciliabula obirent *, Ab ea lege diuersa est POETELIA PAPIRIA, qua, rogantibus *C. Poetelio* et *L. Papirio* coss. anno ab V. C. 429. cautum est, *ne quis, nisi noxam meritus, in compedibus haberetur, vtque pecuniae creditae caussa bona in posterum, non corpora, obnoxia essent.* Liu. *Lib. VIII. cap.* 28. Varro *de lingua Lat. Lib. VI. cap.* 85. Tertullian. *Apologet. cap.* 4.

* Inter artes eorum, qui honores petebant, et illa erat, quod candidati nundinas, conciliabula, immo et municipia et colonias obirent, omniumque sibi gratiam prensando conciliare adniterentur. Quod et post latam hanc legem tam impudenter factum, vt seditiones et tumultus inde metuerentur, ac proinde C. Maenius, dictator, anno ab V. C. 439. quaestiones exerceret aduersus eos, qui magistratuum petendorum caussa coitiones fecissent: quod aduersus rem publicam essent. Liu. *Lib. VIIII. cap.* 26.

§. CV.

Leges Pompeiae de vi et ambitu.

Sed et Cn. Pompeius, quamuis sago, quam toga, illustrior, leges tamen quasdam reipublicae salutares tulit, quae ab illo POMPEIARVM nomen tulerunt, quia pleraeque anno ab V. C. 700. quo ipse insusitato exemplo fasces solus tenuit, ab eo rogatae sunt. Eo pertinent LEGES POMPEIAE *de vi et de ambitu*, vno eodemque die ex SC. promulgatae, quibus tam poenam exasperauit, quam formam iudiciorum breuiorem reddere statuit. Vtraque enim sanxit, *vt, priusquam caussa ageretur, testes audirentur per triduum, eorumque dicta consignarentur, quarta die omnes in diem posterum adesse iuberentur, et fieret iudicum sortitio: tum porro accusatori duae, reo tres horae ad dicendum concederentur: denique, ubi caussa perorata esset, et accusatori, et reo liceret quinos ex singulis ordinibus reiicere, vtque adeo ex LXXXI. iudicibus sorte datis quinquaginta et vnus, sententias laturi, superessent* *. Ascon. Paedian. *in Argum. orat. pro Milone*. Cicero *ad Attic. Lib. X. epist.* 4. Dio Cass. *Lib.* XXXX. *pag.* 145. Caes. *de bello ciu. Lib. III. cap.* 1.

* Fuisse et alia ista lege comprehensa, iam Dio obseruauit, veluti, *vt certus patronorum numerus esset, vt ne laudatores* (ἐπαινέται) *admitterentur*, de quo reorum praesidio videndus Car. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 19. *vt et ii accusatores admitterentur, qui olim simili de caussa postulati essent, eique, qui duos reos fecisset, atque vnum damnasset, impunitas pro praemio daretur.* Vt adeo facile adpareat, tam intolerabilem reipublicae ambitum tum factum esse, vt res ipsa legem seuerissimam postulare videretur.

§. CVI.

Leges Pompeiae repetundarum et de parricidus.

Eiusdem auctoris aetatisque est LEX POMPEIA *de pecuniis repetundis*, de qua Appianus *de bell. ciuil. Lib. II. pag.* 441. Νόμον τε ὥριζεν, ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ πρῶτον ὑπατείας ἐς τὸ παρὸν, εὐθύνας τὸν ἐθέλοντα: *legem tulit, vt ex eo tempore, quo ipse primum consul fuisset, vsque in alterum consulatum liceret magistratibus rationes actorum expetere*, et quidem, vt idem paullo ante monuerat, ob δωροδοκίαν καὶ δεκασμὸν, id est, *munerum corruptelas et largitiones*: quod ipsum repetundarum crimen esse, nemo non videt. At celeberrima om-

omnium LEX POMPEIA *de parricidiis*, quam anxia paene industria illustrauit Io. Franc. Ramos *in Triboniano siue de errorib. Triboniani de poena parricidii* *, recus. *Lugduni Batauor.* 1728. 4.

* Errores illi Triboniani varii; veluti quod dicat, Pompeium asperrimum crimen parricidii noua poena persequutum; quum poena cullei sit antiquissima, sed ex lege Cornelia non nisi in parricidio proprio, locum habuerit: quod non indicarit, qua in re a lege Cornelia discreparit Pompeia. Discrimen autem in eo statuit Ramos, quod quum ex lege Cornelia ii tantum insuerentur culleo, qui parricidium proprie sic dictum admisissent: Pompeius hanc poenam et ad reliquas personas cognatas et adfines, quarum mentio fit *l. 1. D. ad leg. Pomp. de parricid.* produxerit. Praeterea et alias parricidii poenas, quas Tribonianus omiserit, recenset, et vbique hominem tantum non parricidii postulat, vt iureconsultus ille Salamanticensis inter Tribonianomastigas iure possit referri. Ceterum poenae cullei meminerunt post legem Pompeiam Seneca *de clement. Lib. I. cap.* 15. *et* 23. Iuuenal. *Sat. VIII. v.* 214. *Satyr. XIII. v.* 155. Suet. *August. cap.* 33. ex quo loco etiam patet, poenam illam non nisi confessis reis infligi potuisse. Quamobrem non videtur admittenda Cuiacii diuinatio, cullei poenam tantum ante leges Corneliam et Pompeiam, moribus obtinuisse, at per legem Pompeiam in poenam legis Corneliae de sicariis mutatam, denique a Constantino M. *l. 1. C. de his, qui patr. vel lib. occid.* in vsum reuocatam esse suspicantis. Vid. Cuiac. et Schulting. *ad Paull. Sent. recept. Lib. V. tit.* 24. *pag.* 512. *seqq.*

§. CVII.

Leges Publicia, Publilia, Remmia.

PVBLICIA LEX *de lusu et sponsionibus*, cuius mentio fit *l. 3. D. de aleat.* non modo incertae aetatis, verum etiam in se obscura est, nisi quod ea sponsiones de rebus honestis fieri permiserit. De lege PVBLILIA *de plebiscitis* iam supra, quantum satis est, diximus (§. 40.) Hic vero praetermittenda non est LEX REMMIA, quam alii RHEMMIAM, alii REMNIAM, REMIAM, alii MEMMIAM adpellitant, cuiusque de origine nihil constat, nisi quod fuerit antiquissima, ipsisque decemuiralibus legibus non multo recentior, ex mente Henr. Brencmanni *de lege Remm. cap.* 3. Ceterum ea cautum fuisse, *vt qui per calumniam innocentem accusasset, eius fronti littera K inureretur* *, patet ex Cic. *pro Sex. Rosc. cap.* 20. Iulian. Μισοπωγ. *pag.* 357.

* Sunt, qui litteram C. tamquam initialem vocabuli CALVMNIA praeferunt, alii litteram D. tamquam primam vocis DELATOR: Turneb. *Aduers. Lib. III. cap.* 22. Immo quidam hic ad litteram Θ confugiunt, tamquam vocis Graecae Θάνατος indicem. Sed quemadmodum veteres Romani, consentientibus omnibus pro CALVMNIA, scribebant KALVMNIA, quemadmodum pro caput *Kaput*, pro calendae *Kalendae*: ita rem omnem conficit Iuliani locus ex Μισοπώγων. vbi Antiochenis, K. id est Konstantium desiderantibus optat duplex ΚΑΠΠΑ, tamquam calumniae poenam iustissimam. Brencmann. *cap.* 5. *pag.* 1587. *Tom. V. Thes. iur. ciu.* Scire autem Iulianum rem potuisse, nemo negauerit, quum et sub imperatoribus adhuc exstitisse lex Remmia videatur. *l.* 13. *D. de testib.*

§. CVIII.

Leges Scantinia et Scribonia.

Non minus dubiae aetatis sunt LEGES SCANTINIA *de nefanda Venere*, cui facem accenderunt Io. Fridr. Christius *Diss. de lege Scantinia*, et Io. Guil. Hoffmannus *in Comment. ad legem Iuliam de adulter. cap.* 1. §. 16. *pag.* 26. et SCRIBONIA *de vsucapione*, quam

 singu-

singulari commentatione illustrauit Iac. Raeuardus. * Ea lege *vsucapionem seruitutum sublatam esse*, quam ICti disputatione fori inuexerant, satis patet ex *l.* 4. §. *vlt. D. de vsurpat. et vsucap.*

* Ant. Augustin. *de legib. pag.* 130. hanc legem tribuit auctori *L. Scribonio Liboni*, cuius meminit Cic. *in Brut. cap.* 23. *et de orat. Lib. I. cap.* 53. Sed eam sententiam solidis argumentis profligauit Galuan. *de vsufructu, cap.* 12. §. 4. *pag.* 113. Sane Ciceronis aetate adhuc seruitutum vsucapionem processisse, discimus ex *Orat. pro A. Caec. cap.* 26. Quare probabilius est, legem Scribo- niam sub Augusto latam esse a *L. Scribonio Libone* cos. collega *M. Antonii II.* cos. anno ab V. C. 719. ceu visum est Galuano *ibid.* et Herm. Noordkerkio *Disquisit. de lege Petron. cap.* 3. §. 6. *pag.* 90. Saltim tardius latam esse, (quod putauit Iac. Raeuardus *de lege Scribon. pag.* 407.) et quidem anno ab V. C. 768. *L. Scribonio Libone et Sisenna Statilio Tauro* coss. eo minus crediderim, quo rarius tum leges rogari solebant a consulibus.

§. CVIIII.

Leges Seruiliae de adulteriis et stupris, nec non de repetundis.

Exstitisse porro legem quamdam SERVILIAM *de adulteriis, et stupris*, circa annum ab V. C. 694. a *P. Seruilio Vatia* cos. rogatam, fretus loco Valerii Maximi *Lib. VIII. cap.* 1. *exempl.* 8. acute coniicit Io. Guil. Hoffmann. *de lege Iul. de adult. Lib. I. cap.* 21. *pag.* 33. Certius est, LEGEM SERVILIAM *repetundarum*, cuius fragmenta ex monimento vetustissimo extulit Sigon. *de indic. Lib. II. cap.* 27. anno ab V. C. 648. rogatam esse. Eam vero ita illustrauit laudatus Sigonius, vt ocium nobis fecisse videatur.

§. CX.

Leges Titia de sponsionibus, Tullia de ambitu, et Voconia.

De LEGE TITIA *de lusibus et sponsionibus*, cuius mentio fit *l.* 3. *D. de aleat.* nihil me, quod dicam, compertum habere, fateor. At TVLLIA *de ambitu* auctorem habet *M. Tullium Ciceronem*, cos. cum *C. Antonio*, anno ab V. C. 689. *. Denique celeberrima olim fuit LEX VOCONIA *de mulierum hereditatibus et de legatis*, lata a *Q. Voconio Saxa*, trib. pl. anno ab V. C. 583. *Caepione* et *Philippo* coss. se de ea singularibus commentationibus tam adcurate egerunt FRANC. BALDVINVS et IAC. PERIZONIVS, vt plura addere nihil attineat.

* Hanc legem iam superiore anno *L. Iulio Caesare et C. Marcio Figulo* coss. rogari iusserat senatus: sed intercesserat Q. Mucius Orestinus, trib. plebis, teste Ascon. Paed. *in Orat. in toga cand.* Cicero *pro Muraen. cap.* 34. Postea legem de nouo ex SC. tulit Cicero, eaque cautum, ne mercede conducti obuiam candidatis irent, nec conducti eos sectarentur; ne gladiatoribus locus tribueretur, ne prandia vulgo darentur. Cic. *pro Muraen. cap.* 33. *in Vatin. cap.* 15. Ex quibus locis etiam patet, praeter alias poenas et decennale exilium irrogatum esse iis, qui contra hanc legem fecissent. Sigon. *de iudic. Lib. II. cap.* 29. *pag.* 436.

§. CXI.

SCta hoc tempore non erant species iuris scripti.

Nihil adhuc diximus de SENATVS CONSVLTIS, quorum tamen innumera hoc temporis interuallo facta esse, nemo ignorat. Enimuero, quod de sua aetate scribit Vlpianus *l.* 9. *D. de legib. non ambigi senatum ius facere posse*: id ad liberae rei publicae tempora plane non pertinet. Erat tum senatui ius, deliberandi de re publica, admini-

strandi

ſtrandi aerarium, curandi opera publica, delicta extra Romam in Italia admiſſa perſequendi, gliſcentes in Italia controuerſias componendi, legationes decernendi audiendique, indicendi ferias et ſupplicationes, de prouinciis diſponendi: Polyb. *Hiſtor. Lib. VI. cap.* 11. et de his rebus etiam SCta fiebant, vel, ſi quis maiorum magiſtratuum tribunorumue plebis interceſſiſſet, AVCTORITATES ſcribebantur: Cic. *ad diuerſ. Lib. VIII. epiſt.* 8. Dio Caſſ. *Lib. LV. pag.* 550. At noua iura SCtis inuecta eſſe ante Caeſarum tempora, nuſquam legeris. *

* Verum tamen eſt, populum nec iure rogari, nec iure ſciſcere potuiſſe, niſi ſenatus fieret auctor, eamque in rem ſcriptum eſſet SCtum. Liu. *Lib. I. cap.* 17. *Lib. VIII. cap.* 12. Plutarch. *in Coriolano*, *pag.* 227. Cic. *in Brut. cap.* 14. Appian. *de bello ciu. Lib. I. pag.* 650. Ex quo Ciceronis loco diſcimus, exſtitiſſe ea de re legem veterem MAENIAM, quam Feſtus *in voce: Prorſus* MINIAM; Nonius vero Marcell. MANIAM vocat, eaque cautum fuiſſe, *vt patres in comitiorum euentum auctores fierent*. At plerumque hanc legem neglexerunt turbulenti ingenii tribuni plebis, qui ſeditioſiſſimas rogationes inconſulto fere ac refragante ſenatu rogarunt, patribuſque nec quidquam diſſuadentibus, pertulerunt.

§. CXII.

Contra ea quum PRVDENTVM, ſeu IVRISCONSVLTORVM permagnam hoc tempore auctoritatem fuiſſe dixerimus (§. 52. *ſeqq.*) operae pretium fuerit, inſtituere hic illorum recenſum, et quae de iis notatu digna videbuntur, veluti per lancem ſaturam memorare, eademque opera, quae BERN. RVTILIVS, IO. BERTRANDVS, GVIL. GROTIVS, VAL. FORSTERVS, GVIDO PANCIROLVS, IAN. VINC. GRAVINA, ſimileſque ſcriptores, vel praeteruiderunt, vel perperam tradiderunt * ſupplere atque emendare.

Iuriſconſultorum huius aetatis recenſus.

* Nulla hiſtoriae litterariae pars adhuc minus exculta eſt, quam haec de vitis et ſcriptis veterum iuriſconſultorum. Nec omnes hi auctores ita ea in re verſati ſunt, vt ocium fecerint poſteris. *Bern. Rutilius* vulgaria et incomperta ſaepe pro veris attulit. Doctor *Bertrandus*, at in diuinando paullo audacior, nec ab erroribus immunis. Minime omnium operae pretium fecit *Val. Forſterus*, qui homo ad quaſuis potius operas ſordidas, quam ad ſcribendam iuris hiſtoriam erat condemnandus. *Guido Pancirolus* et *Ian. Vinc. Grauina* breuiter hanc rem exſequuntur: hic praeterea pleraque ſublegit aliis, quae deinde miro orationis flore ſolet veſtire, aliquando etiam corrumpere. Vere ergo reliquorum omnium induſtriam vicit magni Grotii frater *Guil. Grotius*, quamuis ne is quidem, quae eſt hominum infelicitas, omnia viderit.

§. CXIII.

Apud Pomponium iureconſultorum agmen ducit PAPIRIVS, pontifex max. quem *Caii* praenomen tuliſſe, et ius Papirianum, paullo poſt exactos reges, compilaſſe, iam ſupra notauimus. (§. 16.) Excipit eum APPIVS CLAVDIVS, *vnus ex decemuiris, cuius maximum conſilium in XII. tabulis ſcribendis fuit. l. 2. §. 36. D. de orig. iur.* Sed de eo quoque iam ſupra pleraque occupauimus *, (§. 25. *ſeqq.*) quibus iam id addimus, quod Appius ille impotente libidine ſua non modo

Inter hos primi *C. Papirius* et *Appius Claudius* decemuir.

modo sibi, sed et rei publicae maximum intulerit detrimentum, ac proinde coniectus in carcerem, dignum flagitiis suis supplicium morte voluntaria anteuerterit, anno ab V. C. 306. Liu. *Lib. III. cap.* 58.

* CLAVDII e Regillorum oppido oriundi, gente Sabini erant. Sueton. *Tiber. cap.* 1. Vnde et decemuiro nostro nomen fuit APPII CLAVDII SABINI REGILLENSIS. Primus ex ea gente, quae Herculem, seu Deum Sancum Fidium auctorem generis ciebat, anno ab V. C. 249. Romam e Sabinis migrauerat ATTVS CLAVSVS, de quo Virgil. *Aeneid. Lib. VII. v.* 706.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

Agminis meminit Virgilius, quia ATTIVS ille vel ATTA domi impar aduersae factioni, magna clientium comitatus manu ab Regillo Romam transfugerat. Potentem adeo fuisse oportet hominem, quem aduenientem Romani non modo ciuitate et agro donarunt, sed et inter patres adlegerunt, non multo post in principum dignatione futurum, Liu. *Lib. II. cap.* 16. immo & consulem anno ab V. C. 250. collega P. *Seruilio*. Idem *Lib. II. cap.* 21. Fuit huic filius APPIVS CLAVDIVS SABINVS REGELLENSIS, consul cum *T. Quinctio* anno ab V. C. 283. plebi exercituique inuisus, qui quum a suis desertus a Volscis vinceretur, suppliciis in centuriones, signiferos, gregariorumque decimum quemque saeuiit, accusatusque ideo, antequam damnaretur, morbo decessit. Liu. *Lib. II. cap.* 58. *sequ.* Huic filius fuit decemuir, praecipuus iuris, quod ex XII. tabulis proficiscitur, auctor.

§. CXIIII.

Appius Claudius Caecus Eius cognomina.

Subiungit his Pomponius alterum APPIVM CLAVDIVM *eiusdem generis*, quippe decemuiri abnepos * quem CENTVMANI cognomen tulisse, maximamque scientiam habuisse ait. At quum alii eum CAECVM cognominent, mirum est, quantopere criticis vapulet bonus Pomponius: quum tamen nihil impediat, quo minus, qui senex ob casum CAECVS dictus est, idem antea CENTVMANI cognomen habuerit. Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 264. *sequ. edit. nou.* Centumanorum saltim, vel Centumalorum cognomen non ignotum fuisse in gente Claudia, intelligimus ex Cic. *de offic. Lib. III. cap.* 16. et Val. Max. *Lib. VIII. cap.* 2. *exempl.* 1.

* Ne decipiatur lector ab iis, qui hic miscent quadrata rotundis: dabimus operam, vt plures Appios distinguamus. En ergo schema genealogicum.

ATTA

ATTA vel ATTIVS CLAVSVS, qui Regilio profugus, Romam cum magna clientium manu migrauit, inter patricios adlectus, dictusque APPIVS CLAVDIVS Consul anno V. C. 258. Plutarch. *in Poplic. pag.* 108. Suet. *Tiber. cap.* 1. Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap.* 9. et *Lib. XII. cap.* 25.

APPIVS CLAVDIVS REGILLENSIS cos. anno ab V. C. 282. Liv. *Lib. II. cap.* 56.

C. CLAVDIVS, qui pertaesus flagitiorum Appii fratris filii, decemuiri Regillum remigrauit Liu. *Lib. III. cap.* 58.

APPIVS CLAVDIVS CRASSINVS, decemuir, manus sibi ipse intulit, anno ab V. C. 306. Liu. *Lib. III. cap.* 58.

APPIVS CLAVDIVS, tribun. mil. cos. pot. anno ab V. C. 331. Liu. *Lib. cap. IIII. cap.* 35.

APPIVS CLAVDIVS CRASSVS, de cuius contentione cum tribunis pl. anno 387. Liu. *Lib. VI. cap.* 40.

C. CLAVDIVS CRASSINVS REGILLENSIS, cos. anno V. C. 406. in magistratu decessit. Liu. *Lib. VII. cap.* 25.

APPIVS CLAVDIVS CAECVS, Pomponio CENTVMANVS, ICtus, de quo hic agimus.

§. CXV.

Honores inuerso fere ordine gessit, primum censor anno ab V. C. 442. quo tempore viam Appiam strauit, et aquam Claudiam in vrbem induxit: *l.* 2. *§.* 36. *D. de orig. iur.* Liu. *Lib. VIIII. cap.* 29. Ald. Manut. *Quaesit. per epist. I*, 2. *p.* 181. Deinde anno 446. et 456. consul; Liu. *Lib. VIIII. cap.* 42. et *Lib. X. cap.* 18. insequente praetor creatus est. Liu. *Lib. X. cap.* 22. Senex luminibus orbus viribusque defectus, tamen et clientibus se dedit, et lectica delatus in senatum sua potissimum oratione effecit, ut Pyrrhus rex in vrbem non admitteretur. *Epit. Liu. Lib. XIII.* Plutarch. *in Pyrrh. pag.* 394. Postremo Pomponius obseruat, eum litteram caninam in quibusdam vocabulis reperisse *, vt quum Romani testibus Varrone *de lingu. Lat. Lib. VI. p.* 70. et Quinctiliano *Inst. orat. Lib. I. cap.* 4. antea pronunciarent *dolosem*, *eso*, *misesia*, *mesidie*, *melios*, *vapos*, postea *dolorem*, *ero*, *miseria*, *meridie*, *melior*, *vapor*, pronunciare mallent. Eius honores, res gestae, et inuentum.

* Pomponius hac de re tam obscure loquitur, vt nescias, nosterne Appius, an alius, qui ab eo processit, litteram istam R. inuenerit. Sed quum Cicero *ad diuers. Lib. VIIII. epist.* 21. diserte scribat, L. Papirium Crassum circa annum V. C. 415. primum desiisse vocari *Papisium*: non alii eius inuenti laus deberi videtur, quam Appio Caeco, siquidem eius pater iam anno 406. decesserat, filius vero tum nondum eius fuit aetatis, vt ab eo tale quid proficisci potuisse videatur. Ceterum non credibile est, Appium ipsam litteram R. inuenisse, quam ipsa *Romuli*, *Remi*, *Romae*, vocabula praeferunt, quaeque in ipsis carminibus Saliaribus frequenter occurrit. Itaque in quibusdam tantum vocabulis, in quibus ipsa euphonia R. pro S. exigere videbatur, litteram caninam inuexisse videtur Appius. In ipsis sane carminibus Saliaribus, in quibus mentio fit *Mamurii*, *Veturii*, similiumque, occurrunt etiam *muses*, i. e. mures, *ruse*, i. e. rure, *plusima*, i. e. plurima, *melios*, i. e. melior. Add. Io. Nic. Funcc. *de pueris. Lat. ling. cap.* 1. *pag.* 193. et *cap.* 3. *pag.* 243.

§. CXVI.

§. CXVI.

Sempronii Σοφ. honores.

Fuit post eos, teste eodem Pomponio, *maximae scientiae* SEMPRONIVS, *quem populus Romanus σοφὸν, id est*, SAPIENTEM *adpellauit*, *nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est* *. *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* At non fuit post Appium Sempronius, sed iisdem paene temporibus floruit, quippe consul creatus anno ab V. C. 449. cum P. Sulpicio, Liu. *Lib. VIIII. cap.* 45. quocum etiam de Aequis eo anno triumphauit. *Fast. Capitol. ad hunc ann.* Anno porro ab V. C. 453. pontifex et censor: et paullo post M. Valerio Coruo dictatore, magister equitum factus est. Liu. *Lib. X. cap.* 9. Et tamen vir consularis, censorius, ac triumphalis praeturam anno ab V. C. 456. suscipere non est dedignatus. Liu. *Lib. X. cap.* 21.

* Arguentur hic noui scriptores, obseruantes, (1) id nomen et posteris eius haesisse: (2) non defuisse alias gentes, quibus insignis sapientiae gloria nobile ac perpetuum cognomen pepererit. Habere enim historiam *Atilium* et *Laelium* SAPIENTES, *Scipionem* CORCVLVM, *Sex.* et *P. Aelios* CATOS, denique *M. Porcium* CATONEM dictos, quae cognomina ab illo σοφοῦ elogio non nisi sono differant: adeoque fallere Pomponium, dum *nec quemquam ante hunc, aut post hunc, hoc nomine cognominatum esse*, contendat. Sed ad *prius* respondetur, posteris id nomen haesisse tamquam hereditarium, at neminem eorum sibi id nomen virtute peperisse. Ad *posterius*, Pomponium id obseruasse de Graeco σοφοῦ cognomine, quod in Graecia septem tantum viris, Romae soli post hominum memoriam P. Sempronio datum sit. Vnde et SAPIENTIAE simulacrum in gentis Semproniae nummis reperiri obseruat Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 158. *edit. nou.* Quae quum ita sint, adsentiri non possumus Reinesio qui *ad Inscript. p.* 36. ipsum *Semproniorum* nomen a sapientia deriuat, eosque *Sempronios* dictos putat, quasi σώφρονας, atque inde et originem cognominis σοφοῦ argute arcessit, quum tamen noster prius dictus sit Sempronius, quam σοφοῦ cognomen ob ingenii praestantiam accepit, et iam pater P. SEMPRONIVS LONGVS, auus C. SEMPRONIVS LONGVS dicti sint. Rupert. *ibid.*

§. CXVII.

An vxorem ludos spectantem repudiarit.

Vulgo eum vxori misisse repudium, perhibent, ob eam solam caussam, quod ludos inconsulto se spectarit. Sed Valerius Maximus, qui *Lib. I. cap.* 3. *ex.* 12. id memoriae prodidit, diserte ait, id diuortium fuisse tertium ab eo, quod fecerit Sp. Caruilius. Quum vero hic anno demum 521. primus vxorem res suas sibi habere iusserit, noster autem eam aetatem non attigisse videatur: consequens profecto est, vt alius fuerit ille Sempronius σοφὸς, qui tam seuera animaduersione vxoris curiositatem vltus est. Vid. Io. Guil. Hoffm. *Commentar. ad leg. Iul. de adult. cap.* 1. *pag.* 22. *seqq.* Certius est, filium habuisse nostrum eiusdem nominis, qui anno ab V. C. 484. consul de Picentibus triumphauit. *Fasti Capitol. ad hunc an.* et anno ab V. C. 500. censor lustrum condidit. *Epit. Liu. Lib. XVIII.*

§. CXVIII.

Tiberius Coruncanius.

Proximus aetate fuit TIBERIVS CORVNCANIVS, quem primum omnium iuris prudentiam publice professum esse, diximus (§. 73.) Eum nihil scripsisse, ait Pomponius: addens tamen, diligenter eum de iure consulentibus respondisse: *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* ob quam

quam iuris scientiam dexteritatemque in respondendo eumdem laudat etiam Cicero *de orat. Lib. III. cap.* 15. Consul fuit anno ab V. C. 472. collega P. Valerio Laeuino: postea creatus primus ex plebe pontifex maximus * anno ab V. C. 500. *Epit. Liu. Lib. XVIII.* Obiit in extrema senectute, (nam senibus, qui rei publicae profuerint, eum accenset Cic. *de senect. cap. 6.*) anno ab V. C. 509. quippe quo ei in pontificatu subrogatum esse L. Caecilium Metellum, refert *Epitomator Liuii Lib. XVIIII.*

* Equidem primus ex plebe pontifex anno ab V. C. 453. creatus est cum P. Decio Mure, C. Marcio Rutilo et M. Liuio P. Sempronius Sophus: Liu. *Lib. X. cap. 9.* at pontificatum maximum ad annum vsque 500. tamquam propriam sibi possessionem, retinuerant, eoque honore primus ornatus est Tib. Coruncanius, iuris scientia non minus, quam aliis virtutibus eam dignitatem meritus. Nusquam sane sine laude eius meminit Cicero. Nam *de nat. deor. Lib. II. cap. 66.* eum adnumerat *singularibus viris, quorum neminem, nisi iuuante Deo, talem fuisse credendum sit.* Libro *de senectute, cap. 9. ab eo iura ciuibus praescripta, eiusque vsque ad extremum spiritum prouectam esse prudentiam* ait. In *Laelio, cap.* 11. laudat M. Curium et Ti. Coruncanium, *quos sapientes maiores iudicarint.* Alibi *de orat. Lib. 3. cap. 33.* eum iungit P. Crasso illi veteri, et Scipionibus, quos vocat *prudentissimos homines, qui omnes pontifices maximi fuerint, vt ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur, quique iidem et in senatu, et apud populum, et in caussis amicorum, et domi, et militiae consilium fidemque suam praestiterint.* In *Bruto* porro *cap.* 14. obiectat, Coruncanium *ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videri.* Denique *in orat. pro domo sua, cap.* 54. eum vocat *peritissimum pontificem*: vt alia eius loca hic praetermittam.

§. CXIX.

In eumdem censum Guil. Grotius *de ICtis Lib. I. cap.* 2. refert L. CINCIVM ALIMENTVM *, qui quaesturam gessit anno V. C. 534. praeturam Siciliae anno 542. et bello in primis Punico secundo inclaruit, quo anno 543. Cannensis exercitus reliquias duxit, Liu. *Lib. XXVII. cap.* 7. captusque ab Hannibale, quantum is exercitum adduxerit in Italiam, ex eius ore audiuit. Liu. *Lib. XXI. cap.* 38. Scripsit librum de OFFICIO IVRISCONSVLTI, laudatum a Festo *in voce: Subiici*, et praeter illum *Annales*, *Fastos*, *de comitiis*, *de coss. potestate*, *mystagogica*, *de verbis priscis*, et *de re militari*, ex quibus reliquias haud contemnendas collegit, suaeque Sallustii editioni subiecit Wassius, cuius exemplum et Cortius postea est sequutus. Add. Voss. *de histor. Graec. Lib. IIII. cap.* 13. et *de histor. Latin. Lib. I. cap.* 4. L. Cincius Alimentus.

* Celeberrima iis temporibus fuit gens Cincia, ex qua eodem fere tempore claruit L. Cincius Alimentus, tribun. pl. anno ab V. C. 539. et L. Cincius Alimentus aedilis plebis anno ab V. C. 541. nisi forte posterior idem cum nostro fuerit. At celeberrimus omnium M. Cincius M. F. Alimentus, cuius tribunatus nobilis fuit rogata LEGE CINCIA (§. 91.), de quo totaque gente Cincia plura Frid. Brummer. *ad leg. Cinc. cap. 1. sequ. pag. 2. seq. edit. Paris.*

§. CXX.

Paullo minor natu, at eorumdem tamen temporum fuit PVBLIVS (non P. Scipio

Nasica vir optimus a senatu dictus.

(non CAIVS, vt Pomponius vocat), CORNELIVS SCIPIO NASICA *, qui anno ab V. C. 548. adolescens nondum quaestorius VIR OPTIMVS a senatu adpellatus est, dignusque habitus, qui matrem deûm Ostiam aduectam exciperet, *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur,* Liu. *Lib. XXVIIII. cap.* 14. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 25. *Excerpt. Peiresc. pag.* 606.

* Quum facillima sit in tot Scipionum rebus gestis errandi occasio: praeclare sane de republica litteraria meriti sunt viri docti, et in his Christoph. Ad. Rupert. *ad Pomp. enchirid. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 159. *seqq. edit. nou.* dum accuratum Scipionum stemma confecerunt, ex quo nos breuem hanc tabulam excerpimus:

L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO cos. anno ab V. C. 494. de Poenis, Sardis, et Corsis triumphauit.

P. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO cos. anno 535. qui primus cum Hannibale minus prospere sub Alpibus conflixit. Flor. *Histor. Lib. I. cap.* 6.

P. CORNELIVS P. F. L. N. SCIPIO AFRICANVS, victor Hannibalis.

CN. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO CALVVS, cos. anno ab V. C. 531. cum fratre in Hispania occubuit.

P. CORNELIVS CN. F. L. N. SCIPIO NASICA, ICtus, *vir optimus* a senatu cognominatus.

P. CORNELIVS P. F. CN. N. SCIPIO NASICA, CORCVLVM dictus, cos. anno 590. et 597.

§. CXXI.

Eius honores, res gestae, filius.

Praetor anno 559. rem bene ac prospere gessit in Hispania, et insequente anno pro praetore Lusitanos paene perdomuit. Liu. *Lib. XXXV. cap.* 1. Creatus deinde consul, anno 560. Boios ad internecionem cecidit, de iisque triumphum egit pulcherrimum. Liu. *Lib. XXXVI. cap.* 37. *sequ.* Petenti anno ab V. C. 568. censuram Cato praelatus est. Liu. *Lib. XXXVIII. cap.* 40. Sed tanto honorificentius de eo fuit iudicium populi, quando ei publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* Filius ipsi fuit, cum aliarum virtutum, tum iuris prudentiae laude patris simillimus, & siue ob sapientiam, siue ob communem ciuium amorem, CORCVLVM adpellatus, qui anno V. C. 590. et 597. consul fuit, et grauem de Carthagine non delenda sententiam in senatu dixit *.

* Equidem patri P. Scipioni Nasicae, quem *virum optimum* adpellatum diximus, hanc orationem tribuunt Diodor. Sic. *in Excerpt. Peiresc. pag.* 382. et *Epitomator Liuii Lib.* XXXXVIIII. Sed quum haec contigerint anno ab V. C. 602. ad id vero tempus vix adnixisse videatur P. Scipio Nasica, qui iam anno ab V. C. 559. praeturam gesserat, filius contra hoc ipso tempore aetate non minus, quam auctoritate, rerumque gestarum gloria floreret: adsentiri non dubitauerim Ruperto, existimanti, filium, P. Scipionem Corculum, grauem illam sententiam in senatu dixisse. Vid. Rupert. *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 161. *edit. nou.*

§. CXXII.

§. CXXII.

An et Q. Mucius eorum temporum ICtus?

Dubiae ſanitatis eſt locus Pomponii *l.* 2. §. 37. *D. de orig. iur.* vbi horum temporum ICtis accenſet Q. Mvcivm quemdam, quem legatum ad Carthaginienſes miſſum, ex duabus teſſeris poſitis, vna pacis, altera belli, dato arbitrio, vtram vellet, Romam referret, vtramque ait ſuſtuliſſe, addita cauſſa, Charthaginienſes petere debere, vtram accipere mallent.. Vt enim iam non dicam, rem ab aliis multo aliter narrari: Liu. *Lib. XXI. cap.* 18. Florus *Lib. II. cap. 6.* Gell. *Lib. X. cap.* 27. Sil. Ital. *Lib. II. v.* 382. *ſequ.* nemo veterum in ea legatione Q. Mucium fuiſſe refert, ſed id vno ore tribuunt Q. Fabio Maximo, qui deinde *Cunctatoris* nomen meruit. Eum vero Fabium iuris prudentiam reliquis laudibus ſuis adiunxiſſe, ego quidem nuſquam reperio. *

* Probabile tamen eſt, Pomponium ſcripſiſſe Q. *Maximum*, idque poſtea librarios perperam mutaſſe in *Q. Mucium*. Rupertus *Lib. III. cap. 3. pag.* 160. Q. vero Fabium iuris peritum fuiſſe, idem Rupertus probare conatur loco Ciceronis *de ſenect. cap.* 4. vbi Cato de Fabio *: nec vero ille*, inquit *in luce modo, atque in oculis ciuium magnus, ſed intus domique praeſtantior. Qui ſermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae* SCIENTIA IVRIS? *augurii?* At male interpungere videtur Rupertus. Cato enim non laudat Fabii *ſcientiam iuris*, ſed *ſcientiam iuris augurii*, vel auguralis, quae & in iuris imperitum cadebat.

§. CXXIII.

P. Aelius Paetus.

Iiſdem paene temporibus iuris prudentiae laude floruerunt duo fratres celeberrimi, P. et Sex. Aelii Paeti Cati, quorum alterum iuris Aeliani auctorem fuiſſe, ſupra vidimus (§. 49.) Pvblivs anno V. C. 548. aedilis plebis, ac inſequente anno praetor, Liu. *Lib. XXVIIII. cap.* 38. anno 550. magiſter equitum C. Seruilii Gemini dictatoris. Id. *Lib. XXX. cap.* 39. ſequente conſul, Liu. *Lib. XXX. cap.* 40. biennio poſt cenſor creatus. Idem *Lib. XXXII. cap.* 7. peſtilentia periit anno ab V. C. 578. Liu. *Lib. XXXXI. cap.* 26.

§. CXXIIII.

Sex. Aelius Catus.

Sex. Aelivs Paetvs Catvs per eoſdem fere honorum gradus decurrens itidem ad conſulatum et cenſuram peruenit, quorum illum anno 554. hanc anno 558. ab V. C. geſſit cum collega C. Cornelio Cethego *. Liu. *Lib. XXXI. cap.* 7. *Lib.* XXXIIII. *cap.* 44. et *Lib. XXXV. cap. 9.* De eius *Tripartitis* ſupra diximus (§. 49.) Addit Pomponius *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* ei et alios libros, ſed dubiae auctoritatis, tribui. Eruditorum manibus vel maxime trita videntur *Tripartita*, tamquam inſigne iuris vniuerſi ſyſtema, quo et Cicero vſus videtur, dum *ad diuerſ. Lib. VII. epiſt.* 22. tractat quaeſtionem iuris, *poſſetne heres, quod furtum antea factum eſſet, recte furti agere?*

* Refert Plin. *Hiſt. nat. Lib.* XXXIII. *cap.* 1. Aelium Catum L. Aemilii Paulli, qui Perſeum, Macedoniae regem vicerit, generum fuiſſe, eumque, quum legati Aetolorum, in conſulatu prandentem in fictilibus adiiſſent, oblata ab his vaſa argentea non accepiſſe, neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremum vitae diem, quam duo pocula, quae L. Paullus, ſocer, ei ob virtu-

virtutem donasset. Sed L. Paulli gener *Q. Aelius Tubero* fuit; non *Sex. Aelius Catus*. Illum ob virtutem nauatamque in bello Macedonico operam generum sibi delegerat Aemilius. Plutarch. *in Paull. pag. 257.* At Aelius iste, Paulli gener, nec Cati cognomen tulit, nec vmquam Consul fuit, sed vir optimus ac continentissimus, ϗ μεγαλοπρεπέςατα Ῥωμαίων πενίᾳ χρησάμενος, *et qui omnium Romanorum magnificentissime paupertatem tulit*, ceu loquitur Plutarchus. Recte id monuit Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap. 4. pag. 168. edit. nou.* quum Corasius, Hotomanus, et Io. Bertrandus, Plinii sequuti auctoritatem, perperam haec omnia ad Sex. Aelium Catum referant.

§. CXXV.

L. Acilius an P. Atilius, Sapiens.

Iungit Pomponius Aeliis fratribus P. ATILIVM, quem primum SAPIENTEM a populo cognominatum scribit *d. l. 2. §. 38. D. de orig. iur.* Quamuis vero celeberrima Romae fuerit *Atiliorum* familia, multisque imaginibus illustris, de qua praeclare meritus est Iac. Perizonius *Animadu. histor. cap. 1. pag. 26.* vbi et stemma Atiliorum dedit: Ruperto tamen *ad Enchir. Pompon. Lib. III. cap. 4. pag. 173.* hic parum adcuratus videtur Pomponius, quippe qui *P. Atilium* nobis obtrudat pro L. ACILIO. De hoc sane Cicero *de amicit. cap. 2.* *scimus L. Acilium*, (ita enim habent libri optimi,) *apud patres nostros adpellatum* SAPIENTEM, *quia prudens esse in iure ciuili putabatur:* et *de legib. Lib. II. cap. 23.* iterum vocat *L. Acilium*, eumque iungit *Sex. Aelio.* Attamen res et etiamnum incerta est, & iam olim inter has gentes de hoc ICto certamen fuisse videtur *. Quaedam ad XII. tabulas scripsisse hunc siue Atilium, siue Acilium, iam supra obseruauimus (§. 31.)

* In *Aciliae* gentis denariis Ianus bifrons, prudentiae sapientiaeque signum, conspicitur apud Patin. *de famil. Rom. pag. 3.* At idem χάραγμα et in *Atiliae* gentis nummis *pag. 42.* reperimus. Si ergo verum est, hoc esse signum sapientiae vel prudentiae, a quo maiorum quis cognomen tulerit: facile est ad existimandum, de eo gentium suarum decore inter vtramque certatum esse.

§. CXXVI.

Ser. Fabius Pictor et Q. Fabius Labeo.

Eorumdem temporum ICtis Grotius *de ICtis Lib. I. cap. 4.* adnumerat SER. FABIVM PICTOREM, quem *iuris, et litterarum, et antiquitatis peritissimum* fuisse testatur Cicero *in Brut. cap. 21.* Vnde existimari posset, Ciceronem haec scribentem in animo habuisse *Q. Fabium Pictorem*, Annalium scriptorem, cuius fragmenta in Wassii *Sylloge* primum statim locum obtinent. Enimuero, quum non Quintum illum vocet, sed Seruium, et hunc M. Porcio Catone natu paullo minorem fuisse obseruet: magis est, vt ex filiis eius aliquem intelligamus, de quo tamen altum alioquin in historia Romana silentium est. Celebrior Q. FABIVS LABEO, quaestor anno ab V. C. 556. Liu. *Lib. XXXIII. cap. 42.* septimo post anno praetor. Liu. *Lib. XXXVII. cap. 47. et 50.* anno porro 569. consul. Liv. *Lib. XXXVIIII. cap. 45.* demum triennio post pontifex. Id. *Lib. XXXX. cap. 42.* Eum iisdem paene laudibus, ac Ser. Fabium Pictorem, exornat Cicero *in Brut. cap. 21.*

§. CXXVII.

§. CXXVII.

T. Manlius Torquatus.

T. Manlivm, A. F. T. N. Torqvatvm *iuris ciuilis et sacrorum pontificalium*, teste Valerio Maximo *Lib. V. cap.* 8. *exempl.* 3. *peritissimum*, consulem cum Cn. Octauio anno ab V. C. 587. fuisse, obseruat Cicero *de finib. Lib. I. cap.* 7. * simulque refert, eum filium compertum repetundarum iudicio domestico damnasse, & in conspectum suum venire vetuisse. Addit Valerius, quum filius tam tristi perculsus sententia suspendio vitam finiisset, eum ne exsequiis quidem adolescentis interfuisse, sed tum maxime, quum funus efferretur, consulentibus vacuas aures commodasse. *Epit. Liu. Lib. LIIII.*

* Gentilitium id fuit genti Manliae, saeuire in suos, iisque nullius delicti gratiam facere. Hinc *Manliana imperia* illo etiam tempore horrenda, exempli semper tristis in posterum fuerunt. Liu. *Lib. IIII. cap.* 29. et *Lib. VIII. cap.* 7. De acerbitate L. Manlii in filium, nullius probri compertum, vnde *Imperiosi* nomen tulit, idem videndus Liu. *Lib. VII. cap.* 4. Noster ergo Titus tertium dedit tam inusitatae seueritatis exemplum. *Titus*, inquam; nam mendum in praenomine est apud Ciceronem. Quem enim exemplaria Ciceronis omnia *Lucium* vocant, ei *Fasti Capitolini*, his in rebus adcuratissimi aeque, ac Valer. Maximus et Liuii Epitomator, *Titi* praenomen tribuunt. Grauiore multo errore Colerus *in Notis ad Valer. Max. Manlium* hunc confundit cum *Manlio*, ICto, de quo paullo post. Quem errorem errat etiam Bernard. Rutil. *in vit. ICt. cap.* 15. §. 21. ideo iure notatus a Guil. Grotio *de vit. ICtor. Lib. I. cap.* 4.

§. CXXVIII.

C. Marcius Figulus.

Eidem Valerio Maximo debemus notitiam C. Marcii Figvli, qui circa annum 620. *iuris ciuilis studio celeberrimus fuit*. At istius professionis, tamquam infructuosae eum pertaesum est, quum petens consulatum repulsam tulisset. Nam istius ignominiae dolorem non ferens, quum ad eum postero comitiorum die multi consulendi caussa confluxissent, omnes rerum suarum incertos dimisit, praefatus: *at vos consulere scitis, consulem facere nescitis?* Valer. Max. *Lib. VIIII. cap.* 3. *exempl.* 2. qui auctor hoc subiungit iudicium: *dictum grauiter et merito: sed tamen aliquanto melius non dictum*.

§. CXXVIIII.

M. Porcius Cato, Censorius, pater.

Qui iisdem temporibus floruit, totumque paene saeculum doctrina prudentiaque illustrauit M. Porcivs Cato, quaesturam gessit anno ab V. C. 548. Liu. *Lib. XXXII. cap.* 7. consulatum triennio post, Liu. *Lib. XXXIII. cap.* 42. a quo tempore bellum in Hispania prosperrime gessit, censuraque anno 568. seuerissime acta, Liu. *Lib. XXXVIIII. cap.* 41. *sequ.* anno demum ab V. C. 604. L. Marcio et M. Manilio Coss. octuagenario maior decessit. Cic. *in Brut. cap.* 15. *ei tam versatile ingenium pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum dixisses, quodcumque ageret. In bello enim manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis, idem, postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator, idem in pace, si quis ius consuleret, peritissimus, si caussa agenda esset, eloquentissimus fuit.* Quales laudes in eum tamquam ex compacto congerunt Liu. *Lib. XXXVIIII. cap.* 40.

40. Cic. *de orat. Lib I. cap.* 37. et *Lib. III. cap.* 15. Cornel. Nep. *Caton. cap.* 3. Quinctilian. *Inst. orat. Lib. XII. cap.* 3. Valer. Max. *Lib. VIII. cap. 7. exempl.* 1. *

* Raro sane inter mortales exemplo M. ille Porcius Cato in omni artium scientiarumque genere eminuit, bonus imperator, bonus censor, consul, praetor, optimus ac fere eximius ICtus, orator facundissimus, historiae omnisque antiquitatis, si quis alius, peritissimus, agricola insignis. Senex et Graecas literas didicit, tanto ardore animi, vt diuturnam sitim explere velle videretur. Cic. *de senect. cap.* 1. et *Quaest. acad. Lib. IIII. cap.* 2. Idque eo magis mirandum, quod nullo subsidio adspirauit ad rem publicam, solaque virtute ad summa enixus est. Vnde Plutarch. *in Cat. mai. pag.* 353. O' δὲ Κάτων ἐκ πολίχνης τε μικρᾶς καὶ διαίτης ἀγροίκου δοκούσης φέρων ἀφῆκεν ἑαυτὸν ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς, τὴν ἐν Ῥώμῃ πολιτείαν; *Cato vero ex oppidulo exiguo, et vitae genere, quod rusticanum videbatur, in rem publicam Romanam sese, tamquam in vastum pelagus praecipitauit.* Addit, non tum fuisse ea tempora, quae Curios, Fabricios, Hostilios, aliosque ab aratro pauperes, ad magistratus et rostra admiserint, sed Romam iam claritati familiarum, diuitiis, largitionibus, et prensationibus adsuefactam honores petentibus nouis hominibus insultasse. Denique et id miratur Plutarchus, quod Cato, quum omnes paene ciuitatis potentissimos et primos haberet aduersarios, et ad senectutem usque instar athletae decertarit, conseruauerit se incolumem, non alio tutus praesidio, quam τῷ λόγῳ, id est, eloquentia, ᾧ δικαιότερον ἄν τις, ἢ τύχῃ καὶ δαίμονι τοῦ ἀνδρὸς, τὸ μηδὲν παθεῖν παρ' ἀξίαν, ἀνατιθείη, *cui verius, quam casui vel fortunae eius, quod illaesa semper permanserit dignitate, acceptum referas.* Meretur tota Catonis vita a Plutarcho scripta, eiusque in primis et Aristidis comparatio legi, quippe qua Catonem omnes magni viri partes impleuisse, et Aristidem longo post se interuallo reliquisse, luculentissimis argumentis demonstratur.

§. CXXX.

Eius opera.

Opera varii argumenti, ab eo scripta, veteres laudant quam plurima *, ex quibus et hodie integrum exstare creditur illud *de re rustica*. Ex eius vero *Originibus*, librisque *de re militari*, *de liberis educandis*, *de moribus*, *praeceptis ad filium*, *epistolis*, *orationibus*, fragmenta, quae supersunt, cum cura collegit laudatus Wassius. Laudantur et eius COMMENTARII IVRIS CIVILIS a Festo; liber de DOTE a Gellio *Noct. Att. Lib. X. cap.* 23. Denique cum et RESPONSA nouo more, expressis personarum nominibus, edidisse, obseruat Cicero *de orat. Lib. II. cap.* 33.

* De operibus vero iuridicis Catonis, vt & aliis, quae Catoni tribuuntur, veluti regula Catoniana, non satis exploratum est, patri, an filio, sint attribuenda. Nec mirum, quum eadem vtriusque sint nomina, et eadem vterque iuris prudentiae laude floruerit. Quamuis etiam veteres omnes et in his Plutarchus *in Catone maior. pag.* 351. eum *de re rustica* scripsisse, testentur; de eo tamen, quod hodie exstat sub Catonis nomine, opusculo; sitne vere M. Porcii Catonis, an alterius, non sine ratione ambigitur. Vid. Id. Matth. Gesneri *praefat. scriptoribus rei rustic. praemiss. p.* 1. *seqq.*

§. CXXXI.

M. Porcius Cato filius.

Filium Cato sustulerat sibi ὁμώνυμον, M. PORCIVM CATONEM, iisdemque virtutibus in toga sagoque insignem *. Rei militaris specimina bello Macedonico tam praeclara dederat, vt L. Aemilius Paullus eum sibi generum vltro deligeret. Iuris vero ciuilis scientia omnes eius

eius aetatis viros doctissimos superauit, egregiosque de iuris disciplina libros reliquit. Gell. *Noct. Att. Lib. XIII. cap.* 18. *l.* 2. §. 38. *D. de orig. iur.* Exstinctus est viuo patre, et praetor iam designatus anno ab V. C. 600. Et is vnus casus concussisse dicitur intrepidum animum Catonis patris, Cic. *de senect. cap.* 23. quem ideo huius filii sui saepe in scriptis suis cum laude meminisse, refert Plutarch. *in Cat. mai. pag.* 351.

* Quum plures Catones in historia Romana occurrant, quorum facilis est confusio: non ingratum lectori fuerit, totam illam gentem in schemate contemplari. Et quamuis illud concinnare iam coeperit Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 19. et inde sua sumserit Guido Pancirol. *de clar. leg. interpret. Lib. I. cap.* 8. *pag.* 27. licebit tamen illud hoc modo supplere.

M. PORCIVS CATO CENSORIVS natus anno V. C. 518. quaestor anno 548. praetor 554. consul 557. censor anno 568. obiit anno V. C. 604. sexto et octuagesimo aetatis anno.

M. PORCIVS M. F. CATO iureconsultus, praetor iam designatus decessit viuo patre, anno ab V. C. 600. matrem habuit *Liciniam*.

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO, insignis orator, cos. anno 634. cum Q. Marcio, Africam sortitus, in magistratu ibi decessit.

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO, aedilis, ipse quoque in Africa decessit.

L. Lucullus = Porcia, soror germana Catonis Vticensis.

L. Lucullus.

M. Porcius, M. F. CATO SALONIANVS, id cognomen adeptus a Salonio, patris scriba, cuius ille filiam secundis nuptiis domum duxerat. Plutarch. *in Cat. Maior. pag* 351.

L. Cato

M. Cato, tribunus pl. praeturam petens decessit. = Liuia, M. Liuii Drusi filia, nupta postea = Q. Seruilio, quaestori, occiso bello Sociali anno 663.

M. PORCIVS M. F. M. N. CATO Vticensis, maritus (1) Lepidae: (2) Atiliae: (3) Hortensiae.

Q. Seruilius Caepio, Catonis frater vterinus. Plutarch.

Filia.

Seruilia, soror Catonis vterina, impudica a Caesare amata, = M. Brutus a Pompeio interfectus. Plutarch.

M. Porcius Cato. in acie ad Philippos occubuit. Plutarch.

Filius alter. Plutarch.

Filia cuius mem. Plut.

Porcia, quae feq. crudeliter interemit, occiso marito Bruto. = Bibulus, Plut. quo mortuo nupsit — Bruto Caesaris interfectori.

Bibulus.

§. CXXXII.

Eius scripta.

Quamuis vero patris filiique scripta saepe confundi videantur: illa tamen, quae Catoni in iure nostro tribuuntur *, pleraque deberi existimamus, veluti REGVLAM CATONIANAM, *l.* 1. *D. de reg. Cat.* et quae ex Catonis libris proferuntur de adoptione seruorum, §. 12. *Inst. de adopt.* de seruo mutilo morboso, *l.* 10. §. 1. *D. de Aedil. edict.* de socero a genero instituto herede, *l.* 44. *pr. D. solut. matrim.* de poena certae pecuniae promissa, si quid aliter factum sit, *l.* 4. §. 1. *D. de verb. obl.* de die intercalari, *l.* 98. §. 1. *D. de verb. signif.*

* Laudatur Cato saepius, sed ita, vt eius libri Vlpiani et Paulli temporibus non amplius videantur exstitisse. Hinc formulae: *apud Catonem bene scriptum*, REFERT ANTIQVITAS: §. 12. *Inst. de adopt.* *Catonem scribere* LEGO: *l.* 10. §. 1. *D. de aedil. edict.* *Nerua et Cato responderunt, vt est* RELATVM *apud sextum ab Aristone*. Sic aliena fide citant Catonem. Semel Paullus *l.* 4. §. 1. *D. de verb. oblig.* citat *Catonis librum XV.* sua, an aliena fide, non facile dixerim.

§. CXXXIII.

C. Liuius Mamilianus Drusus.

C. LIVIVS M. F. MAMILIANVS DRVSVS consul anno ab V. C. *606*. collega P. Cornelio Scipione, eo potissimum nomine laudatur, quod senex, oculis captus, viribusque defectus, consulentibus non minus de iure responderit, quum, quorum res esset, sua ipsi non videntes, caecum adhibere ducem non dubitarent. Cic. *Tusc. Quaest. Lib. V. cap.* 38. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 7. Addit Valerius, eum vtilissima monimenta, oculorum licet acie destitutum, composuisse, quae saltim in P. Iuuentii Celsi manus videntur incidisse. Nam Drusum hic laudat. *l.* 38. §. 1. *D. de act. emt. vend.*

§. CXXXIIII.

P. Mucius Scaeuola.

Venio nunc ad triumuiros, qui *ius ciuile fundasse* dicuntur a Pomponio *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* Horum princeps P. MVCIVS P. F. Q. N. SCAEVOLA ex ea gente ortus est, quae iuris prudentiam pro gentilitio bono habuit, pluresque patriae dedit ICtos eximios *. Noster anno ab V. C. 620. consul fuit, collega L. Calpurnio Pisone Frugi, Vell. Paterc. *Histor. Lib. II. cap.* 2. Gruter. *Inscript. pag.* 202. *sequ.* biennioque post, quum Crassus occubuisset, pontificatum maximum est adeptus. Cic. *ad Attic. Lib. XII. epist.* 4. *de orat. Lib. II. cap.* 12. *de nat. deor. Lib. III. cap.* 2. *pro dom. cap.* 53. Denique eum phthiriasi exstinctum esse, tradit Plutarch. *in Sulla pag.* 475.

* Magnam ergo gratiam ab historiae studiosis iniit Rupert. *ad Enchir. Pompon. Lib. III. cap. 7. pag. 186. edit. nou.* quod plures Mucios, quos iuris scientia nobilitauit, adcurate distinxit. Nos ex eius schemate pauca haec decerpimus:

P. MV-

P. MVCIVS SCAEVOLA

Q. MVCIVS P. F. SCAEVOLA praetor anno V. C. 538. Sardiniam sortitus est. Liu. *Lib. XXIII. cap.* 24. 30.

Q. MVCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor anno V. C. 574. Liu. *Lib. XXXX.* cap. 44. cos. anno 579. cum Sp. Postumio,

P. MVCIVS Q. F. P. N. SCAEVOLA praetor anno 574. Liu. *Lib. XXXX. cap.* 44. cos. 578. cum M. Aemilio Lepido. Liu. *Lib. XXXXVIIII. cap.* 10. eodem anno triumphauit de Liguribus.

Q. MVCIVS Q. F. Q. N. SCAEVOLA, Augur, cos. anno ab V. C. 635. cum L. Metello. Grut. *Inscript. pag.* 204. Vixit adhuc L. Luculli temporibus. Val. Max. *Lib. III. cap.* 8. ICtus egregius, quem Cicero audiuit.

Mucia, vxor L. Licinii Crassi, oratoris.

Mucia, de qua Cicero *in Brut. cap.* 58.

Licinia nupta P. Cornelio Scipioni Nasicae. Cic. *in Brut. cap.* 58.

P. MVCIVS P. F. Q. N. SCAEVOLA pontifex max. IC. de quo Pomponius *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.*

Q. MVCIVS P. F. P. N. SCAEVOLA consul anno 675. Asiae proconsulatu gesto celeberrimus, ob quem Mucio festum diem instituerunt Asiatici. Cic. *Verr. II. cap.* 21. ICtus celeberrimus, de quo *l.* 2. §. 41. *D. de orig. iur.*

P. LICINIVS P. F. P. N. adoptatus a P. Licinio Crasso, ac proinde dictus MVCIANVS ab origine, LICINIVS CRASSVS a patre adoptiuo. Consul anno 522. pontifex max. et ICtus celeberrimus, de quo *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur.*

§. CXXXV.

Eius scripta.

Reliquisse a Pomponio dicitur DECEM LIBELLOS, *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* ex quibus dubio procul decerpta sunt, quae ex huius Scaeuolae monimentis adferunt non modo Cicero *Topic. cap.* 4. et *ad diuers. Lib. VII. epist.* 21. sed et ICti nostri *l.* 66. *D. solut. matr. l.* 17. *D. de legation. l.* 4. *D. de capt. et postlim.* *

* Neque tamen crediderim, P. Scaeuolae opera adhuc exstitisse tempore ICtorum, qui illa laudant. Nam Iauolenus *l.* 66. *pr. D. sol. matr.* quae de P. Sceuolae sententia memorat, vel ex Labeone, vel ex Seruio, quem ibi testem citat, videtur exscripsisse. Pomponius *l.* 17. *D. de legation.* Q. Mucium sequutus est, Modestinus denique *l.* 4. *D. de capt.* quae ibi de P. Scaeuola habet, ex Pomponio haurire potuit.

§. CXXXVI.

M. Iunius Brutus.

Alter ex hac triga M. IVNIVS BRVTVS, vir praetorius, *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* quem Cicero *in Brut. cap.* 47. *in iure ante alios summum euasisse* ait, *ibidemque cap.* 34. vocat *virum optimum et iuris peritissimum*, in eo tamen paullo infeliciorem, quod filium reliquerit gentis suae dedecus, vulturem togatum, accusatorem vehementem et molestum, et qui opes paternas turpiter disperdiderat. Cic.

Cic. *ibid.* et *de orat. Lib. II. cap.* 55. Reliqua fere ignoramus, nisi quod eum temporibus Gracchanis floruisse constat.

§. CXXXVII.

Eius libri. Librorum de iure ciuili a Bruto scriptorum septem numerat POMPONIVS, *d. l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* quamuis Ciceronis aeuo tres tantum DE IVRE CIVILI libri pro genuinis habiti videantur *. Cic. *de orat. Lib. II. cap.* 55. Ex iis quaedam, quae ad edictum potissimum pertinuerunt, notis vel stricturis suis illustrasse videtur SER. SVLPICIVS: *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur. l.* 5. §. 1. *D. de instit. act.* nisi forte, quod alii suspicantur, eos libros Bruto potius cuidam nuncuparit (§. 74. *). Bruto vero nostro, tamquam eximio iuris auctori, testimonium frequenter denunciant Cicero *de finib. Lib. I. cap.* 4. et *ad diuers. Lib. VII. epist.* 22. Gell. *Noct. Attic. Lib. VII. cap.* 15. et ICti nostri, *l.* 68. *D. de vsufr. l.* 27. §. 22. *D. ad leg. Aquill. l.* 13. *pr. D. de in diem addict. l.* 3. §. 3. *D. de adqu. vel amitt. possess. l.* 4. *D. de captiu. et postlim.*

* Verosimile est, mendum irrepsisse in Pomponii *Enchiridion*, et acute suspicatur Bynkersh. *in Praetermiss. pag.* 271. *edit. nou.* transpositis vocabulis legendum esse: *Brutus tres*, *Manilius septem*: quale quid in mentem venit etiam Ioanni Bertrando *de Iurisperit. Lib. II. cap.* 6. Ceterum Brutum quoque his libris suis intexere solitum esse responsa, et quidem expressis personarum nominibus (§. 130.), obseruat Cicero *de orat. Lib. II. cap.* 33. Quod institutum probandum, an reprehendendum sit, disquirit Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. I. cap.* 5.

§. CXXXVIII.

M'. Manilius. Tertius M'. MANILIVS P. F. P. N. (ita enim scribendum id nomen, non littera duodecima MAMILIVS, vti hoc nomen vbique emendari iubet Petr. Victor. *ad Varron. de re rustic. Lib. II. cap.* 3. §. 5. *) P. F. P. N. vir consularis, quippe qui fasces anno ab V. C. 603. collega L. Marcio Censorino tenuit, *Fast. Consul. ad h. ann.* quum antea praetor cum Lusitanis bellum parum prospere gessisset, Appian. *Iberic. pag.* 286. ac ne consul quidem Carthaginem felicius oppugnasset. *Epit. Liu. Lib. XXXXVIIII.* At tanto illustrior toga, non modo consulentibus totum se dedit, eorumque commodo transuerso foro quotidie obambulauit, vt sui consulendi copia esset omnibus: verum etiam domi suae, quam mediocrem in Carinis habebat, omnes et de iure ciuili, et de filiabus elocandis, fundis emendis, agro colendo, deque omni officio negotioque consulturos admisit: Cic. *de orat. Lib. III. cap.* 33. pauperem tamen fuisse, testatur Cicero *Paradox. VI. cap.* 3.

* Hoc audacior Val. Forsterus in *Hist. iur. Lib. II. cap.* 21. eum vocat *M. Manlium*, quum *Marci* praenomen in gente *Manlia*, ob M. Manlii Capitolini supplicium, lege familiae quasi proscriptum esset. Liu. *Lib. VI. cap.* 20. immo sub finem istius capitis illum confundit cum *T. Manlio Torquato*, de quo supra (§. 127.) differuimus: adcurate refutatus a Ruperto *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 6. *pag.* 177. *seqq. edit. nou.*

§. CXXXVIIII.

§. CXXXVIIII.

Reliquit DE IVRE CIVILI libros, si vulgarem scripturam in Pomponio seruandam credimus, *tres*, sin Bynkershoekii coniecturam (§. 138.) sequimur, *septem*, ac praeterea *volumina inscripta* MANILII MONIMENTA, *l.* 2. §. 39. *D. de orig. iur.* quae, qualia fuerint, nos hodie scimus iuxta cum ignarissimis. Praeterea MANILIANARVM VENALIVM VENDVNDORVM LEGVM * mentionem faciunt Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 58. et Varro *de re rust. Lib. X. cap.* 5. quas a monimentis illis diuersas non esse, existimat Ant. Augustin. *de nomin. propr. Pandect. Tom. I. Thes. iur. ciu. pag.* 211. Et ea quidem Manilii opera passim laudari animaduertimus a Varrone *de lingu. Lat. Lib. IIII. pag.* 13. *et Lib. VI. pag.* 68. *de re rust. Lib. II. cap.* 5. a Cicerone *ad diuers. Lib. VII. epist.* 22. Gell. *Noct. Attic. Lib. XVII. cap.* 7. denique a Paullo ICto *l.* 3. §. 3. *D. de adquir. vel amitt. possess.* Eius opera.

* Pertinuerunt *Manilianae* istae *venalium vendundorum leges* ad iuris prudentiam formulariam. Auctor enim est Plin. *Hist. nat. Lib. XVIII. cap.* 3. obseruationem earum tam scrupulosam fuisse, vt ne carnes quidem et sues, nisi conceptis verbis a laniis emerentur, neque mulctae dictio aliter iusta esset, nisi in qua OVIS masculino genere efferretur, et nisi bubus ouibusque simul expressis, oues prius, quam boues nominarentur. Vid. Eu. Otton. *Iurisprud. symbol. Exerc. I. cap.* 15. *pag.* 92. Exstant tales venalium vendundorum formulae apud Varron. *de re rust. Lib. II. cap.* 3.

§. CXXXX.

Subiungimus illustri illi ICtorum trigae Q. MVCIVM, Q. F. Q. N. SCAEVOLAM, vulgo *Augurem*, cos. anno ab V. C. 636. collega L. Caecilio Metello, qui senex admodum decessit, neque se adduci passus est a L. Sulla, vt C. Marium hostem rei publicae iudicaret. Val. Max. *Lib. III. cap.* 8. Quantus in respondendo fuerit, vel ex eo patet, quod Cicero *in Brut. cap.* 39. *sequ.* et *de orat. Lib. I. cap.* 45. eum iuris ciuilis intelligentia atque omnis prudentiae genere praestitisse, eiusque ianuam et vestibulum in infirmissima valetudine adfectaque iam aetate maxima quotidie frequentia ciuium ac summorum hominum splendore *celebratam esse*, testatur. Auditores habuit illustres quam plurimos, et in his Ciceronem, ceu ipse testatur *in Brut. cap.* 89. et in *Lael. cap.* 1. quamuis postea, eo mortuo, ad Q. Mucium Scaeuolam, pontificem, de quo paullo post, sese contulerit. Cic. *de legib. Lib. I. cap.* 4. An quidquam scripserit, hodie ignoramus: Arbitrium tamen eius in caussa finium regundorum inter Gennates et Veturios exstat apud Gruter. *Inscript. pag.* 204. Q. Mucius Scaeuola Augur.

§. CXXXXI.

Quos his Pomponius subiungit, CAELIVS ANTIPATER, PAVLLVS VIRGINIVS, SEX. POMPEIVS, Q. AELIVS TVBERO, quamuis iuris non imperiti, aliis tamen potius artibus adpulisse animum videntur *. Quare dicendum potius erit de P. RVTILIO RVFO, qui P. Mucium Scaeuolam, pontificem maximum, audiuit, Cic. *de offic. Lib. II. cap.* 13. simulque philosophiae Stoicae, duce Panaetio, totum se de- Antipater, Virginius, Pompeius, Tubero, Rutilius Rufus.

dit. Idem *de offic. Lib. III. cap.* 2. *in Brut. cap.* 30. Functus consulatu anno ab V. C. 648. collega Cn. Manlio Maximo, iniquissimo repetundarum iudicio opprimitur, et exsul Smyrnae consenescit, honoratus ab omnibus Asiae ciuitatibus. Ouid. *ex Ponto Lib. I. eleg.* 3. *v.* 6. *sequ.* Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 53. Valer. Max. *Lib. VI. cap.* 4. *ex.* 4. Vellei. Paterc. *Lib. II. cap.* 13.

* L. CAELIVM ANTIPATRVM ipse Pomponius *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur. plus eloquentiae, quam scientiae iuris, operae dedisse*, testatur: quamuis et de eius eloquentia non adeo magnifice sentiat Cicero *de orat. Lib. II. cap.* 13. Scripsit *annales* aliaque, quorum ossa, vt ita dicam, legit Wassius. De PAVLLO VIRGINIO veteres veluti ex compacto silent, nisi sit ille *A. Virginius*, (ex Aullo enim facile Paullus nasci potuit,) cuius se amicitia delectari ait Laelius apud Ciceronem *de amicit. cap.* 27. SEX POMPEIVS, Cn. Pompeii patruus, et Q. AELIVS TVBERO a iuris peritia quidem laudantur a Cicerone *in Brut. cap.* 47. *et de offic. Lib. I. cap.* 6. nec non a Gellio *Noct. Attic. Lib. I. cap.* 22. sed ita, vt Stoicos magis professi videantur, quam ICtos.

§. CXXXXII.

Rutilii Rufi scripta.

Praeter libros HISTORIARVM, DE VITA SVA, HANNIBALICORVM, et aliquot orationes, ex quibus scriptis, quae supersunt, fragmenta Wassius collegit, Rutilius Rufus etiam de iure quaedam elucubrauit; ex quibus quaedam proferuntur *l.* 10. §. 3. *D. de vsu et habit. l.* 3. §. 9. *D. de penu leg. l.* 1. §. 2. *D. de arb. caed.* Edicti ab eo in praetura praepositi mentio fit *l.* 1. §. 1. *D. de bon. libert.*

§. CXXXXIII.

C. Cornelius Maximus, et P. Licinius Crassus Mucianus.

C. CORNELIVS MAXIMVS solo Trebatio auditore, cuius ille formauit ingenium, celebris, nulla alia re sui memoriam ad posteritatem propagauit. Cic. *ad diuers. Lib. VII. epist.* 8. *et* 17. At tanto serenioris famae est P. LICINIVS CRASSVS, a patre naturali P. Mucio Scaeuola MVCIANVS, anno ab V. C. 612. in adoptionem P. Licinio Crasso datus. Per omnes honorum gradus anno ab V. C. 657. ad consulatum, et quadriennio post ad censuram adspirauit, in magistratibus fere omnibus, praeterquam in censura, collegam nactus Q. Mucium Scaeuolam. Denique et pontifex maximus decessit ex vehemente laterum dolore, quem sibi altercatione cum L. Philippo in senatu contraxerat. Cic. *de orator. Lib. III. cap.* 2. Auctor est Pomponius, *l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur.* a Cicerone hunc Crassum dictum esse *ICtorum disertissimum* *). Fuit enim incredibili eloquentia, quamuis parum faueret rhetorum scholis, quos in censura sua, proposito edicto, vrbe excesse iusserat. Gell. *Noct. Att. Lib. XV. cap.* 11. *Sueton. de clar. rhetor. cap.* 1.

* Plerique tamen id ideo vocant in dubium, quod Cicero eo elogio non semel ornet Q. Mucium Scaeuolam, veluti *de orat. Lib. I. cap.* 39. et in *Brut. cap.* 39. et 40. quum de Crasso tale nihil in eius operibus reperiamus. Rupertus *ad Enchirid. Pompon. Lib. III. cap.* 6. *pag.* 283. *sequ.* vt erroris absoluat Pomponium, elogium hoc a librariis alieno loco positum, in paragraphum sequentem transferri oportere statuit. Alii aliter rem expediunt. Sed quid

quid prohibet, quo minus Cicero alicubi eamdem laudem attribuerit Crasso, Pomponiusque id elogium vere legerit in opere eius aliquo, nunc deperdito, quod nos hodie non legimus? Vid. Bynkershoekii *Praetermiss. ad d. l.* 2. §. 40. *D. de orig. iur. pag.* 273. *sequ. edit. nou.*

§. CXXXXIIII.

Paullo iunior fuit Q. MVCIVS SCAEVOLA, pontifex maximus, cum Q. Mucio Scaeuola, Augure, non confundendus. De eius eloquentia Ciceronis testimonia paullo ante vidimus. Eumdem Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 12. *legum clarissimum ac certissimum vatem*; Diodorus Siculus *in Excerpt. Peiresc. p.* 405. ἐπιφανέστατον τῶν Ρωμαίων, *Romanorum illustrissimum* adpellat. Eum fere in omnibus honoribus Crasso collegam fuisse diximus. Praecipuam vero laudem sibi gesto sanctissime Asiae proconsulatu peperit, adeo, vt eum prouinciales diuinis paene honoribus prosequerentur. Ascon. Paedian. *in Verr. II. cap.* 21. Denique in Mariano tumultu anno ab V. C. 666. C. Fimbriae scelere nefarie interemtus, maximum bonis omnibus sui desiderium reliquit. Cic. *de orat. Lib. III. cap.* 3. *Excerpt. Peiresc. pag.* 410. Appian. *de bello ciu. Lib. I. pag.* 404. Vellei. Paterc. *Histor. Lib. II. cap.* 26. Lucan. *Pharsal. Lib. II. v.* 126. *sequ.* Q. Mucius Scaeuola pontifex max.

§. CXXXXV.

Multa huic Mucio Scaeuolae debet iuris prudentia, veluti CAVTIONEM MVCIANAM, aliaque eius generis plura, quae singulari commentario sub *iuris prudentiae Mucianae* titulo illustrauit Franc. Balduinus, recus. in *Tom. I. Iuris prudent. Rom. et Attic.* Mucii *liber* ΟΡΩΝ vel DEFINITIONVM antiquissimus est eorum, ex quo quaedam in Pandecten retulit Tribonianus, *l.* 64. *D. de adquir. rer. domin. l.* 8. *D. de aqua quotid. et aestiu. l.* 241. *D. de verb. signif. l.* 73. *D. de reg. iur.* * Libros etiam IVRIS CIVILIS duodeuiginti laudat Gell. *Noct. Attic. Lib. VII. cap.* 15. in eos vero notas scripserunt Pomponius, Laelius Felix, apud Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 27. Modestinus, *l.* 53. et 54. *D. de adquir. rer. dom.* et acerrimus aemulus Ser. Sulpicius, nostro tam parum aequus, vt eius stricturae non *Notae*, sed reprehensa Mucii capita adpellentur. *l.* 3. §. 6. *D. de penu leg.* Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 1. Eius scripta.

* Mireris, quum hic liber ὅρων singularis adhuc Triboniani temporibus exstiterit, fueritque eorum, quos illa aetas superstites habebat, antiquissimus, cur non plura, quam quatuor illa fragmenta ex iis in *Pandectas* retulerit Tribonianus. Enimuero eum vel ipsa huius ICti aetas, qua floruit, excusat. Quis enim dubitet, quin pleraque, quae de sui temporis iuris prudentia scripserat Mucius, sexto, quo Tribonianus vixit saeculo adeo uel ab vsu recesserint, vel mutata sint, vt locum amplius non habuerint in opere, quod ius eorum temporum, recisis antiquis fabulis, ex Iustiniani instituto, complecti debebat? *Const. Deo auctore.* §. 7. *de concept. Dig. ad Tribonian.*

§. CXXXXVI.

Progredimur ad C. AQVILLIVM GALLVM, cuius vitam singulari oratione illustrauimus *Francof. iuxta Viadr.* 1731. Patrem habuit M'. C. Aquilius Gallus.

I 2 Aqui-

Aquilium Gallum, virum consularem et triumphalem *. *Fast. Capitolin. ad ann. ab V. C.* 652. Praeturam gessit anno ab V. C. 687. collega inter alios M. Tullio Cicerone, inque ea illi quaestio de ambitu sorte obuenit. Cic. *pro A. Cluent. cap.* 53. Consulatum ob temporum perturbationem regnumque illud forense, teste Cicerone *ad Attic. lib.* 1. *Epist.* 1. ne petere quidem voluit. Vixisse videtur saltim ad annum 708. quo cum adhuc *Gallum suum* vocat idem Cicero *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 6.

* Celeberrima ab ipsa vrbis origine fuit gens AQVILLIA, ex qua tamen et viri fato suo infelicissimi prodierunt. M. Aquillium IIII. virum vel IIvirum potius sacris faciundis, a Tarquinio rege ob euulgatas sortes Sibyllinas insui culleo iussum esse, tradit Dionys. Halicarn. *Antiquit. Lib. IIII. cap.* 70. Ἀκύλλιον enim ibi legendum, pro Ἀτίλλιον, recte obseruarunt viri doctissimi. Notum quoque est, quod, exacto Tarquinio ab Aquilliis adolescentibus coniurationis reis a L. Iunio Bruto, primo cos. sumtum est supplicium, de quo idem Dionys. Halic. *Lib. V. cap.* 7. Plutarch. *in Poplic. pag.* 98. Liu. *Lib. II. cap.* 4. In *Fastis* celebrantur anno ab V. C. 266. *C. Aquillius Tuscus*, anno ab V. C. 494. *C. Aquillius M. F. C. N.* anno 652. *M'. Aquillius Gallus*, consules, et partim triumphis, partim ouatione insignes. At postremus, cuius de rebus gestis insigne monimentum occurrit apud Gruter. *Inscript. pag.* 15. *anno* 7. repetundarum postea postulatus, cicatricum ostentatione euasit. Denique legatus missus in Asiam ad Mithridatem, bellumque ibi administrans anno ab V. C. 664. a Mitylenaeis hosti traditur, a quo asino circumuectus, omnesque cruciatus perpessus, infuso demum in os auro liquefacto, misere periit. Cic. *pro lege Manil. cap.* 5. Appian. *in Mithridatic. pag.* 184. Plin. *Hist. nat. Lib. XXXIII. cap.* 3. Arnob. *aduers. gent. Lib. I. pag.* 23. Et hunc ipsum sane C. nostri Aquillii patrem fuisse, verosimile est. Bertrand. *de iurisperit. Lib. II. cap.* 9. Ceterum ICti nostri mentio fieri videtur in marmore apud Gruter. *Inscript. pag.* 652. *num.* 6.

L. AQVILLIVS
IVRECONSVLTI L.
GEMELLVS
SEXTIA Ↄ. L. FLORA
L. AQVILLIVS L. L.
RVFIO.

Vbi sane non laudatur *Aquillius Florus*, ICtus, vti coniecit Vrsinus *in Not. ad Cicer. Philipp. II.* sed L. Aquillius Gemellus, ICti libertus.

§. CXXXXVII.

Eius studium iuridicum.

Iuuenis Q. Mucium Scaeuolam, pontificem maximum audiuit, et *inter condiscipulos*, quorum in numero L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, Iuuentius, quin et M. Tullius Cicero et Atticus fuerunt, Cic. *de legib. Lib. I. cap.* 4. *maximae auctoritatis apud populum fuit. l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* Postea mira dexteritate de iure respondit, Cic. *pro A. Caecin. cap.* 27. multasque cautiones et formulas, ad iuris prudentiam potissimum heurematicam pertinentes, quin et noua quaedam iuris interpretamenta inuenit, veluti stipulationem Aquillianam, §. 2. *Inst. quib. mod. obl. toll.* formulam doli mali, Cic. *de nat. deor Lib. III. cap.* 30. *de offic. Lib. III. cap.* 14. *l.* 1. §. 1. *D. de dol. mal.* postumos Aquillianos, *l.* 29. *pr. D. de liber. et postum. hered. instit.* ius accrescendi, *l.* 74. *D. de hered. instit.* ius postumi ad patrui hereditatem admittendi, *l.* 127. *D. de legat.* 1. et similia. *

* Absonum vero est, quod statuit Ian. Vinc. Grauina *de orig. iur. ciu.* §. *LX. par.* 59. ICto nostro deberi LEGEM AQVILLIAM, quippe quam supra

pra non modo ante Ciceronis, sed et ante Bruti tempora exstitisse nouimus (§. 87. *). At non magis solidum est Franc. Balduini iudicium, qui ne ex gente quidem Aquillia, ex qua ICtus noster prodierit, legis Aquiliae auctorem prodire potuisse existimat, quia gens haec patricia, legis vero Aquiliae lator tribunus plebis fuerit. Bald. duin. *de lege Aquill. pag.* 249. *sequ. Tom. I. iuris prud. Rom. et Attic.* Sane nec ICtum nostrum patricium fuisse adeo certum: nec admodum nouum est, eamdem gentem patricias plebeiasque habuisse familias.

§. CXXXXVIII.

Pomponius auctor est, C. Aquillium magnam anni partem in *Cercinna*, Africae insula, siue, vt Muretus, Mornacius, Corasius, et Rupertus malunt, *Caecinae*, Hetruriae oppido, exegisse, ibique et auditoribus, et libris scribendis vacasse. *l.* 2. §. 42. *D. de. orig. iur.* Sed librorum eius ne tituli quidem hodie noti sunt, * iisque multum nocuisse videtur Ser. Sulpicii diligentia, qui, quum plerasque et Aquillii et aliorum Mucii auditorum sententias in libros suos transtulisset, eo ipso effecerat, vt ipsi fontes minus aestimarentur. *d. l.* 2. §. 42. Eiusdem scripta.

* Auctoritate tamen C. Aquillii, dissimulatis librorum titulis, vtuntur Dionys. Halicarn. *Antiquit. Rom. Lib. III. cap.* 91. Labeo *l.* 29. §. 1. *D. de legat.* 3. Priscus Iauolenus, *l.* 39. *pr. D. de statulib.* Africanus, *l.* 33. §. 1. *D. de vulg. et pupill. substit.* Vlpianus, *l.* 6. §. 2. *D. si seru. vindic. l.* 17. §. 6. *D. de act. emt. l.* 30. *D. de legat.* 1. *l.* 7. §. 4. *D. quod vi aut clam*, Iulius Paullus, *l.* 127. *D. de legat.* 1. *l.* 32. §. 1. *D. de aur. arg. l.* 77. *D. de verb. signif.* Ceruidius Scaeuola, *l.* 29. *pr. D. de lib. et posthum.* Licinius Rufus, *l.* 74. *D. de hered. inst.* denique Florentinus, *l.* 18. *D. de acceptilat.*

§. CXXXXVIIII.

Sequuntur reliqui Q. Mucii auditores, veluti L. LVCILLIVS BALBVS, SEX. PAPIRIVS, et C. IVVENTIVS, quibus et M. TVLLIVM CICERONEM adderem, si, quod alicubi minatus est, ICtum vmquam profiteri voluisset *. Attamen eos omnes Aquillio nulla ex parte fuisse comparandos, nec eorum opera inter hominum manus versata esse, haud obscure fatetur Pomponius, *l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* LVCILLIVS BALBVS, philosophiae Stoicae, teste Cicerone *de orat. Lib. I. cap.* 6. addictissimus, in respondendo paullo tardior fuit. Cic. *in Brut. cap.* 42. De SEX. vero PAPIRIO et C. IVVENTIO nihil ex antiquitate compertum habemus, nisi ad posteriorem referre velis, quae de T. IVVENTIO refert Cicero *in Brut. cap.* 48. L. Lucillius Balbus, Sex. Papirius, C. Iuuentius, M. Tullius Cicero.

* Notum est CICERONEM non expertem fuisse iuris prudentiae. Non modo Q. Mucium audiuerat, sed et tantum fiduciae ponebat in scientia sua, vt *in orat. pro Muraen. cap.* 13. scribere non vereretur: *si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moueritis, triduo me ICtum esse profitebor.* Quin librum eius DE IVRE CIVILI IN ARTEM REDIGENDO, qui hodie non exstat, laudat Gellius *Noct. Attic. Lib. I, cap.* 22. ex eoque satis patet, eum de conficiendo systemate iuris cogitasse. At quum ICtum se numquam sit professus, neque vel de iure respondisse, vel docendo scribendoque illustrasse legatur iuris prudentiam: facile patet, cur tam parum eruditis conueniat de Ciceronis iuris prudentia. Vid. Ant. Schultingii *Orat. de iuris prud. Ciceronis*, et Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 284. *seqq. edit. nou.*

§. CL.

§. C L.

Ser. Sulpicii studium iuridicum.

Sed omnibus ante se ICtis veluti caliginem induxit SER. SVLPICIVS, *Lemonia* RVFVS, cuius vitam singulari oratione, Vltraiecti habita, posteaque in iusti libri formam redacta, et *Tomo V. Thesauri iur. ciuil.* inserta illustrauit Eu. Otto. An obiurgatione Q. Mucii veluti a puluere et radio excitatus animum ad iuris prudentiam adpulerit, ceu refert Pomponius *l.* 2. §. 43. *D. de orig. iur.* non adeo expeditum est, nec temporis id admittere videntur rationes *. Certius est, C. Aquillio Gallo et L. Lucillio Balbo illum nauasse operam, Cic. in *Brut. cap.* 42. *d. l.* 2. §. 43. ab iisque tantum profecisse, vt *iuris ciuilis magnum vsum et apud Scaevolam, et apud alios, artem in vno Sulpicio fuisse*, iudicet Cicero *in Brut. cap.* 41.

* Dubiam hanc narrationem primus reddidit Ant. Augustinus, *Not. ad librum de nomin. propr. Pandect. pag.* 214. partim quod Tullii et Seruii adolescentia vetent, quo minus eos, viuo Q. Mucio Sceuola, primum locum in caussis orandis tenuisse dicamus: partim quod Seruius demum ex Rhodo reuersus, id est, anno V. C. 676. quum iam ante quinquennium occisus esset Scaeuola, ad iuris prudentiam adiecerit animum, adeoque obiurgatione Mucii ad id studium excitari non potuerit. Vid. *Eu. Otton. Vit. Ser. Sulpicii, cap.* 4. *pag.* 1573. *seqq. Tom. V. Thesaur. iur. ciuil.*

§. C L I.

Eius honores.

Honores omnes gessit ad consulatum vsque, quem, repulsam antea passus competitore L. Muraena, demum anno ab V. C. 703. collega M. Marcello gessit. Inter ciuiles tumultus adeo semper pacis et ocii auctor fuerat, vt Caesaris victoris retineret gratiam, eiusque beneficio Achaiam prouinciam regeret. Cic. *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 3. *et* 4. *Lib. XIII. epist.* 26. Oborta post Caesaris caedem noua tempestate, pacis conciliandae caussa legatus ad Antonium missus, in legatione illa decessit anno V. C. 710. statua aenea pedestri ex SCto honoratus. Cic. *Philipp. VIIII. cap.* 7. Reines. *Inscript. Class. VII. num.* 30.

§. C L I I.

Scripta eiusdem.

Libros eum prope centum et octoginta reliquisse auctor est Pomponius. Inter hos sunt REPREHENSA SCAEVOLAE CAPITA, de quibus iam supra (§. 145.): liber singularis DE DOTIBVS, laudatus a Gellio *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 3. *et* 4. et a Neratio, *l.* 8. *D. de condict. causs. dat.* Eiusdem libros duos, siue DE TESTAMENTIS, siue, vt alii malunt, DE DETESTANDIS SACRIS citat idem Gellius *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 12. Meminimus etiam supra librorum duorum EDICTI AD BRVTVM (§. 74.) Reliqua, quae scripsit, videntur ex parte ad amoeniores litteras pertinuisse *, quippe *quarum maximam quasi lucem ad artem hanc, omnium artium maximam, attulisse*, dicitur Ciceroni *in Brut. cap.* 41.

* Eidem Seruio Vdalr. Zasius tribuit librum *de claris* ICtis ex male intellecta *l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* Steph. Vin. Pigh. *Annal. Rom. Lib. IIII. ad ann.* 387. ab eodem elucubrata esse contendit *Commentaria in Edictum aedilicium*, ex male accepto loco Gellii *N. A. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. Denique cum *ad Alfenum Varum* notasse, obseruasse sibi visus est Perennon. *Animaduers. Lib.*

Lib. II. cap. 23. ex *l.* 65. §. 8. *D. pro soc. l.* 67. *D. de solut. l.* 77. *D. de verb. signif.* Sed allucinatos esse hos omnes, solide demonstrauit Eu. Otto *in Vita Ser. Sulpicii, cap.* 7. §. 7. *pag.* 1608. et *cap.* 8. §. 6. *pag.* 1614. *sequ. Tom. V. Thesaur. iur. ciuil.*

§. CLIII.

Ser. Sulpicii auditores.

Sequitur apud Pomponium magna ICtorum turba, quae ex Ser. Sulpicii schola, tamquam ex equo Troiano, exiit: sed in illa pauci famam sibi eximia quadam iuris peritia pepererunt: veluti ALFENVS VARVS et CAIVS AVLVS OFILIVS *. Minoris contra existimationis et obscurioris famae sunt, TI. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS, PACVVIVS, LABEO ANTISTIVS, Labeonis Antistii pater, CINNA, PVBLICIVS GELLIVS. *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* Sed quum horum plerique ipsius Augusti aetatem videantur attigisse: de iis ad proxime sequentem iuris prudentiae epocham erit dicendum.

* In quibusdam editionibus CAIVS et A. OFILIVS, tamquam duo diuersi ICti, distinguuntur. At quum decem a Pomponio numerentur Ser. Sulpicii auditores, et distincte numerato *Caio*, vndecim prodirent: verosimillimum est, vnum eumdemque hominem fuisse *C. Aulum Ofilium*. Est haec obseruatio Ant. Augustini *Not. ad nom. propr. Pand. pag.* 217. et Bynkersh. *Praetermiss. ad l.* 2. §. 44. *de orig. iur. pag.* 278. *edit. nou.*

§. CLIIII.

Studia Romanorum iuuenilia.

Antequam huic capiti finem imponamus, paucis, qualis tum ordo ratioque studiorum iuridicorum fuerit, videtur exponendum. A bellorum Punicorum temporibus, quibus primum Roma elegantioribus litteris optimarumque artium studiis honorem habere coepit, adolescentes primos annos dabant Graecis litteris, adeoque grammaticos, rhetores, philosophos audiebant. Cic. *in Brut. cap.* 90. *de offic. Lib. I. cap.* 1. Sueton. *de clar. reth. cap.* 1. *et* 2. Hinc, sumta virili toga, sese ad forensem praeparabant eloquentiam, et a viro quodam illustri in forum deducebantur *: aliquando et Athenas, Rhodum, Mitylenen, vel Massiliam studiorum caussa secedebant, ne vrbanis distraherentur negotiis. Cic. in *Brut. cap.* 91. *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 7. et *Lib. VII. epist.* 3. Vellei. Paterc. *Lib. II. cap.* 59. Tacit. *Agric. cap.* 4. Quin, si vel maxime stipendia facerent, ne in castris quidem sese ab honestioribus studiis diuelli patiebantur. Vellei. Paterc. *Lib. I. cap.* 13. Sueton. *Caes. cap.* 56. *August. cap.* 84. Plin. *Epistol. Lib. I. epist.* 10. *et. Lib. III. epist.* 11.

* Fiebat hoc non sine sollemnitate, et vt deducendi in forum officium frequens haberent tirones, dies potissimum eligebatur togae purae dandae, simul aduocabatur clientium turba, quae adolescentem frequens comitaretur. Et ita intelligendus Ouid. *Lib. III. Fastor. v.* 787.
Ergo vt tironem celebrare frequentia posset;
Visa dies dandae non aliena togae.
Vid. Io. Frider. Gronou. *Obseru. Lib. II. cap.* 21. *pag.* 308. *sequ.*

§. CLV.

ICti pleram,

Qui se consecrauerant iuris prudentiae, id in primis dabant operam,

rique Stoici.

ram, ne illotis manibus, id est, a philosophiae destituti praesidiis, haec sacra attingerent. Et quidem quum alias plures essent, quae philosophorum animos distrahebant, sectae: ICti Stoicam reliquis tantum non omnibus antehabebant, quippe quam turbidos et negotiorum adpetentiores efficere homines existimabant. Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 57. Hinc non mirum, philosophiam Stoicam *summam sapientiam* dici a ICto, *l.* 2. *D. de legib.* siquidem eam ICtis prae reliquis sectis in deliciis fuisse, obseruauit Cuiac. *Obseruat. Lib. XXVI. cap.* 40. ex instituto demonstrarunt Em. Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 8. *sequ.* Schilter. *Manuduct. philos. mor. ad iuris prud. cap.* 1. §. 5. *sequ.* et Otto *singulari orat. de Stoica ICtor. philosophia*. *

* In ea oratione, quae *Dissertationum iuris publici et priuati Parti I. pag.* 562. inserta est, Paganini Gaudentii dissertationem *de philosophia apud Romanos* refellit, vbi *cap.* 43. falli eos omnes existimat, qui iuris prudentes e Stoa sapuisse credant. Contra illum ergo magna facundia initio ostendit, primos quosque et maximos Romanorum philosophos e porticu produisse: deinde non aliam magis, quam Stoicam disciplinam ICtorum studiis fuisse accommodatam: denique plerorumque horum responsa Stoicae familiae placitis respondere.

§. CLVI.

Vnicuique erat facultas de iure respondendi.

Ab his porro instructi praesidiis ICto cuidam celeberiori sese adiungebant. Vbi tamen non existimandum, hos ita scholas aperuisse iuridicas, vt auditores, positis subselliis e cathedra docerent iuris prudentiae principia: (tales enim scholas a saeculo demum tertio Romae, Constantinopoli, et Beryti floruisse novimus): sed viri illustres in respondendo, cauendo, agendo, exercitati, domi aeque ac in foro admittebant cupidos discendi adolescentes, vt, quid responderent, quas cautiones, actiones, exceptiones, interdicta, in quauis caussa commendarent, quibus rationibus consilia sua firmarent, audirent coram, eaque sibi omnia in futuros vsus enotarent *. Cicero *in Brut. cap.* 89. *in Orator. cap.* 41.

* Hinc est, quod ICtorum discipuli vulgo vocentur AVDITORES. Proprium sane id vocabulum fuisse ICtorum discipulis, obseruauit Cuiac. *Obseruat. Lib. XXVII. cap.* 4. Quamuis enim M. Seneca *Controu. Lib. IIII.* scribat, id nomen primum in Porcii Latronis schola esse natum, eiusque discipulos ideo irrisionis caussa dictos esse AVDITORES, quod semper audiuerint, neque vmquam ipsi dicendo inclarescere studuerint, postea vero id vocabulum in vsu esse, et promiscue pro discipulo *auditorem* poni coepisse, referat: illum tamen, nisi de oratoriae studiosis est loquutus, procul dubio fugit ratio. Vt enim de philosophorum *auditoribus* iam nihil dicam, quorum meminit Cicero *de nat. deor. Lib. I. cap.* 15. *de finib. Lib. V. cap.* 19. *de diuinat. Lib. II. cap.* 42. ante Augusti tempora, quibus Porcius Latro, teste Eusebio *in Chron. n.* 2013. floruit, in iure nostro celebrantur MVCII AVDITORES, *inter quos praecipuae auctoritatis fuerint Aquillius Gallus, Balbus Lucilius, Sex. Papirius, C. Iuuentius*. *l.* 2. §. 42. *D. de orig. iur.* nec non Alfenus Varus, et Caius Aulus Aufidius, *qui inter* SER. SVLPICII AVDITORES *plurimum auctoritatis habuerunt*: *l.* 2. §. 44. *D. eod. l.* 6. §. 1. *D. de dote praeleg. l.* 1. §. 6. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc. l.* 12. *pr. D. de instr. et instrum. leg.* item Trebatius CORNELII MAXIMI AVDITOR, Q. Mucius VOLVSII AVDITOR, *l.* 2. §. 45. *D. eod.* Antistius Labeo, *qui omnes hos* AVDIVIT, *l.* 2. §. 47. *D. eod.* Masurius Sabinus, *qui, quum et non adeo amplae*

amplae essent facultates, *plurimum a suis* AVDITORIBVS *sustentatus est*. *l.* 2. §. 47. *D. eod.* Vt adeo in scholis iuridicis potius, quam rhetoricis, natum videatur hoc AVDITORVM vocabulum.

§. CLVII.

Vnicuique erat facultas de iure respondendi.

Ita denique perpolitos exercitatosque iuuenes nihil prohibebat, quo minus respondendi de iure facerent periculum, simul ac studiorum haberent fiduciam, neque adhuc ea respondendi facultas a senatu populoque impetranda videbatur. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Professi vero ICtos et in foro obambulabant, vt consulturis esset sui copia, et si eximia quaedam prudentiae consultatoriae specimina dedissent, limina sua sub ipsum galli cantum obsideri videbant a clientibus, quibus ipsi responsa ex solio, tamquam ex tripode, oracula fundebant *. Cic. *de legib. Lib. I. cap.* 3. *de orat. Lib. I. cap.* 45. Horat. *Serm. Lib. I. ecl.* 1. *v.* 9. *seq.* et *Epistol. Lib. II. epist.* 1. *v.* 103.

* Neque tamen tunc in scriptis respondebant, vel, vti sub imperatoribus mos erat, *rescribebant*: sed viua voce monebant, quid factu opus esset, et hinc eos cum testibus fere adibant consultores. Menag. *Amoen. iur. ciuil. cap.* 20. Ceterum et quoties de iure ambigebant, adibant ICtos, et quoties vel testamentum condere, vel cautionis libellum scribere, vel sponsionem facere decreuerant: Arrian. *Diss. Epictet. II. cap.* 13. *pag.* 180. immo et si filias elocare, fundos emere, agros rite colere vellent, ceu supra (§. 138.) exemplo Marci Manilii ostendimus. Cic. *de orat. Lib. III. cap.* 33. Qui tamen artis suae fines regebant adcuratius, ii illos, a quibus de facto consulebantur, ad oratores remittebant. De C. Aquillio sane Cicero *Topic. ad Trebat. cap.* 12. *nihil hoc ad ius: ad Ciceronem, inquiebat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quaereretur*.

§. CLVIII.

Nec tamen eorum responsa iudices obligabant.

At istorum responsorum tum nondum erat tanta auctoritas, vt vel iudices obstringerent, vel dicendo non saepe euerterentur ab oratoribus. Cic. *pro Muraen. cap.* 13. *et pro A. Caecin. cap.* 24. Hinc nec rationes decidendi addebant responsis suis, Sen. *Epist.* 94. nec ea signabant, quippe viua tantum voce prolata. (§. 157. *) *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Quae omnia aliter se coeperunt habere, ex quo certis tantum iuris prudentibus facultas ab Augusto data de iure respondendi, impositaque est iudicibus necessitas, vt non recederent ab eorum sententiis. Qua de re infra erit plura dicendi locus.

CAPVT IIII.

DE STATV IVRIS ROMANI A CAESARE AVGVSTO AD CONSTANTINVM M. IMP.

§. CLVIIII.

Epoch ae huius initium.

Res publica Romana, nec sub C. IVLII CAESARIS dictatura, quam non admodum diuturnam fuisse notum est, nec statim eo interfecto, nouam monarchiae faciem induit: sed anno demum ab V. C. 722. Caesare Octauiano IIII. et M. Licinio Crasso, coss. * Tunc enim *postquam Bruto et Cassio caesis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus dux, nisi Caesar, reliquus: hic, posito triumuiri nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, magistratuum, legum, in se trahere coepit, nullo aduersante.* Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 1.

* Equidem ipse Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 28. Augustum *sexto demum consulatu, potentiae securum, quae triumuiratu iusserit, aboleuisse*, obseruat; is vero incidit in annum ab V. C. 726. Et sane eo anno imperium, rogatu senatus, suscepit, prouincias cum eo partitus est, Augusti nomen tulit, legibus solutus est, adeoque paullo liberius principem egit, ceu Dio Cass. *toto Lib. LIII. pag.* 495. *sequ.* adcuratius prodidit memoriae. At quemadmodum non semel et simul ad ἀκμὴν peruenire solent noua imperia: ita quadriennio illo, quod inter quartum sextumque Augusti consulatum intercessit, magis magisque eum rem suam stabiliuisse, vt que sui demum sub sexto consulatu participem factum esse facile crediderim. Ante id quadriennium triumuiratum viguisse, omniaque suo arbitrio egisse Augustum, Antonium et Lepidum, in vulgus notum est. Quam misera vero tum fuerit publici priuatique iuris conditio, elegante dissertatione, quam *singularia capita ex historia triumuiratus* inscripsit, ostendit Io. Guil. Hofmannus, *Francof. iuxta Viadr.* 1733. 4.

§. CLX.

Augustus de immutando iure cogitauit.

Quum vero hoc tempus aliam vitam, alios mores postulare videretur; neque omnes antiquae leges nouo statui monarchico conuenirent: fieri profecto non poterat, quin AVGVSTVS, princeps πολιτικώτατος, de iure Romano, ad illum reipublicae statum paullatim inflectendo, cum cura cogitaret, vel, vt eleganter rem exprimit Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 28. *iura daret, quibus pace, et principe vterentur.* *

* Ceperat iam id consilii C. IVLIVS CAESAR, quem *ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque ac necessaria in paucissimos conferre libros voluisse*, testatur Sueton. *Caes. cap.* 44. Sed conatum illum irritum reddiderunt Caesaris fata. Iterum ergo idem egit AVGVSTVS, sed minus aperte, ne quid populo suboleret. Quare recte hinc nouam iuris prudentiae periodum inchoat Pomponius; *quando per partes euenerit, vt necesse esset rei publicae per vnum consuli*, l. 2. §. 11. *D. de orig. iur.* quae verba subtiliter interpretatur Rupert. *ad Pompon. Enchirid. Lib. I. cap.* 12. *pag.* 87. *sequ.*

Quan-

§. CLXI.

Id tamen fecit occultius.

Quandoquidem vero regiae poteſtatis adfectatio male ceſſerat C. IVLIO CAESARI, qui cruento interitu ſuo documento fuerat poſteris, quam infidum ſit vi et armis occupatum in libera ciuitate imperium: AVGVSTVS, princeps prudentiſſimus, cautius componebat rationes ſuas, regioque ita vtebatur imperio, vt vulgus, regnare ſe, non animaduerteret, tot priſtinae libertatis ſimulacris quotidie deluſum. Hinc Dio Caſſ. *Lib. LIII. pag.* 519. ἐν τε ἄλλοις, καὶ τούτῳ ὡς ἐλευθέροις Ῥωμαίοις προσεφέρετο· *Cum in* aliis plerisque, *tum in hoc quoque cum Romanis, tamquam cum hominibus liberis, agebat.* Add. *Praefat. noſtr. Commentar. in leg. Iul. et Papiam Popp. praemiſſ.*

§. CLXII.

Eadem magiſtratuum vocabula. nihil priſci atque integri moris.

Eadem ergo in ſpeciem ſenatus, quae olim, auctoritas: eadem magiſtratuum vocabula: eadem poteſtatum inſignia. Procedebant, ſicuti libera re publica *conſules*, eumque honorem ipſe Auguſtus non ſemel ſuſcipiebat. Erant in vrbe, non ſecus ac olim, *praetores, aediles, tribuni plebis, quaeſtores, XXuiri*, vt plebi plane vetus res publica ob oculos verſaretur. At pleraque ac potiora eorum magiſtratuum munia in ſe traxerat princeps, vt vere ſcripſerit Tacitus *Annal. Lib. I. cap.* 4. *eadem fuiſſe magiſtratuum vocabula, nihil uſquam priſci atque integri moris.* *

* Communis erat principi cum priuatis conſulatus honor, ſed ita, vt hi illum acciperent ὡς ἆθλον καὶ γέρας ἀρετῆς ἢ πίστεως ἢ τινὸς εὐνοίας καὶ ὑπηρεσίας περὶ τοὺς τῶν ὅλων ἄρχοντας, ἢ πράξεως λαμπρᾶς, *tamquam praemium ac mercedem virtutis aut fidei beneuolentiaeque erga principes, rerumque praeclare geſtarum;* Illi vero πρὸς οἷς ἔχουσιν ἀγαθοῖς ἄγαλμα καὶ κόσμον, *tamquam acceſſionem bonorum, quae iam poſſiderent.* Iulian. *Orat. III. pag.* 201. Tituli porro ipſi, quos admittebat Auguſtus, nihil, quod monarchiam redoleret, in ſe habere videbantur. Vocabulum PRINCIPIS, *quo nomine cuncta diſcordiis feſſa ſub imperium acceperat*, teſte Tacito *Annal. Lib. I. cap.* 1. libera etiam re publica non inauditum fuerat, quum ſingulis luſtris PRINCEPS SENATVS legeretur. Hinc de Tiberio Dio Caſſ. *Lib. LVII. pag.* 607. πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο: *princeps autem Senatus ritu priſco dicebatur.* Eadem erat ratio titulorum IMPERATORIS, PONTIFICIS MAX. TRIBVNICIAE POTESTATIS, PROCONSVLIS, quibus omnes Romanorum aures iam pridem adſueuerant. Ezech. Spanhem. *de vſu et praeſt. numiſm. Tom. II. pag.* 392. *ſequ. p.* 413. *ſequ. p.* 424. *ſequ. p.* 463. *ſequ.* Et tamen e. g. tribunicia illa poteſtas erat *ſummi faſtigii vocabulum, quod Auguſtus repererat, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, et tamen adpellatione aliqua cetera imperia praemineret.* Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 56. Sed et vel quis adſumtis vocabulis, rebus ipſe omnibus ſolus praeerat, et quidquid collibitum eſſet, ſanciebat liberrime, vti iam obſeruauit Dio Caſſ. *Lib. LIII. p.* 504.

§. CLXIII.

Leges veteri ritu latae.

Quin vt ciues mutatam eſſe rem publicam, eo minus animaduerterent: prudenter initio Auguſtus non conſtitutionibus iura noua condebat, ſed laturus leges populum mittebat in ſuffragia, vt quod populus per centurias vel tributim ſciuiſſet, id pro lege eſſet. Auctor illi fuerat Maecenas apud Dion. Caſſ. *Lib. LII. pag.* 477. vt ita inſtrue-

ſtrueret ſcenam, ne populus protinus immutari ſtatum reipublicae ſentiret *. Cuius conſilio obſequutus Auguſtus, *οὐ μέν τοι πάντα ἐθελογνωμόνως ἐνομοθέτει, ἀλλ' ἦν, ἃ καὶ ἐς τὸ δημόσιον προετίθει, ὅπου ἄν τι μὴ ἀρέσῃ, ἐπανορθώσῃ, καὶ προετρέπετο πάντας συμβουλεύειν αὐτῷ εἴ τι ἄμεινον γνοίη αὐτῶν*, *non omnia ſuo arbitrio ſanciebat, ſed plura etiam populo promulgabat, vt is, ſi quid minus placeret, emendaret, hortatus omnes, vt, ſi quid melius haberent, conſulerent in medium*. Dio Caſſ. *Lib. LIII. pag.* 585. Zonar. *Annal. Tomo I. Lib. X. pag.* 533.

* Equidem idem Maecenas *ibid. pag.* 484. Auguſto ſuaſerat, *οὐδὲ τὸν δῆμον οὔτε ἐς δικαστήριον, οὔτε ἐς ἀρχαιρεσίας, οὔτε ἐς ἄλλον τινὰ τοιοῦτον σύλλογον, ἐν ᾧ τι καὶ χρηματισθῆναι δεῖ, συνιέναι χρῆναι*, *populo non concedendum, vt ad iudicia, comitia, aliaue huius modi concilia conueniret*. Sed fuit id conſilium inter illa, quae Auguſtus, teſte eodem Dione Caſſio *pag.* 493. in alium tempus diſtulit, *φοβηθεὶς μὴ καὶ σφαλῇ τι ἀθρόως μεταρρυθμίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐθελήσας*, *veritus, ne ſi ſubito homines in alium deducere ſtatum cuperet, res ea ſibi parum eſſet ſucceſſura*.

§. CLXIIII.

Leges Iulia et Titia, et Iulia de adulteriis.

Hoc vetere ritu iam amno ab V. C. 722. *Caeſare Aug. III.* et ex Kal. Maiis *M. Titio Ruſo* coſſ. lata eſt LEX IVLIA et TITIA *, cautumque, *vt quemadmodum in vrbe a praetore cum maiore parte tribunorum plebis; ita in prouinciis a praeſidibus pupillis tutores darentur. pr. Inſt. de Atil. tut.* Henr. Valeſ. *ad Excerpt. Peireſc. pag.* 61. Amno V. C. 737. *C. Furnio* et *C. Iunio Silano* coſſ. lata lex IVLIA *de adulteriis*, ex rationibus Io. Guil. Hoffmanni *de lege Iul. de adult. cap. 2. pag.* 50. *ſequu.* et quidem *ex roſtris, et in foro*, vti refert Seneca *de benefic. Lib. VI. cap.* 32.

* Deſeruit nuper Henr. Valeſii ſententiam Aug. Chriſt. Marchius edita ſingulari *diſſertatione de tutoribus ex lege Iulia et Titia datis, Lipſ.* 1736, 4. Potius non vnam eſſe legem ſtatuit, ſed duas, quarum *Titia* antiquior, lata ſit anno ab V. C. vel 488. vel 526. ſiue a C. *Titio*, ſiue a Q. *Titio*, tribunis plebis: *Iulia* contra a Caeſare Auguſto anno 726. Et ſunt ſane eius argumenta non nullius momenti. Vrget enim teſtimonium Theophili *Paraphr. pr. Inſt. de Atil. tut.* vbi diſerte memorat *β. νόμους, Ἰούλιον καὶ Τιτιανὸν*, *duas leges, Iuliam et Titiam*. Vrget copulam ET, quae interici non ſoleat inter collegarum nomina, a quibus lex aliqua cognominetur. Enimuero quemadmodum non adeo claſſicum videtur Theophili de re tam antiqua teſtimonium: ita exemplo non caret copulatiua ET, etiam vnius legis auctorum nominibus interiecta. Quod vt vno probem exemplo, notiſſima eſt LEX LICINIA ET MVCIA, conſtanter ita vocara a Cicerone *pro Balb. cap.* 21. *in Brut. cap.* 16. et in fragmentis *orationis pro C. Cornelio, perduellionis reo.*

§. CLXV.

Lex Quinctia de aquaeductibus.

Porro anno V. C. 745. *T. Quinctio Criſpino* et *Caeſare Germ.* coſſ. inſignis perlata eſt LEX QVINCTIA * *de poenis eorum, qui riuos, fiſtulas, caſtella, lacus aquarum publicarum violarint, vel corruperint*. Quod integrum exſtat apud Frontin. *de aquaeduct. art.* 129. *pag.* 218. *ſeqq. edit. Polen.* et Reineſ. *Inſcript. Claſſ. VII. num.* 10.

* Reineſius id vocat PLEBISCITVM, eoque vocabulo et ipſi in prima editione vſi ſumus. Sed ipſa verba initialia: T. QVINTIVS CRISPINVS COS. PO-

POPVLVM IVRE ROGAVIT, POPVLVSQ. IVRE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS satis ostendunt, esse hanc legem potius, quam plebiscitum, quippe cui definitio legis §. 4. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* perfecte quadrat. Equidem sub Augusto, vel potius sub triumuiratu, anno ab V. C. 714. *Cn. Domitio* M. F. *Caluino* et *C. Asinio Pollione* coss. rogatum est plebiscitum, quod LEGIS FALCIDIAE nomine venit, eaque cautum, *vt ne liceat vltra dodrantem hereditatis legatis exhaurire*. *l.* 1. *pr. D. ad leg. Falcid.* Dio Cass. *Lib. XXXXVIII. pag.* 377. Sed id plebiscitum, quod Franc. Balduinus singulari libello illustrauit, non tam ad hanc, quam superiorem epocham pertinet.

§. CLXVI.

Leges Fusia Caninia, Aelia Sentia, Iulia de maritandis ordinibus, et Papia Poppaea.

Sic et anno 752. lata videtur LEX FVSIA CANINIA *de numero seruorum testamento manumittendorum*, quam adcuratius describunt Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 24. Paull. *Sent. recept. Lib. IIII. tit.* 14. et Cai. *Instit. Lib. II. tit.* 29. Eam sane hoc anno latam esse, non inepte coniicit Ephr. Gerardus *de lege Fusia Caninia* §. 7. *. Certius est, anno 756. *Sex. Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coss. latam esse LEGEM AELIAM SENTIAM de manumissionibus et conditione manumissorum, cuius varia capita ex antiquitatis parietinis eruta dedimus *in Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 6. §. 1. *seqq.* Eiusdem aetatis est LEX IVLIA *de maritandis ordinibus*, eleganter Horatio lex marita dicta, de qua nos in *Comment. ad leg. Iuliam et Papiam Popp. Lib. I.* §. 3. *pag.* 48. Haec seuerius emendata est perlata a. V. C. 762. *M. Papio Mutilo* et *Q. Poppaeo Sabino* coss. suffectis LEGE PAPIA POPPAEA *nuptiali et caducaria*, de qua nos eodem *Commentario* egimus adcuratius.

* Obscura est huius legis aetas, nisi quod eam sub Augusto latam esse, constat ex Sueton. *Aug. cap.* 40. Iam anno 752. consules ordinarii fuerunt *Caesar Octauianus Aug. XIII.* et *M. Plautius Siluanus*. Atqui eodem anno ex Kal. Iul. suffectus fuit *C. Caninius Gallus*, et Kal. Octob. consules memorantur *L. Caninius Gallus* et *Q. Fabricius* in *Marmore Ancyr. pag.* 62. edit. Iac. Gron. *in Mem. Cosson.* Reinef. *Epist. ad Hoffm. pag.* 415. Noris. in *Cenotaph. Pisan. pag.* 180. et 183. Quum ergo, quis Caesari Augusto ex Kal. Iuliis fuerit suffectus, non constet: non sine verosimilitudinis specie colligunt, C. Caninio Gallo collegam datum esse M. Furium Camillum, qui et anno 761. cum Sex. Nonio Quinctiliano consul fuit, teste Dione Cass. *Lib. LV. pag.* 570.

§. CLXVII.

Leges Iulia de caede et veneficio, Scribonia, Visellia, et Iunia Velleia.

Eiusdem fere aetatis fuit LEX IVLIA *de caede et veneficio*, cuius meminit Sueton. *Neron. cap.* 33. vbi conferri meretur Schubart. *de fatis iuris prud. Rom. Exerc. III.* §. 52. *pag.* 595. *sequ.* Hermannus Noordkerkius *Disquisit. de lege Petron. pag.* 89. eorumdem etiam temporum esse putat LEGES SCRIBONIAM *de vsucapione seruitutum*, VISELLIAM *de libertinis*, *, et IVNIAM VELLEIAM *de heredum institutionibus*. Enimuero vti verosimilia sunt, quae de legis Scriboniae et Iuniae Velleiae, origine differit: ita suffragari non possum viro doctissimo, existimanti, post Augusti tempora nullam amplius latam esse legem proprie sic dictam, ac proinde ipsam legem Iuniam Nor-

Norbanam, certissime latam sub Tiberio, *ibid. pag.* 91. ad tempora liberae reipublicae referenti.

* Legem VISELLIAM probabilius est, latam esse post Augusti tempora, immo post legem Iuniam Norbanam, quia in ea Latinorum libertinorum facta est mentio. Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 5. Quum ergo anno ab V. C. 776. fasces fuerint penes L. *Visellium Varronem et Ser. Cornelium Cethegum*, coss. eo ipso anno latam esse hanc legem, suspicatur Andr. Flor. Riuinus *de lege Visellia*, *cap.* 2. vbi et Noordkerkii refellit sententiam, et ipsa legis istius capita quaedam erudite illustrat. Prodiit haec dissertatio *Lipsiae 1736*, 4.

§. CLXVIII.

Sed Augusto paullatim liberius regnare permissum.

Quemadmodum vero hanc ciuilitatem Augusto initio ipsa necessitas extorserat: ita senatus paullatim se ad seruile demittere obsequium, populusque, congiariis, ludis, muneribus gladiatoriis, venationibus, ipsaque ocii dulcedine delinitus, iugum pati coepit. Hinc non modo Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 28. obseruat, Augustum *iam a sexto consulatu, potentiae securum, iura dedisse, quibus pace et principe vterentur:* sed et Pomponius et Vlpianus, *populum ei et in eum omne suum imperium potestatemque contulisse*, *testantur*, adeo, *vt ratum esset, quod constitueret. l.* 2. §. 11. *D. de orig. iur. l.* 1. *pr. D. de const. princ.* Suffragatur his Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 516. qui anno ab V. C. 729. Senatum, ait, in Augusti acta iurasse, eumque soluisse legibus, decreuisse denique, *ἵνα καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε, ὅσα βούλοιτο, ποιοίη, καὶ πάνθ', ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο, μὴ πράττῃ: vt summo cum iure, omninoque et sui, et legum potens, quae vellet, faceret, et eorum, quae nollet, faceret nihil.*

§. CLXVIIII.

Vnde nata lex regia?

Habes ergo LEGEM illam REGIAM, de qua *l.* 1. *pr. D. de const. princ.* §. 6. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* AVGVSTVM PRIVILEGIVM, *l. vn.* §. 14. *C. de caduc. toll.* LEGEM AVGVSTI, *l.* 14. *D. de manumiss.* qua regimenta rei publicae ad imperatores perpetuos translata *l. vn. pr. D. de offic. praef. praet.* LEGEM denique IMPERII, ad quam prouocatur *l.* 3. *C. de testam.* De ea quanta a renatis litteris fuerint sententiarum diuortia, alibi docuimus, ostendimusque simul, eam nihil esse aliud, quam congeriem variorum SCtorum, in honorem Augusti, deque eius imperio factorum, et renouatorum subinde atque amplificatorum sub auspicia imperii insequentium Principum *. *Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 62.

* Potest hoc demonstrari exemplis, Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 47. *adcurrunt patres, decernitur Othoni tribunicia potestas, et nomen Augusti, et omnes principum honores.* Idem de Vitellio *Histor. Lib. II. cap.* 55. *in senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur.* Denique de Vespasiano *Histor. Lib.* 4. *cap.* 3. *at Romae senatus cuncta* PRINCIPIBVS SOLITA, *Vespasiano decernit, laetus et spei certus.* Hinc Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 519. diserte refert, honores ac potestatem, quam Augusto primum decreuerit senatus, postea et successoribus lege quadam dari consueuisse: idque etiam patet ex insigni monimento apud Gruter. *Inscript. pag.* 242. in quo Flauio Vespasiano eadem decernitur potestas, quae antea Augusto, Tiberio, Claudio, imperatoribus decreta fuerit: maxime vero VTI, QVALCVMQVE EX VSV

VSV REIP. MAIESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSVERIT, ET AGERE FACERE IVS POTESTASQVE ESSET, ITA, VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO. CAESARI AVG. GERMANICO FVERIT.

§. CLXX.

Fretus hac potestate Augustus, adulto iam imperio coepit quaedam sine centuriarum suffragiis constituere, eaque in re duplici arte vsus est. Nam primo quum iam adsuetus populus esset senatus auctoritati, eumque SCta fecisse, libera re publica, nemo ignoraret: Augustus permulta per senatum sanciuit, etiam de iis rebus, quae libera adhuc re publica non pertinuerant ad curam ordinis istius amplissimi *. Deinde et propositis edictis ea, quae fieri vellet praecipere, eaque ratione iura noua quam plurima constituere coepit.

Eaque fretus permulta SCtis et edictis constituit.

* Ea quoque in re sequutus Augustus est Maecenatis consilium, qui in oratione prudentissima apud Dionem Cassium *Lib. LII. pag.* 485. monet principem, primum, vt legatos ab exteris missos in senatum introducat, addita ratione; τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ σεμνὸν καὶ ἀξιόλογόν ἐστι τό, τε τὴν βουλὴν πάντων κυρίαν δοκεῖν εἶναι, καὶ τὸ πολλοὺς τοὺς ἀντιπάλους τοῖς ἀγνωμονοῦσιν αὐτῶν φαίνεσθαι: *esse enim e dignitate rei publicae omnia in potestate senatus esse videri, plurimosque esse eorum aduersarios, qui se contumaces in eum gerant*. Deinde addit, oportere Augustum ἅπαντα τὰ νομοθετούμενα δι' αὐτῶν ποιεῖν, καὶ μηδὲν τὸ παράπαν ἄλλο ἐπὶ πάντας ὁμοίως φέρειν πλὴν τῶν ἐκείνης δογμάτων, *per senatum facere omnia, quae decernenda sint, quia non omnino quidquam aeque ad omnes pertineat, ac SCta*. Eadem iterum inculcat *pag.* 487. ubi et hanc reddit rationem, quod et par sit, κοινὰ κοινῶς διοικεῖσθαι, *publica publico consilio administrari*: et homines suapte natura gaudeant iis, quae tamquam conditione aequales a maiore adipiscantur, omniaque, quae is cum ipsorum consilio decernat, laudent, et tamquam vltro a se ipsis statuta diligant.

§. CLXXI.

Hinc SCta non pauca iam sub Augusto prodiisse comperio, quae postea pro legibus fuerunt. Tale est SC. SILANIANVM, quo cautum: *vt si dominus a familia occisus diceretur, de ea, antequam heres adeat, publica quaestio haberetur, et de fontibus sumeretur supplicium, neque prius tabulae testamenti aperirentur, vel si quid contra factum fuerit, hereditatem fiscus occuparet*. Quod SC. anno ab V. C. 763. *P. Cornelio Dolabella* et *C. Iunio Silano* coss. factum esse, recte existimat Franc. Hotomanus, immo et ante eum Cuiac. *Obseru. Lib. I. cap.* 18. Idque verum esse, vel inde patet, quod insequente statim anno, *T. Statilio Tauro* et *M. Aemilio Lepido* coss. nouo SC. sancitum est, *vt quaestioni isti quinquennio praescriberetur, nisi plane quaereretur de parricidio l.* 13. *D. de SC. Silan.*

Talia SCta, *Silanianum* et *Statilianum*.

* Hoc ipsum est, quod eo SC. primum cautum fuisse videtur. Nam quod, domino domi suae occiso, familia omnis diris quaestionibus subiici soleret, id semper Romae obtinuit, etiam libera adhuc re publica. Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 42. *ceterum quum* VETERE *ex* MORE *familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret: concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, vsque ad seditionem ventum est*. Ad quae verba Iust. Lipsius: *bene* inquit, *vetere ex more*. *Nam etiam libera re publica* id

id obtinuit, ex epistola Ser. Sulpicii de caede Marcelli : ego tamen ad tabernaculum eius perrexi : inueni duos libertos, et pauculos seruulos : reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. *Hunc pristinae seueritatis ritum firmauit postea SC. Silanianum sub Augusto.* Ceterum laudata a Lipsio Seruii Sulpicii epistola est inter Ciceronianas *ad diuers. Lib. IIII. epist.* 12.

§. CLXXII.

Itemque Velleianum.

Nec aliorum temporum ego esse arbitror SC. VELLEIANVM, quod mulierum intercessit intercessionibus, easque irritas esse iussit. *l.* 2. §. 1. *D. de SC. Velleian.* Mouet me, quod iam Augustus hoc dicatur edixisse, *l.* 2. *pr. D. eod.* edicta vero principum SCta, vti mox ostendemus, vel praecedebant, vel mox sequebantur. Deinde SC. hoc *ibidem* factum dicitur M. SILANO et VELLEIO TVTORE coss. Atqui non quidem M. sed L. SILANVS FLAM. MART. et C. VELLEIVS TVTOR coss. anno V. C. 763. reperiuntur apud Gruter. *Inscript. pag.* 470. *num.* 1. 2. neque aliud eiusdem nominis par consulum alibi in *Fastis* occurrit *.

* Obseruaueram hoc in *Elem. Iur. sec. ord. Pandect. Part. III.* §. 196. addideramque, iisdem consulibus latam videri legem IVNIAM VELLEIAM. Posterius etiam Herm. Noordkerkio *in Disquisit. de lege Petron. pag.* 94. probari, video : non autem prius. Ait enim vir doctissimus: *Sed nollem, vir egregius iisdem etiam auctoribus Velleianum SC. acceptum retulisset : quam opinionem vel Vlpianus damnat, qui l.* 2 *D. d. t. diserte testatur,* POST *Claudii edictum fuisse conditum.* Ego vero quum haec scriberem non ignorabam, Vlpianum primum edicti Augusti et Claudii meminisse, et deinde subiicere: POSTEA *factum est SC. quo plenissime feminis omnibus subuentum est.* Ipse enim eo modo ratiocinatus fueram in *Antiquit. Rom. Lib. III. tit.* 21. §. 12. Sed non ignorabam etiam *postea* illud etiam referri posse ad solum edictum Augusti, quod praecessit, neque semper tam adcurate his similibusque vocabulis vsos esse ICtos veteres, vt iis tuto superstruere possis rationes chronologicas : immo ea aduerbia illos promiscue plerumque adhibere, pro *praeterea.* Ita Pomponius *l.* 2. §. 8. *D. de orig. iur.* vbi de XII. tabulis, disputatione fori, legisque actionibus egerat, statim subiicit : DEINDE *quum esset in ciuitate lex XII. tabularum, et ius ciuile, essent et legis actiones : euenit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, et secederet.* Atqui id ante conditas XII. tabulas euenisse nouimus. Similia licet obseruare *d. l.* 2. §. 18. 20. 22. Haec si reperias apud ICtum, qui ex instituto texit historiam : quid sperandum de chronologica ICtorum ἀκρίβειαν, vbi id ex instituto non agunt? Sed sufficit nobis, alium annum adhuc ostendi non potuisse, quo collegae in consulatu fuerint *Silanus* et *Velleius Tutor*, nos vero eos anno 736. inter suffectos feliciter reperisse.

§. CLXXIII.

Quo colore edicta proposuerit Augustus,

Sed et EDICTIS Augustus vti sensim coepit ad iura noua constituenda, idque se iure facere, plebi facillime persuasit. Quum enim magistratus tantum non omnes edicta de rebus curationi suae demandatis proposuisse, supra ostenderimus (§. 61. *sequ.*) Augustus, qui omnium magistratuum munia in se traxerat, nullo aduersante; iure suo vti poterat, quoties id videretur e re publica futurum. Si quid ergo ediceret in prouinciis, id faciebat tamquam PROCONSVL *; sin in vrbe, vi TRIBVNICAE POTESTATIS; si apud exercitum, tamquam IMPERATOR; si denique circa sacra, tamquam PONTIFEX MAXIMVS id iure facere videbatur (§. 162. *)

* Et

* Et tale procul dubio fuit *δόγμα, ὃ ἐξῆλθε παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, EDICTVM, *editum a Caesare Augusto, vt describeretur totus orbis Romanus*. *Luc. II.* 1. Ita enim potius vertendum, quam per *decretum* vel *sententiam*. Alia eius edicta memorantur apud Sueton. *Aug. cap.* 28. 31. 53. 89. Dion. Cass. *Lib. XXXXVIIII. pag.* 401. Ioseph. *Antiquit. Iudaic. Lib. XVI. cap.* 6. *l.* 2. *pr. D. ad SC. Velleian. l.* 26. *D. de liber. et postum. l.* 8. *D. de quaestion.*

§. CLXXIIII.

Et plura sane sub Augusto inualuerunt iura noua, de quibus nec leges vllae, nec SCta, quod quidem hodie sciamus, exstiterunt. Ita sane tunc sensim imminutum est domesticum in seruos imperium, data his facultate, apud praefectum vrbi de dominorum saeuitia conquerendi. Iust. Lips. *ad Senec. de benef. Lib. III. cap.* 21. Inualuisse etiam tunc videtur, vt parentes liberos aut instituere, aut nominatim exheredare tenerentur *. Alia edicta, quibus quaedam noua iura inuecta sunt, iam diximus superesse in *l.* 2. *pr. D. ad SC. Velleian. l.* 8. *pr. D. de quaestion. l.* 26. *D. de liber. et postum.* **Iura iis introducta.**

* Si tamen dicendum, quod res est, pleraeque de institutione et exheredatione liberorum sanctiones, quae initio edictis inuectae sunt, quando quibusdam extra ordinem succurrere placuit, veluti Tettio infanti, a patre iniustissime exheredato, Valer. Max. *Lib. VII. cap.* 7. Reines. *Inscript. pag.* 24. postea migrasse videntur in legem quandam. In quam vero, nisi in IVNIAM VELLEIAM, quae ad heredum, liberorumque in primis institutionem paene tota pertinuit? Eius legis capita quaedam recensentur *l.* 10. §. 2. *D. de testam. tut. l.* 13. *D. de iniust. rupt. irrit. fact. testam. l.* 39. *D. de liber. et postum.*

§. CLXXV.

Idem princeps, institutis aliquot nouis potestatibus, ius vel maxime ad nouum reipublicae statum adcommodauit. Primo enim, instituta PRAEFECTVRA VRBANA *, regnum Praetorum forense haud parum concussit, multaque, quae in ciuitate monarchica obseruari oportebat, adiutore praefecto vrbi facile introduxit. Deinde et PRAEFECTVRA PRAETORIANA, quamuis militaris initio potestas, teste Dione *Lib. LII. pag.* 480. et *Lib. LV. pag.* 555. adeo paullatim inualuit, vt insequente tempore *ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα, magistratus, a principatu secundus* videretur. Herodian. *Histor. Lib. V. cap.* 1. Vt iam de PRAEFECTVRA VIGILVM, coërcendis incendiis, custodiendaeque nocturnis temporibus vrbi ab eodem principe instituta, *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur. l.* 3. *pr. D. de offic. praef. vigil.* similibusque nouis dignitatibus, nihil dicamus. **Noui magistratus ab Augusto instituti.**

* Hoc quoque inuentum non destituebatur colore. Nam et sub regibus, et libera re publica *praefectos vrbi*, quoties reges magistratusque reliqui vrbe abesse oportebat, creatos esse, iam supra (§. 57.) obseruauimus, Liu. *Lib. III. cap.* 29. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 10. 11. *l.* 2. §. 33. *D. de orig. iur.* Gruter. *Inscript. pag.* 313. *num.* 9. et *pag.* 356. *num.* 1. Non ergo tam noui quid introducere, quam magistratum veterem retinere videbatur, nisi quod pro extraordinario illum in posterum ordinarium esse vellet. Et obtentus quidem admodum honestus videbatur, *ut esset, qui coerceret seruitia, et quod ciuium audacia turbidum, nisi vim metueret*. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 11. Vere tamen id agebat princeps, vt pleraque Praetoris aliorumque

que magistratuum munera paullatim in illum praefectum transferret, eoque modo eorum potestatem euerteret. Quod adeo verum est, vt M. Valerius Messalla, quem Augustus primum praefectum vrbi creauerat, sexto die eo magistratu se abdicaret, INCIVILEM esse POTESTATEM, contestatus, Euseb. *Chron. n.* 1991. id est, ciuitati liberae, qualem tum adhuc plebs somniabat, minus conuenientem. Ita intelligendus Eusebius: neque tunc opus est emendatione Iusti Iosephi Scaligeri.

§. CLXXVI.

Mutatio circa prouincias.

Maximi quoque momenti erat mutatio circa PROVINCIAS, quas cum Senatu ita partiebatur Augustus, vt illi pacatas atque inermes relinqueret, sibi bello turbidas, in quibus legiones erant, seponeret. Strabo *Geogr. Lib. XVII. extr.* Suet. *Aug. cap.* 47. Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 503. Illis senatus PROCOSS. his ipse LEGATOS AVG. PRO COSS. vel PRO PRAETORIBVS cum iure gladii et imperio militari praeficiebat. Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 504. Lips. *Excurs. M. ad Tacit. Annal. Lib. I.* Iam vero per tot praesides sibi obnoxios Augustum, quidquid collibitum esset, in orbe Romano instituere potuisse, nemo non animaduertit.

§. CLXXVII.

Praefectus Augustalis Aegypti et Iuridicus Alexandrinae ciuitatis cur instituti?

Quum de Aegypto in fatis esse diceretur, eam, simul ac fasces Rom. ibi visi essent, pristinam libertatem recuperaturam: Cic. *ad diuers. Lib. I. epist.* 7. Trebell. Pollio *in Aemilian. cap.* 23. id in rem suam callide vertit Augustus, prouinciamque illam rei annonariae caussa vnice necessariam, tamquam peculiarem sibi vindicauit, exclusisque eius aditu senatoribus, in illam misit virum equestrem sine fascibus, qui PRAEFECTVS AVGVSTALIS vocabatur: Tacit. *Annal. Lib. II. cap. 59. et Lib. XII. cap.* 60. *Histor. Lib. I. cap.* 11. Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 554. Arrian. *Expedit. Alexandri M. Lib. III. cap.* 6. Sueton. *Tiber. cap.* 52. cuique adiungebatur IVRIDICVS ALEXANDRINAE CIVITATIS, cuius de officio singularis in Pandecte titulus extat. *

* Falluntur, qui IVRIDICVM hunc soli Alexandriae ius dixisse, existimant. Erant enim *iuridici* praesides prouinciarum, quales in Italia loco *consularium* constituerat Marcus Antoninus imp. Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 11. Hinc passim memorantur *iuridici per Flaminiam et Picenum* apud Gruter. *Inscript. pag.* 1093. *num.* 3. itemque *per Apuliam et Picenum*, *ibid. pag.* 465. *num.* 5. 6. denique et *iuridici Asturiae et Gallaeciae*. *Ibid. pag.* 463. Ita et *iuridicus Alexandrinae ciuitatis*, non soli huic ciuitati ius dicebat, sed vniuersae Aegypto vna cum praefecto Augustali praeerat, Cuiac. *Obseruat. lib.* XX. *cap.* 31. et hinc IVRIDICVS PER AEGYPTVM vocatur apud Gruter. *Inscript. pag.* 372. *num.* 14. nec multo minor eius erat, quam praefecti Augustalis auctoritas, vt plane huic tamquam speculator adiunctus videatur, ne quid rerum nouarum posset moliri. Reines. *ad Inscr. Class. II. num.* 26. *p.* 271. Erat sane apud iuridicum legis actio, *l.* 1. *D. de offic. iurid.* aeque ac apud praefectum Augustalem. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 60. Non minus ac ille tutores dabat, quamuis ea facultas illis demum constitutione D. Marci data sit. *l.* 2. *D. eod.* §. 5. *Inst. de Ausl. tut.* Denique et contentiosa eos iuris dictione esse gauisos, vel ipsa argumento sunt vocabula *iuridici*, *δικαιοδότη*, *Romani iudicis*, et similia, quibus in iure nostro, nec non apud Strabonem et Sex. Rufum designantur.

CLXXVIII.

§. CLXXVIII.

Augustus certis tantum ICtis dedit facultatem de iure respondendi.

Non ignorabat porro princeps prudentissimus, quam multum utilitatis capere posset ex opera atque interpretatione IVRISCONSVLTORVM. Ut ergo et hos sibi haberet obnoxios, eorumque ope in euertendo praetoris regno, et iure per nouas interpretationes ad statum monarchicum inflectendo, vteretur *: primus facultatem de iure respondendi, olim omnibus communem (§. 157.) certis tantum exploratae fidei viris beneficii loco dedit, simulque necessitatem imposuit iudicibus, ne ab eorum sententia vnquam recederent. §. 8. *Inst. de iure nat. gent. et ciu. l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Genuinam hanc esse huius instituti caussam, et Vlricus Huber. *Auspic. domest. pag.* 178. ex parte vidit, et nos cum cura demonstrauimus in *Antiqu. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 39. Vnde veram huius instituti caussam vel non peruidit, vel dissimulauit Pomponius, dum id ab Augusto factum esse scribit, *vt maior* esset iuris auctoritas. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Solere sane Pomponium blandiri principibus, eorumque obtentus pro veris rerum caussis obtrudere, patet ex *d. l.* 2. §. 9. 11. 27. *D. de orig. iur.*

§. CLXXVIIII.

Cur Labeonem sibi conciliare non potuerit?

Quum vero iis temporibus duo illuxissent ingenia eximia, M. ANTISTII LABEONIS, et C. ATEII CAPITONIS, quos duo pacis decora vocat Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 75. vtrumque quidem sibi conciliare studebat Augustus, sed laterem lauabat in LABEONE, Q. Labeonis, C. Iulio Caesari olim infensissimi, filio, *incorruptae libertatis viro*, vt idem Tacitus *ibid.* eum vocat, *quique nihil ratum pensumque habebat, nisi quod iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset.* Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 12. Quum ergo huic viro atrox insideret pristinae libertatis memoria: nullam elabi patiebatur occasionem, odium aduersus principatum prodendi, eiusque παῤῥησίας exempla supersunt apud Sueton. Aug. *cap.* 54. et Dion. Cass. *Lib. LIIII. pag.* 531. vt mirum non sit, hominem ne consulatus quidem auctoramento adduci se passum, vt se Augusto addiceret. * *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Ait Pomponius, *noluisse Labeonem, quum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, eum honorem suscipere.* At Tacitus *Annal. Lib. III. cap.* 75. refert, *Augustum accelerasse Ateio consulatum, vt Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem, dignatione eius magistratus anteiret.* Ex illo ergo colligas, Labeonem honorem adspernatum esse, quod inter suffectos tantum esset designatus: ex hoc, Augustum illum neglexisse, ut Ateius illum dignitate anteiret: & hinc statim subiicit: *Labeoni, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex inuidia oriebatur.* Quae vero iniuria facta esset Labeoni, si ipse oblatam dignitatem vltro reiecisset? Rem ita concipio. Augustus, vt vtrumque sibi conciliaret, vtrique videtur obtulisse consulatum: quum vero Ateio, cuius obsequium ei magis probabatur, illum honorem accelerasset, id male habuit Labeonem, virum praetorium, ac proinde quum ille paullo post consul suffectus designaretur, illum honorem repudiauit, iniuriam interpretatus, quod Ateio esset posthabitus, neque mora illa ac dilatio saltim consulatu ordinario compensaretur. Ita intelligo Pomponium et Tacitum, quamuis nec improbabilis sit coniectura Bynkersh. in *Praeterm. ad h. l. pag.* 290. pro: *quo suffectus fieret*, legentis: *quo suspectius fieret*.

§. CLXXX.

§. CLXXX.

Cur Ateium sibi facilius habuerit obnoxium?

At tanto facilius sibi ad omne obsequium deuinxit C. ATEIVM CAPITONEM, *cuius obsequium*, ex Taciti iudicio non poterat non *dominantibus magis probari*: quum se ad seruilem paene adulationem demitteret, ceu patet ex Tacito *Annal. Lib. III. cap.* 70. & Sueton. *de illustr. grammat. cap.* 22. Eo ingenio consulatum meruit, quo tamquam suffectus anno V. C. 758. collega C. Vibio Postumo functus est. Gruter. *Inscript. pag.* 1082. *num.* 2. Huic ergo similibusque Augustus respondendi de iure facultatem dedit: ex eoque tempore responsa sua et scripta dare, et signare coeperunt, Seneca *de benef. Lib. VII. cap.* 16. quum antea neutrum fieri soleret. * *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.*

* Vtroque opus erat, vt iudices, et quid sibi responsum esset, et responsum illud a ICto, cui respondendi ius sit, profectum esse, intelligerent. Ceterum libera re publica iudices adeo non adstricti erant responsis prudentum, vt ea saepe ab oratoribus dicendo euerterentur, teste Cicerone *pro Muraen. cap.* 13. qui et alibi id exemplo Crassi confirmat *pro A. Caecin. cap.* 18.

§. CLXXXI.

Scripta Labeonis.

LABEONEM quam plurimos ad iuris prudentiam instituisse, *et totum annum ita diuisisse, vt Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, et conscribendis libris operam daret*, refert Pomponius, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* qui et quadringenta eum volumina reliquisse testatur. In his erant *Libri octo* ΠΙΘΑΝΩΝ, ex quibus octo tantum fragmenta in Pandecte supersunt. Scripsit et *libros* XXXX. POSTERIORVM, Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. quamuis in indice Florentino *decem* tantum laudentur, ex iisque vnicum *ἀποσπασμάτων* exstet in *l.* 42. *D. de liberal. causs.* * Memorantur etiam *liber primus* PRAETORIS VRBANI, *l.* 19. *D. de verb. signif.* et *liber tricesimus* PRAETORIS PEREGRINI, *l.* 9. §. 4. *D. de dol. mal.* nec non libri EPISTOLARVM, *l.* 30. §. 1. *D. de vsurp. et vsucap.* de quo Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 20. denique RESPONSA, quorum *librum XV.* laudat Vlpianus apud *Pariatorem leg. Mosaic. et Roman. tit.* 12. §. 7.

* Libros Πιθανῶν in compendium redegit IVLIVS PAVLLVS, Perrenon. *Animaduers. iur. Lib. II. cap.* 16. Bynkershoek *Obs. Lib. III. cap.* 6. Eamdem operam libris *Posteriorum* nauauit IAVOLENVS, qui et libros *ex Posterioribus Labeonis* scripsit, qui libri, quomodo distinguendi sint, disquirunt Merill. *Obs. Lib. V. cap.* 38. et Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. pag.* 50. *seqq.* Praeterea ad LABEONEM notarunt QVINTVS, *l.* 7. §. 7. *D. de dol. mal.* AVLVS, fortassis Cascellius, *l.* 17. §. 5. *D. de hered. inst.* PROCVLVS, *l.* 10. §. 1. *D. de negot. gest.* et ARISTO, *l.* 17. §. 5. *D. de hered. instit.* Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. I. pag.* 18. *seqq.*

§. CLXXXII.

Eius bonarum artium studium.

Tantum vero abest, vt vir eximius vltra praetoris edictum sapere noluerit, vt et per reliquas sapientiae disciplinas bonasque artes viuidam circumtulerit indolem. Testem habemus non modo Pomponium,

qui

qui eum *et in ceteris operam sapientiae dedisse*, obseruat, verum etiam Gellium, qui *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 10. *Labeo Antistius*, inquit, *iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit, et consulentibus de iure publice responsitauit, ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit, et in grammaticam sese, atque dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetrauerat*. Nihil ergo prohibere existimo, quo minus *libros XV.* DE IVRE PONTIFICALI apud Festum *in Sistere*, *libros* DE DIIS ANIMALIBVS apud Seruium *in Virgil. Aeneid. Lib. III. v.* 168. eidem Labeoni nostro tribuamus, quamuis alii distinguendos existiment Labeones IC. et theologum. *

* Pro eodem vtrumque habent Bertrandus *de vit. ICtor. Lib. I. cap.* 7. et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 20. Eosdem distinguendos putat Bynkershoekius *in Praetermiss. ad l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur. pag.* 292. Et sane memoratur a Macrobio CORNELIVS quidam LABEO, quem *libros Fastorum* et *librum de oraculo Apollinis Clarii* scripsisse ait: et hic fortassis posset dici Labeo theologus. Sed quum non sint libri hi iidem, quos a Festo et Seruio laudari animaduertimus: nihil obstat, quo minus et noster talia scripserit, aemulatus fortassis aemulum, Ateium Capitonem, cuius de libris eiusdem argumenti paullo post erit dicendi locus. Vid. Christfr. Waechtler. *not. de Bynkershoekii Praetermiss. p.* 304 *sequ. edit. nou. in Opuscul. iur. histor.*

§. CLXXXIII.

Nec C. ATEIVS CAPITO, quamuis magis immersus negotiis ciuilibus, calamo pepercit. Scripsit enim libros de IVRE PONTIFICIO, quorum quintum laudat Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap. 6. libros* CONIECTANEORVM quam plurimos, quippe quorum ducentesimum quinquagesimum nonum laudat Gell. *Noct. Att. Lib. XIIII. cap.* 7. librum de OFFICIO SENATORIO, id. *Lib. III. cap.* 10. et de IVRE SACRIFICIORVM apud Macrob. *Saturn. Lib. III. cap.* 10. nec non EPISTOLAS, ex quibus quaedam descripsit Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 12. Addimus, ex tot libris ICti maximi, et *principem in ciuitate locum*, teste Tacito *Annal. Lib. III. cap.* 75. *ciuilibus studiis adsequuti*, ne vnum quidem fragmentum in Pandecten relatum esse *, ipsumque Ateium inter viuos esse desiisse anno V. C. 775. Tacit. *ibid.* Scripta Ateii Capitonis.

* Videntur ergo Ateii Capitonis libri iam ante Triboniani tempora intercidisse. Nec inter ICtos qui illi denum sunt testimonium, alii sunt, quam ei ἀντίχρονος Labeo, *l.* 79. §. 1. *D. de iure dot. l.* 30. §. 6. *D. de legat.* 3. Proculus, *l.* 13. §. 1. *D. de seru. praed. vrban.* Iauolenus, *l.* 39. §. 2. *D. de aur. arg. mund. legat.* Vlpianus, *l.* 29. *D. de rit. nuptiar.* denique Paullus, *l.* 2. §. 4. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* Postremi, qui eius libros laudant, fuere Festus et Macrobius, vt adeo Ateii opera saltim ad saeculum vsque quintum inter hominum manus versata esse adpareat.

§. CLXXXIIII.

Progredimur ad reliquos, qui sub Augusto floruerunt, ICtos. Quamuis vero huc tota pertineat Ser. Sulpicii familia, de qua Pomponius *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* in ea tamen in primis eminuit C. vel, vt in Dionis Cassii *Laterculo Coss.* ad ann. 755. vocatur, P. ALFENVS Alfenus Varus, ICtus.

(in

(in nummis ALFINIVS) VARVS, elegantis ingenii et facundiae vere Augusteae scriptor. Eum vulgo ferunt Cremonae, Publio patre natum, diu exercuisse sutrinam, postremo, clausa sutrina, se Romam contulisse, et audito Ser. Sulpicio, maximos in iure profectus fecisse. Acron ad illa Horat. *Serm. I. sat.* 3. *v.* 130.

Optimus est modulator, vt ALFENVS *vafer*, *omni*
Abiecto instrumento artis, *clausaque taberna*,
Sutor erat. *

Nostrum consularem fuisse, et Pomponius obseruat: dubium tamen, quo anno. Qui enim anno ab V. C. 754, cum P. Vinicio collega consul fuit, quique fato functus, obseruante eodem Acrone, publico funere elatus est, vix noster esse potuit, nisi eum senem capularem fasces suscepisse, existimemus.

* Ob *ὁμωνυμίαν* tota prope ALFENI vita perquam incerta ac perplexa est. Hinc an noster sutor ille consularis sit, merito ambigitur. Nostro sane illa Horatiana et Acroniana vix quadrare, pluribus iisque satis luculentis rationibus euicerunt Waechtler. *in Act. erud. Lips. anno* 1711. *et* Eu. Otto *praefat. Tom. I. Thes. iur. ciu.* et postea *in Publ. Alfeno Varo, ab iniuriis veterum et recentiorum liberato*, inserto *Tomo V. Thesaur. Iur. ciu. pag.* 1629. *seqq.* Ceterum quum Alfenus noster Ser. Sulpicium, qui iam anno 710. decessit, audiuerit, eum, qui anno 754. consul fuit, si Sulpicium decennio ante eius mortem audiuerit, et tunc saltim triginta annorum fuerit, (neque enim tum erant tempora, quibus cruda studia in forum propellebantur), octoginta quatuor annorum fuisse oporteret.

§. CLXXXV.

Eius scripta. Scripsit ALFENVS *libros* XXXX DIGESTORVM; quos Iulius Paullus in epitomen contraxit: et COLLECTANEA, vel, vt aliae Gellii editiones habent, CONIECTANEA, quorum liber secundus laudatur *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 5. vbi et auctor, *ICtus*, *Seruii Sulpicii discipulus*, *rerumque antiquarum non incuriosus* vocatur. Sed de his *coniectaneis* mox plura. Neque enim adeo certum est, ea esse ALFENI nostri opus. Ceterum de ICto hoc eximio praeclare meriti sunt Henr. Brenkmannus libro elegante, quem *Pandectas iuris ciuilis auctoribus suis & libris restitutos* inscripsit. *Amst.* 1709. 8. et Eu. Otto *in P. Alfeno Varo ab iniuriis veterum et recentiorum liberato*, *Tomo V. Thes. iur. ciu. pag.* 1629. *seqq.*

§. CLXXXVI.

C. Aulus Ofilius. Eorumdem temporum ICtus, C. AVLVS OFILIVS iam Ciceronis aeuo inclaruit, qui eius meminit *ad diuers. Lib. VII. epist.* 21. Συμφιλολογοῦντα habuisse videtur T. Pomponium Atticum, *l.* 234. *D. de verb. signif.* Eius exemplo non ambiuit honores, sed in equestri ordine consenuit, quamuis Iulio Caesari familiarissimus, *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* Scripsit de LEGIBVS VICESIMAE, nec non IVRISDICTIONE, et AD EDICTVM PRAETORIS *, quae omnia laudantur a Pomponio. His adiiciendi *libri* ACTIONVM, *l.* 3. §. 5. & §. 8. *D. de penu leg.* et *libri* IVRIS PARTITI, *l.* 55. §. 1. 2. 4. 7. *D. de legat.* 3. Vxorem eius CLODIAM, quindecies enixam, CXV. annos vixisse,

xisse, obseruat Plin. *Hist. nat. Lib. VII. cap.* 48. quocum iungendus Valerius Max. *Lib. VIII. cap.* 13. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 42.

* Henr. Dodwellus in *Adpend. Praelect. Cambden. pag.* 780. Ofilium edictum perpetuum Iulii Caesaris auspiciis scripsisse, illudque opus postea decreto Cæsaris firmatum esse, existimat. Sed id vix verosimile esse, quilibet animaduertit. Si enim vel maxime fieri potuerit, vt Caesar id negotii dederit Ofilio, (quum de iure in ordinem redigendo eum cogitasse, satis constet), omnia tamen illa consilia eius fata turbasse, testis est Sueton. *Caes. cap.* 44. Si ergo edictum composuit: priuatis id factum est auspiciis: at inscriptio AD EDICTVM argumento est, eum magis notas vel scholia ad edictum scripsisse, quam edictum composuisse tale, quale postea iussu Hadriani edidisse nouimus Saluium Iulianum.

§. CLXXXVII.

Hi sunt celebriores eorum temporum ICti. Nam non nisi nominibus noti sunt T. CAESIVS, AVFIDIVS TVCCA, AVFIDIVS NAMVSA, cuius tamen scripta aliquoties in Pandecte laudantur *, *l.* 40. §. 3. *D. de condit. & demonstr. l.* 5. §. 7. *D. commod. l.* 2. §. 6. *D. de aqua et aqu. pluu.* FLAVIVS PRISCVS, C. ATEIVS PACVVIVS, CINNA, qui citatur *l. 6. D. de rit. nupt. & l.* 40. §. 1. *D. de condit. & demonstrat.* et PVBLICIVS GELLIVS, qui omnes a Pomponio inter Ser. Sulpicii auditores recensentur. Addimus his, vti videtur σύγχρονον, CARTILIVM, bis laudatum in iure nostro, *l.* 5. §. 13. *D. commodat.* et *l.* 69. *D. de hered. inst.* cuius memoriam primus restituit Ant. Augustin. *Emend. Lib. III. cap. 6.* laudatus ideo a Cuiac. *Obs. Lib. I. cap. 9.* Reliqui Ser. Sulpicii auditores, et Cartilius.

* Refert Pomponius *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* Aufidium Namusam octo illustriorum Ser. Sulpicii auditorum libros digessisse in centum quadraginta libros. Hos ipsos vero esse libros COLLECTANEORVM vel CONIECTANEORVM, quos ob locum Gellii *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 5. Alfeno Varo tribuunt (§. 185.), acute conicit Bynkersh. *Obseru. Lib. VIII. cap.* 1. vbi etiam ostendit, idem opus coniectaneorum laudari, quoties in Pandecte citentur Ser. Sulpicii auditores vel auctores, veluti ab Vlpiano *l.* 1. §. 6. *D. de aqua et aqu. pluu. arc. l. 6. D. de dote praeleg. l.* 12. *pr. D. de instruct. vel instrum. leg.*

§. CLXXXVIII.

Multo celebrior tamen his omnibus, C. TREBATIVS TESTA, C. Iulio Caesari, M. Tullio Ciceroni, et postea Caesari Augusto amicissimus, a Q. Cornelio Maximo in iure profecerat. Cic. *ad diuers. Lib. VII. epist.* 8. In philosophia primum vel Stoicos, vel Academicos, postea Epicureos sectatus est, nisi potius Ciceronem *ibid. Lib. VII. epist.* 12. suo more potius iocatum esse dixeris *. Ceterum eum magnopere laudat Cicero *ibid. Lib. VII. epist.* 5. *eoque probiorem hominem, meliorem virum, prudentioremque esse neminem, quin familiam illum ducere in iure ciuili, & singularem eius memoriam, summam scientiam esse*, testatur. C. Trebatius Testa.

* Nescio tamen, an non Epicureum quodammodo prodat honorum neglectus, quem veritus Cicero *ad diuers. Lib. VII. epist.* 12. iocose scribit: *quid porro fiet populo Vlubrano, si tu statueris, πολιτεύεσθαι non oportere?* Nusquam sane

ſane legitur vel praeturam, vel conſulatum geſſiſſe: quum tamen ei in tanta Caeſaris vtriuſque gratia deeſſe non potuiſſet occaſio capeſſendi rem publicam. Quare vix aliam excogitare licet rationem, quamobrem nullos ad honores peruenerit, quam quod ex ſectae ſuae formula nollet πολιτεύεσθαι.

§. CLXXXVIIII.

De eo iudicium, eiuſque ſcripta.

Hic ſerio et, vt ipſe ait, more Romano loquitur Cicero. Quare merito mireris, ex iocis, quibus ille cum Trebatio, vt cum amico, paullo liberius familiariuſque vſus eſt, collegiſſe Dan. Heinſium in *Diſſ. de Satyra Horatiana*, Trebatium illum obtuſioris ingenii, ac paene dubiae ſanitatis hominem fuiſſe: cuius ſententiam refellit Nic. Hieron. Gundlingius in *Diſſertatione de C. Trebatio Teſta*. Inſcripſit ei *Topica* ſua Cicero; Horatius *vero Satyram I. Libri II. Sermonum*, eiuſque conſilio in rebus ad ius pertinentibus vſus eſt Caeſar Auguſtus, ceu patet ex *pr. Inſt. de codicill.* Ipſe reliquit tum libros aliquot DE IVRE CIVILI, tum *libros VIIII.* DE RELIGIONIBVS, laudatos a Porphyrione, Horatii ſcholiaſte, et Macrobio *Saturn. Lib. III. cap.* 8.

§. CLXXXX.

A. Caſcellius.

Iungimus huic A. CASCELLIVM, Q. Mucii et Volcatii auditorem, beneficiorum tam memorem, vt prioris nepotem P. Mucium, in cuius honorem iudicio ſupremo heredem reliquerit. *l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur.* Laudem is ſibi pepererat ICti eximii, ipſoque Trebatio eloquentioris, et iuris inprimis praediatorii tam periti *, vt ipſe Q. Mucius, ſi quando de eo conſuleretur, clientes ad hunc diſcipulum ſuum remitteret. Cic. *pro Balb. cap.* 20. Valer. Max. *Lib. VIII. cap.* 12. Obiit Quaeſtorius, ſenex & orbus quas duas res ſibi, natura dicaciori, et faceto, magnam licentiam praebere loquendi, fatebatur. Val. Max. *Lib. VI. cap.* 2. *exempl.* 12.

* *Iuris praediatorii*, cuius mentionem paſſim faciunt veteres, et de quo ſingulare caput olim in edicto exſtitit, *l.* 54. *D. de iure dot.* hodie nec vola, nec veſtigium extat in iure noſtro. Rem tamen expediuit Claud. Salmaſ. *de modo vſur. pag.* 739. *ſequ.* PRAES, teſte Feſto, erat, *qui populo ſe obligabat, interrogatuſque a magiſtratu, ſi praes eſſet, reſpondebat: praes*. Si plures pro eadem re, e. g. pro eiuſdem vectigalis conductoribus ſeſe obligaſſent, ii COMPRAEDES dicebantur. Ii, quorum bona publico fuerant obligata PRAEDIATI; ipſa bona publico obligata PRAEDIA; qui ea bona commiſſa emebant, PRAEDIATORES adpellabantur. Ergo IVS PRAEDIATORIVM erat, quo, quid iuſtum ſit circa praediatos, eorumque bona, tradebatur, LEX vero PRAEDIATORIA, vel titulus edicti *de praediatoribus*, quem Caius ICtus ſingulari commentario illuſtrauerat, vel pactum illud, quod magiſtratus publico nomine cum praedibus inierant. Addantur viri docti ad Sueton. *Claud. cap.* 9.

§. CLXXXXI.

Eius faceliae et Benedicta.

De facetiis eius, quarum ſupra exemplum vidimus (§. 78). conſuli poſſunt Macrob. *Saturn. Lib. II. cap.* 6. Quinctilian. *Inſtit. orat. Lib. VI. cap.* 4. et Scip. Gentil. *Parerg. Lib. I. cap.* 38. Scripſit quaedam, ſed ex quibus iam Pomponii aetate *nihil exſtitit* *, *niſi vnus liber* BENEDICTORVM, *l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur.* per quae nihil aliud

aliud intelligi videtur, quam dicta faceta acutaque, quibus ille responsa sua passim distinxit. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 8. Bynkersh. *Praetermiss. ad l.* 2. §. 45. *D. de orig. iur. pag.* 281. *sequ. edit. nou.* Ita enim *benedicta* acceperunt rhetores. Seneca *Controuers. Lib. I. controu.* 4. *Auct. de causs. corrupt. eloqu. cap.* 34. Quinctilian. *Instit. orat. Lib. VI. cap.* 4.

* Saepe tamen Cascellio denunciatur testimonium a Labeone, *l.* 29. *D. de legat.* 3. *l.* 6. §. 1. *D. de dote praeleg. l.* 7. *pr. D. de trit. vin. vel ol. legat.* Celso, *l.* 158. *D. de verb. sign.* Iauoleno, *l.* 39. *pr.* §. 2. *D. de vulg. et pupill. substit. l.* 100. *D. de legat.* 3. *l.* 7. *pr. D. de trit. vin. vel ol. legat. l.* 26. §. 1. *D. de instr. et instr. leg. l.* 10. *D. de supell. leg. l.* 39. §. 1. *D. de aur. arg. mund. legat. l.* 40. §. 1. *D. de condit. et demonstr.* denique ab Vlpiano, *l.* 1. §. 17. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc. et l.* 1. §. 7. *D. quod vi aut clam.*

§. CLXXXXII.

Nec praetereundus denique est Q. Aelius Tubero, Q. Ligarii apud Iulium Caesarem accusator, qui ab A. Ofilio profecisse dicitur. De gente Aelia, ex qua ille oriundus fuit, adcuratius egit Rupertus *in Enchirid. Pomponii Lib. III. cap.* 4. *pag.* 169. In matrimonio habuit Seruii Sulpicii filiam, ipse postea auus maternus Cassii Longini futurus *, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Praeter filiam illam sustulisse etiam videtur filium, consulem anno V. C. 742. Hunc enim Dio Cassius *in laterculo Coss.* quem *libro LIV. pag.* 520. praemisit, vocat K. Αἴλιον, K. υἱ. Τουβέρωνα, *Q. Aelium, Q. F. Tuberonem*, quod ad nostrum, quippe *L. Filium*, pertinere non potest. Q. Aelius Tubero.

* Cicero *pro Q. Ligar. cap.* 1. et postea saepius hunc Q. Tuberonem vocat *propinquum suum*. Quem locum interpretatus *scholiastes*: *dicebatur*, inquit, *Tubero sororem Ciceronis habuisse in matrimonio*. Aut ergo, fama deceptus, haec scripsit scholiastes, aut bis vxorem duxisse oportet Tuberonem.

§. CLXXXXIII.

Habitus est doctissimus publici priuatique iuris, librosque reliquit de officio ivdicis, Gell. *Noct. Attic. Lib. XIIII cap.* 2. item ad Oppivm, *Gell. Noct. Att. Lib. VII. cap.* 9. At *Historiarum libros XIIII.* quos eidem Tuberoni nostro tribuit Guil. Grotius, *Vit. ICtor. Lib. I. cap.* 12. §. 5. L. potius Tuberoni, patri, tribuendos esse, existimat Voss. *de historic. Lat. Lib. I. cap.* 12. idque satis luculenter probat ex Cicer. *ad Q. fratr. Lib. I. epist.* 1. vbi ad fratrem scribens: *Quamquam*, inquit, *legatos habeas eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae: de quibus honore, et dignitate, et aetate praestat* Tvbero: *quem ego arbitror, (praesertim quum scribat* historiam), *multos ex suis annalibus deligere, quos possit et velit imitari* *. Ceterum, quamuis obseruatum sit a Pomponio, scripta Tuberonis nostri non adeo magnum plausum tulisse ob sermonem antiquum et obsoletum, quem tamquam cum Euandri matre loquuturus vbique adfectarit: *l.* 2. §. 46. *D. de orig. iur.* saepe tamen eum testem laudari animaduertimus a Labeone, *l.* 29. §. 4. *D.* Eius Scripta.

de legat. 3. *l.* 7. *D. de trit. vin. vel ol. legat.* Celso, *l.* 6. *D. de pecul. l.* 43. *D. de legat.* 3. *l.* 7. §. 1. 2. *D. de supell. leg.* Iauoleno, *l.* 77. *D. de contrah. emt. l.* 25. *D. de instr. et instr. leg.* Vlpiano, *l.* 2. *D. de vsu et hab. l.* 5. §. 3. 7. *D. de pecul. l.* 13. §. 30. *D. de act. emt. l.* 1. *pr. D. de aqu. et aqu. pluu. l.* 72. *pr. D. de verb. obl.* denique a Paullo, *l.* 32. §. 1. *D. de aur. arg. & mund. leg.*

* Quum tam frequenter a viris doctis confundantur Aelii Tuberones, eiusdem quidem gentis cum Catis et Paetis, at diuersae plane familiae: licebit eos breui schemati includere, eademque opera supplere illud, quod dedit Christ. Ad. Rupertus *ad Enchir. Pompon. Lib. III. cap.* 4. *pag.* 169.

L. AELIVS PAETVS TVBERO primus ita cognominatus, praetor vrbanus. De quo Val. Max. *Lib. V. cap.* 6. *ex.* 4. Plin. *Hist. nat. Lib. X. cap.* 18.

- P. AELIVS TVBERO, aedil. anno 551. Liu. *Lib. XXX. cap.* 29. praetor anno 552. Siciliam sortitus. Id. *cap.* 40. legatus anno 563. Idem *Lib. XXXVII. cap.* 55.
- Q. AELIVS TVBERO tribunus pl. anno 550. Liu. *Lib. XXXIIII. cap.* 52. Triumuir anno 560. Liu. *Lib. XXXV. cap.* 9.
  - Q. AELIVS TVBERO, L. Aemilii Paulli gener, de quo Plutarch. *in L. Aemilio Paullo*.
    - Q. AELIVS TVBERO, Stoicus et ICtus, de quo Val. Max. *Lib. VII. cap.* 5. Cic. *pro Muraen. cap.* 36. *de orat. Lib. III. cap.* 23.
      - L. AELIVS TVBERO historicus, Q. Ciceronis legatus in Asia, postea propraetore Africam sortitus, littore prohibitus a Q. Ligario et P. Atio Varo.
        - Q. AELIVS L. F. TVBERO ICtus, de quo hic agimus. Vxores Ciceronis soror, et Ser. Sulpicii filia.
          - Q. AELIVS Q. F. TVBERO cos. cum P. Fabio Maximo, anno V. C. 742. Dio Cass.
          - Filia nupta Cassio.
            - CASSIVS LONGINVS ICtus, de quo infra.
    - P. AELIVS TVBERO, de quo Cic. *de oratore Lib. II. cap.* 84.

§. CLXXXXIIII.

Sectarum origo.

Quum ergo tum Roma tantum ingeniorum praestantissimorum prouentum viderit, ex his vero quibusdam, veluti LABEONI, atrox insedisset veteris rei publicae liberae memoria, alii cum ATEIO CAPITONE scenae seruirent, fructusque huius obsequii sui caperent vberrimos:

rimos: non potuit non inter diuerfarum partium ICtos aemulatio nafci, ex qua et difcrepantia in interpretando iure refpondendoque principia, et inde diuerfas SECTAS pullulare omnino oportuit.

§. CLXXXXV.

Hinc de M. ANTISTIO LABEONE et C. ATEIO CAPITONE Pomponius: *hi duo*, inquit, *primum veluti diuerfas* SECTAS *fecerunt. Nam Ateius Capito in his, quae ei tradita fuerant, perfeuerabat: Labeo ingenii qualitate, et fiducia doctrinae, qui et ceteris operis fapientiae operam dederat, plura innouare inftituit* *. *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* De his vero ICtorum fectis cum cura egerunt Em. Merill. *Obf. Lib. I. cap.* 2. *fequ.* et Gottfrid. Mafcouius *de fectis Sabin. et Proculian.* qui inprimis *cap.* 9. veftigia fectarum praecipua per vniuerfum ius fagaci ingenio inueftigauit.

Earum defcriptio.

* Mirum profecto eft, hos ICtos tam non modo inter fe, fed et a fe ipfis diffenfiffe, vt alia principia in re publica, alia in iuris prudentiae ftudio fequerentur. In re publica LABEO tantum abeft, vt noua probaret, *vt nihil ratum penfumque haberet, nifi quod iuftum fanctumque effe, in Romanis antiquitatibus legiffet*. Gell. *Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 12. Contra ATEIVS CAPITO adcommodato dominantibus ingenio facile omnia, quae Auguftus de nouo inftituebat, probabat. (§. 179. *feqq.*) At in iuris prudentia LABEO nouator erat; ATEIVS ea, quae a maioribus tradita acceperat, mordicus tenebat. Sic faepe maximos etiam viros alio ingenio domi, alio in re publica, effe animaduertimus.

§. CLXXXXVI.

Talis fub Augufto fuit iuris prudentiae facies. Eius fucceffor, TIBERIVS, callidiffimus princeps, non modo iifdem Augufti artibus, fufcepto imperio, follerter vfus eft, fed et noua quaedam reperit, ad ftabiliendam *μοναρχίαν* vel maxime comparata. Nam vt inter initia principatus *ciuilem admodum, ac paullo minus, quam priuatum, egit*, Sueton. *Tiber. cap.* 26. adeo, vt *cuncta per confules inciperet, tamquam vetere re publica, et ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nifi tribuniciae poteftatis praefcriptione, proponeret:* Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 7. *ita paullatim principem exercuit praeftititque* *. Sueton. *Tiber. cap.* 33.

Qualis Augufti fucceffor, Tiberius?

* Mutationem hanc omnes hiftorici obferuant: at ipfum tempus, quo Tiberius, veluti Circeo poculo inebriatus, femel fimulque fui diffimillimus factus eft, fimulque cauffam iftius *μεταμορφώσεως* adcuratius, quam alius quifquam, notauit Dio Caffius *Lib. LVII. pag.* 615. Poftquam enim Germanici cafum narrauit, ftatim pergit hiftoricus πολιτικώτατος: Τιβέριος δὲ, ἐπεὶ τὸ ἐπίφθονον οὐκέτ' εἶχεν, ἐς πᾶν τοὐναντίον τῶν πρόσθεν εἰργασμένων αὐτῷ, πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν, περιέστη· τά τε γὰρ ἄλλα, ἀγρίως ἦρξε, καὶ ταῖς τῆς ἀσεβείας δίκαις, εἴ τις οὐχ ὅτι ἐς τὸν Αὔγουστον, ἀλλὰ καὶ ἐς αὐτὸν ἐκεῖνον, τήν τε μητέρα αὐτοῦ πράξειέ τι ἢ καὶ εἴποι ἀνεπιτήδειον ἀπεκλίνε, δεινῶς ἐπεξῄει. *Enimuero Tiberius, vbi iam nemo effet, qui principatui imminens, vitam eius obferuaret, quum ante hac plurima egregie feciffet, tum in contraria omnia mutatus eft. Imperauit crudeliter, violati numinis poftulari iuffit, non modo qui contra Auguftum, fed etiam qui contra ipfum aut matrem quidquam egiffent, loquutique effent incommodius.* Itaque tum demum fuo omnia arbitrio agere coepit, quum remoto aemuli, Germanici, metu, fe folum ex familia Augufta fupereffe animaduerteret, id eft anno ab V. C. 772.

§. CLXXXXVII.

Vetere ritu sub eo lata Lex Iunia Norbana.

Et sane exemplo Augusti aliquamdiu leges vetere ritu, missisque in suffragium centuriis vel tribubus, ferri passus est. Talis enim omnino est LEX IVNIA NORBANA de libertinis, minus sollemniter manumissis, in Latinorum coloniariorum numero habendis, Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 10. Cai. *Inst. Lib. I. tit.* 1. §. 2. non libera adhuc re publica anno ab V. C. 671. C. *Iunio Norbano Balbo* et L. *Cornelio* coss. (quod in mentem nuper venit Hermanno Noordkerkio *Disquis. de lege Petron. pag.* 91. *) : sed centum annis post, puta anno ab V. C. 771. *M. Iunio Silano* et L. *Iunio Norbano* coss. lata, ceu contra Noordkerkium ostendit Io. Guil. Hofmannus *de lege Iul. de adulter. cap.* 5. *pag.* 107.

* Nimirem primo vir doctus sibi procul dubio persuaserat, post Augustum nullas amplius leges vetere ritu rogatas esse. Deinde fauorem libertatis, quem haec lex eo ipso prodiderit, dum eos, qui domini voluntate in libertate morarentur, Latinos saltim esse voluerit, temporibus illis minus conuenire, existimauit. Denique ciues Romanos in Latinas colonias missos, temporibus Augusti et Tiberii iam ciuitate donatos esse, obseruat, ex eoque colligit, legem Iuniam, si libertinos minus sollemniter manumissos Latinis coloniariis exaequasset, eo ipso illos declarasse ciues Romanos. Quod quum absonum videatur, potius hanc legem multo antiquiorem, et libera adhuc re publica latam esse censuit. Sed quod fecisse Augustum vidimus: quidni et fecerit Tiberius, maxime quum ad huc ipsum ciuilem admodum, et vix principem ageret? Sane sub eodem principe et legem VISELLIAM vetere ritu latam esse probabile est (§. 167.). Deinde potuit legislator fauere libertati, quamuis libertinos ad iura ciuitatis promiscue non admitteret. Denique falsum est, quod vir clarissimus pro certo ponit, Latinos coloniarios iam sub Augusto et Tiberio ciues fuisse. Ius enim Latii, certis coloniis, immo totis prouinciis datum, multo post Tiberii tempora a iure ciuitatis Romanae diuersum fuisse, luculenter docuit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. cap.* 8. *pag.* 47. ipse tamen lapsus memoria, dum *pag.* 46. legem nostram a Iunio Norbano sub Augusto latam esse statuit.

§. CLXXXXVIII.

Tiberius et reliqua Augusti instituta seruat.

Sed et reliqua Augusti instituta seruauit Tiberius. Nam & praefectorum vrbi et praetorio auxit potentiam *: et in prouinciis suo omnia arbitrio disposuit: et ICtorum celeberrimis, inter quos MASVRIVM SABINVM nominat Pomponius, *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* facultatem de iure respondendi pro beneficio dedit.

* Patet hoc exemplo L. Aelii Seiani, quem ad annum 785. praefectum praetorio habuit, quem Dio Cass. *Lib.* LVIII. *pag.* 632. vocat μέγιστον τῶν τε πρὸ αὐτοῦ, καὶ τῶν μετ' αὐτὸν (πλὴν Πλαυτιανοῦ) τὴν ἡγεμονίαν ταύτην λαβόντων, ἰσχύσαντα, *inter omnes, qui ante, aut post illum, (excepto Plautiano,) illam potestatem consecuti sint, ad summam potentiam euectum*. Et Tacit. *Annal. Lib.* IIII. *cap.* 2. Seianum non modo *vim praefecturae modicam antea intendisse*, obseruat, sed & id factum esse, monet, *facili Tiberio, atque ita prono, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres et populum, celebraret, colique per theatra et fora effigies eius, interque principia legionum, sineret*. Conf. Sueton. *Tiber. cap.* 66.

§. CLXXXXVIIII.

Comitia tamen a

Dominatum tamen non alia arte magis stabiliuit, quam comitiis

primo

primo ſtatim imperii ſui anno, *Sex. Pompeio* et *Sex. Appuleio* coſſ. a populo ad patres translatis. Tacit. *Annal. Lib. I. cap.* 15. Nam ad eum diem etſi potiſſima arbitrio principis, quaedam tamen etiam ſtudiis tribuum facta fuerant. Ex eo vero tempore et honores decernebantur a ſenatu, praeter conſulatum, quem ipſe princeps ſuo arbitrio dabat, Dio Caſſ. *Lib. LVIII.* Lipſ. *Excurſ. E. ad Tacit. Lib. I. Annal.* neque dubitabatur amplius, ſenatum ius facere poſſe. *l. 9. D. de legib.* Senatum vero adeo ſibi obnoxium habebat princeps, vt non temere quiſquam in alia ire auderet, quam qua ire animaduerteret principem, maxime quum in curia non, vti in campo Martio, vel in foro, tabellis ſuffragia ferrentur, ſed patres viua voce et diſceſſione, vidente atque audiente principe, ſententiam animi denudare cogerentur. Ita quaecumque vellet, ſtatuebat Tiberius: quamuis ad minuendam inuidiam ea a ſenatu decerni fingeret *.

Populo ad patres tranſlatis.

* Et haec erat vera huius conſilii ratio. Nam quam Pomponius *l. 2. §. 9. D de orig. iur.* reddit, *quod difficile fuerit, tantam populi multitudinem in vnum conuenire*, ad obtentum pertinet, non ad leges, quippe quas Tiberium adhuc aliquando populi ſuffragiis tuliſſe, diximus: facile tamen eſt ad animaduertendum, expertem ſemel iuris ſuffragii populum aequo animo pati debuiſſe, vt et iura noua per ſenatum, quotieſcumque collibitum fuiſſet principi, ſtatuerentur. Quod obſeruans Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 60. *Tiberium vim principatus ſibi firmantem antiquitatis imaginem ſenatui praebuiſſe*, ait.

§. CC.

Ex eo tempore iam rarius leges priſco more rogabantur. Pleraque enim, quae pro legibus valere volebant principes, habita, aut per quaeſtores candidatos recitata, oratione, vel libello praelecto, patribus commendabant *. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 25. Quo facto aliquot ſenatores dicebant ſententiam, reliquis aut verbo adſentientibus, aut pedibus euntibus in partem alterutram. Quod pluribus placuerat, id pro lege erat, et SENATVSCONSVLTVM dicebatur. Tac. *Annal. Lib. VI. cap.* 12. Placere vero ſolebat tantum non omnibus, quod principi placuiſſet.

Hinc iura noua SCtis conſtituta.

* LIBELLI SCto praemiſſi mentio fit *l. 20. §. 6. D. de h. v. l. petit.* Multo frequentius tamen ORATIONIS, quam vel ipſe habebat princeps, vel per quaeſtorem candidatum recitabat. *l. 1. D. de offic. quaeſt.* Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 27. Sueton. *Aug. cap.* 65. *Neron. cap.* 15. *Tit. cap.* 6. Quod quaeſtoris officium tanti videbatur, vt Caſſiodorus *Varior. Lib. V. cap.* 4. et *Lib. VI. cap.* 3. magiſtratum illum vocare non dubitet *imaginem principis, et linguae regiae vocem.* Quum vero *orationem principis* plerumque *patrum conſultum ſequeretur*: Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 25. non mirum eſt, iura inuecta SCtis, orationibus principum ſancita dici. *l. penult. D. ad SC. Tertull. l. 8. pr. D. de tranſact. l. 10. D. pro ſoc. l. 60. pr. D. de rit. nupt. l. 32. pr. [illegible]. ſequ. D. de donat. int. vir. et vx. [illegible]. 1. l. 7. C. de praed. min. non alien. l. vn. C. Th. de cretion.* Vopiſc. *Prob. cap.* 13. Talis oratio Claudii imperatoris, qua Galliae ius ciuitatis dedit, quamque et Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 24. recenſuit, integra exſtat Lugduni, quam ex tabula antiqua primus extulit Lipſ. *Excurſ. A. ad Tacit. Annal. Lib. XI.* poſtea adcuratius deſcripſit expoſuitque Iac. Sponius *dans la recherche des Antiquitès et curioſitès de la ville de Lyon, cap. 8. pag.* 170. *ſeqq.* Addi poſſunt de principum orationibus Chriſt.

Christ. Otto a Boekeln *Diss. de orat. princip. in senatu*, et Schubart. *de fatis iurisprudent. Rom. Exerc. III. pag.* 575.

§. CCI.

SC. Libonianum.

Hoc modo anno ab V. C. 769. *T. Statilio Tauro* et *L. Scribonio Libone*, (non *Statilio* et *Tauro*) coss. factum est SC. LIBONIANVM, quo poena legis Corneliae de falsis irrogatur et ei, *qui quid aliud, quam testamentum falsum sciens signarit, signariue curarit, falsas testationes faciendas, testamentaque falsa inuicem dicenda aut consignanda dolo malo curauerit* *. *Pariat. legg. Mos. et Rom. tit.* 8. §. 7. *l.* 9. §. 3. *D. ad leg. Corn. de fals.* Iac. Cuiac. *Parat. C. tit. ad leg. Corn. de falsis.* Petrus Fab. *Semestr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Claud. Salmas. *ad ius Attic. cap.* 30. *pag.* 877.

* Postrema Pariatoris verba admodum obscura, dubiaeque lectionis sunt, adeo, vt ne Basilica quidem hic verba Graece versa exhibeant, sed eorum auctores sensum qualemcumque inde exsculpere contenti fuerint. Quidquid inter viros doctos ea de re disputatum est, reperies apud van Bynkersh. *Obseru. Lib. III. cap.* 18. et Schulting. *Iurisprudent. vet. Anteiustin. pag.* 703.

§. CCII.

SCta Aurelianum et Claudianum.

Deinde anno ab V. C. 773. *M. Aurelio Cotta* et *M. Valerio Messalla* coss. senatus censuit, *vt, si qui coierint ad occisionem innocentum, lege Cornelia de falsis tenerentur*. *Pariat. legg. Mos. et Rom. ibid.* Insequente anno 774. *Tiberio Aug.* IIII. et *Druso Nerone* iterum coss. SCto cautum, *vt damnatis vitae spacium ad diem decimum propagaretur*. * Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 51. Sueton. *Tiber. cap.* 75. Dio Cass. *Lib. LVII. pag.* 617. Seneca *de tranquill. Lib. I. cap.* 45.

* Occasionem huic SC. praebuit C. Lutorii Prisci, equitis Romani, fatum, qui ab accusatoribus impietatis accusatus ob carmen, quod in Germanici mortem conscripserat, et ob quod pecunia donatus fuerat a Tiberio, quasi id aegro Druso spe maioris praemii composuerit, a senatu capitis fuerat damnatus. Factum ergo SC. vrgente Tiberio, *ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, eoque vitae spacium damnatis prorogaretur*. Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 51. Aegre enim id tulerat Tiberius: οὐχ ὅτι ἐκεῖνος ἐκολάσθη, ἀλλ' ὅτι τις ὑπὸ τῶν βουλευτῶν τῶν ἄνευ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐθανατώθη: *non quod is supplicio esset adfectus, sed quod senatus aliquem sine sua sententia damnasset*. Dio Cass. *Lib. LVII. pag.* 617.

§. CCIII.

SCta Licinianum et Rubellianum.

Porro anno ab V. C. 780. *M. Licinio quintum* et *L. Calpurnio* coss. (non *Licinio* et *Tauro* coss.) a senatu decretum, *vt ex lege Cornelia de falsis condemnarentur, qui ob struendam aduocationem, testimoniaue, pecuniam acceperint pactiue fuerint, societatem coierint, aut aliquam delationem interposuerint*. Ita enim sententiam amplissimi ordinis exprimit *Pariator legg. Mos. et Rom. tit.* 8. §. 7. qui ibidem etiam alterius meminit SCti, biennio post *duobus Geminis* coss. facti, quo senatus eiusdem legis Corneliae poenae subiicit et illos, *qui ob veniumdandum, vel denunciandum vel non denunciandum remittendumue testimonium pecuniam acceperint* *.

In

* In textu Pariatoris sine sensu legitur: *ob venundandum vel denudandum non remittendum testimonium*. Hinc de sanando loco admodum solliciti sunt viri doctissimi, Heraldus *de rer. iudicat. auctorit. Lib. I. cap. 6.* Salmas. *ad ius Att. cap. 30.* Hugo Grot. *Flor. spars. ad l. vlt. C. de concuss.* et Bynkersh. *Obseru. Lib. III. cap. 10.* Nobis commodissimum sensum habere visa est, quam hic sequuti sumus, lectio.

§. CCIIII.

Eiusdem aetatis est SC. PERNICIANVM, vti vocat Vlpianus *Fragm. tit. 16. §. 3.* vel PERSICIANVM potius ex sententia Perizonii *de lege Vocon. pag. 176. sequ. edit. nou.* conditum sub Tiberio anno V. C. 787. *Paullo Fabio Persico* et *L. Vitellio Nepote* coss. Est hoc caput illud, *quod Papiae legi a Tiberio additum, eique a Claudio imp. obrogatum esse*, scribit Sueton. *Claud. cap. 23.* Eo SCto cautum fuerat, *vt sexagenariorum et quinquagenariarum nuptiae ne essent, ac proinde vir et vxor caelibatus poenis perpetuo tenerentur* *. Qua de re plura diximus *in Commentar. ad legem Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. 3. §. 5.* SC. Persicianum vel Pernicianum.

* Sunt qui iam lege Iulia et Papia Poppaea, sexagenariis masculis, feminisque quinquagenariis, nuptiis interdictum fuisse, existimant: Ant. Augustin. *de legib. et SC. pag. 1213. Tom. II. Thesauri Graeu.* Iuss. Lips. *Excurs. C. ad Tacit. Annal. Lib. III.* Barn. Brisson. *de iure connub. pag. 160.* et ipse Iac. Gothofredus *ad Leg. Pap. Popp. cap. 2.* et. quidem ob locum L. Lactantii *Instit. diuin. Lib. I. cap. 16. et l. 27. C. de nupt.* Sed ex Vlpiani *Fragm. tit. 16. §. 3.* patet, legem Iuliam senes potius poenis caelibatus liberasse, sub Tiberio vero additum esse per SC. Persicianum, vt perpetuis caelibatus poenis subiacerent, donec per Claudianum SC. et huic obrogatum, cautumque est *vt qui maior sexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde haberetur, ac si minor sexaginta annorum vxorem duxisset*. Apud Lactantium ergo et in *d. l. 27. C. de nupt.* SC. Pernicianum, quia ad legem Papiam factum est, cum lege ipsa confunditur. Quod saepe fieri, alibi pluribus exemplis ostendimus.

§. CCV.

Quemadmodum vero iam sub Augusto, qui maxime ciuilis videri cupiebat, non pauca rescriptis edictisque constituta esse, vidimus (§. 170.): ita multo minus dubitandum videtur, quin et TIBERIVS eadem vsus sit potestate. Eius sane constitutionum rescriptorumque mentio fit *l. 28. D. de hered. inst.* et. *l. 38. §. 10. D. ad leg. Iul. de adult.* Neque tamen edicto, vti quibusdam visum, sed SCtis, in municipiis vel aboleuit, vel ad modum redegit ius moremque asylorum *. Sueton. *Tiber. cap. 37.* et Tacit. *Annal. Lib. III. cap. 60.* Quaedam Tiberius etiam edictis constituit.

* Suetonius Tiberium *omnem vim moremque asylorum, quae vsquam fuerint, aboleuisse statuit*. Sed eum erroris, praeter commentatores, arguunt Marsham. *in Can. chronic. pag. 356.* et Spanhem. *de vsu et praest. numism. Tom. III. Diss. VIIII. pag. 661.* Et sane rem expedit Tacitus, pluribus referens, crebrescente per Graecas vrbes licentia atque impunitate asyla statuendi, completa fuisse templa pessimis seruitiorum, eodemque subsidio obaeratos aduersum creditores, suspectosque capitalium criminum receptatos. Addit, principem retulisse rem omnem ad sen tum, cum tatesque, quae id ius vsurparent, legatos mittere iussas. Auditis legatis, aliis populi Romani beneficium, aliis sociorum pacta, aliis regum, qui ante vim Romanam valuerant, decreta allegantibus facta esse SCta, *quibus multo cum honore*, *modus*

modus tamen praescriptus sit, iussumque, vt in templis aera figerentur, sacrandum ad memoriam, non specie religionis in ambition vedelaberentur. Tacit. *Annal. Lib. III. cap.* 63.

§. CCVI.

Inter ICtos sub Tiberio floruit Masurius Sabinus.

Ceterum sub Tiberio quoque floruerunt ICti celeberrimi, inter quos primum locum sibi suo quodam iure vindicat MASVRIVS SABINVS, non ille apud Athenaeum * quem cum nostro plerique confundunt, sed laudatus ab Arriano *Dissert. Epictet. IIII. cap.* 3. et Persio *Satyra V. v.* 88. *sequ.* Praeceptore ille vsus est Ateio Capitone, cuius ipse praecepta tam religiose tenuit, vt ab eo potissimum SABINIANORVM sectam nomen accepisse contendant **.

* Quamuis enim inter deipnosophistas et colloquutores apud Athenaeum fuerit *Massurius* quidam, isque ICtus, eumque hunc nostrum fuisse existiment viri doctissimi: Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 1. et Rupertus *ad Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 13. *sect.* 2. *pag.* 201. ratio tamen temporis, quo id conuiuium praebitum fingitur, vix patitur, vt calculum huic sententiae adiiciamus, nisi fingere velimus, Athenaeum tam fuisse absonum, vt inter homines diuersorum saeculorum conuiuium celebratum finxerit, id est, data opera voluerit nugari. Vid. Gerard. Io. Voss. *de histor. Lat. Lib. I. cap.* 21. et Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. ICtor. pag.* 158.

** Ita plerique, quos et ipsi aliquando sequuti sumus. Solus Iac. Gothofredus *in Manual. iur. pag.* 1253. *edit. nou. Opp.* SABINIANORVM nomen a Coelio Sabino, quem sub Vespasiano floruisse constat, arcessere maluit. Et sane quum sectatores nomina adsumere soleant a doctoribus, eodum tempore florentibus: probabile est, opponendos sibi esse PROCVLVM et CASSIVM, qui sub Claudio et Nerone potissimum inclaruerunt, nec non PEGASVM et COEL. SABINVM, qui sub Vespasianis floruerunt. Immo huic sententiae ipse fauere videtur Pomponius, dum *l.* 2. § *vlt. D. de orig. iur.* scribit: *adpellatique sunt partim* CASSIANI, *partim* PROCVLEIANI, *quae origo a Capitone et Labeone coeperat.* Vbi sane *Proculeianos* non *Sabinianis*, sed *Cassianis* opponit.

§. CCVII.

Eius modicae facultates.

Facultatem de iure respondendi acceperat a Tiberio, nec tamen multum rei fecerat, tam curtae supellectilis, vt fere ab auditoribus esset alendus. *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Occurrit apud Gruter. *Inscript. pag.* 535. *nu.* 5. MASVRIA M. F. MARCELLA nupta veterano, quam filiam nostri fuisse putat Reines. *ad Inscript. pag.* 259. Quod si verum esset, & praenomen ICti nostri inde posset restitui, et videretur hoc forte argumentum paupertatis admodum firmum, quod filiam militi gregario nuptum dare non dubitauerit. Sed coniecturam hanc non adeo probabilem esse, facile vnusquisque intelligit.

§. CCVIII.

Libri tres iuris ciuilis ab eo scripti.

Reliquit SABINVS noster opera praestantissima, inter quae *libri tres* IVRIS CIVILIS tantae admirationi fuerunt veteribus, vt non modo ICti, veluti ARISTO, *l.* 6. *D. de vsu et habit.* POMPONIVS, VLPIANVS, et PAVLVS eos commentariis illustrarint, sed et plerique, qui ab eo tempore ad Hadrianum vsque floruerunt; librorum Sabinianorum ordinem, a Iac. Gothofredo in *Quatuor fontibus iuris ciuilis* inuestigatum, in operibus suis sint sequuti *. Hub. Giphan. *Oeconom. iur.*

iur. pag. 120. Quin hi ipsi sunt libri, quos Arrian. *Diss. Epictet. IIII. cap* 3. τοὺς Μασυρίου νόμους, *Masurii leges*; Persius vero *Sat. V. MasurI rubricam* adpellant.

* Non potuit sane posteros, praeter Sabini auctoritatem, quidquam mouere, vt eius ordinem sequerentur, quippe parum profecto concinnum. Ostendit enim Iac. Gothofredus *in Sabinianor. libr. serie et continent. Thesaur. iur. ciu. Tom. III. pag.* 250. eum *primo libro* egisse de successione testamentaria, adeoque de testamentis ordinandis, de heredum institutionibus et substitutionibus, hereditatis diuisione, adquisitione, et similibus quaestionibus, quae *libris Pandect. XXVIII. et seqq.* tractantur: *libro secundo* de bonorum possessionibus, de legatis tum generatim, tum de variis eorum speciebus, de patria et dominica potestate, de contractibus, de nuptiis, dotibus, repudiis, de tutelis et delictis, denique de adquirendo rerum dominio, adquirenda amittendaue possessione, solutionibus et donationibus: *libro tertio* et postremo de obligationibus contrahendis, de stipulationibus, nouationibus, fideiussionibus, acceptilatione, de interdictis, actione ad exhibendum, seruitutibus et rei vindicatione, et postremo de iudiciis, iure publico, captiuis et postliminio reuersis egit. Nulla hic reddi potest ordinis ratio, nullus in hac rerum iuridicarum farragine materiarum nexus deprehenditur, et tamen haec materiarum series placuit posteris, puta Sabinianis, quibus merito adclames illud poetae: *O imitatores seruum pecus!*

§. CCVIIII.

Ab A. Gellio *Noct. Attic. Lib. III. cap.* 9. laudatur eius *liber* de INDIGENIS, vel potius, (quod ipsius loci deinde adducti materia indicat, DE INDIGITAMENTIS Lips. *Elect. Lib. I. cap.* 7. *) FASTORUM libros laudat Macrob. *Saturn. Lib. I. cap.* 4. vt et libros MEMORIALIVM vel MEMORABILIVM, opus historicum, Gellius *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 20. *Lib. V. cap.* 6. et *Lib. VI. cap.* 7. Macrob. *Saturn. Lib. III. cap.* 6. et Paullus *l.* 144. *D. de verb. signif.* Scripsit et quaedam AD EDICTVM, *l.* 18. *D. de operis libert. libros* ADSESSORIORVM, *l.* 12. *D. de pact. l.* 5. §. 8. *D. de iniur.* AD VITELLIVM, *l.* 45. *D. de legat.* 3. denique RESPONSA. *l.* 4. *D. ad leg. Rhod. de iactu.* Plura tanti ingenii monimenta non reperio. Quem enim Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 18. memorat, librum de FVRTIS, eum non tam singulare opus, quam titulum librorum iuris ciuilis fuisse, arbitramur. Reliqua eius opera.

* INDIGITAMENTA erant βιβλία ἱερατικά, libri sacri, quibus deorum nomina et sacrorum ritus veluti in indice comprehendebantur. Huius modi libros et alii scripserunt, veluti GRANIVS FLACCVS ICtus, Iulio Caesari σύγχρονος, de quo supra (§. 17.) plura diximus. Eius enim *indigitamenta* laudat Censorin. *de die natal. cap.* 3. ex quibus permulta *in librum III. aduers. gentes* retulisse Arnobium, obseruat Lud. Carrio *Emendat. Lib. I. cap.* 4.

§. CCX.

Eorumdem temporum, at diuersae sectae, fuit M. COCCEIVS NERVA *, quem Labeonis fuisse auditorem, dissensionesque auxisse, testatur Pomponius *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Tiberio fuit familiarissimus, quocum solus fere senatorum septem fere annos familiarissime vixit in Campania. Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap.* 58. et M. Cocceius Nerua ICtus, Labeonis auditor.

Lib. VI. cap. 26. Functus est aquarum curatione. Frontin. *de Aquaeduct. art.* 102. et consul fuit anno ab V. C. 775. collega C. Vibio Rufino. Gruter. *Inscript. pag.* 187. *num.* 13. *pag.* 602. *num.* 4. Anno demum 786. vitam inedia finiuit, tanta animi obstinatione, vt ne a Tiberio quidem se a proposito reuocari pateretur. Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 26. Reliquisse eum quaedam ingenii monimenta, satis constat: *l.* 2. §. 28. *D. ne quid in loc. publ.* quamquam ne inscriptio quidem librorum hodie nota est.

* Vt tot Neruae, cum in vniuersa historia Romana, tum in historia iuris, celebrati recte distinguantur: eos in schemate quodam hic lectoribus ob oculos ponere iuuabit.

M. COCCEIVS NERVA.

M. COCCEIVS M. F. NERVA, Golz. *Fast. pag.* 206. consul anno 717. cum L. Gellio Poplicola, ab Appiano perperam L. Cocceius vocatus.

M. Cocceius M. F. M. N. NERVA, ICtus noster, cos. anno 775. vitam anno 786. inedia finiuit.

M. COCCEIVS M. F. M. N. M. P. NERVA, ipse quoque ICtus, qui de vsucapionibus scripsit, consul suffectus anno ab V. C. 793. = SERGIA LAENATISA PLAVTILLA mater imp. Neruae Caes. Aug. memoratur in lapide apud Spon. *in Miscell. erud. antiqu. pag.* 268.

Imp. NERVA CAES. AVG. GERMANICVS caeso Domitiano ad imperium peruenit anno ab V. C. 848. decessit, adoptato M. Vlpio Traiano, anno 850. VI. Kal. Febr

§. CCXI.

Status iuris sub C. Caligula Caesare.

Qui Tiberio successit, C. CALIGVLA, nihil fere, praeter externam speciem humani habuit: neque monstro illi et dedecori humani generis quidquam debet iuris prudentia. Tentauerat, reuocato more comitiorum suffragia reddere populo, Sueton. *Calig. cap.* 16. immo reddiderat, mox crepturus: Dio Cass. *Lib. LVIIII. pag.* 647. sed ICtis infensissimus, non modo C. Cassio Longino struxit insidias, Cassium cauere fortibus Antianis iussus, Sueton. *Cai. cap.* 57. Dio Cass. *Lib. LVIIII. extr. pag.* 612. verum etiam toti iuris peritorum ordini exitium minatus est, si recte intelligimus verba Suetonii *in eius vita, cap.* 34. *de iuris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem vsum aboliturus, saepe iactauit, se mehercle effecturum, ne quid respondere possint praeter eum* *.

* Ve-

* Vexatissimus locus, et a criticis non minus, quam librariis male habitus. Alii omitti iubent verba, *praeter eum*, alii legi iubent, *praeter aequum*, alii, *praeter eccum*, alii, *praeterea*, alii, *praeter verum*, alii, *praeter Deum*, alii, *praeter : Te reum ?* nullo fere sensu. Qui viros doctos ad hunc locum legesit, affatim ineptiarum reperiet. Nobis adhuc placet Ios. Scaligeri interpretatio adlata a Casaubono *: in Caligula lege indubitate* : ne quis respondere possit, praeter eum. *Vox tyrannica, sed satis acuta : se sublaturum ICtos, ita vt ipsius voluntas sit pro iure : nemoque supersit, qui consulatur, praeter eum, hoc est*, Caligulam. *Quemadmodum enim in animo habebat Caligula omnia exemplaria Liuiana et Virgiliana abolere : ita etiam omnes ICtos, vt nemo superesset, qui de iure consuli et respondere posset, praeter eum, nempe Caligulam. Propterea subiicit Suetonius, quasi scientiae eorum omnem vsum abolitiurus.*

§. CCXII.

Cur nusquam eius in iure fiat mentio?

Enimuero et breue fuit Caii istius imperium, nec illi tantum ocii fuit in quotidiana ingluuie, vt de vlla re seria cogitaret. Praeterea acta illius omnia rescidit eius successor Claudius, teste Suet. *in Claud. cap.* 11. adeoque si quid forte constituerit noui, id postea ratum non fuit. Et hinc facile reddideris rationem, cur in vniuerso iure nostro nihil omnino, quod Caligulae debeat originem, vsquam occurrat *.

* Si enim acta rescinderentur alicuius tyranni, plerumque simul eius memoria damnabatur, et tunc omnia, quae vel a damnato habebant nomen, vel ad conseruandam eius memoriam pertinebant, solebant aboleri. Detrahebantur ergo eorum statuae, et vel conflabantur, vel reuellebantur, vel capite saltim truncabantur. Hinc Iuuenal. *Sat. X. v.* 62.

Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellae.

Exempla passim exstant apud Tacit. *Histor. Lib. III. cap.* 13. Herodian. *Histor. Lib. I. cap.* 14. *Lib. VII. cap.* 7. *Lib. VIII. cap.* 5. Iul. Capitolin. *Maximin. cap.* 23. *Gordian. cap.* 9. Euseb. *Hist. eccl. Lib. VIII. cap.* 13. Lactant. *de mortib. persequut. cap.* 42. de quo more pluribus egerunt Iust. Lips. *Excurs. ad Tacit. Annal. Lib. VI.* Rad. Forner. Rer. *quotid. Lib. II. cap.* 17. *et* 18. Sed et reliquae imagines et picturae damnati memoriam conferuaturae corrumpebantur, Herodian. *Histor. Lib. VII. cap.* 2. adeo, vt ne cusi quidem ab illis nummi valorem suum retinerent. Arrian. *Diss. Epictet. cap.* 5. Quare non mirum, si tam diri monstri nec leges, nec SCta, nec vlla alia instituta rata fuerint.

§. CCXIII.

Sub Claudio primum instituti Praetores fideicommissarii.

Multa contra noua reperit, multa emendauit non incallidus iuris, nec pessimis principibus adnumerandus TI. CLAVDIVS CAESAR. Primo enim quaedam circa magistratus mutauit, et *iuris dictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in vrbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per prouincias, potestatibus delegauit*. Sueton. *Claud. cap.* 23. Et in vrbe quidem de fideicommissis ius dicebant duo praetores *, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* (non vnus, vti est in §. 1. *Inst. de fideic. hered.* siquidem vnum Traianus demum detraxit, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.*), qui PRAETORES DE FIDEICOMMISS. vocantur apud Gruter. *Inscript. pag.* 393. *num.* 6. In

 pro-

prouinciis Claudius eam iuris dictionem praesidibus in perpetuum delegarat. Vlpian. *Fragm. tit.* 25. §. 12.

* Nec soli tamen. Ipse enim Vlpianus *ibid.* ait: *Romae centumuirum de fideicommissis esse consulum, aut praetoris, qui fideicommissarius vocetur*. Quod recte interpretatus Cuiacius *Obs: Lib. XXI. cap.* 34. ostendit, consules de maioribus, praetorem de minoribus summis ius dixisse, eoque refert locum Vlpiani *l.* 19. §. 1. *D. de iurisdict.* Res ipsa certa est ex Quinctiliano *Inst. orat. Lib. III. cap.* 6. vbi ille: *Non debes*, inquit, *apud praetorem petere fideicommissum, sed apud consules. Maior enim praetoria cognitione summa est*. Add. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 662.

§. CCXIIII.

Tutorum datio ab eo coss. delegata.

Deinde satis notum est, eumdem imperatorem sanxisse, *vt pupillis extra ordinem* * *tutores a consulibus darentur* Sueton. *Claud. cap.* 23. Quum enim antea ex lege Atilia in vrbe tutores dedissent praetores cum maiore parte tribunorum plebis, animaduertens Claudius, id minus diligenter fieri, eam curam delegauit consulibus, tutores in posterum cum inquisitione daturis. §. 5. *Inst. de Atil. tut.* Id quod adhuc Plinii Secundi temporibus obtinuisse, ex *Epist. Libr. VIIII. epist.* 13. intelligimus.

* Quidquid alicui magistratuum praeter munia ordinaria, demandabatur, quum alias id ex lege vel more maiorum ad eorum curationem non pertinet, id EXTRA ORDINEM, vel vt alibi *in Claud. cap.* 14. loquitur Suetonius, EXTRA HONOREM, dari peragique dicebatur. Sic prouincia aliquando dabatur, *extra ordinem*, Sueton. *Iul. cap.* 9. bellum alicui decernebatur *extra ordinem*, Id. *Aug. cap.* 3. itemque iudicia, Sueton. *Vesp. cap.* 10. animalia rariora adaecta publicabantur *extra ordinem*. Sueton. *Aug. cap.* 43. artium magistri, si quando etiam horis non consuetis differerent, id *extra ordinem* facere dicebantur. Suet. *Claud. cap.* 6. Hinc et coss. extra ordinem data est potestas tutores dandi, quod id alias ad coss. non pertineret.

§. CCXV.

SC. Claudianum de sexagenariorum nuptiis.

Permulta porro sub Claudio SCtis constituta sunt, quorum pleraque, quia in eius inciderunt consulatus, ab ipso CLAVDIANORVM nomen acceperunt *. De iis ex instituto egit Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. In eo numero est sc. CLAVDIANVM, quo SCto Perniciano obrogatum, teste Sueton. *Claud. cap.* 23. cautumque est, vt qui maior sexaginta annis minorem quinquagenaria duxisset, perinde haberetur, ac si minor sexagenariam duxisset vxorem. Vlpian. *Fragm. tit.* 16. §. 3. Id. SC. illustrauimus in *Comment. nostro ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 3. §. 6.

* Neque tamen omnia SCta *Claudiana* Claudio imp. tribuenda sunt. *Claudianum* enim etiam vocatur edictum, ad legem Corneliam de falsis factum, *l.* 14. §. 2. *l.* 15. *D. ad leg. Cornel. de fals.* quod tamen a Tiberio esse, eleganter demonstrauit Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Aliud eiusdem nominis SC. memoratur in *rubr. tit. D. de SC. Silan. et Claud.* quod tamen non sub Claudio nostro, sed Nerone imp. iterum et Calpurnio Pisone coss. factum esse, et ideo *Pisonianum* quoque vocari in *l.* 8. *D. eod.* ex Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 32. discimus.

§. CCXVI.

§. CCXVI.

Est et aliud SC. CLAVDIANVM, quod ad rem nauticam pertinuit, cuius varia capita passim occurrunt, veluti, *vt si quis ex naufragio clauos, vel vnum ex his abstulisset, omnium rerum nomine teneretur*, Vlpianus *l.* 3. §. 8. *D. de incend. ruin. naufr.* itemque, *vt negotiatoribus certa lucra proponerentur, suscepto damno, si quid per tempestates accidisset: vt naues mercaturae caussa fabricantibus magna commoda constituerentur pro conditione cuiusque, ciuibus vacatio legis Papiae Poppaeae* *, *Latinis ius Quiritium, feminis ius quatuor liberorum*. Sueton. *Claud. cap.* 18. *et* 19. Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 1. 6. *l.* 3. *D. de vacat. et excus. muner. l.* 5. §. 3. *D. de iur. immunit.* SC. Claudianum de re nautica.

* Neque tamen eo priuilegio fruebantur senatores nauem fabricantes, *quod nec habere illis nauem ex lege Iulia repetundarum liceret*. *l.* 3. *D. de vacat. et excus. muner.* At multo ante legem Iuliam repetundarum lege publica prohibitum fuerat senatoribus, quo minus nauem aedificarent. Nam iam anno V. C. 584. *P. Cornelio* et *Ti. Sempronio* coss. Q. Claudius, tribunus pl. suasore legis C. Flaminio ad plebem tulerat, *ne quis senator, quiue senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quae plus, quam trecentarum amphorarum esset, haberet*. Id enim satis habitum ad fructus ex agris vectandos, quaestus omnis patribus indecorus visus. Rem per summam contentionem actam memoriae prodidit Liuius *Lib. XXI. cap.* 63. Et ad hanc legem respicere videtur Cicero *in Verr. V. cap.* 18. *noli metuere, Hortensi, ne quaeram qui licuerit aedificare nauem senatori? Antiquae sunt istae leges, et mortuae, quemadmodum tu soles dicere, quae vetant*. Sed antiquam illam et mortuam legem in vitam veluti reuocauit lex Iulia repetundarum.

§. CCXVII.

Porro nota est LEX CLAVDIA, id est, vt ego interpretor, SC. CLAVDIANVM, quo *tutela mulierum legitima sustinebatur*. Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 8. de quo nos plura in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 11. §. 3. Denique celeberrimum etiam fuit SC. CLAVDIANVM de muliere serui alieni amore bacchante, a domino serui in seruitutem vindicanda, quod Iustinianus sustulit. *pr. Inst. de success. subl. l. vn. C. de SC. Claud. toll.* Vid. Paull. *Sentent. recept. Lib. II. tit.* 21. §. 1. Tertullian. *ad vxor. Lib. II. cap.* 8. Conditum illud est anno V. C. 805. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Cur vero illud Vespasiano tribuatur a Suetonio *Vespas. cap.* 11. disquirit Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. * SCta Claudiana de tutela mulierum et feminis serui amore bacchantibus.

* Existimat enim vir doctissimus, Vespasianum huius SCti auctorem esse, sed consulem sub Claudio, non principem, ac proinde illud recte et Claudio et Vespasiano adscribi posse. Enimuero quum Suetonius eam sanctionem Vespasiano non tamquam priuato, sed tamquam principi tribuere videatur: plerique hoc ius sub Claudio constitutum a Vespasiano in vsum reuocatum esse contendunt. Et sane non raro auctores rem et ius ante iam ab aliis constitutum ei solent tribuere, qui obsoletum renouauit, pluribus exemplis probauit Frid. Brummer. *de lege Cincia, cap.* 7. Ceterum *huius relationis repertor* sub Claudio fuerat libertus famosissimus, Pallas, cui ideo senatus praetoria insignia et centies quinquagies sestertium decreuit, fixo aere SC. quo libertinus sestertii ter millies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur. Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Exstat et hodie fragmentum SCti, quod pro merito exagitant Plin. maior *Histor. nat. Lib. XXXV. cap. penult.* et Plin. minor *Lib. VIII. epist.* 6.

§. CCXVIII.

§. CCXVIII.

SCta Largianum, aliaque sub Claudio facta.

Alia fuerunt SCta, quae tametsi Claudio imperante condita sint, nomen tamen ab eo non adsciuerunt. Sic primo statim imperii anno *Claudio* et *L. Licinio Caecina Largo* coss. factum est SC. LARGIANVM, quo cautum, *vt liberi manumissoris, non nominatim exheredes scripti, extraneis heredibus in bonis Latinorum praeferrentur. l. vn. §. vlt. C. de Lat. lib. toll.* Sic et *Velleio Rufo* et *Ostorio Scapula*, coss. id est, anno ab V. C. 798. factum SC. de adsignandis libertis, cuius ipsa verba legitima supersunt *l. 1. pr. D. de adsign. libert.* Duo porro SCta de aedificiis negotiationis caussa non diruendis integra exstant apud Iul. Capacium *Hist. Neapol. Lib. II. cap. 9.* et Reines. *Inscript. Class. VII. num. 11.* quorum alterum *Cn. Hosidio Geta* et *L. Vagellio* coss. suffectis, anno ab V. C. 799; alterum nouennio post sub Nerone conditum est, ex quo verba quaedam recitantur a Paullo *l. 52. D. de contrah. emt.*

§. CCXVIIII.

SC. Macedonianum.

Sed celeberrimum omnium est SC. MACEDONIANVM, Claudianis temporibus factum * anno ab V. C. 800. Tacit. *Annal. Lib. XI. cap. 13.* Claudius *lege lata*, (ita hic SC. vocatur, vti supra §. 217. *lex Claudia*) *saeuitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamilias foenori darent*. Nomen hoc SC. tulit non ab auctore, sed a Macedone, filiofamilias, *qui inter ceteras sceleris caussas, quas ei natura administrabat, etiam aes alienum adhibuerat*: eoque cautum est, *vt ne foeneratoribus, qui pecuniam filiofam. credidissent, etiam post mortem patris actio petitioque daretur. l. 1. D. ad SC. Macedon.* Theophil. *Paraphr.* §. 7. *Inst. quod cum eo, qui in al. pot. est, negot. gest. ess. dic.*

* Hoc quoque SC. Vespasiano attribuit Sueton. *Vespas. cap. 11. auctor senatui fuit, decernendi, ne filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti ius vmquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem*. Sed Vespasianus adhuc senator sub Claudio auctor fuisse senatui, vt improborum foeneratorum incertis nominibus credentium rapacitatem coerceret. Potest etiam ius, diris Neronis temporibus obsoletum, in vsum reuocasse. Quae enim legum vincula non perfringit foeneratorum audacia? Sane et post Vespasiani tempora, legem, licet vix restitutam, violare ausos esse homines improbos, colligi potest ex verbis Iuuenalis *Sat. III. v. 43.*

Funus promittere patris
Nec volo, nec possum.

§. CCXX.

Quaedam Claudius edictis constituit.

Quaedam porro CLAVDIVS, decessorum exemplo, etiam EDICTIS et RESCRIPTIS constituit. Ita enim sanxit, *vt exposita a dominis mancipia aegra et adfecta libera essent, nec redirent in ditionem domini, si conualuissent. Quod si quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneretur*. Sueton. *Claud. cap. 25.* Itemque, *vt curatoris auctoritas in adrogationibus intercederet* *: *l. 8. D. de adopt.* nec non, *vt bonis paternis a fisco propter debita occupatis, peculium filiifamilias profectitium separaretur. l. 3. §. 4. D. de minor.* Porro, *vt, si per quaestionem nummariam praeiudicium statui videatur fieri, quaestio cessaret:*

faret: *l.* 4. §. 1. *D. ne de statu defunct.* denique, *ne feminae pro viris intercederent*. *l.* 2. *pr. D. ad SC. Vellei.*

* Obseruat hoc Modestinus, *d. l.* 8. Nimirum ante Claudii tempora homines puberes, quamuis minorennes, recte se adrogandos dabant suo arbitrio, neque opus erat consensu curatorum, quia curator potissimum rei dabatur, adrogatio vero ad personam potius, quam eius res pertinere videbatur. Attamen quum adrogatio simul esset modus adquirendi vniuersalis, adeo vt et liberi, et bona omnia cum adrogato in potestatem ac dominium adrogatoris transirent: *pr. Inst. de adquis. per adrogat. l.* 11. §. 2. *D. de bon. possess. sec. tab. l.* 15. *D. de adopt.* ipsa iuris analogia id exigere videbatur Claudio, vt curatoris accederet consensus, vel, vti Modestinus loquitur *auctoritas*.

§. CCXXI.

Progredimur iam ad NERONEM CLAVDIVM CAESAREM, qui sicuti primo quinquennio humanissimi principis exemplum praebuerat, ita procedente tempore tam sui factus est dissimilis, ut in generis humani exitium natus videretur. De nouis quibusdam eius institutis Sueton. *Neron. cap.* 17. *Aduersus falsarios*, inquit, *tum primum repertum, ne tabulae, nisi ter pertusae, ac ter lino per foramina traiectae, obsignarentur. Cautum, vt in testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Idem, vt litigatores pro patrociniis certam iustamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, praebente aerario gratuita: vtque rerum actu ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur: et vt omnes adpellationes a iudicibus ad senatum fierent* *. Status iuris sub Nerone.

* De tabulas signandi modo litem inter Salmasium et Des. Heraldum intercessisse, nemo ignorat. Prior praeter ea, quae ea de re ad ius Atticum differuit, singularem edidit diatriben *de modo subscribendi et signandi testamenta, et de veterum et hodiernorum sigillorum differentia, contra Desid. Heraldum*, *Lugd. Batau.* 1653. 8. Imprimis notandum, Neronem noluisse, vt primum statim τετράλιον, seu prima cera nomen heredis contineret, quum antea moris fuisset, vt primae statim cerae linea prima testatoris, altera nomen heredis contineret. Vnde Horat. *Lib. II. Sat.* 5.

Quid prima secundo
Cera velit versu, solus multisne coheres,

id est, quis heres sit institutus Acron et Porphyrio *ad h. l.* Quae de certa iustaque mercede aduocatorum a Nerone constituta esse dicuntur, potius Tiberio sunt tribuenda. Is enim *capiendis pecuniis posuit modum, vsque ad dena sestertia*, Tacit. *Annal. Lib. XI. cap.* 7. quum contra Nero legis Cinciae sanctione in vsum reuocata, constituerit, *ne quis ad caussam orandam mercede aut donis emeretur*. Idem *Annal. Lib.* XIII. *cap.* 5. Memoria ergo hic lapsum Suetonium, ex instituto ostendit Brummer. *de lege Cinc. cap.* 4. *et* 5. eiusque sententiae subscripsit Io. Ge. Graeu. *ad Sueton. Ner. cap.* 17. De pecunia pro subselliis exigi solita, hodie omnia ignota sunt: reliqua notissima. De adpellationibus ad senatum mutatis perspicue Tacit. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 28. *auxitque patrum honorem. statuendo, vt, qui a priuatis iudicibus ad senatum prouocassent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius hi, qui imperatorem adpellauere, nam antea vacuum id, solutumque poena fuerat.* Licebat ergo adpellare senatum, sed ita, vt certa pecunia ab adpellante deponeretur, quam amitteret, si in lite succubuisset.

§. CCXXII.

§. CCXXII.

SCta tamen, quibus haec constituta, pleraque ad alia tempora pertinent.

Quae his verbis describit Suetonius, iura noua, ea iura pleraque SCtis videntur inuecta. Quae enim de tabulis certo modo signandis refert, ea *ab amplissimo ordine decreta esse*, docet Paull. *Sentent. recept. Lib. V. tit.* 25. §. 6. * quamuis id SC. ad Tiberii tempora referendum putet Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. Certius est, alteram sanctionem, ne quis ipse sibi legatum adscriberet, sub Tiberio prodiisse. Est enim illa ex SC. LIBONIANO, de quo iam supra (§. 201.) diximus. Quum ergo et tertium Suetonii ἁμάρτημα μνημονικὸν de certa mercede aduocatorum paullo ante obseruauerimus (§. 221. *): ex illo loco nos non adeo multum proficere posse, facile intelligimus.

* Paullus quidem hoc SC. non ad tabulas testamentorum, sed ad *tabulas, quae publici priuatique contractus scripturam continent*, refert. Sed nec Suetonius in specie testamentorum, sed generatim tabularum meminit. Itaque non opus est, vt sub contractuum vocabulo et testamenta intelligamus, vti iubet Salmas. *de modo vsur. cap.* 11. siquidem eam vocabuli notionem iura non admittunt, *l.* 20. *D. de verbor. sign.* sed probabilius est SC. generatim hunc modum praescripsisse, in omnibus tabulis siue super negotiis inter viuos, siue super vltimis voluntatibus conficerentur, obseruandum. Guil. Goes. Not. *ad Sueton. ibid. Suetonius*, inquit, *de testamentis*, (immo generatim de tabulis,) *Paullus de contractibus loquitur: veruntamen quin vno eodemque SCto de bis cautum sit, non ambigo: vt vni quod deest auctori, ex altero sit supplendum.*

§. CCXXIII.

SC. Caluitianum vel Caluisianum.

Magis certum est sub Nerone conditum esse SC. CALVITIANVM, vel, uti Perizon. *de lege Vocon. pag.* 182. legendum existimat, CALVISIANVM, cuius de auctore annoque natali omnia incerta sunt *. Eo cautum, *vt, quae quinquagenaria maior minori sexagenario nupserit, quique minor sexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, iis impar illud matrimonium ad accipiendas hereditates dotesque legatas non proficeret, sed dos, mortua muliere, caduca fieret.* Vlpian. *Fragm. tit.* 16. §. 4. Quae ad illustrandum hoc SC. pertinent, iam occupauimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 3.

* Probabilius est, hoc SC. CALVISIANVM dictum esse, quam quod *Caluitianum* adpellatum fit, quia noti Caluisii, Caluitii vix in Romanorum scriptoribus ac monimentis occurrunt. Et sane sub Nerone reperio *Caluisium*, Agrippinae accusatorem apud Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 19. paullo post relegatum a Nerone, teste eodem, *ibid. cap.* 22. et denique restitutum ex decreto Caesaris. Tac. *Annal. Lib. XIIII. cap.* 12. Sed hunc honores gessisse, vt ab eo SC. hoc nomen habere potuerit, non reperio. Sane anno ab V. C. 750. in *Fastis* celebrantur C. Caluisius Sabinus, et L. Passienus Rufus. *Monim. Ancyran.* apud Gronou. *in Memor. Cosson. pag.* 132. Viginti et nouem annis post, anno 779. consulatus honore fulsit C. Caluisius cum Cn. Cornelio Lentulo Getulico. Tacit. *Annal. Lib. IIII. cap.* 46. ex quorum fane liberis vel nepotibus aliquis sub Nerone inter coss. suffectos esse potuit, immo re uera fuit. P. enim *Caluisius* cos. anno 813. laudatur apud Grut. *Inscript. pag.* 64. *num.* 9.

§. CCXXIIII.

§. CCXXIIII.

Certioris aetatis est SC. Memmianum, C. *Memmio Regulo* et *Virginio Rufo* coss. factum anno V. C. 815. quo cautum, *ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, et ne vsurpandis quidem hereditatibus prodesset* *. *l.* 51. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 76. *D. de condit. et demonstr.* Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 19. Quam sanctionem illustrauimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 7. *pag.* 204. DE PISONIANO quoque, quod ad illustrandum Silanianum factum, iam supra diximus (§. 215.*). Eo cautum fuerat, *vt, si quis a suis seruis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter seruos supplicia penderent:* Tacit. *Annal. Lib.* XIII. *cap.* 32. *l.* 3. §. 16. *D. de SC. Silan. et Claud.* itemque, *vt si seruus obnoxius poenae venisset, quandocumque in eum animaduerti oporteret, venditor pretium praestaret. l.* 8. *pr. D. eod.* Denique, *vt occisa vxore etiam de familia viri quaestio haberetur, idemque et iuxta vxoris familiam obseruaretur, si vir diceretur occisus.* Paull. *Sentent. recept. Lib. III. tit.* 5. §. 5. vbi hoc SC. NERONIANVM adpellatur.

SC. Memmianum et Pisonianum vel Neronianum,

* Postquam Romani certa nuptiarum ac foecunditatis praemia, itemque poenas caelibatus orbitatisque statuerant: saepe orbi adoptionibus has leges eludere solebant. Quam fraudem legibus factam iam pridem grauiter notauerat P. Scipio, de quo Gellius *Noct. Att. Lib. V. cap.* 19. *animaduertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpauisse, quod filius adoptiuus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset.* Sed non videtur censorum seueritas par fuisse abolendae huic fraudi, nec alia ex eo tempore lex prodiisse, qua illa coerceretur. Saltim de Neronis temporibus Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 19. *Percrebuerat*, inquit, *ea tempestate prauissimus mos, quum propinquis comitiis, aut sorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et prouincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptauerant.* De quo quum magna cum inuidia conquererentur ii, qui, quum liberorum parentes essent, orbis posthabebantur: factum hoc est SC. ad quod saepius remittimur in iure nostro. Vid. M. Vertran. Maur. *de iure liberor. cap.* 43.

§. CCXXV.

Sed et SC. TVRPILLIANVM *de abolitionibus et tergiuersationibus in iudiciis publicis*, de quo *l.* 2. *D.* et *l.* 2. *C. ad SC. Turpill. l.* 3. §. *vlt. D. de praeuaricat.* iisdem temporibus factum est, anno ab V. C. 813. *C. Caesonio Paeto* et *C. Petronio Turpilliano* coss. Denique VOLVSIANVM factum anno 808. *Q. Volusio Saturnino* et *P. Cornelio Scipione* coss. * quorum mentio fit apud Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 25. Reines. *Inscript. Class. VII. num.* 11. *pag.* 476. Gruter. *Inscript. pag.* 9. *num.* 4. de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, integrum exstat in marmore apud Capacium et Reinesium (§. 118.), ex eoque verba quaedam laudantur *l.* 52. *D. de contr. emt.*

SCta Turpillianum et Volusianum.

* Quumque circa ea tempora vix alius Volusius consul notus sit: vix dubitandum videtur, quin eiusdem aetatis sit, ab eodemque Q. Volusio Saturai-

turnino cos. nomen acceperit SC. VOLVSIANVM alterum, quo cantum fuerat, *vt qui improbe in alienam litem coiissent, ea lege, vt quod inde in rem alicuius redactum esset, inter eos communicaretur, lege Iulia de vi priuata tenerentur. l. 6. D. ad leg. Iul. de vi priu.* Id. SC. quo tempore factum sit, ignorare se, fatetur Ant. Augustin. *de nomine propr. ad pandect. cap. 4. pag. 330. Tom. I. Thes. iur. ciuil.*

§. CCXXVI.

SC. Trebellianum.

Neque tamen vllum est SC. eius temporis celebrius TREBELLIANO, quod *L. Annaeo Seneca* et *Trebellio Maximo* coss. suffectis, id est anno ab V. C. 814. die VIII. Kal. Sept. factum esse nouimus*. §. *6. Inst. de fideicomm. hered. l. 1. §. 2. D. ad SC. Trebell.* Nec minus ex ipsis *Pandectis* atque *Institutionibus* notum est, eo SC. decreuisse amplissimum ordinem, *vt actiones, quae in heredem heredibusue dari soleant, eae neque in eos, neque his darentur, qui fideicommissum, sicuti rogati essent, restituissent: sed his et in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmarentur supremae defunctorum voluntates. l. 1. D. ad SC. Trebell.*

* Equidem Senecam cos. fuisse, negat Ausonius *in Gratiar. act. pag.* 712. sed ideo, vti obseruauit Vinetus, quod non fuisset cos. ordinarius. Alioquin enim hodie satis certum est, consulatum eius incidere in annum ab V. C. 814. Lips. *Vit. Senecae cap.* 4. Ceterum SC. hoc dictum initio esse *Annaeanum*, et Seneca demum capitis damnato, ob damnatam simul eius memoriam, *Trebelliani* nomen adsumsisse, suspicatur Theod. Marcil. *ad* §. *6. Inst. de fideic. hered.* Sed coniectura ea parum probabilis est, partim quod nusquam hoc SC. Annaeanum dictum esse, comperio, partim, quod non semper SCta a consule maiore, sed ab eo potissimum, qui ad senatum retulerat, denominabantur.

§. CCXXVII.

ICti sub Caio Claudio et Nerone, Sempronius Proculus.

Vt iam porro et ad IVRISCONSVLTOS, qui a Tiberii excessu ad Neronis interitum floruerunt, progrediamur: inter eos sibi primum merito locum vindicat SEMPRONIVS PROCVLVS *, quem Neruae successisse, maximaeque fuisse auctoritatis, et plurimum potuisse, refert Pomponius, *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* addens, ab eo Labeonis familiam PROCVLEIANORVM nomen adsumsisse, quod post annum ab V. C. 786. quo viuere Nerua desiit, factum esse oportet. Scripserat EPISTOLARVM *libros* non octo, quot in Indice Florentino memorantur, sed multo plures, quum ex *vndecimo* quoque nonnulla decerpta videamus *l. 69. D. de contrah. emt. l. 12. D. praescript. verb. l. 17. D. de pact. dotal.* nec non NOTAS AD LABEONEM, quibus procul dubio doctrinas doctoris sui ab aduersariorum stricturis vindicauit. *l. 10. §. 1. D. de negot. gest. l. 69. D. de condit. et demonstr.*

* Sunt qui PROCVLVM nostrum ex gente *Iulia* fuisse existimant, ob marmor in ruderibus aedium Proculi cuiusdam repertum, quod tamen Reines. *Inscript. Class. VI. num. 122. pag. 459.* non ad hunc ICtum nostrum, sed ad *L. Aradium Proculum*, pertinere censet, eaque occasione nostrum ex gente *Licinia* fuisse sibi videri, docet. At verosimilius est, eum nec *Licinium*, nec *Iulium*, sed SEMPRONIVM vocatum. Id enim nomen ei diserte tribuitur *l. 47. D. de leg.* 2. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap. 2. §. 1.* Euer. Otto *praefat.*

fat. Thesaur. iur. Tom. I. Et aliunde constat, *Proculorum* cognomine, vixisse Sempronios. Grut. *Inscript. pag.* 560. *num.* 9. De aetate etiam Proculi non eadem omnes sentiunt. Haud leuis sane error est Perrenonii *Animadu. Lib. II. cap.* 23. qui eum sub Iulio Caesare floruisse existimat. Nec minus errant, qui ad Proculum nostrum referunt, quae de Licinio Proculo, praefecto praetorio sub Othone passim narrat Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 46. *et* 82. 87. *Lib. II. cap.* 39. 40. 44. 60. itemque, qui Martialem *Epigramm. Lib. I. epigr.* 7. de ICto nostro cecinisse putant:

Vade salutatum, pro me, liber: ire iubeis
Ad PROCVLI *nitidos, officiose, Lares.*

Si enim Proculo, anno ab V. C. 786. Neruae succedenti XXX. tantum annos tribuamus, (nec enim probabile est prius eum ad tantam celebritatem peruenire potuisse, vt sectae caput haberetur), sub Domitiano, sub quo Martialis scripsit, fuisset senex decrepitus, et alibi *Lib. XI. epigr.* 37. *v.* 8. eum diserte vocat *C. Iulium Proculum*, adeoque non magis noster est, quam qui a Tacito memoratur *Licinius Proculus*. Denique minime omnium ad nostrum pertinent rescripta Alexandri imp. *l.* 9. *C. ad leg. Iul. de adult.* et Gordiani, *l.* 7. *C. de accusat.* quamuis eum errorem errauerit Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79. §. 10.

§. CCXXVIII.

Huic merito iungimus aequalem, et aemulum, C. CASSIVM LONGINVM, Q. Aelii Tuberonis ex filia nepotem, Ser. Sulpicii pronepotem (§. 191.) Consulem illum cum Quartino temporibus Tiberii fuisse obseruat Pomponius *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* sed Quartino L. Naeuium Surdinum substituit Rupertus *in Pompon. Enchirid. Lib. III. cap.* 13. *sect.* 3. *pag.* 206. *edit. nou.* quod hoc par coss. occurrit in lapide apud Gruter. *Inscript. pag.* 1087. *num.* 4. * Praefecerat eum Asiae C. Caligula imp. mox occidi iusserat, sed frustra (§. 211.) Sub Claudio Syriae praefuit, et ad Euphratem castra habuit, Tacit. *Annal. Lib. XII. cap.* 11. eaque occasione illi et cum Iudaeis fuit negotium. Ioseph. *Antiq. Iud. Lib. XX. cap.* 1. Sub Nerone in Senatu liberrime dixit sententiam: Tacit. *Annal. Lib. XIII. cap.* 11. at postremo suspectus principi saeuissimo in Sardinia exsulauit, Tac. *Annal. Lib. XVI. cap.* 7. *et* 9. Sueton. *Neron. cap.* 37. inde tamen postea a Vespasiano reuocatus. *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Menag. *Amoen. iur. cap.* 43.

C. Cassius Longinus.

* Pro Quartino cos. quem in *Fastis* non reperiunt, alii rescribunt *Q. Haterius*, alii *Surdinus*. Nam C. Cassius Longinus et L. Naeuius Surdinus coss. laudantur apud Gruterum *Inscript. pag.* 1087. *num.* 1. Sed quum notissimus sit M. *Vinicii* sub Tiberio consulatus, sub eoque cos. suffectus fuerit C. *Cassius Longinus*, eique collega tribuatur *L. Naeuius Surdinus*, quis, quaeso dubitet, quin ex *Surdino* facile fingi potuerit *Quartinus*, maxime quum huc vsque nondum probatum sit, Vinicios *Quartinorum* cognomen tulisse? Maior sane lapidis Gruteriani, quam Pomponii hic merito est auctoritas. Ceterum M. Vinicii, adeoque et Cassii nostri, consulatum incidere in annum V. C. erae Varron. 783. ann. Christi XXX. luculenter ostendit Henr. Dodwell. *in Annal. Vellean.* §. 29. *pag.* 703. *sequ. edit. Burmann.*

§. CCXXVIIII.

Reliquerat *libros X.* aut plures IVRIS CIVILIS, *l.* 70. *pr. D. de vsufr.* NOTAS AD VITELLIVM *l.* 12. §. 27. *D. de instruct. et instrum. leg.* immo et AD VRSEIVM FEROCEM, *l.* 10. §. 5. *D. quib. mod.*

Eius scripta et schola.

mod. vsusfruct. vel vs. amitt. * In Cassium deinde notarunt ARISTO *l.* 17. §. 1. *D. de vsufr.* et PRISCVS IAVOLENVS, *l.* 28. §. 1. *D. de statulib.* At multo maiorem sibi famam peperit propagatis ad posteritatem, et magis magisque perpolitis Masurii Sabini, praeceptoris, principiis. Vnde Masurium et Cassium coniungit Arrian. *Dissert. Epict. IIII. cap.* 3. Fuit enim *Scholae Cassianae princeps et parens*, vti vocatur a Plin. *epist. Lib. VII. epist.* 24. nouamque adeo lucem Ateii Capitonis familiae intulit, quae inde CASSIANORVM nomen adsciuit, *l.* 35. §. 3. *D. de mort. causs. don. l.* 18. *D. de furt.*

* Io. Bertrandum et Eberlinum, qui CASSIVM ad VRSEIVM notasse scribunt, refellere non dubitarunt Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 4. et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 43. Vrseium potius ad Cassium notasse, existimantes. At neminem ignorare arbitramur, quid veteribus ICtis fuerit *notare apud Cassium*. Res eo redit, vter fuerit aetate prior. Prior vero sine dubio fuit *Vrseius Ferox*, cuius ex libris Cassium quaedam retulisse, testatur Vlpianus *l.* 1. §. 10. *D. quar. rer. act. non det.* Quidni ad eundem notas scribere potuerit?

§. CCXXX.

Atilicinus et Cassius Longinus iunior. Obscurioris famae sunt ATILICINVS et CASSIVS LONGINVS alter, cuius meminit Pomponius *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur*, vbi eum equestris ordinis fuisse, et ad praeturam peruenisse, scribit. ATILICINVS Proculo fuit aequalis, quippe quo cum litterarum commercium habuit. *l.* 17. *D. de pact. dotal.* Hinc et Proculi partibus eum fuisse addictum colligunt, maxime quum plerumque vel Proculo, vel Neruae, adsensus dicatur. *l.* 27. *pr. D. de pact. l.* 21. §. 9. *D. de recept. arbitr. l.* 5. §. 1. *D. de seruit. praed. rust. l.* 17. *D. de pecul. l.* 7. *pr. D. de condict. causs. dat. l.* 19. *D. mandati. l.* 19. *D. de legat.* 3. *l.* 16. *D. de liberat. leg. l.* 49. *pr. D. ad leg. Falcid. l.* 4. §. 8. *D. de doli mal. et met. except.*

§. CCXXXI.

Nerua filius. M. COCCEIVS NERVA, Marci illius, quem supra (§. 210.) descripsimus, filius, imp. Neruae pater, ingenii praecocissimi fuit, quippe qui XVII. annorum adolescens, aut non multo maior, de iure responsitauit. * *l.* 1. §. 3. *D. de postul.* Ad hunc procul dubio referendum, quod Tacit. *Annal. Lib. XV. cap.* 72. refert, Cocceium Neruam, praetorem designatum, tanti fuisse apud Neronem, vt supra triumphalem in foro imaginem apud palatium quoque eius effigiem statui iuberet. Libri eius DE VSVCAPIONIBVS laudantur a Papiniano *l.* 47. *D. de adquir. vel amitt. possess.* Saepissime vero, dissimulato librorum titulo, citatur a Caio, Pomponio, Venuleio, Vlpiano, Paullo, et quidem plerumque sub *Neruae filii* nomine. Proculeianum fuisse, et familia argumento est, & ex *l.* 3. §. 17. *D. de adqu. vel amitt. possess.* et *l.* 2. *D. de his, qui not. infam.* colligitur.

* Quum adolescens non *respondisse*, spicati sunt, *responsitare* minus esse, quam respondere, quos exinde Choarua: Guil. Maranus et Mornacius secuti, sed *responsitasse* de iure dicatur Nerfus et Dionys. Gothofredus sunt sequuti.

quuti. Sed quis ignorauit, hoc naturae verborum frequentatiuorum refragari, quae notionem verbi augent potius et intendunt, quam minuunt? Merito ergo hunc virorum doctorum errorem notauit Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 2. Sine et Antistium Labeonem *confidentibus de iure publice* RESPONSITASSE, ait Gellius *Noct. Attic.* Lib. XIII. cap. 10. Et Cicero *de legib. Lib. I. cap. 4. summos fuisse*, ait, *in ciuitate viros, qui ius interpretari populo, et* RESPONSITARE *soliti sint.* Est ergo responsitare potius frequenter et assidue respondere, eoque verbo procul dubio vsus est Vlpianus, ut Neruam adhuc adolescentem iam frequentissime de iure respondisse ostenderet.

§. CCXXXII.

Status iuris Rom. sub Galba, Othone, et Vitellio.

Qui Neroni successerunt, principes tragici ac veluti intercalares, GALBA, OTHO, et VITELLIVS, inter fluctus ciuiles perpetuos et in tanta imperii breuitate vix quidquam noui iuris constituere potuerunt *. De VITELLIO tamen hic non praetermittendum, quod memoriae prodidit Tacit. *Histor. Lib. II. cap. 9. funesti ominis loco acceptum esse, quod, maximum pontificatum adeptus, de caerimoniis publicis XV. Kal. Aug. EDIXISSET, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus.* Ex eo enim patet, pontifices max. etiam sub sacerdotii sui auspicia edicta proposuisse de sacris et caerimoniis (§. 61.) eumque vetustissimum morem ne his quidem temporibus exoleuisse. Iac. Guther. *de iure pontific. Lib. I. cap.* 12. Io. Andr. Bos. *de pontif. max. Rom. cap.* 4. §. 1.

* Idem Tacitus *Histor. Lib. II. cap.* 62. refert, VITELLIVM *praemisso in vrbem edicto, mathematicos omnes Italia expulisse*, vel vti Sueton. *Vitell. cap.* 14. rem refert, *sanxisse, vt intra Kal. Octobres vrbe Italiaque mathematici excederent*: astrologos vero proxima nocte aliud opposuisse edictum: BONVM FACTVM, *vt Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem nusquam esset.* Verumne fuerit illud augurium, illudque comprobarit exitus, disquirit Sauil. *Not. ad Tacit. ibid.* Sane enim Vitellium non ante Octobrem, sed die XXI. Decembr. interiisse, luculenter demonstrauit Anton. Pagi *Critic. Baron. ad ann. Christi* 69. *n.* 8. *pag.* 62. *sequ. Tom.* I.

§. CCXXXIII.

Vespasianus multa iura constituit omnibus inuexit.

Stabilius fuit VESPASIANORVM imperium, qui proinde et plurima noua in iuris prudentiam inuexerunt. Sane enim T. FLAVIVS VESPASIANVS, cui ad hoc fastigium euecto senatus omnem potestatem, qua olim Augustus, Tiberius, et Claudius vsi essent, sanctione honorificentissima decreuerat, Tacit. *Histor. Lib. IIII. cap.* 3. Gruter. *Inscript. pag.* 242. plura constituit EDICTIS, veluti, *ne plures, quam tres, legati a ciuitatibus mitterentur*: *l.* 4. §. 6. *D. de legation.* plura DECREVIT, ceu docet exemplum *l.* 7. *pr. D. de iur. patron.* plura RESCRIPTIS praecepit, veluti ut grammatici, medici, oratores, philosophi, a recipiendis hospitibus immunes essent. *l.* 8. §. 30. *D. de mun. et honor.* *

* Rescriptum Vespasiani ad IIIIviros et decuriones Saborenses, adeoque sanctionem pragmaticam apud se exstare, scribit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. cap.* 3. *pag.* 264. *Tom.* I. *Thes. iur. ciuil.* quae an vnquam lucem viderit, nescio. Non solum autem noua iura constituit hic imperator, sed et vetera pleraque restituit. Auctor enim est Sueton. *Vespas. cap.* 8. cum

8. eum *aerearum tabularum tria millia, quae simul conflagrauerant, restituenda suscepisse, et vndique inuestigatis exemplaribus; instrumentum imperii pulcherrimum et vetustissimum confecit, quo contenta fuerint paene ab exordio vrbis SCta, plebiscita*, et similia.

§. CCXXXIIII.

SCta iis temporibus facta, Pegasianum et Plancianum.

Idem tamen imperator veteris moris, de rebus alicuius momenti ad senatum referendi fuit seruantissimus. Hinc sub eo tot condita SENATVSCONSVLTA, inter quae eminet PEGASIANVM, *Pegaso* et *Pusione* coss. suffectis, incertum, quo anno, factum. Censuerat enim his coss. ordo amplissimus, *vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere liceret.* Vlpian. *Fragment. tit.* 25. §. 14. Paull. *Sent. recept. Lib. IIII. tit.* 3. §. 5. *Inst. de fideic. hered.* Notum quoque est duplex SC. PLANCIANVM *, alterum de fideicommissis, quae personis incapacibus relinquerentur, *l.* 59. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* alterum de agnoscendo partu, *l.* 3. *D. de agnosc. et alend. liber.*

* A quo Plancio haec SCta acceperint nomen, non adeo certum est. Testem tamen habeo Tacitum *Histor. Lib. II. cap.* 63. M. PLANCIVM VARVM praetura functum esse sub Vespasiano. Idem procul dubio postea et consul factus. Proconsulem enim paullo post fuisse docet numus apud Spon. *in Itinerar. sub fin.* in cuius antica caput Vespasiani cum eius nomine, additis litteris ΚΑΑΤΑΙΟΠΟΑ, in postica fasciculus sex spicarum, cum epigraphe: ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Fuit ergo hic M. Plancius Varus procos. Ciliciae sub Vespasiano, ad quam dignitatem tum vix alii, quam viri consulares et praetorii adspirabant. Dio Cass. *Lib. LIII. pag.* 504.

§. CCXXXV.

SC. de aedificiis non diruendis negotiationis caussa, et Vitrasianum.

Memoratur etiam SC. his temporibus, at incertum, quo anno factum, de aedificiis negotiationis caussa non diruendis, marmoribusque non detrahendis, *l.* 2. *C. de aedif. priuat.* quale et sub Nerone factum esse supra (§. 225.) vidimus. Nec minus ad Vespasiani tempora pertinet SC. VITRASIANVM *, *de manumissis et pretio manumissionis*, de quo *l.* 30. §. 6. *D. de fideicommissar. libert.*

* Est et hoc SC. incerti anni, cum Vitrasii consulis siue ordinarii, siue suffecti, sub Vespasiano nusquam vel vola, vel vestigium occurrat. Sub Hadriano celebris fuit *Vitrasius Pollio*, legatus prouinciae Lugdunensis, ad quem rescripsit princeps *l.* 15. §. *fin. D. de excusat. tut.* cuiusque mentio fit apud Reines. *Inscript. Class. VIII. num.* 52. *pag.* 532. Sub Antoninis porro annis 919. et 929. bis consul fuit T. *Vitrasius Pollio*, primum cum Q. Seruilio Pudente, deinde cum M. Flauio Apro. Spon. *Miscell. erud. antiquit. pag.* 33. Gruter. *Inscript. pag.* 30. *num.* 4. *et pag.* 31. *num.* 3. Malual. *Marmor. Felsin. pag.* 253. Quare parum abest; vt hoc SC. potius sub M. Aurelio Antonino imp. quam sub Vespasiano factum, existimem.

§. CCXXXVI.

Alia sub Vespasiano circa ius mutata.

Ab eodem Vespasiano V. consule anno erae Dionysiacae LXXIIII. ultimum lustrum esse conditum, neque vmquam postea censum actum, obseruat Censorin. *de die natal. cap.* 18. Longo tamen interuallo repetitum censum egisse dicitur Decius imperator. Trebell. Pollio *in Valerianis.* Ex quo consequitur, vt et manumissio per censum lustra-

lustralem, de qua Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 40. Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 8. *Fragment. regul. vet. ICt.* §. 17. tunc exoleuerit *. Eumdem Vespasianum de contrahendis litibus consilia agitasse, refert Sueton. *Vespas. cap.* 10.

* Quamuis vero in locum huius manumissionis surrogatus dicatur ritus manumittendi in sacrosanctis ecclesiis: id tamen multo post, saeculo puta quarto, factum est a Constantino M. Sozom. *Hist. eccles. Lib. I. cap.* 9. *l.* 1. *et l.* 2. *C. de his, qui in eccles. manumitt.* Neque enim ad haec tempora pertinent manumissiones factae *ἐπὶ τῷ βώμῳ, super aras*, Graecis vsitatae, Suid. *in voce* Κρήτης, neque ratio libertinorum in templo Feroniae, de qua plura Brisson. *Antiqu. sel. Lib. I. cap.* 11. Taubmann. *ad. Plaut. Amphitr. Act. I. scen.* 1. *extra.* Alex. ab Alexandro *Genial. dier. Lib. IIII. cap.* 20. denique manumissiones *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, in conciliis*, quas Constantino, hanc manumissionem introducenti ob oculos fuisse, existimat Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. Tom. I. pag.* 355.

§. CCXXXVII.

Status iuris sub Tito imp.

Non adeo multa sunt, quae Tito, imperatori, debeat iuris prudentia *, quippe inter ipsa imperii auspicia properantibus fatis exstincto. Notari tamen meretur primum, eum de binis PRAETORIBVS FIDEICOMMISSARIIS vnum detraxisse: *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* deinde eumdem grauissimas leges opposuisse delatoribus, qui tum impune in corpora et bona innocentum grassabantur: Plin. *Panegyr. cap.* 35. Sueton. *in Tit. cap.* 8. Henr. Brenkmann. *de lege-Remm. cap.* 18. *pag.* 1622. tum porro, Titum imp. esse auctorem praecipuum priuilegii, quod militibus testamentum condituris datum est. *l.* 1. *pr. D. de testam. milit.* Denique et constitutionis Titi imp. mentio fit *l.* 1. §. 3. *D. de iure fisci.*

* Immo iacturam haud leuem tunc fecit iuris prudentia, templo Capitolino cum vicinis templis iterum igne, quem terra erupisse ferunt, denuo consumtis. Dio Cass. vel potius Xiphilin. *Lib. LXVI. pag.* 756. Neque enim dubitandum, quin simul incendio illo perierint illa SCta, plebiscita, foedera, quae Vespasianus post prius incendium tanta industria restituit. (§. 233.) Sueton. *Vespas. cap.* 8.

§. CCXXXVIII.

Itemque sub Domitiano.

Sed et T. FLVVIVS DOMITIANVS imp. initio principatus sui non pauca satis praeclare constituit. Ex quibus vt hic pauca veluti per lancem saturam proferamus, ipse Sueton. *in Domit. cap.* 7. eum edixisse, ait, *ne mares castrarentur* *: et sequente *cap.* 8. *vt probrosis feminis nec lecticae vsus, nec ius capiendi legata hereditatesue esset:* porro, quod *cap.* 9. pluribus refert, *vt fiscales calumniae calumniantium poenis reprimerentur: vt rei, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, vniuersi discrimine liberarentur, nec repeterentur, nisi ante annum, eaque occasione, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilii poena esset.* Denique et EDICTI Domitiani, *vt abolitiones ex SCto Turpilliano factae ad seruos, capitalis criminis postulatos, non pertinerent*, mentio fit *l.* 2. §. 1. *D. de custod. et exhib. reor.* quamuis id RESCRIPTVM vocet Paullus *l.* 16. *D. ad SC. Turpill.*

Quam-

* Quamuis hoc a Domitiano non tam amore iusti et aequi, quam odio Titi, fratris; qui semiuiris istis magnopere delectatus fuerat, constitutum esset. Xiphilin. *in Domitian. Lib. LXVII. pag.* 759. Philostrat. *Vit. Apollon. Tyan. VI.* 17. magno tamen omnium cum plausu excepta est illa Domitiani sanctio. Vt enim omittam laudes, quibus ideo principem prosequuntur Martial. *Lib. VI. epigr.* 2. *et Lib. VIIII. epigr.* 7. nec non Ammian. Marcellin. *Lib. XVIII. cap.* 4. eam Domitiani legem ita eleganter describit Papinius Statius *Lib. III. silua* 4.

Nunc frangere sexum,
Atque hominem mutilare, nefas:
gaudetque solis,
Quos genuit, natura videt.

At paullo post, sub Antoninis, iam iterum mos inoleuerat, vt in prouinciis impune exscinderentur mares, modo id Praesidum praeiussu fieret. Iustin. Martyr *Apolog. II. pag.* 71. Hinc tam frequenter in vsum reuocata est haec prohibitio constitutionibus Neruae, Hadriani, Antonini Pii, Constantini M. Leonis Sapientis, vt facile adpareat impares huic vitio leges fuisse. Lindenbrog. *ad Ammian. Marcellin. pag.* 150. *edit. Gronou.*

§. CCXXXVIIII.

SCta sub eo principe facta.

SENATVSCONSVLTA quoque nonnulla sub Domitiano facta commemorantur. Tale est IVNIANVM, quo anno ab V. C. 836. *Domitiano* X. et *Appio Iunio Sabino* coss. cautum est, *vt qui, per domini et serui, aut patroni et liberti collusionem, factum probasset, vt vel seruus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is seruum quidem in potestate ac dominio suo, libertum autem in patronatu suo haberet, l.* 1. *D. de collus. deteg. l.* 2. *C. eod.* vbi hoc SC. vitiose pro *Iuniano Numianum* dicitur, et *l.* 8. *D. de in ius voc.* Sed vti adhuc principem egit haec constituens Domitianus: ita tyrannidem redolet SC. *Asprenate* et *Laterano* coss. anno ab V. C. 846. factum, quo *omnes philosophi vrbe et Italia excesse iussi sunt.* * Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 11.

* Occasionem seuerissimae sanctioni praebuerat Iunius Rusticus, qui Paeti Thraseae et Heluidii Prisci laudes scribens, eos *sanctissimos viros* vocauerat. Adeo iis temporibus et virtutem laudare periculosum fuit. Sueton. *Domit. cap.* 10. Pertinuit id periculum ad plurimos, non modo Romanos, sed et Graecos, veluti Dionem Chrysostomum, qui hanc calamitatem suam commemorat *orat.* 40. Epictetum, Musonium, Demetrium, Peregrinum, in primis vero ad Iunii Rustici propinquos et amicos, quam vere philosophicam familiam breui schemati inclusam dabo ex Reines. *Epist. ad Rupert.* 34. *pag.* 216. *et Epist.* 35. *pag.* 251. sed a nobis hinc inde suppleto. Subiungam etiam alteram Heluidiorum et Paetorum Thrasearum gentem, vt tot vtriusque sexus personae illustres, et incredibilem sapientiae famam consequutae semel simulque oculis obuersentur. Et Iuniorum quidem Rusticorum stemma tale est:

L. IVNIVS MAVRVS, Lar. Aug. Magister, apud Gruter. *Inscript. pag.* 1068. *num.* 8.

Iunius

VXOR I.

= N. = IVNIVS ARVLENVS RVSTICVS, philosophus Stoicus a Domitiano interemtus. Suet. *Domit. cap.* 10.

IVNIVS MAVRICVS exsul sub Domitiano. Plin. *Epist. l.* 5. *et* 14. *III.* 22.

IVNIA soror.

Q. IVNIVS RVSTICVS, cui rhetorem quaerit patruus, Iunius Mauricus. Plin. *Epist. Lib. II. epist.* 15. Cos. anno 872.

Fratres quidam Iunii Rustici, quorum meminit Plin. *Epist. Lib. II. epist.* 15. inter quos fortassis *Iunius Mauricianus*, ICtus, de quo infra §. 309.

Iunia virgo, cui Plinius maritum inuenit. Plin. *Epist. Lib. I. epist.* 14. = Minucius Acilianus Brixiensis, trib. pleb. Praetor et senator. Plin. *Epist. Lib. I. epist.* 14.

IVNIVS RVSTICVS, philosophus Stoicus, Marci Antonini imp. praeceptor, Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 2. Cos. suffectus anno 915. Gruter. *Inscript. pag.* 181. *num.* 3. *praefectus vrbi et amicus imperatorum* vocatur a DD. fratribus *l.* 1. §. 3. *D. de adpellat.* idem vt videtur, qui Iustinum Martyrem capitis damnauit. *Acta S. Iustini philosophi et sociorum eius*, apud Ruinart. *Acta martyr. sel. pag.* 58.

= Vettius Bolanus, legionis ductor. Tacit. *Annal. Lib. II. cap.* 3. rexit Britanniam anno 821. Tac. *Histor. Lib. II. cap.* 65. *Agric. cap.* 8. *et* 16.

M. Vettius Rusticus Bolanus cos. anno 863. Gruter. *Inscript. pag.* 128. *num.* 5. *et pag.* 169. *num.* 7.

VXOR II.

POMPONIA GRATILLA vxor II. Aruleni Rustici, cui vidua nupsit. Relegata a Domitiano Plin. *Epist. Lib. III. epist.* 11.

Assudius Curianus, Gratillae ex priore matrimonio filius, a matre exheredatus, Plinio herede instituto. Plin. *Epist. Lib. V. epist.* 11.

Alteram vero Heluidiorum et Paetorum familiam hoc schemate complectimur;

PAETVS CAECINA, qui cum Scriboniano contra Claudium imp. fecerat. Plin. *Epist. Lib. III. epist.* 10. = ARRIA, virilis animi femina, maritum in exsilium sequuta, cuius facta et mortem miratur Plin. *ibid.*

Filius mira pulcritudine et pari verecundia, qui viuo et simul aegrotante patre decessit. Plin. *Epist. Lib. III. cap.* 16.

Heluidius, qui inuito Vespasiano periit. Suet. *Vespas. cap.* 15.

ARRIA minor ob mariti fatum, mori cupide voluit, et in filiae Fanniae solatium precibus mariti a proposito reuocata. Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 34. = PAETVS THRASEA, a Nerone mori coactus. Tacit. *Annal. Lib. XVI. cap.* 34.

HELVIDIVS PRISCVS a Domitiano interemtus, de quo Tacit. *Agric. cap.* 2. Suet. *Domitian. cap.* 10. Plin. *Epist. Lib. I. epist.* 5. *Lib. VIIII. epist.* 13. = FANNIA nouerca Heluidii. Plin. *Epist. IX.* 13. cum Arria et Gratilla relegata a Domitiano. Plin. *Epist. III.* 11.

HELVIDIVS filius, qui tempore Plinii solus supererat, domumque fulciebat. Plin. *Epist. Lib. IIII. epist.* 21.

Duae filiae, quas ambas vno tempore a partu decessisse, refert Plin. *Epist. Lib. VII. epist.* 21.

§. CCXXXX.

ICti sub Vespasianis, Coelius Sabinus.

Subiungimus more nostro seriem IVRISCONSVLTORVM, qui sub Vespasianis potissimum floruerunt. Horum veluti familiam duxit COELIVS SABINVS, aliis perperam CAECILIVS, qui ab Othone imp. cos. designatus in Kal. Iul. anni ab V. C. 821. eum honorem et volente Vitellio gessit. Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 77. Plurimum potuit sub Vespasiano, *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* eodem die auspicante imperium, quo ipse magistratum inierat. Scripsit *librum* DE EDICTO AEDILIVM CVRVLIVM: Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 2. ex quo et illa, quae *Lib. VII. cap.* 4. de seruis pileatis venum prostantibus ex Coelio Sabino profert, decerpta videntur. Sabinianum eum fuisse, nemo dubitat: immo potius ab hoc ipso demum Coelio Sabino *Sabinianorum* nomen ortum videri, iam supra (§. 206. **) monuimus.

§. CCXXXXI.

Celsus pater.

De CELSO patre, nihil fere memoriae proditum reperimus, quam quod in Ducennii Veri, consulis, consilio fuerit. *l.* 29. *D. de legat.* 2. At quis fuerit ille Ducennius, plerique se scire fatentur iuxta cum igna-

ignarissimis. Et sane ne probabilis quidem videtur coniectura Ant. Augustini, qui libro *de nom. propr. Pandect. cap. 3. pag.* 259. C. Iuuentium Verum cos. vel Guil. Grotii, qui in *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 2. L. Ceionium Commodum; vel denique Abr. Wielingii, qui *in Iurisprud. restituta pag.* 194. L. Ceionium Verum sub eo nomine latitare existimant *. Neque, an quidquam hic Celsus noster scripserit, hodie notum est, quia raro, & non nisi omissa libri inscriptione, citatur in iure nostro, ita tamen, vt eum inter Proculi sectatores fuisse, non obscurum videatur. *l.* 20. *D. de legat.* 2. *l.* 39. *D. mandat.*

* C. Iuuentius Verus cos. fuit anno ab V. C. 887. ad quem vix Celsus pater aetatem produxisse potuit. Reliqui quoque coss. a Grotio et Wielingio laudati Celso patre iuniores videntur. Nos ergo intelligimus DVCENNIVM GEMINVM, consulem, cum Pompeio Paullino suffectum ex Kal. Iul. anni ab V. C. 809. De his consulibus videndi Lydiatus *in Serie summ. magistr. pag.* 62. et Spon. *Miscell. erud. antiquit. pag.* 278. Is sane et Veri cognomen habere potuit. (Vid. *Syllog. l. opusc. Exerc. XIII. pag.* 522. *not. l. edit. Genev.*) De eius praefectura vrbis Tacit. *Histor. Lib. I. cap.* 14.

§. CCXXXXII.

Pegasus.

De PEGASO, ICto celeberrimo, erudite disserit Aegid. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 17. Patrem habuit trierarchum, cuius ex liburnae parasemo, quod Pegasus erat, ipse nomen accepit, vt refert Scholiastes Iuuenalis *ad Satyr. IIII.* vbi et id addit, *eum iuris studiis tantam memoriae gloriam meruisse, vt* LIBER *vulgo, non homo diceretur*: Eumdem porro *omni honore functum esse*, refert, *quum ei prouinciis plurimis praefuerit, et vrbis curam administrarit*. Et sane de eius consulatu testem habemus Iustinianum §. 5. *Instit. de fideic. hered.* de praefectura vrbis Pomponium *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* et Iuuenalem *Sat. IIII. v.* 76. ex quibus testimoniis colligimus, eum semel sub Vespasiano, atque iterum sub Domitiano, vrbi praefuisse.

§. CCXXXXIII.

Eius schola et scripta.

Proculeianos ab eximio hoc ICto PEGASIANORVM nomen adsumsisse, in vulgus notum est, quamuis id vocabulum in iure non occurrat. Videtur tamen ad illud adludere scholiastes Iuuenalis, dum *ibidem* scribit: *hinc est* PEGASIANVM *scilicet* IVS, *quod iurisperitus fuerit* *). Ex eius libris, si quos scripsit, nihil in *Pandectas* relatum est. At citatur tamen passim, talesque eius recensentur sententiae, vt eum cum Labeone, Proculo, Nerua plerumque sensisse, et dissensisse a Sabino, adpareat. *l.* 12. §. 3. *D. de instruct. et instrum. leg. l.* 7. §. 1. *D. de senator. l.* 30. *D. de pecul. l.* 27. *fin. D. de adquir. rer. domin. l.* 2. §. 4. *D. de his, qui not. infam. l.* 116. *D. de verb. signif.*

*) Non praetermittenda hic ingeniosa, at mira tamen Iac. Hasaei sententia, qui in singulari *de Berytensi ICtorum accademia* diatribe, *cap.* 3. §. 5. Pegasi placita iam a Vespasiani temporibus Beryti doceri solita esse, existimat,

mat, idque probat testimonio Iuuenalis *Sat. III. v. 117.*
Ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonii delapsa est pinna caballi.
Quae poetae verba ille hac παραφράσει explicat: *in illa ripa, ad quam Gorgonii caballi pinna, id est, Pegasianus iuris disciplina, quasi pinna pegasi, delapsa est, quia ius ex placitis sectae Pegasianae ibi docebatur.* Sed loqui ibi poetam de Egnatio Celere, Baryti nato, res ipsa docet, caussamque iam perorauit Gottfridus Mascou. *de sectis Sabin. et Proculeian. cap. 3. §. 5. n. 2. pag. 68. seqq.*

§. CCXXXXIIII.

Vrseius Ferox. Circa eadem tempora floruisse, anteriores tamen aetate antecessisse videtur VRSEIVS FEROX, cuius permagnam et sereniorem fuisse famam, vel ex eo colligas, quod eius libros notis illustrarunt C. CASSIVS LONGINVS (§. 229.*) et IVLIANVS. Proculo tamen posterior fuit, cui aliquoties denunciat testimonium. *l. 27. §. 1. D. ad leg. Aquill. l. 11. §. 2. D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* Ipse non modo a Iuliano, sed et a Cassio laudatur, ex eoque manifesto consequitur, vt eum sub Nerone et Vespasianis floruisse dicamus. Proculeianorum sua aetate acerrimus fuisse videtur, dignus quippe visus, in quem stricturas conficerent duo scholae Sabinianae decora, C. Cassius et Saluius Iulianus. *

* Quid scripserit, non minus hodie ignoramus. Opus tamen eius non exiguum fuisse videtur. Quamuis enim *index Florentinus* Iuliani *libros* tantum *quattuor ad Vrseium* recenseat: ipsius tamen *Vrseii Libros X.* laudat Vlpianus apud *Parratorem legum Mos. et Rom. tit. 11. §. 7.*

§. CCXXXXV.

Fufidius. FVFIDIVM, ignotum antehac ICtum, primus ab obliuione vindicauit Iac. Cuiac. *Obs. Lib. I. cap. 9.* in eo tamen falsus, quod illum, libera adhuc republica floruisse existimauit *, quum Atilicinum, Proculo σύγχρονον (§. 230.) laudet, *l. 5. D. de aur. arg. mund. leg.* recte id obseruante Grotio *Vit. ICtor. Lib. II. cap. 4.* Ceterum paucissimis *Pandectes* locis mentio fit huius Fufidii, ex iisque adparet, eum scripsisse libros QVAESTIONVM, quorum secundus laudatur *d. l. 5. D. de aur. arg. mund. leg.* Addantur *l. 25. D. de manumiss. vind. & l. 29. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

* Nec magis solida est Ant. Augustini diuinatio, qui eumdem fuisse hunc Fufidium existimat cum illo L. Fufidio, ad quem M. Scaurum tres libros de vita sua scripsisse, quemque in aliquo patronorum numero fuisse, refert Cicero *in Brut. cap. 29.* Plin. *Histor. nat. Lib. XXX. cap. 1.* Ita Ant. Augustin. *de nom. propr. Pand. pag. 234.* sed eodem Grotii argumento refutandus. Celebris fuit Fufidiorum familia, a qua et *lex Fufidia* nomen habuit. Passim etiam Fufidiorum fit mentio a Cicerone *Orat. in Pison. cap. 35.* Horatio *in Satyris*, et ab aliis.

§. CCXXXXVI.

Plautius. Sed et PLAVTII magnum inter ICtos eorum temporum nomen fuisse, vel ex eo patet, quod ad eius libros certatim notas scripserunt NERATIVS, IAVOLENVS, POMPONIVS, et PAVLLVS. Quum vero ipse CASSIVM et PROCVLVM laudet, *l. 8. D. de aur. arg. mund. leg.*

leg. l. 43. *D. de condit. et demonstr.* et viciſſim laudetur a NERATIO, *l.* 5. *D. de ſeruit. praed. ruſtic.* certiſſimum profecto eſt, eum Veſpaſianorum temporibus vixiſſe. *

* *Plautii* celeberrimi fuerunt ſub Claudio et Nerone Auguſtis, in primis *A. Plautius*, qui primus e conſularibus Britanniae praefuit, Tacit. *Agric. cap.* 14. atque inde ouans rediit. Tac. *Annal. Lib. XIII. cap.* 32. Nec magis notus *Plautius*, qui inter Meſſalinae adulteros nominatus ob patrui, Auli procul dubio, merita id flagitium impune tulit. Tac. *Annal. Lib. XI. cap.* 30. *et* 36. Denique omnium celeberrimus *Plautius Lateranus*, qui a Nerone mori iuſſus, incredibile conſtantis atque intrepidi animi ſpecimen edidit, laudatus ideo a Tacito *Annal. Lib. XV. cap.* 60. et Arriano *Diſſ. Epictet. Lib. I. cap.* 1. Poſtremo huic liberi fuerunt ſuperſtites, quos ne complecti quidem patri ante mortem licuit, teſte Tacito *ibid.* Sed eodem tempore et alii celebrantur Plautii, quorum adcuratius ſtemma confecit Reineſ. *Epiſtol. ad Rupert.* 32. *pag.* 106. Veroſimile itaque eſt, virorum iſtorum aliquem Plautii noſtri vel parentem, vel fratrem fuiſſe.

§. CCXXXXVII.

Proximus eſt OCTAVENVS, de quo, quod dicamus, fere nihil eſt, niſi quod illi a Valente, Terentio Clemente, Pomponio, Marciano, et Vlpiano ſaepius teſtimonium denuncietur *, adeoque et ipſe ſub Veſpaſianis videatur floruiſſe. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. Idem ſuſpicatur, eum quaedam AD EDICTVM, nec non AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, in quibus illuſtrandis eo tempore ICti praecipue exercebant ingenia, ſcripſiſſe. Quod poſterius ex *l.* 32. *D. qui et a quib. manumiſſ. liber. non fiunt*, colligit: quamuis rem non adeo expeditam eſſe, obſeruauerim *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Lib. I. cap.* 1. §. 4. Octauenus

* Laudatur hic ICtus etiam ab auctore *fragmenti veteris ICti*, quod a Petro Pithoeo primum in lucem protractum, poſtea Ant. Schultingius *Iuris prudentiae veteri et anteiuſtinianeae* inſeruit, et quidem §. 12. *pag.* 806. vbi tamen falſo vocatur OCTAVIANVS. Ceterum ex hoc ipſo fragmento ſaltem id dicimus, quod Octauenus hic meminerit legis Iuniae Norbanae, adeoque eum poſt Tiberii tempora vixiſſe oporteat.

§. CCXXXXVIII.

Denique et VALERII SEVERI ſcripta memorantur a Iuliano, *l.* 30. *D. de negot. geſt.* adeoque ſatis certum eſt, ICtum iſtum ante Hadriani imperium vixiſſe: Fallitur tamen, niſi ipſe fallor, Guil. Grotius *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. dum Hadrianum imp. *l.* 3. §. 2. *D. de teſtam.* ad hunc ipſum VALERIVM reſcripſiſſe, exiſtimat, quum ibi non *Seuerus*, ſed *Verus Valerius* nominetur, et nominis iſtius emendatio nullius fide MSCti nitatur. Neque magis certum eſt, quod idem coniicit Grotius, *Valerium* hunc eſſe illum *Seuerum*, quocum Plinio Secundo litterarum commercium interceſſerit: Vid. *Lib. III. epiſt.* 6. 18. *Lib. IIII. epiſt.* 28. *Lib. V. epiſt.* 1. *Lib. VI. epiſt.* 27. *et Lib. VIIII. epiſt.* 22. Nam nec Valerii nomen extat apud Plinium, et, ſi extaret, illud eo tempore tam multis commune fuit, vt nihil certi ex eo colligere liceret *. Valerius Seuerus.

* Plu-

* Plures eo tempore passim occurrunt VALERII SEVERI, et quidem milites aeque, ac aliorum ordinum homines, maxime in marmoribus. Vid. Gruter. *Inscript. pag.* 49. *num.* 4. *pag.* 566. *num.* 6. *pag.* 745. *num.* 6. *pag.* 1077. *num.* 7. Periculosum ergo est, in tanta *Valeriorum* et *Seuerorum* ὁμωνυμίᾳ certi quid statuere velle.

§. CCXXXXVIIII.

Status iuris sub Nerua. Haec de Vespasianorum temporibus. Eorum successor M. Cocceivs Nerva, imp. ICti filius et nepos, licet breue habuerit imperium, non tamen omnino nihil ad augendam iuris prudentiam contulit. Primus praetorem fiscalem, qui inter fiscum et priuatos ius diceret, constituit, *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* et militibus, testamenta condituris, plenissimam indulgentiam dedit *. *l.* 1. *D. de testam. milit.* Primus deinde quaestionem de statu defunctorum, elapso a morte quinquennio, vetuit: *l.* 4. *pr. D. ne de statu def.* quin et primus ciuitatibus omnibus, quae sub imperio Romano essent, legata relinqui permisit. Vlpian. *Fragm. tit.* 24. §. 8. Legis quoque agrariae a D. Nerua latae mentio fit *l.* 1. *D. de term. mot.* sed ea procul dubio SC. tantum fuit. Vlr. Obrecht. *de legib. agrar.* cap. 5.

* Idem et filiisfamilias militantibus testandi dedit facultatem, de iis saltim rebus, quas in expeditione adquisiuissent. Id Traianus postea firmauit, militibusque, licet in patria potestate constitutis, eam potestatem ratam esse voluit. Hadrianus vero eam vlterius produxit etiam ad veteranos. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam.*

§. CCL.

Status iuris sub Traiano. SC. Rubrianum. Neruae successit Traianvs, *Optimi* cognomine ornatus a senatu, laudatusque tantum non ab omnibus eorum temporum scriptoribus. Quemadmodum ciuilitatis laudem in omnibus rebus adfectauit: ita seruauit id institutum, vt de praecipuis ad senatum referret. Argumento sunt tot SCta, sub eius imperio condita, inter quae primum est Rvbrianvm, factum anno 853. *Rubrio Gallo* et *C. Coelio Hispone* coss. ex Kal. Iul. suffectis. Grut. *Inscript. pag.* 464. *num.* 1. quo cautum, *vt, si hi, a quibus libertatem praestari oporteret, euocati a praetore non adessent, neque vlla iusta caussa impedirentur; praetor vero, caussa cognita, libertatem deberi, pronunciasset, eorum status eodem iure seruaretur, ac si directo manumissi essent.* * Ita enim hoc SC. describitur *l.* 26. §. 7. *sequ. l.* 28. *l.* 33. *l.* 36. *D. de fideic. libert. l.* 3. §. 3. *D. de legit. tut.*

* In *l.* 29. *D. de fideic. libert.* Paullus addit: *si quis, posteaquam in ea caussa esse coeperit, vt ex fideicommisso manumitti deberet, alienatus sit, eum quidem, cuius interim seruus fuerit, manumittere cogi, neque hic distingui, iusta, an non iusta caussa absit: omnino enim* LIBERTATEM EI SERVARI. Postrema verba Merill. *Obseru. Lib. VI. cap.* 24. mutanda censet, rescribendumque putat: *omnimodo enim et* LIBERTVS *seruatur*, Qua in re sequitur Graecos, praefatus, *non temere quidem se adsentiri Graecorum interpretationibus, quibus vis Latini sermonis, et potissimum verborum ad ius ciuile pertinentium haud satis perspecta fuerit: hic tamen rationem facere, vt eorum lectionem tueri malit*. At quae ratio? Quod in ipso SCto ita exprimitur: *eorum status seruatur*, id Paullus reddit: *ei libertas seruatur*. Et quis ita loquitur *libertus seruatur?*

§. CCLI.

§. CCLII.

Paullo post prodiit SC. DASVMIANVM. Illud enim non multo post *Rubrianum* et *Articuleianum* factum esse, obseruauit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. cap.* 4. *pag.* 325. Eo cautum *, vt si ex iusta *etiam caussa abesset, qui fideicommissariam libertatem deberet, et hoc pronunciatum esset, perinde libertas competeret, atque, si, vt oportebat, ex caussa fideicommissi manumissus esset.* Ita Marcianus *l.* 51. §. 4. *D. de fideic. liber.* Itemque, *vt, quemcumque fideicommissam libertatem ex quacumque caussa debere pronunciatum fuerit, et eum ex iusta caussa abesse contigerit, perinde haberetur, atque si, vt oportebat, ex caussa fideicommissi manumissus esset. l.* 51. §. 6. *D. eod.* SC. Dasumianum.

* Noui ergo quid Rubriano adstructum est per SC. Dasumianum. Ex Rubriano enim ob verba: *si adesse noluerit*, quaerebatur, quaenam sit caussa absentiae, instane, an iniusta? si iniusta, seruus manumittebatur, sed fiduciarius iura patronatus amittebat. Sin iusta, libertas seruabatur, sed iura patronatus salua esse iubebat SC. Dasumianum. *L.* 36. *D. de fideic. libert.* Merill. *Obseru. Lib. VI. cap.* 24.

§. CCLIII.

SC. ARTICVLEIANO *Traiano IIII.* et *Sex. Articuleio Paeto* coss. anno ab v. c. 851. facto cautum est, *vt quacumque in prouincia libertas seruo relicta testamento fuerit, praeses eius prouinciae ea de re cognosceret, quamuis heres non esset eius prouinciae. l.* 51. §. 7. *D. de fideicomm. libert.* Inter SCta procul dubio etiam fuit illa LEX VECTIBVLICI, quae libertis municipiorum iura ciuitatis concessit, *l. vlt. C. de seru. reip. manum.* quamque ego iisdem temporibus conditam fuisse arbitror *. SC. Articuleianum, et lex Vectibulici.

* Municipia olim seruos manumittere plane non poterant, quia actio legis non poterat per procuratorem explicari. *l.* 123. *pr. D. de regul. iur. l.* 3. *C. de vind. lib.* Postea id permissum quidem est municipiis: at manumissi non ciues erant, sed ex lege Aelia Sentia tantum in libertate morari dicebantur. Vipian. *Fragm. tit.* 1. §. 12. Quum porro lex Iunia Norbana omnes, quos lex Aelia Sentia in libertate morari patiebatur, Latinae conditionis esse iuberet: idem ius et municipiorum libertis competebat: donec hac lege Vectibulici participes fierent iurium ciuitatis. Quamobrem parum solida est Hermanni Noordkerkii obseruatio, legem illam Vectibulici multo antiquiorem esse temporibus Tiberii, existimantis. *Disquis. de lege Petron. pag.* 98. Potius hanc legem, quodcumque verum eius nomen fuerit, latam esse oportet inter annum 771. quo lex Iunia Norbana lata est, et annum v. c. 881. quo lex Vectibulici etiam ad prouincias prolata est. *l. vlt. C. de seru. reip. manumitt.* Quum vero monstrum nominis sit illud Vectibulici, anno vero v. c. 863. consul cum *L. Calpurnio Pisone* fuerit VETTIVS RVSTICVS BOLANVS, Gruter. *Inscript. pag.* 66. *num.* 2. *pag.* 128. *num.* 5. *et pag.* 163. *num.* 7. non dubitamus, quin scribendum sit: *lex Vettia* vel *Vestia Bolani*.

§. CCLIIII.

Denique SCti, quo *actio subsidiaria aduersus magistratus municipales, tutorum nominatores, si administrationis tempore non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiussoris solidum exigi possit, indemnitatis nomine intro-* SC. *vidatum* de actione subsidiaria aduersus magistratus

troducta est, mentio fit in constitutione DIOCLETIANI et MAXIMIANI AVG. *l.* 5. *C. de magistr. conuen.* Id vero auctore Traiano factum esse, et hac ipsa lege exprimitur, et aliunde satis notum est.

§. CCLV.

Rescripta et edicta Traiani.

Multa tamen etiam Traianus non adhibito in consilium senatu, RESCRIPTIS atque EDICTIS constituit. Et illorum quidem quam plurima memorantur in iure nostro: magis tamen notatu digna sunt EDICTA, veluti *de iis, qui se ipsi detulerint, parte quadam eorum, quae contra leges ceperint, donandis.* * *l.* 13. *pr.* §. 1. *l.* 15. *l.* 16. *l.* 42. *l.* 49. *D. de iur. fisc. l.* 5. §. 10. *D. de his, quae vt indign.* Quod BENEFICIVM D. TRAIANI, quod in iure nostro vocatur, caput tantum fuisse videtur EDICTI seuerissimi, *quo delatorum calumnias compescuit.* Plin. *Panegyr. cap.* 34. Sed et de stateris adulterinis, *l.* 6. §. 1. *D. de extr. cogn.* nec non de pollicitationibus, quaedam edixisse dicitur princeps optimus. *l.* 14. *D. de pollicitat.*

* Haec sui ipsius delatio ad caduca, quae fiscus capiebat, pertinebat. Quum enim lege Iulia caducaria praemia constituta essent delatoribus, quae deinde Nero ad quartas redegerat, Suet. *Ner. cap.* 10. id vero lucrum plures moueret, vt per calumniam bona quaeuis, tamquam caduca deferrent: demum delatorum calumniis ita intercessit Traianus, vt ipsis possessoribus liceret se ipsos deferre, illudque tunc lucrum maius caperent, quam alioquin delatoribus vel quadruplatoribus cedebat, nempe dimidiam. *l.* 13. *pr. D. de iur. fisc.* Quumque alias non omnibus promiscue liceret deferre: se ipsos deferre poterant etiam feminae, et adolescentuli in pupillari aetate constituti, *l.* 16. *D. eod.* modo se ipsos tantum deferrent, non alios. Id enim tam rigide exigebant interpretes, vt ne illud quidem, quod seruo fuerat relictum, a domino deferri paterentur. *l.* 13. §. 8. *D. eod.* Dubitatum etiam legimus, an heres eius, qui contra leges ceperit, deferre posset. At DD. Fratres rescripserunt, ita demum heredes deferre posse, si is, cui plus iusto datum fuerit, constituerit se ipsum deferre, idque morte praeuentus non potuerit. *l.* 13. §. 5. 6. *D. eod.* Plura, quae ad hoc edictum illustrandum pertinent, obseruauimus *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. III. cap.* 10. §. 3.

§. CCLVI.

ICti sub Nerua et Traiano. P. Iuuentius Celsus.

Proximum est, vt et IVRISCONSVLTORVM, qui sub Nerua et Traiano potissimum floruerunt, breuem recensum instituamus. Horum princeps, P. IVVENTIVS CELSVS, qui ex rationibus nostris anno ab v. c. 820. aut non multo post natus *, & puer artibus elegantioribus ac philosophia Stoica probe excultus, iuris prudentiam a patre edoctus est, *l.* 20. *D. de legat.* 3. cuius exemplo et Proculi sectae se addixit. Cuiac. *Obs. Lib. VIII. cap.* 35. *Lib. XXVII. cap.* 12. Mascou. *de sect. Sabin. et Proculei. cap.* 3. §. 7. *pag.* 75. Attamen veritatis, quam sectae, studiosior, aliquando a Labeone, Nerua, ipsoque patre dissensit, *l.* 25. *pr. D. de furt. l.* 29. *D. de euict. l.* 3. §. 6. *D. de condict. causs. dat.* ac Sabino et Cassio adsentiri non dubitauit, *l.* 65. §. 3. *D. de legat.* 3. *l.* 6. *D. de condict. ob turp. causs.*

* Ra-

* Rationes autem ita subducimus. Iuuentii nostri praetura incidit in aetatem Plinii. Et hic quidem refert, eum praetorem grauiter altercatum esse cum Licinio Nepote, de sententia, quam hic in caussa Pomponii Rufi Vareni, repetundarum a Bithynis postulati, in senatu dixerat. Plin. *Lib. VI. epist.* 5. Ea caussa acta est anno ab v. c. 853. quia tunc *M. Acilium Rufum*, cos. designatum, primum sententiam dixisse, alibi obseruat Plin. *Lib. V. epist.* 20. qui eo anno consul suffectus fuit. Quumque ex eodem constet Plinio, *Lib. VII. epist.* 16. leges annarias tunc adhuc religiose fuisse obseruatas, annum vero praeturae legitimum eo tempore fuisse aetatis trigesimum quartum, nemo ignoret: natum esse oportet Celsum nostrum circa annum 820. vel aliquot annis prius aut posterius, quia aliquot anni aliquando vel iure liberorum, vel beneficio principis remittebantur. Tacit. *Annal. Lib. II. cap.* 51. *l.* 2. D. *de minorib. Comment. nost. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 6. §. 3.

§. CCLVII.

Cum Nerua, qui imperio postea potitus est, aliisque coniurauerat aduersus Domitianum, sed nominatus inter coniuratos, eo periculo se callide expediuerat, dum persuaserat principi, se expertem esse eius criminis, et liberaliter ei fuerat pollicitus, se ipsum indagatum sceleris socios, argumentaque coniurationis perspicua suggesturum: ita vero dimissus, rem ad caedem vsque Domitiani extraxerat. Dio Cass. *Lib. LXVII. pag.* 765. Philostr. *Vit. Apoll. Tyan. VII.* 3. Hoc facinus illi, caeso Domitiano, magno procul dubio adiumento fuit ad honores consequendos. Praeturam enim anno ab v. c. 854. Plin. *Lib. VI. epist.* 5. consulatum priorem nescio quo anno; posteriorem anno ab v. c. 881. collega Marcello gessit: Noris. *de epoch. Syro-Macedon. pag.* 498. quin et inter Hadriani amicos et consiliarios fuit, Spartian. *Hadrian. cap.* 18. extremis eius annis, vti videtur, fato functus *. Vid. *Syllog. I. opusc. Exerc.* XIII. *pag.* 529. *edit. nou.* Eius honores.

* Non ergo confundendus est noster cum filio eiusdem nominis, qui sub Antoninis imperatoribus tamquam PROMAGISTER, libello liberti August. quo petierat, vt coniugis et filii reliquias feretro fictili liceret inferre III. Non. Nouembres *Antio*, et *Opimiano* coss. ordinariis, id est, anno ab v. c. 907. subscripsit. Is libellus cum P. IVVENTII PROMAGISTRI subscriptione integer exstat in lapide apud Gruter. *pag.* 687. eumque perperam ad ICtum nostrum retulerunt Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 3. et Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 20. quum eum, tunc fere nonagenarium, promagistri negotiosissimum officium obiisse, ne verosimile quidem videatur.

§. CCLVIII.

Scripsit EPISTOLAS, quarum *librum XI.* laudat Vlpianus *l.* 3. *D. de minorib.* nec non QVAESTIONVM *libros* saltim XVIIII. *. *l.* 1. *D. de reb. cred. l.* 9. §. 2. *D. de hered. instit. l.* 19. *D. de aur. arg. leg.* itemque COMMENTARIOS, quorum *liber VII.* laudatur *l.* 19. §. 6. *D. de aur. arg. mund.* Ex nullo vero alio opere Tribonianus fragmenta in *Pandectas* retulit, quam ex DIGESTORVM *libris XXXVIIII.* vt illi soli ea aetate adhuc exstitisse videantur. Somniare dixeris Bern. Rutil. *in Vit. ICtor. cap.* 58. qui Celso nostro INSTITVTIONVM *libros XX.* nec non IAN. VINC. GRAVINAM, qui ei librum DE VSVCAPIONIBVS tribuit, in eoque illum crebram patris sui mentionem fa- Nec non scripta.

cere addit, quum CELSI *patris* vix semel ac iterum mentio fiat in toto *Pandectarum* opere.

* Quales fuerint scripti a veteribus ICtis QVAESTIONVM libri, (tales enim praeter nostrum et Africanus, Maecianus, Ceruidius Scaeuola, Tertullianus, Papinianus, Callistratus, et Iulius Paulfus reliquerunt), ostenderunt Iac. Cuiac. *in Tract. I. in African.* Bynkershoek. *ad l. lecta cap. 1. pag. 6.* et Eu. Otto *in Papinian. cap. 12. pag. 361. seqq. edit. nou.* Nimirum quum saepe ICti inciderent in problemata iuris: ea, publice tractata, editis quaestionum libris euulgabant ICti, rationesque, cur eae decisiones placuerint, diligentius atque exquisitius, quam in *Responsorum libris*, explicabant. Ex quo simul intelligitur, cur inscriptionem QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM operi suo praefixerit Ceruidius Scaeuola.

§. CCLVIIII.

Neratius Priscus. Σύγχρονος P. Iuuentio Celso, eiusque condiscipulus, (siquidem vterque Celso patri in schola Proculeiana successit, *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.*) fuit NERATIVS PRISCVS *, vir omnibus probatissimus, et doctrina moribusque eximius, et tam carus Traiano imperatori, vt hic non modo consiliis eius vteretur, *l. 5. D. si a parent. quis manumiss.* sed et ex multorum sententia eum successorem designaret, eique aliquando diceret: *commendo tibi prouincias, si quid mihi fatale acciderit.* Spartian. *Hadr. cap.* 4. Consul fuit, collega Annio Vero, *l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar.* posteaque & inter Hadriani consiliarios locum habuit, Spartian. *Hadr. cap.* 18. sub quo principe et decessisse illum, opinor.

* In veteris ICti *fragmento Regularum* apud Schulting. vocatur NERATIVS PROCLVS. Sed aut *Priscus* rescribendum, quod Pithoeo placuit, aut et PROCVLVS, quod ego malim. Ceterum, quum apud Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 28. PRISCVS dicatur inter Proculeianos et Cassianos in quaestione de pubertate ita se medium gessisse, vt amborum sententiam coniungeret, incertum est, nosterne sit intelligendus, an Iauolenus, quia vterque et eiusdem cognominis, et maximae auctoritatis fuerit. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 604.

§. CCLX.

Eius scripta. Plura reliquerat ingenii monimenta, veluti REGVLARVM *libros XV.* MEMBRANARVM *libros VII.* RESPONSORVM *libros III.* quae sola in Indice Florentino memorantur. At praeter haec opera laudantur etiam *libri* EPISTOLARVM *, *l. 12. §. 35. D. de instr. et instr. leg. libri* EX PLAVTIO, *l. 5. D. de seru. praed. rustic. libri* DE NVPTIIS apud Gell. *Noct. Attic. Lib. IIII. cap.* 4. Edidit etiam NOTAS AD FVLCINIVM, *l. 43. D. de mort. causs. donat.* quemadmodum et AD NERATIVM *Notarum libros IIII.* reliquerat Iulius Paullus. Ceterum et Neratium fecisse cum Proculo, vel schola, ex qua prodierat, satis superque demonstrat Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. 3. §. 8. pag. 76.*

* Videtur Neratius litterarum commercium habuisse cum viris, qui tum floruerunt, doctissimis. Nam et Plinius, quas *Lib. II. epist. 13. Lib. VI. epist. 8. et Lib. VII. epist. 8. et 19.* ad Priscum dedit, epistolas, ad Neratium no-

nostrum videtur scripsisse. At EPISTOLAE tamen, quales Proculus, Celsus, Neratius, aliique veteres ICti reliquerunt, non tam ad familiares amoris caussa et de negotiis priuatis, quam ad ICtos de quaestionibus iuris dubiis, vel ad consulentes, de speciebus ambiguis scriptae videntur.

§. CCLXI.

Iisdem temporibus inclaruit T. ARISTO, aequalis Celso et Neratio, quibuscum illi et litterarum commercium intercessit. *l.* 19. §. 2. *D. locat. l.* 3. *pr. D. quae res pign. vel hypoth. l.* 29. §. 1. *D. de statulib.* Ex quo tamen non consequitur, eum Proculeianis esse adnumerandum, a Pegasi sane opinione suam seiungit sententiam *l.* 19. *D. de hered. instit.* Amicissimus fuit Plinio, qui *Lib. I. epist.* 22. illi, pertinaciter aegrotanti, tamquam iam mortuo, tanta facundia parentauit, vt simul veram perfecti ICti imaginem, qualem illo tempore animo concipiebant viri docti, ob oculos ponere voluisse videatur *. T. Aristo.

* Primo generatim laudat eius grauitatem, sanctitatem, doctrinam, quam tam variam ac diffusam esse ait, *vt sibi non vnus homo, sed litterae ipsae, omnesque bonae artes, in uno homine summum periculum adire videantur.* Deinde inprimis eruditionis iuridicae ambitum ita circumscribit: *quam peritus ille et priuati iuris et publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est.* Laudat porro eius in sermonibus fidem, in respondendo circumspectam tarditatem, frugalitatem in victu et cultu, magnitudinem animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referat. Denique eum tamquam genuinum Stoae alumnum describit, quamuis enim non sectetur gymnasia et porticus, nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectet, sed in toga negotiisque versetur, multosque aduocatione, plures consilio iuuet: non tamen facile quemquam eorum, qui sapientiae studium habitu corporis praeferant, huic viro videri comparandum. Addit, nemini illum castitate, pietate, iustitia, fortitudine, patientia in morbo pertinacissimo, etiam primo loco cedere: quin iam sibi paucisque aliis aperuisse eum consilium, sponte exeundi e vita; si medici morbum insuperabilem esse renunciarent. Quae omnia argumento sunt, Aristonem more saeculi philosophiam Stoicam cum adcuratiore iuris peritia, omniumque bonarum artium scientia coniunxisse.

§. CCLXII.

De scriptis Aristonis, quod mireris, nihil Plinius. Ex iure tamen nostro patet, illum notasse AD CASSIVM, *l.* 7. §. 3. *l.* 17. *D. de vsufr.* AD SABINVM, *l.* 6. *D. de vsu et habitat. l.* 3. §. 1. *D. de penu leg.* nec non AD LIBROS POSTERIORVM LABEONIS, *l.* 17. §. *vlt. D. de hered. instit.* Librum porro illius DE FVRTIS laudat Gell. *Noct. Att. Lib. XI. cap.* 18. et collectionem DECRETORVM FRONTINIANORVM * Pomponius *l. vlt. D. de adquir. vel amitt. possess.* An et RESPONSA et DIGESTA scripserit, (quod ex *l.* 8. §. 5. *D. si seru. vind.* et *l.* 44. *D. solut. matr.* colligunt) alii viderint. Eius scripta.

* At quid DECRETA FRONTINIANA? Id hodie nemo facile dixerit. Videtur tamen quidam vel *Frontinus*, vel *Fronto* in iuris dictione sua multa seuere ac prudenter decreuisse, quae deinde digna visa Aristoni, quae animaduersionibus suis illustraret. Ceterum ad *Frontonem* quemdam rescribit

Traianus, *l.* 5. *D. de poen.* et M. Cornelius consul fuit anno ab v. c. 852. idem fortassis cum priore. Sed alii quoque circa eadem tempora passim memorantur *Frontones* et *Frontini*, quos recenset Ant. Augustin. *de nom. propr. Pand. pag.* 272. 353. 361. 377. 379. et 399.

§. CCLXIII.

Arrianus, Seruilius, Viuianus.

Minus celebres ea aetate fuerunt ARRIANVS SERVILIVS, et VIVIANVS. ARRIANVM Guil. Grotius eumdem esse suspicatur cum illo, ad quem literas dedit Plin. *Lib. I. epist.* 2. *Lib. II. epist.* 11. et 12. *Lib. IIII. epist.* 8. et alibi. Sed id incertum. Certius multo est, eum scripsisse libros DE INTERDICTIS, qui citantur *l.* 11. *D. de hered. petit.* SERVILIVS a solo Terentio Clemente laudatur, et ita quidem, vt eum Proculo posteriorem fuisse adpareat *, *l.* 10. *D. de iur. patron.* Postremus VIVIANVS laudatur subinde a Ceruidio Scaevola, Pomponio, Vlpiano, Paullo, ipse aliquando Sabino, Cassio, et Proculo testimonium denunciat. Quaedam scripsisse videtur AD EDICTVM, ad quae deinde notas edidit Pomponius. *l.* 17. §. 4. *D. commodat.*

* Ex quo manifestum est, quamuis pro *Seruilius* plerique codices MSSC. habeant SERVIVS, hic tamen intelligi non posse Seruium Sulpicium. Quandoquidem tamen ICti veteres raro citarunt obscurioris famae homines: elegans profecto est coniectura Bynkersh. *Obseru. Lib. V. cap.* 23. pro *Seruilio* rescribentis *Ceruidium*, puta Scaeuolam, et qui per aetatem et laudari a Terentio Clemente, et laudare Proculum potuit.

§. CCLXIIII.

Minucius Natalis.

De serenioris famae ICti, MINVCII NATALIS, aetate eo minus dubitare licet, quod ad eum rescripsisse dicitur Traianus, *l.* 9. *D. de fer.* Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap.* 2. et ita quidem, vt eum tunc Proconsulem fuisse adpareat, quippe cuius de officio ibi Vlpianus disseruit. Firmant hanc coniecturam marmora apud Gruter. *Inscript. pag.* 49. *num.* 6. et *pag.* 59. *num.* 8. in quorum altero PROCOS. LIBYAE; in altero LEG. AVG. PRO PR. PROVINCIAE MOESIAE INFERIORIS vocatur *. Sabinianum se suo indicio prodit. *l.* 61. *D. de rei vindic. l.* 22. *D. de reb. cred. l.* 6. §. 4. *D. de act. emt.* Cuiac. *Obseru. Lib. X. cap.* 4. Quid vero scripserit, hodie fere nescimus, quamuis eius libros, qualescumque fuerint, notis a IVLIANO illustratos esse, satis constet.

* Ex eadem inscriptione patet, Minucio huic praenomen fuisse *Lucio*, itemque eum et consulem, et Augurem fuisse. Tota enim ita se habet:

HERCVLI
TIBVRT. VICT.
ET CETERIS DIS
PRAET. † TIBVRT.
L. MINVCIVS
COS. AVGVR
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE
MOESIAE INFER.
VOTIS SVSCE.

† Apianus rectius legit PENAT.

In quem vero annum hic consulatus L. Minucii Natalis incidat, nullo indicio deprehenditur.

§. CCLXV.

§. CCLXV.

An et Caluisius?

CALVISII cuiusdam nomen ICtorum catalogo ideo inseruit Guil. Grot. *in Vit. ICt. Lib. II. cap.* 5. quod Plinius Secundus *Lib. V. epist.* 7. Caluisio cuidam dat negotium, decurionum Comensium ordinem docendi, quid iustum sit circa legata municipio relicta. Sed quum talia, vt non dicam cuius ex triuio, saltim mediocriter prudenti diligentique homini mandare potuerit Plinius: ego ideo Comensem illum non dixerim ICtum, multo minus illum auctorem crediderim ACTIONIS CALVISIANAE, cuius originem ad eumdem referre non dubitet Grotius.

§. CCLXVI.

Laelius Felix.

Meliore iure hic locum damus LAELIO FELICI, quem ad Hadriani tempora vitam produxisse, patet ex *l.* 3. *D. si pars hered. pet.* Scripsit AD MVCIVM, ex quo libro quaedam decerpsit Gell. *Noct. Attic. Lib. XV. cap.* 27. Nec aliunde esse videntur, quae ab eo *αὐτόπτῃ* scripta esse dicuntur de muliere Alexandrina, quinque simul vtero gestante. * *d. l.* 3. *D. si pars hered. pet.* Ceterum Laelii Felicis testimonio vtitur etiam Paullus *l.* 43. *D. de hered. pet.*

* Eamdem historiam narrant etiam Caius *l.* 7. *D. de reb. dub.* Iulianus *l.* 36. *D. de solut.* Phlegon *de mirabilib. cap.* 29. et Iul. Capitolin. *in Antonin. Pii cap.* 9. sed circumstantiis tam discrepantibus, vt ambiguus haereas, idemne, an diuersa narrent. Totam rem cum cura expenderunt Rigalt. *ad Tertullian. de anima, cap.* 17. *pag.* 81. et Car. Hannibal Fabrott. *Exercit. select. II.*

§. CCLXVII.

Sub Hadriano maximam mutationem subiit iuris prudentia.

Progredimur ad HADRIANVM imperatorem, sub quo nouam veluti faciem induisse iuris-prudentiam, inter omnes constat. Iuuenis adhuc, quum futuri sollicitus Virgilianas sortes consuleret, sors exiit illud *Aeneid. Lib. VI. v.* 809.

Quis procul ille autem, ramis insignis oliuae
Sacra ferens? Nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui LEGIBVS vrbem
Fundabit.

teste Spartiano *in Hadr. cap.* 2. Quam sortem probante euentu, Hadrianus in publica priuataque vita Numam imitari studuit. Aurel. Victor *Schotti cap.* 14. Dodwell. *Praelect. Cambden. VII. pag.* 295. *sequ.* In eo tamen praecipue se ad Numae exemplum composuit, quod legibus armauit rem publicam, quod in eo laudant Latin. Pacat. *Panegyr. cap* 11. Oros. *Lib. VII. cap.* 13. Io. Sarisber. *Nugar. curial. Lib. VIII. cap.* 19.

§. CCLXVIII.

Eius auspiciis conditum edictum perpetuum.

Sic primus condi iussit *Edictum perpetuum*, quum praetores ad eius vsque tempora edicto singulis fere annis noui quid adstruxissent *. Falluntur enim, qui Paullo Diacono credentes, eam laudem Antonino

no Pio tribuunt, vel decepti loco Aurelii Victoris male sano, Didio Iuliano edictum illud deberi, contendunt, veluti Garro *ad l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* et Hugo Grot. *Flor. sparſ. pag.* 87. Hadriani vero auſpiciis hunc laborem ſuſcepiſſe SALVIVM IVLIANVM, teſtantur Eutrop. *Lib. VIII. cap.* 9. et ipſe Iuſtinianus *Conſtit. Graec. de confirmat. Digeſtor.* §. 18.

* Duraſſe hunc morem ad Hadriani vſque tempora, probari poteſt luculento loco *l. 6. §. 1. D. de cuſtod. et exhibit. reor.* vbi Marcianus: *ſed et caput*, inquit, *mandatorum exſtat, quo D. Pius, quum prouinciae Aſiae praeerat*, SVB EDICTO PROPOSVIT, *vt irenarchae, quum adprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis et receptatoribus*, cetera. Aſiam autem eum multo ante, quam ab Hadriano eſſet adoptatus, rexiſſe ſub Hadriano, patet ex Iulio Capitol. *in Anton. Pio cap.* 3. Si ergo proconſ. tunc adhuc edicta ſub auſpicia magiſtratus ſui propoſuerunt: quidni et praetores?

§. CCLXVIIII.

Quo anno? Auctor eſt Euſebius *Chron. n.* 2147. illo Abraami anno in lucem prodiiſſe edictum perpetuum: qui annus inchoandus eſt a Kal. Octobr. anni ab v. c. 884. erae Dionyſ. 130. Quum vero ſequente demum anno Hadrianus celebrarit quindecennalia, quae vt plurimum illuſtrium legum promulgatione ſolebant celebrari: Ant. Pagi *Diſſert. hypat. Part. II. cap.* 4. §. 3. *pag.* 123. genuina publicati edicti perpetui era incidere videtur in annum erae Dionyſ. 131. quo *Ser. Octauius Laenas Pontianus* et *M. Anton. Rufinus* conſules fuerunt *. Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 127. Tillemont. *Hiſtor. imp. Tom. II. part.* 11. *pag.* 408.

* Errant ergo tum Baronius, qui edictum anno erae Dionyſ. 134. conditum putat, tum Ren. Botteréau, qui *in Hadriano legiſlator. pag.* 189. eram illam figit in anno 132. Nos Euſebium eo tutius ſequi videmur, quo certius conſtat, illum antiquiora pleraque ex Iulio Africano exſcripſiſſe: hunc vero chronologiam ſuam perduxiſſe ad annum erae Dionyſ. 221. adeoque nonaginta circiter annis abfuiſſe ab illis Hadriani temporibus. Georg. Syncell. *Chron. pag.* 212. Quis vero dubitet, quin tum adhuc exſtiterint incorrupta monimenta, ex quibus genuinum publicati edicti perpetui annum eruere potuerit ſcriptor diligentiſſimus?

§. CCLXX.

Auctor eius Saluius Iulianus. Compoſuiſſe illud edictum perpetuum SALVIVM IVLIANVM, ICtum celeberrimum, non modo Euſebius, et Eutropius obſeruant, verum etiam Iuſtinianus *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* et *l.* 10. *C. de condict. indeb.* vbi *ſummae auctoritatis homo*, et EDICTI PERPETVI ORDINATOR adpellatur. Quum vero et alii tum floruerint ICti eximii, et Iuliano nihilo deteriores: ratio, cur ei potiſſimum id negotii datum ſit, vix alia reddi poterit, quam quod ille tum praeturam geſſerit, eumque adeo in edicto ſcribendo laborare oportuerit *. Idque et inde colligimus, quod Iulianus tralatitiis edictis quaedam noua, veluti *de coniungendis cum emancipato liberis eius*, addidit: *l.* 3. *D. de coniung. cum emanc. liber.* quod non niſi a praetore fieri potuiſſe, nouimus.

* Ipſe

* Ipse sane praeturae suae meminit Iulianus *l. 5. D. de manum. vind.* ea vero per temporis rationes commode incidere potuit in hunc annum erae Dionys. 131. Vix credibile est, sine aemulatione ICtorum, maxime diuersae sectae deditorum, huic Sabiniano dari id negotium potuisse, quum facile praeuidere potuerint illi, hominem pleraque sectae suae placita edicto inserturum. Commodissima vero ratio componendi hanc litem haec esse potuit, vt negotium id delegaretur ei, qui esset praetor in hunc annum designatus. Ita enim non erat quod Proculeiani irascerentur Iuliano, qui forte magis, quam principis iudicio, Spartam hanc nactus videbatur.

§. CCLXXI.

Quamuis autem in eo potissimum constiterit Saluii Iuliani opera, vt ius, *quod varie inconditeque a praetoribus adhuc promebatur*, IN ORDINEM COMPONERET, Aurel. Victor *Schotti cap.* 19. ORDINARET, *l.* 10. *C. de condict. indeb.* et CONDERET *: *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* certissimum tamen est, eumdem non modo quaedam de nouo adiecisse, *l.* 3. *D. de coniung. cum emanc. liber.* vel omisisse, tamquam quae vsu iam exoleuissent, e. g. edictum *de fluminibus retandis* apud Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 17. sed et aliqua immutasse, vti obseruatur ab edicti interpretibus, *l.* 1. *D. quod met. causs. l.* 1. §. 1. *D. commod.* quin et sectae suae seruientem, quaedam Sabinianorum placita edicto inseruisse, et Proculeianorum hoc modo explosisse sententias. *l.* 1, §. 1. *D. de iur. fisci*. In quonam constiterit Iuliani opera?

* Talia veterum praetorum edicta eo tempore adhuc permulta exstabant, maxime in bibliotheca Vlpia, in qua integrum eorum volumen reperit euoluitque paullo post Gellius, ceu ipse testatur *Lib. XI. cap.* 17. Bibliotheca ista, collecta a Traiano, et legum, SCtorum, edictorum, aliorumque monimentorum collectionibus refertissima, initio in templo Traiani stetit, et postea in thermas Diocletianas translata est, vbi se illa visum esse testatur Vopisc. *in Tacit. cap.* 8. *et in Aurelian. cap.* 8. Vocatam esse hanc bibliothecam *Athenaica*, ex codice Palatino Trebellii Pollionis *de triginta tyrann. cap.* 10. obseruat Claud. Salmas. *ad Script. histor. Aug. pag.* 302. Sed impressi plerique ibi pro *athenaicis* habent *archiua*.

§. CCLXXII.

Ceterum hoc edictum adeo se probauit et Hadriano imp. et senatui, vt ille ORATIONE, quae in *constit. Graeca de confirm. Digest.* §. 18. λόγῳ τῷ Ἀδριανῷ ἐν κοινῷ διεξελθὼν ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, *oratio Hadriani in senatu veteris Romae recitata* adpellatur *; hic SCto in principis sententiam facto istud ratum haberet. Id SC. postea ipsi edicto loco praefationis praemissum esse, ex *l.* 102. *pr. D. de reg. iur.* luculenter coniecit Iac. Gothofred. *in Commentar. ad reg. iur. pag.* 1009. *edit. nou.* Edictum perpetuum oratione principis et SCto firmatum.

* Ex hac oratione principis integram sententiam seruauit Iustinianus *d.* §. 18. quae et ab ipso Iuliano repetitur in *l.* 12. *D. de legib.* et ab eo aliisque quoque ICtis, mutatis tantum verbis saepe inculcata est, in *l.* 10. *l.* 11. et *l.* 13. *D. eod.* puta, vt *si quid praeter id, quod iam ordinatum sit, emerserit, conueniens sit, eos, qui in magistratu sint, conari decidere, et remedium imponere secundum eorum, quae iam ordinata sint, consequentiam.*

§. CCLXXIII.

§. CCLXXIII.

Eius auctoritas.

Ex eo ergo tempore edictum illud, a Iuliano conditum, pro norma iuris dictionis perpetua atque immutabili fuit, dictumque est κατ' ἐξοχὴν EDICTVM, *l.* 1. *l.* 2. *C. de success. ediet.* EDICTVM PERPETVVM, Gell. *Noct. Attic. Lib. X. cap.* 15. Eutrop. *VIII* 9. ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ, Paean. *Metaphr. Eutrop. ibid.* EDICTI FORMA, *l.* 8. *D. de calumn.* EDICTI PERPETVI AVCTORITAS, *l.* 3. *de edendo.* IVRIS AVCTORITAS, *l.* 10. *C. Gregor. de pact.* EDICTI PERPETVI CVRSVS, *l.* 6. *C. qui admitt. ad honor. possess.* FORMA CONSTITVTA, *l.* 1. *C. de inoffic. test.* FORMA IVRIS, *l.* 1. *C. si tut. vel curat. interu.* FORMA IVRISDICTIONIS *, *l.* 5. §. 1. *D. vt leg. it. seu. fideic. causs.* IVRISDICTIONIS TENOR, *l.* 5. *C. de his, quae vi metusue causs.* PERPETVA IVRISDICTIO, *l.* 2. *C. de restit. mil.* INDVBITATVM IVS, *l.* 2. *C. Gregor. de pact. et transact.* IVRIS RATIO, *l.* 7. *G. Greg. eod.* LEX, *l.* 1. §. 2. *D. vnde cogn.* denique IVS PERPETVVM, *l.* 5. *C. de adpellat.*

* Apud Graecos primum inualuerat, vt edicta qualiacumque τύποι vocarentur, hinc τύπος ἐπαρχικὸς *edictum praefectorum*, *Nou. CLXVI. in rubr. Nou. CLXVII. sequ. in rubric.* θεῖος τύπος, *edictum imperatoris*, *Nou. CLXII.* γενικὸς τύπος, *generale edictum*. Id postea Latino FORMA expresserunt, cui adeo adsueuerunt ICti, vt *formas* vel τύπους vocarent quaslibet leges, sanctiones, constitutiones principum, *l.* 31. *D. de administr.* *l.* 10. *D. de pact.* *l.* 14. *D. de alim. et cibar. leg.* *l.* 1. *C. de iure domin.* *l.* 23. *C. de excusat.* Sic et *formam oraculi sui* principes vocabant constitutionem suam, *l.* 1. *C. Th. de rei vind.* Immo et sententia ad legis vel constitutionis praescriptum lata *forma* vocabatur, *L.* 11. *C. Th. de bon. proscript.* et τύπον ἐπιτιθέναι τύπον est *sententiam definitiuam ferre*; *Nou. XXIIII. cap.* 5.

§. CCLXXIIII.

Edicto ne principes quidem derogare audebant.

Immo tantum abest, vt magistratibus, publicato iam edicto perpetuo, noui quid edictis suis sancire liceret, vt ipsi principes passim profiterentur, non esse vlli permittendum, iuris dictionis formam mutare, vel iuri publico derogare, *l.* 13. *C. de testam.* absurdum esse, edicti perpetui negligi formam, *l.* 2. *C. de condit. insert.* eoque nomine frustra supplicari, *l.* 2. *C. de success. edict.* et temere desiderari poenam, edicto perpetuo praestitutam, vlli concedi, *l.* 2. *C. de in ius voc.* frustra denique remedium a principe quaeri, vbi supplicem ratio iuris impugnet. *l.* 1. *C. Hermog. de calumn.* Si quid etiam ex edicto perpetuo fuerat decretum: ne adpellationi quidem locum fuisse, docet Paullus *l.* 7. §. 1. *D. de adpellat. recip. vel non* *. Donell. *Commentar. Lib. XXVIII. cap.* 6. *pag.* 437.

* Id tamen cum grano salis accipiendum. Potest in edicto ad factum adplicando non minus labi iudex, ac in adplicando alio iure. Et si ex tali adplicatione peruersa oritur grauamen, ob quod superiorem iudicem adpellare licet: quidni etiam, si edictum perperam facto sit adplicatum? Verba Paulli *d. l.* 7. §. 1. *D. de adpellat. recip. vel non.* ita se habent: *item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur*, ID QVO MINVS FIAT, *non permittitur adpellare*. Sensus ergo est, si quis adpellatione sua impedire velit, quo minus secundum edictum decernatur, eo fortassis obtentu, quod illud edicti caput exoleuerit, eius non recipiendam esse adpellationem, quum perpetua sit atque indubia edicti auctoritas.

§. CCLXXV.

§. CCLXXV.

Edictum prouinciale idem cum vrbano.

Memoratur etiam in iure nostro EDICTVM PROVINCIALE perpetuum, quod Henr. Dodwelius ab eodem Hadriano; Ezech. Sphanhemius sub Antonino quodam conditum putat. Sed illud vere cum praetorio vnum idemque fuit, idque nomen tulit in prouinciis, quum in vrbe *praetorium*, *vrbanum*, itemque *vrbicum* adpellaretur *. Sane et seriem vel ordinem eumdem fuisse in edictis vrbano et prouinciali, obseruauit Iac. Gothofredus *in serie edicti perp.* et Caius, qui edictum prouinciale luculento commentario illustrauit, promiscue vtitur formulis: AIT PROCOS. et AIT PRAETOR. *l. 4. D. quod quisque iur. l. 1. §. 2. D. quod cuiusc. vniuers. nom.*

* Quum iam libera re publica praesides pleraque edicti vrbani capita in sua edicta prouincialia transferrent (§. 80. *): ad quid opus fuisset singulari edicto prouinciali sub imperatoribus? Accedit, quod Aristides *Orat. in Romam pag. 395. edit. Guil. Canteri*, quum paullo ante *pag. 390.* meminisset θεσμῶν καὶ τάξεων ἀρίστων ἅπασιν ἐπισταθέντων, *legum et* ORDINIS PERPETVI *omnibus traditi*, statim pergit: οὐδὲ γὰρ δεῖ νῦν περιήγησιν γῆς γράφειν, οὐδ' ὡς ἕκαστοι χρῶνται νόμοις ἀπαριθμεῖν. ἀλλ' ὑμεῖς ἅπασι περιηγηταὶ κοινοὶ γεγόνατε, ἀναπετάσαντες ἁπάσας τῆς οἰκουμένης τὰς πύλας καὶ παρασχόντες ἐξουσίαν αὐτόπτας πάντων τοὺς θέλοντας γίγνεσθαι, ΝΟΜΟΥΣ ΚΟΙΝΟΥΣ ἅπασι τάξαντες: *nulla nunc terrae descriptione opus est, nec singulorum leges recensere quidquam attinet, postquam vos communes omnium orbis exploratores exstitistis, totiusque terrae portis apertis, vnicuique, quod vellet inspiciendi facultatem dedistis*, COMMVNES*que* OMNIBVS LEGES *tulistis*. Qui νόμοι ἅπασι κοινοὶ non alii sunt, quam edictum perpetuum, prouinciis cum urbe commune, ceu ipse haec verba accepit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap. 7. pag. 285.* Recte ergo Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag. 117.* scribit: *edicto perpetuo omnes ciuitates Romanae vrbis leges sequi iussae sunt*: quamuis vir doctissimus, dum istud edictum et hodie exstare, existimat, illa opinione sua omnino fallatur.

§. CCLXXVI.

Qui restituere conati sint edictum perpetuum?

Quum vero praeclarus ille Romanae iuris prudentiae fundus temporum iniuria iam pridem perierit: de restituendo illo iam inde a renatis litteris cogitarunt viri doctissimi, quamuis non eodem omnes successu. EGVINARIVS BARO *in manualibus iuris*, nec ordinis, a Iuliano obseruati, vllam rationem habuit, et, iudice Iac. Gothofredo *in Manual. iur. pag. 1258. edit. nou. sciens saepe ea edicta confinxit, quae numquam fuerunt, sed quae sunt ex ICtorum placitis, moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam nouis principum constitutionibus*. Maiore religione edicti perpetui reliquias collegit GVIL. RANCHINVS, quamuis et ipse non ad genuinum, qui praetori placuerat, ordinem, sed secundum seriem titulorum Pandectarum, capita edicti disposuerit.

§. CCLXXVII.

Qui eiusdem oeconomiam vel ordinem ostenderint?

Quandoquidem tamen haud parum interest studiosi iuris, ordinem seriemque edicti perpetui non ignotum esse: primum HVB. GIPHANIVS *in Oeconomia iuris* illum non infeliciter ostendit: deinde et PETR. PITENIVS, IC. Florentinus, scripsit librum *de oeconomia edicti perpetui*, mihi adhuc nondum visum, at laudatum Io. Alb. Fabricio

Biblioth. Lat. Vol. III. pag. 783. Denique omnium industriam superauit Iac. Gothofredus, edita, et *Quatuor fontibus iuris ciuilis* inserta tabula, quam *seriem edicti perpetui* inscripsit *.

* At hi omnes tamen spicilegium satis magnum reliquerunt aliorum industriae. Nos ipsi in schedis habemus EDICTVM PERPETVVM, multorum annorum adfectum magis, quam perfectum opus, in quo tria potissimum nobis proposuimus: *primum*, vt historiam edictorum et edicti perpetui demus quam adcuratissimam: *alterum*, vt ipsum edictum non modo ordini atque integritati suae, quoad eius fieri potest, restituamus, sed et omnia probationibus luculentissimis firmemus: *tertium*, vt fragmenta veterum ICtorum, qui edictum perpetuum commentariis suis illustrarunt, omnia suis quaeque locis aptemus, eoque modo genuinam eorum speciem in clarissima luce collocemus. Vtinam demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem, iuris prudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis accessurum. Sed haec Deo curae erunt. †

† *Prodiit postea iste* Heineccii *labor an.* 1738. *qui huiusce Editioni Tomo* VIII. *locum habebit.*

§. CCLXXVIII.

Quam mutationem edictum perpetuum in iuris prudentiae studio attulerit?

Neque hic praetermittendum videtur, edictum perpetuum in ipso etiam iuris studio mutationem haud exiguam attulisse. Quum enim antea a legibus XII. tabularum auspicarentur iuris prudentiam: iam eam ab edicto exordiebantur, si credimus Gothofredo *in Man. iur.* quod tamen iam Ciceronis temporibus fieri coepisse, iam supra a nobis obseruatum est (§. 74. *). Deinde quum antea in libris Sabini, aliorumque ICtorum illustrandis potissimum exercerent ingenium: ex eo tempore ad edictum plerique scripserunt, eiusque ordinem in operibus suis tantum non omnibus sunt sequuti *. Hub. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 120. Eu. Otto *in Papiniano cap.* 12. §. 7. *pag.* 410. *edit. nou.*

* Sunt, qui et sectas, condito edicto perpetuo, paullatim interiisse existimant. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 7. Sed id non adeo liquido probatur. Quaedam Iulianum ex Sabinianorum sententia edixisse, ipsi supra (§. 271.) ex *l.* 1. §. 1. *D. de iur. fisci* ostendimus. Sed pauciora haec fortassis fuerunt, quam vt inde sectis immineret periculum. Et fuerunt sane etiam post Hadriani tempora ICti, alterutri sectae addictiores: adeoque probabilius est, principum interpretationibus ac decisionibus paullatim factum esse, vt ICti secum inuicem in gratiam redirent.

§. CCLXXVIIII.

An et Aedilitium edictum perpetuum extiterit?

Iisdem temporibus etiam EDICTVM AEDILITIVM perpetuum conditum esse, suspicatur Henr. Dodwellus, sed sine auctore: nec admodum probabilis est haec viri doctissimi diuinatio. Primo enim quaedam edicti aedilitii capita translata fuerant in edictum perpetuum. *Const. tanta*, §. 5. *de confirm. Digest. Const. omnem reip.* §. 4. *ad Antecess.* Cur vero, quaeso, id factum fuisset, si singulare exstitisset, aut ex Hadriani sententia conficiendum fuisset edictum Aedilitium perpetuum? * Deinde iam eo tempore euiluerat aedilium curulium iuris dictio, vt de eorum officio nec titulus singularis exstet in *Pandectis*, nec liber singularis ICti vllius exstiterit, quum tamen de multo minoribus magistratibus iustis libris egerint. Papiniani enim librum

ἀστυνο-

ἀστυνομικῶν ad aediles municipales pertinuisse, obseruauit Eu. Otto *in Papinian. cap.* 12. §. 5. *pag.* 398. *seqq. edit. nou.*

* Pleraque veteris edicti aedilitii capita, (quorum supra (§. *77. seqq.*) quaedam ex antiquitatis parietinis eruimus, iam illo tempore ab vsu recesserant. Tria vero, quae adhuc in foro vsum aliquem habebant, (§. *76.*), tanti non visa sunt, vt inde nouum systema vel edictum aedilitium perpetuum contexeret, sed ea edicto praetorio inseri iussit. Hinc quamuis insequentis saeculi scriptores, CAIVS, VLPIANVS, et PAVLLVS *binos* quisque *libros* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM scripserint: in iis tamen non alia, quam quae in *Pandectis* memorantur, capita interpretati sunt, vt facile adpareat, eos non tam ad singulare aliquod edictum aedilitium perpetuum, quam ad titulum edicti perpetui *de aedilitio edicto*, qui inter postremos edicti erat, scripsisse. Eu. Otto *de tutel. viar. Lib. III. cap.* 2. *pag.* 429.

§. CCLXXX.

In eo etiam noui quid inuexit Hadrianus, quod primus ille FISCO ADVOCATVM dedit. Spartian. *Hadrian. cap.* 20. Idem ICtis pristinam libertatem de iure respondendi restituit. Qua de re Pomponius: *optimus*, inquit, *princeps*, *Hadrianus*, *quum ab eo viri praetorii peterent*, *vt sibi liceret respondere*, *rescripsit iis: hoc non* PETI, sed PRAESTARI *solere* *, *et ideo*, *si quis fiduciam sui haberet*, *delectari se*, *populo ad respondendum se praepararet. l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* Advocatus fisci institutus, restitutaque ICtis facultas de iure respondendi.

* Ex verbis patet, iam paullo ante Hadrianum paullatim exoleuisse illud Augusti institutum, de quo supra (§. 178. *seqq.*) plura diximus. At ex interuallo tamen illud multo post Hadrianum in vsum coepisse reuocari, patet exemplo Innocentii, ICti, apud Eunapium *in vita Chrisanthi pag.* 286. qui respondendi de iure facultatem a principe impetrasse dicitur. A. Seueri imp. temporibus id fieri iterum coepisse, suspicatur Henr. Dodwellus *Praelect. Cambden. VIIII.* §. 11. *pag.* 350.

§. CCLXXXI.

Frequentius etiam multo, quam antea, CONSTITVTIONIBVS noua iura dabat Hadrianus. Quum enim ante eum pleraque principum edicta vel SCtis firmarentur, veluti edictum Augusti de intercessionibus mulierum, *l.* 2. *D. ad SC. Velleian.* Tiberii, de iis, qui sibi legatum ipsi adscripserint, Petr. Faber *Semestr. Lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Claudii de nauiculariis apud Sueton. *Claud. cap.* 18. *sequ.* & 3. §. 3. *D. de iur. immunit. l.* 3. *D. de vacat. et excus. mun.* iuncta *l.* 3. §. 8. *D. de incend. ruin. naufr.* vel ea, quae decreuerat senatus, principum edictis confirmarentur et publicarentur: Tacit. *Annal. Lib. VI. cap.* 12. Symmach. *Lib. X. epist.* 21. Maran. *Paratitl. Pandect. Lib. I. tit.* 3. *pag.* 59. *edit. nou.* Ant. Dadin. Alteserra *Recitat. quotid. pag.* 182. et Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. cap.* 6. *pag.* 113. ab Hadriani temporibus principes, nullo adhibito colore, quidquid collibitum, edictis suis constituere coeperunt *. Quid circa constitutiones innouatum?

* Hadrianus id eo faciebat frequentius, quo rarius toto fere imperii sui tempore Romae erat, quippe per vniuersum terrarum orbem peregrinatus. Spartian. *Hadr. cap.* 12. Hinc et rarius consulebat senatum, et suo pleraque arbitrio rescriptis constituebat, adeo, vt ab eius potissimum temporibus in-

crebuisse videatur paroemia. ἐκεῖ τε ma est, vbi imperator est. Herodian. ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ: Ro- Histor. Lib. I. cap. 6.

§. CCLXXXII.

Noua iura ab Hadriano constituta.

Itaque Hadrianus non modo, vt vtamur verbis Tertulliani *Apologet. cap.* 4. quotidie *totam illam veterem ac squallentem siluam legum nouis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncabat, caedebatque*: sed et noua constituebat iura, veluti de adquisitione thesauri, Spartian. *Hadr. cap.* 18. §. 39. *Inst. de rer. diuis.* de bonis damnatorum, Spartian. *ibid. et l.* 2. *l.* 6. *l.* 7. §. 2. *D. de bon. damnat.* de alimentis legatis, *l.* 14. *D. de alim. et cib. leg.* Em Merill. *Obs. Lib. III. cap.* 16. de tempore luctus, Gell. *Noct. Attic. Lib. III. cap.* 16. de beneficio diuisionis inter plures confideiussores *, *l.* 26. *sequ. D. de fideiuss.* de muliere vulgari et quaestuaria a milite herede non instituenda, *l.* 41. §. 1. *D. de test. mil.* de iis, qui testari aliquem prohibuerint, hereditate a fisco priuandis, *l.* 1. *pr. D. si quis aliqu. test. proh.* de possessione ventri danda, *l.* 3. §. 3. *D. de ventr. in poss. mitt.* de funeribus et sepulcris, *l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. viol.* de poena perpetui carceris non iroganda, *l.* 35. *D. de poen.* de iis, qui spadones, vel thlibias faciunt, puniendis, *l.* 4. §. 2. *l.* 5. *D. ad legem Cornel. de sicar.* de parricidiis, *l.* 9. *pr. D. ad leg. Pompei. de parricid.* de termino moto, *l.* 2. *D. de term. mot.* aliisque iuris capitibus, de quibus accuratius Ren. Bottereau *in Hadriano legislatore*.

* Hoc ius epistola D. Hadriani inuectum esse, satis patet ex §. 4. *Inst. de fideiuss. l.* 26. *D. eod. et l. vlt. C. de constit. pec.* Vix autem prodierat illa epistola, quum in edictum perpetuum referretur a Iuliano: Paull. *Sentent. recept. Lib. I. tit.* 20. §. 1. vt mirum non sit, beneficium hoc diuisionis ex edicto repeti a Paullo, quod alioquin ex epistola Hadriani profectum dicitur. Miramur ergo, Cuiacium eius auctorem facere Antoninum Pium, quum fieri non possit, vt ab Antonino sit, quod iam in edicto perpetuo locum inuenit. Neque Cuiacio suffragatur *l.* 49. §. 1. *D. de fideiuss* vbi Antoninus non ius nouum constituit; sed iam constitutum certae speciei adplicat.

§. CCLXXXIII.

Eius decreta, interloquutiones, edicta.

Sed et DECRETORUM Hadriani passim fit mentio: *l.* 28. *D. de inoffic. test. l.* 23. §. 2. *D. de liberal. causs.* et INTERLOQVVTIONES eiusdem plures complectitur Dosithei, grammatici Graeci, elegans *Sententiarum et Epistolarum* libellus, editus a Melch. Goldasto, ac deinde ab Ant. Schultingio *Iuris prudentiae veteri anteiustinianeae* insertus *pag.* 855. *sequ.* EDICTA denique notanda sunt complura, veluti illud, quod singulari constitutione aboleuit Iustinianus *l.* 3. *C. de edict. D. Hadr. toll.* de quo adcurate Iac. Cuiacius *in Paratitl. Cod. h. t.* nec non de direptione nauium, *l.* 7. *D. de incend. ruin. naufr.* et de poena eorum, qui relegati vel ante tempus redierint, vel excesserint insula, vel deportati euaserint *: *l.* 28. §. 13. *D. de poen.* denique de masculorum feminarumque lauacris separandis. Spartian. *Hadrian. cap.* 18.

De-

* Deportati in insulam fuerant sufpecti de imperio Laberius Maximus et Frugi Crassus. Et quamuis Hadrianus primis statim imperii diebus per epistolas esset admonitus a Tatiano vt homines occideret: tantum tamen erat clementiae studium, vt neutrum eorum laederet. Crassum tamen postea egressum insula, Caesaris procurator, dubium an iussu domini, occiderat. Spartian. *Hadr. cap.* 5. Id occasionem dedisse huic edicto, quo relegatus, si insula excesserit, deportari, deportatus capitis damnari iubetur, conicit Ren. Bottereau *in Hadriano legislat. pag.* 138. qui hoc edictum anno ab v. c. 870. *T. Vipsanio* et *Apronianо* coss. prodiisse existimat. Vbi obiter monemus, coss. eo anno non fuisse *T. Vipsanium et Apronianum*, sed *T. Vipsanium Apronianum* et *Quinctium Nigrum*. Gruter. *Inscript. pag.* 578. *num.* 1. *pag.* 1008. *num.* 7. et *pag.* 1009. *num.* 2.

§. CCLXXXIIII.

Neque tamen nulla sub Hadriano facta sunt SENATVSCONSVLTA. Vt enim iam non dicam de illo, quo anno v. c. 885. edictum perpetuum firmatum esse, monuimus (§. 272.): passim commemorantur et alia, veluti factum anno v. c. 879. *Neratio Fusco* et *Annio Vero* coss. de eo, qui seruum castrandum dederit, *l. 6. D. ad leg. Cornel. de sicar.* nec non aliud de agnoscendo partu: *l. 3. §. 1. D. de agnosc. et al. liber.* itemque de legatis vel fideicommissis ciuitatibus relictis, Vlpian. *Fragm. tit.* 24. §. 28. quod non videtur ab Aproniano diuersum *: Schulting. *Iuris prud. vet. anteiustin. pag.* 635. porro de fideicommisso quod seruo cum libertate relinquitur: *l. 83. D. de hered. instit.* de adpellatione a senatu non recipienda: *l. 1. §. 2. D. a quib. adpell. non lic.* denique de parte dimidia, iis, qui se ipsi detulissent, ex beneficio Traiani relinquenda. *l. 15. §. 1. D. de iur. fisci.* SCta sub Hadriano facta.

* Sub Hadriano prodiisse hoc SC. vel inde patet, quod eius meminit habuit Iulianus. *l.* 28. *pr. D. ad SC. Trebell.* Et tunc sub Hadriano, anno ab. v. c. 869. consul fuit *T. Vipsanius Apronianus*, cuius paullo ante (§. 283. *) meminimus, & anno 875. *C. Ventidius Apronianus*, cuius mentio fit in lapidibus apud Gruter. *Inscript. pag.* 1079. *num.* 10. et. *pag.* 1082. *num.* 16. a quorum alterutro nomen accipere potuit hoc SC. Nulla saltim ratio est, cur cum τῷ πάνυ Cuiacio, *in Not. ad Vlpian. Fragm. tit.* 24. §. 28. et *in Iulianum ad l.* 27. *D. ad SC. Trebell.* SC. Apronianum sub Marco demum imp. conditum esse, existimare malimus, quum *l.* 20. *D. de reb. dub.* non de legatis ciuitatibus, sed collegiis relictis agat, et his a Marco imp. concedi potuerit, quod antea ab Hadriano concessum fuerat municipiis.

§. CCLXXXV.

At omnium celeberrima sunt quatuor SCta, quorum duo IVVENTIANA anno ab v. c. 881. *P. Iuuentio Celso* et *Iulio Balbo* coss. facta sunt, alterum de accessionibus fructibusque hereditatis, et pecunia, ex hereditate redacta, quod integrum supersit *l.* 20. §. 6. *sequ. l.* 25. *D. de hered. petit.* * alterum, quo lex Vectibulici, de qua supra (§. 253.), ad prouincias est prolata, memoratur *l. vlt. C. de seru. reipubl. manumitt.* Nec praetermittendum SC. quo vxoris, ciuis Romanae partus ciuis Rom. declaratur, apud Vlpian. *Fragm. tit.* 3. §. 8. et TERTVLLIANVM, quo mater ingenua, trium; libertina quatuor liberorum ius habens, ad bona liberorum ab intestato vocatur. Id enim sub Hadriano factum esse, docemur §. 2. *Inst. de SC. Tertull.* SCta Iuuentiana, *ἀνώνυμον* et Tertullianum.

Cu-

Cuiacii vero dissentientis sententiam discussimus in *Antiquit. Roman. Lib. III. tit.* 3.

* Quantiuis pretii est hoc SC. ex quo adparet, qualis eorum forma sub Hadriano fuerit. Sed quaedam tamen in mendo videntur cubare, in primis imperatoris titulus, quem iam emendare coepit Petrus Pithoeus *Aduerf. Lib. II. cap.* 15. De consulibus, qui ibi memorantur, vid. Henr. Noris. *de Epoch. Syro-Maced. pag.* 498. Libelli, seu orationis huic SC. praemissae pars quaedam superest in *l.* 22. et *l.* 40. *D. de hered. petit.* Denique notandum, IVNII RVSTICI, cuius distracta hereditas huic SC. occasionem dedit, integrum stemma genealogicum nos supra (§. 239. *) exhibuisse. Non potest autem ille esse alius, quam aliquis fratrum, quibus rhetorem inuenire rogatus est Plinius *Lib. II. epist.* 15.

§. CCLXXXVI.

ICti sub Hadriano, Priscus Iauolenus.

Progredimur ad illorum temporum IVRISCONSVLTOS, inter quos PRISCVS IAVOLENVS * primum omnino locum meretur. Fuit Coelii Sabini auditor, dignusque in schola Sabiniana successor, *l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* quamuis et ipse aliquando a Cassio Longino dissentiat, *l.* 54. *D. de condit. et demonstr. l.* 39. *D. de statulib.* et aliquando Labeonis et Proculi sententiam amplectatur. *l.* 57. *D. loc. cond. l.* 32. *D. de pact. dot. l.* 90. *D. de furt. l.* 11. *D. de hered. instit. l.* 64. *D. de donat. inter vir. et vxor. l.* 62. *D. de adquir. vel amitt. hered.* Quanto cum plausu docuerit iuris prudentiam, vel id argumento est, quod tria eximia ingenia, Saluii Iuliani, Aburni Valentis, et Tusciani, se ab illo potissimum formata perpolitaque esse gloriarentur. *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.*

* *Prisci* cognomen noster cum Neratiis, Fulciniis, Flauiis, Aeliis, Corneliis, Lutoriis, aliisque commune habuit. Non aeque obuium *Iauolenorum*, vel, vt in Pandectis Florentinis scribitur, *Iabolenorum* nomen. Aliquorum tamen notitiam ex Gruteri *Inscript. pag.* 48. *num.* 9. *pag.* 53. *num.* 15. *pag.* 790. *num* 1. et Thom. Reines. *Inscript. Class. XIIII. num* 104. habemus. Dicti sunt, si quid video, ἀπὸ τοῦ ἰαύειν, *a commorando*, vnde ἰαυθμὸς, *diuersorium*, *commoratio*. Potuit inde formari *Iauolus*, et ex hoc *Iauolenus*, quemadmodum ex Octauio *Octauenus*.

§. CCLXXXVII.

Eius honores et aetas.

Honores eum gessisse, dubitare non patitur Iulianus, qui eum ex praetura Africam et Syriam rexisse, et seruos apud se ipsum manumisisse testatur *l.* 5. *D. de manum. vind.* Postea et de iure respondit diligentissime, et consiliis adhibitus est, ipso fatente Plinio *Lib. VI. epist.* 15. qui tamen illi iniquior, eum senem dubiae sanitatis fuisse, scribit *. Decessit vel extremis Traiani, vel primis Hadriani annis. Saltim non verosimile est, eum ad Antonini tempora vitam produxisse, quod tamen decepti loco corrupto Iulii Capitolini *in Antonino Pio cap* 12. colligunt Rutil. *Vit. ICtor. cap.* 57. §. 1. Bertrand. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 9. §. 1. et Rupertus *ad Enchirid. Pomp. Lib. III. cap.* 13. *sect.* 4. *pag.* 210. *edit. nou.*

* Miratur nonnemo, me hanc calumniam in historia iuris paullo timidius profligasse. Sed id feceram apertius, antequam illa historia iuris prodiisset, in *Programmate de Saluio Iuliano*, vbi *pag.* 810. *Sylloges I. opusc.* ita scripseramus,

ramus: *Plinius refert, Passienum Paullum, elegos recitaturum, adhibuisse etiam Priscum Iauolenum. Hunc vero honoris caussa interrogatum*: PRISCE IVBES? *respondisse:* EGO VERO NON IVBEO. *Male id habuit Plinium, qui ideo in Iauolenum inuectus*: cogita, *inquit*, qui risus hominum? qui ioci? Est omnino Priscus dubiae sanitatis. Interest tamen officijs, adhibetur consiliis, atque etiam ius ciuile publice respondet, quo magis, quod tum fecit, ridiculum et notabile fuit. *Ob id parum abest, quin bonum Iauolenum pro insano traducant. At quid, quaeso, stoliditatis inest illi Iauoleni dicto? Et quid mirum, si senex occupatissimus, pertaesus molestissimi istius officii, recitationes frigidissimas audiendi, Passieni insaniam senili dicacitate perstrinxerit, quam non minore libertate multo ante perstrinxerat* Iuuenalis *Sat. I. v. 2. sequ.* et *Sat. III., v. 8.*

§. CCLXXXVIII.

Scripsit EX CASSIO *libros XV.* in quibus plerasque magni huius scholae suae auctoris sententias partim mascule defendit, partim mitigauit, *l. 21. §. 2. D. de adquir. vel amitt. poss. l. 36. §. 2. D. mand.* vel, quo erat candore animi, refellit. *l. 54. D. de condit. et demonstr.* EPISTOLARVM *libros XIIII.* AD PLAVTIVM *libros V.* in quibus eum verba Plautii fere integra retulisse, & raro, praeterquam in *l. 34. D. de stipul. seruor.* iudicium suum interposuisse, obseruant. Denique *libros* EX POSTERIORIBVS LABEONIS et LIBRORVM LABEONIS epitomen, quae opera quomodo distinguenda sint, ostendit iam Em. Merill. *Obseru. Lib. V. cap.* 38. Ejusdem scripta.

§. CCLXXXVIIII.

De SALVIO IVLIANO, celeberrimo horum temporum ICto, nuper singulari *Programmate* egimus. Fuit is non Mediolanensis, Insuber, Saluius Iulianus. sed Hadrumetinus Afer: Spartian. *Iulian. cap.* 1. Floruit sub Hadriano, Pio, et diuis, quos vocant, fratribus, a quibus amicus vocatur, *l. 17. D. de iure patron.* et Sabinianorum post Iauolenum duxit familiam. Non modo praeturam, sed et bis consulatum, et praeterea praefecturam vrbi gessit, Spartian. *ibid. l. 5. D. de manum. vind.* et in omnium, sub quibus floruit, principum consilio fuit. Spartian. *Hadrian. cap.* 18. Iul. Capitolin. *Antonin. cap. 12. l. 17. D. de iure patron.* Posteros eius, inter quos et Didius Iulianus, Augustus, in tabula genealogica * exhibuimus *in dict. Programm. de Saluio Iuliano, Syllog. I. opusc. Exerc. XXIIII. pag.* 803. *edit. nou.*

* Tale schema genealogicum primus confecit Isaac. Casaubonus *Not. ad Scriptor. histor. Aug. pag.* 110. postea id lapidum auxilio emendauit Thom. Reines. *Lect. var. Lib. III. cap. 2. pag.* 34. ab eoque acceptum *Animaduersionibus suis in Pompon. Enchirid. Lib. III. cap. 3. sect. 4. pag.* 215. *edit. nou.* inseruit Rupertus. Quum vero & in hoc permulta vel perperam dicta, vel omissa esse, in eodem *progr. pag.* 802. ostenderimus: pleniorem et adcuratiorem tabulam et nos concinnare ausi sumus, quam hoc loco etiam exstare operae pretium fuerit.

		DIDIVS SEVERVS Insuber Mediolanensis.		SALVIVS IVLIANVS, Hadrumetinus Afer, IC. bis cos. et praef. vrbi, edicti perpetui conditor.	
	L. VIBIVS VARVS.	DIDIVS SEVERVS.		M. SALVIVS, IVLIANVS, Dioni male Σίββιος, cos. anno v. c. 927. praefectus praetorio, occisus a Commodo circa annum v. c. 941.	
NVMIVS. =	VIBIA SALVIA VARA, de qua Gruter. *pag.* 459. *num.* 2. =	PETRONIVS DIDIVS. =		AEMILIA CLARA.	SALVIVS IVLIANVS, cuius pudicitiae insidias struxit Commodus, cui desponsata fuerat Taruntenii Paterni, IC. et praef. praetorio filia,
M. NVMIVS ALBINVS bis consul anno 998. et 1015. praef. vrbi anno 1009.	NVMIA VARA.	L. DIDIVS PROCVLVS ob adoptionem, ROSCIVS. Gruter. *Inscript. pag.* 459. *num.* 2.		M. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS Aug. natus v. c. 896. ad imperium euectus, in eoque occisus anno 945. VXOR MANLIA SCANTILLA.	
NVMIVS SECVNDVS. Reines. *Inscr. Class. VI. num.* 132.		PROCVLVS ROSCIVS IVLIANVS, de quo Gruter. *pag.* 18. *num.* 10.	BASSA, de qua marmor apud Gruter. *Inscript. pag.* 18. *num.* 2.	DIDIA CLARA Aug. destinata Didii Proculi filio, nupta Cornelio Repentino, praefecto vrbi.	
		Filii, de quibus idem marmor.	Filii, de quibus idem marmor.		

§. CCLXXXX.

Eius scripta. Praeter edictum perpetuum, cuius illum conditorem fuisse, paullo ante diximus, scripsit *libros LXXXX.* * DIGESTORVM, ad edicti perpetui seriem compositos, et notis illustratos ab Vlpio Marcello, Ceruidio Scaeuola, Iulio Paullo, et Iunio Mauriciano, quibus Africanum, licet parum adcurate, iunxit Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap. 6.* deinde *libros VI.* AD MINVCIVM, *libros IIII.* AD VRSEIVM FEROCEM, *librum singularem* DE AMBIGVITATIBVS, Stoicorum exemplo scriptum, quorum multos exstitisse libros περὶ τῶν ἑτέρων et περὶ ἀμφιβολιῶν, patet ex Diog. Laert. *Lib. VII. segm.* 178. *et* 193. Quos vero Bertrandus addidit libros AD EDICTVM et DE DOTALI PRAEDIO, eos numquam exstitisse probauimus in dict. *programm. de Saluio Iuliano*, *pag.* 814. et 817. *Syllog. I. opusc. edit. nou.*

* Equidem librum LXXXXIIII. DIGESTORVM laudari videmus *l.* 32. *D. de legib.* Sed in codice Florentino scriptum fuisse *libr. LXXXIIII.* quartumque X. ab alia manu accessisse, αὐτόγραφος testatur Theodor. Laur. Gronouius *Emendat. Pandect. cap.* 25. *pag.* 71. *edit. nou.* Errant igitur, qui cum Haloandro, Bertrando, et Angelo Politiano opus hos libris vel LXXXXVIIII. vel C. constituisse putant: quod et Hub. Giphanium *in Oecon. iur. pag.* 128. suspicatum esse animaduerto.

§. CCLXXXXI.

§. CCLXXXXI.

Aburnus, Valens, et Tuscianus.

ABVRNVS (non ALBVRNIVS, ABVRBINVS, EBVRNIVS, vid. Bynkersh. *Praetermiss. pag.* 294. *edit. nou.*) VALENS, Iuliano σύγχρονος, et cum illo in Antonini Pii consilio fuit, Iulius Capitolin. *Antonin. cap.* 12. ex quo loco simul colligimus, eum Iuliano paullo fuisse iuniorem, quippe cuius etiam auctoritate vtitur *l.* 33. *D. de minor.* Scripsit *libros VII.* FIDEICOMMISSORVM, totidemque saltim, si non plures, ACTIONVM. Sabinianis eum accenset Malcou. *de sect. Sabin. et Proculei. cap.* 2. §. 5. *num.* 3. *pag.* 53. quippe Iauoleni discipulum. Iungimus illi condiscipulum TVSCIANVM, de quo omnia incerta sunt, quia eius praeter Pomponium *l.* 2. §. *ult. D. de orig. iur.* veterum nemo omnino meminit *.

* Refertur a Pomponio inter Iauoleni successores, adeoque procul dubio Sabinianus fuit. Quum vero nec *Tusciani*, nec librorum eius vsquam fiat mentio: fuerunt, qui nomen ei mutarent, et pro *Tusciano* modo *Fuscianum*, modo *Maecianum*, modo *Vivianum* vocarent. At probum est nomen, et vere Romanum, ceu patet ex *l.* 18. *D. mand.* Si quid mutandum esse existimarem, latere sub hoc nomine crederem *Fuscium Fuscianum*, Numidiae legatum, cui rescripsit Antoninus imp. *l.* 7. *D. de legat. praest.*

§. CCLXXXXII.

Status iuris sub Antonino Pio. Eius constitutiones.

Progredimur ad ANTONINVM imp. sub quo eadem omnia, ac sub Hadriano, obseruamus. RESCRIPTA eius in *Pandectis* aeque, ac *Codice*, tam multa laudantur, vt eorum recensum instituere, taediosum videretur. DECRETORVM exempla sunt in *l.* 3. *D. de his, quae in testam. del. l.* 11. *pr. D. de legat.* 2. *l.* 35. *D. ad SC. Trebell. l.* 1. §. 3. *D. de liber. exhib.* quorum primum vel ideo maxime notabile est, quod in eo ipsa sententiae verba seruata animaduertimus. Denique nec EDICTA desunt, quippe quorum vestigia exstant in *l.* 6. §. 2. *D. ad leg. Iul. peculat. l.* 11. *D. de muner. et honor.*

§. CCLXXXXIII.

An et SCta sub eo condita?

Quumque, *imperatorium fastigium eum ad summam ciuilitatem deduxisse*, testetur Iul. Capitolin. *in Antonin. cap.* 6. non dubitamus, quin et senatum consuluerit de rebus praecipuis, adeoque et SCta sub eo condita sint, quamuis eorum hodie vix exstet memoria. TERTVLLIANVM enim et APRONIANVM, quae sub Antonino Pio condita esse putat Cuiacius *, ad Hadriani potius tempora referenda esse, ostendimus. Quid? quod iam paullo rarius imperatores iura noua hoc ritu constituere coepisse videantur, facilius id per edicta fieri, experientia iam pridem edocti.

* Multa, quae Hadriano debent originem, Antonino Pio tribuere solet Cuiacius, eo obtentu, quod et Pius adoptionis iure Hadriani nomen tulerit. Id quod quidem verissimum est, quum in vetustis monimentis saepe legamus: IMP. CAES. D. HADRIANI F. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS AVG. Reines. *Inscript. Class. II. num.* 9. 10. 11. 75. et *Class. III. num.* 21. *sequ.* Sed vix tamen reperies exemplum, vt simplex Hadriani nomen Antonino detur: adeoque nec huic obseruationi locus esse videtur, sicubi aliquid Hadriano sine addito tribuitur.

§. CCLXXXXIIII.

Iura noua ab eo inuecta.

Ceterum multa Antoninum de iure sanxisse, obseruat Iul. Capitolin. *Antonin. cap.* 12. eoque refert, *quod mortuos intra vrbem sepeliri vetuerit*, quod tamen iam Hadrianum sanxisse nouimus. *l.* 3. §. 5. *D. de sepulcr. violat.* Adde, quod primus adoptionem impuberum certis conditionibus concessit: Vlpian. *Fragm. tit. VIII.* §. 5. §. 3. *Inst. l.* 17. *D. l.* 7. *C. de adopt.* quod actionem subsidiariam ab Hadriano aduersus magistratus datam, et aduersus eorum heredes dedit: *l. 6. D. de magistr. conuen.* quod inter personas coniunctas donationem et sine mancipatione valere voluit, quam alioquin lex Cincia requirebat: *l.* 4. *C. Th. de donat.* Paull. *Sentent. recept. Lib. IIII. tit.* 1. §. 11. Brummer. *ad leg. Cinc. cap.* 15. §. 2. *sequ. pag.* 251. *sequ.* quod donatorem vltra vetuit conueniri, quam quantum facere posset: *l.* 20. *l.* 41. §. *vlt. D. de re iudic. l.* 28. *D. de reg. iur.* denique quod donationes inter virum et vxorem, constante matrimonio, honoris caussa factas, sustinuerit *, *l.* 42. *D. de donat. inter vir. & vxor.* et huius generis alia.

* Quamuis enim alioquin certum sit, SC. de donationibus inter virum et vxorem prohibendis demum sub Antonino Caracalla factum esse: *l.* 3. *D. de donat. inter vir. et vxor.* aetas tamen Caii, cuius est fragmentum istud *l.* 42. *D. eod.* vix patitur, vt in ea Antoninum Caracallam intelligamus. Sed salua res est. Et ante Caracallam irritas visas esse donationes istas, ex ipsa huius principis oratione intelligimus. *l.* 3. *pr. D. eod.*

§. CCLXXXXV.

Eius rescriptum de lege Rhodia.

Addo, Antonini Pii temporibus, LEGEM RHODIAM in orbe Romano tantae fuisse auctoritatis, vt Eudaemoni Nicomediensi, direptum se a publicanis, querenti rescripserit princeps: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μή τις ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται: *ego quidem mundi dominus: lex autem maris. Lege id Rhodia, quae de rebus nauticis praescripta est, iudicetur, quatenus nulla nostrarum legum aduersatur*, *l.* 9. *D. de lege Rhod. de iact.* ad quam legem multa egregia scripserunt cum alii, tum FRANC. BALDVINVS, IAC. GOTHOFREDVS, et CORN. VAN BYNKERSHOECK.

§. CCLXXXXVI.

Quid de legibus Rhodiis hodie extantibus sit sentiendum.

Exstat eo pertinens Graeca legum nauticarum farrago, apud Leunclau. *Iur. Graeco-Rom. Tom. II. pag.* 265. Ex eius praefatione vel *auctoritate*, vti ibi vocatur, Iac. Gothofredus *Differt. de imperio mar. cap.* 8. *pag.* 88. *edit. nou.* probare nititur, legem Rhodiam primum sub Claudio, anno v. c. 805. *Q. Aterio Antonino* et *D. Iunio Silano* coss. receptam; deinde a Vespasiano, Traiano, Antonino Pio, quin et postea a Pertinace et Seuero, imperatoribus, firmatam esse. Enimuero vt ipsam congeriem illam, quae legum Rhodiarum nomine superbit, esurientis cuiusdam Graeculi commentum esse, praeclare demonstrauit Bynkershoek. *ad l. ἀξίωσις cap.* 5. ita et nullius fidei est, quae illi praemittitur, auctoritas *.

* Pri-

* Primum ei historia refragatur. Auctoritatis enim illius auctor legem Rhodiam receptam esse scribit sub Tiberio Claudio *δημαρχικῆς ἐξουσίας λβ: tribuniciae potestatis anno* 32. At siue Tiberium imp. intelligas, sub eo nullum reperies Antoninum cos. siue Claudium, hic vix ad annum XIIII. tribuniciae potestatis vitam produxit. Deinde manifestum est, auctorem istius auctoritatis, quisquis fuerit, pleraque exscripsisse ex *l. 9. D. ad leg. Rhod.* idque tam imprudenter fecisse, vt ne glossema quidem illud: *τοῦτο δὲ ὅπερ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν: hoc ipsum et D. Augustus constituit*, omiserit. Fucum ergo fecit viris doctis, quisquis illas leges nauticas in lucem protrusit, mirumque est, Iac. Gothofredum, cui alioquin nasus rhinocerotis erat, id non olfecisse.

§. CCLXXXVII.

Lex Rhodia quae, et quo tempore a Romanis recepta?

Quidquid ergo de lege RHODIA pro certo adfirmari potest, eo redit. Rhodii, *populus nauticus*, teste Floro *Lib. II. cap.* 7. et diu *θαλασσοκρατῶν*, seu *maris dominus*, vti obseruat Eusebius *in Chron. num.* 1100. leges de rebus nauticis tulerat aequissimas, adeo, vt et Cic. *Orat. pro lege Manil. cap.* 18. eas mirifice laudet, et *θαυμαστὴν εὐνομίαν περὶ τὰ ναυτικά, admirandam legum optimarum circa rem nauticam constitutionem*, maxime miretur Strabo *Geogr. Lib. XIIII. pag.* 438. Ex his Rhodiorum legibus non omnia, sed caput de iactu *, receperant Romani, et quidem non demum sub Claudio, sed ante ipsius Augusti imperium, siquidem non modo OFILIVS, LABEO, et SABINVS, sed et SER. SVLPICIVS, qui libertati patriae non fuit superstes, secundum legem Rhodiam de iactu responderunt, eamque suo more illustrarunt *l. 2. pr. §. 3. l. 4. pr. et §. 1. D. ad leg. Rhod. de iact.*

* Hinc nec in *Pandectis* fragmenta vlla, nisi quae ad hoc caput pertinent, occurrunt: nec Paullus *Sentent. recept. Lib. II. tit.* 6. vbi ex instituto legem Rhodiam interpretatur, de re alia, quam de iactu disputat. Attamen et de exercitoria actione quaedam ex lege Rhodia in *Pandectas* translata, et a Romanis adoptata esse, suspicatur Nic. Rigalt. *Obseru. ad Tertull. aduers. Marcion. Lib. III. cap. 6. p.* 90. Cuius tamen coniecturae suae, quas ille rationes habuerit, scire me fateor iuxta cum ignarissimis.

§. CCLXXXVIII.

Status iuris sub Marco Aurelio Antonino imp.

Ab Antonini Pii excessu primum MARCVS et LVCIVS Caesares, qui in iure nostro DIVI FRATRES adpellantur, postea superstes M. AVRELIVS ANTONINVS ob philosophiæ studium celeberrimus *, solus, ac demum idem cum COMMODO filio imperauit. Hoc quoque tempore constitutiones fere innumerae prodierunt, in *Pandectis* aeque ac *Codice* vel superstites, vel laudatae, quas illustrauit Io. Ortwinus Westenbergius in commentario, quem *D. Marcum* inscripsit, ediditque *Lugd. Bat.* 1726. 4. Nos, quae tunc in iuris prudentia nouata sunt, paucis consectabimur.

* Non minus tamen iuris prudentiam, quam philosophiam, excoluerat princeps optimus, de quo Iulius Capitolinus *in Marc. cap.* 3. *Studuit et iuri, audiens L. Volusium Maecianum, tantumque laboris et operis studiis impendit, vt corpus adficeret, atque in eo solo pueritia eius reprehenderetur.* Et hunc Maecianum, praeceptorem, (non Marcianum,) ipse celebrare videtur *libro I. ad seips. §.* 6. Non mirum ergo, principem in iure constituendo, emen-

dan-

dando, dicundoque sapacissimum fuisse, quum non ab vnius alteriusque consilio penderet, sed ipse ciuilem illam sapientiam probe a puero imbibisset. Hinc Aristides *Orat. in regem pag. 102. Tom. I. edit. Canteri*: Ὁ δὲ τὸ μὲν δίκαιον ἀκριβῶς οἶδεν, ὡς αὐτὸς νομοθέτης ὤν, καὶ εὑρετὴς αὐτοῦ: *ipse ius exacte nouit, quippe qui eius auctor sit, et legis lator.* Et paucis interiectis, laudans iustitiae studium, summa humanitate temperatum: Τούτου δὲ αἴτιον, inquit, ὅτι, οὐκ ἐξ ἑτέρων ἑρμηνείας, οὕτω λαμβάνει τὸ δίκαιον, ἀλλ' αὐτὸς ἔχει ἐκ παιδείας τῶν ὡς ἀληθῶς καλῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμην τὴν ἀπὸ τῶν νόμων ἐμπειρίαν προσειληφὼς ὥστε μήτε τῶν γεγραμμένων διαφεύγειν αὐτὸν οὕτω τὰς κρίσεις ποιεῖται περὶ πάντων: *cuius est rei caussa, quod ille non ab aliis interpretibus iuris cognitionem accipiat, sed ad eam, in qua institutus est, rerum praeclarissimarum scientiam adiuncta legum experientia, sic, vt nihil eum scripti iuris effugiat, ita demum de rebus omnibus iudicat.*

§. CCLXXXXVIIII.

Orationes vel SCta DD. fratrum, et Marci Antonini.

Primum ergo multa hi quoque imperatores SCtis vel ORATIONIBVS suis constituerunt. Exstitit enim Diuorum Fratrum oratio, qua et cum inquisitione datus tutor satisdare iubebatur, si vnus administrare vellet. *l. 19. §. 1. D. de testam. tutel.* Celebrantur etiam Diui Marci orationes de feriis et dilationibus: *l. 1. §. 2. l. 7. D. de fer.* Iul. Capitolin. *Marc. cap.* 10. de transactione super alimentis *: *l. 8. D. de transact.* de fugitiuis, etiam per Caesaris, senatorum, et paganorum praedia inuestigandis: *l. 3. D. de fugit.* de quatuor mensium vsuris socio soluendis, qui cessantibus sociis insulam restituerit: *l. 52. §. 10. D. pro soc.* de senatoris filia, libertino nupta: *l. 16. D. de rit. nupt.* de libertinis libertinorum tutoribus: *l. 1. §. 4. D. de excusat. tut. l. 44. pr. D. eod.* Iulius Capitolin. *Marc. cap.* 11. denique de testamento eius, qui damnatus prouocauit. *l. 6. §. 9. D. de iniust. rupt. irr. fact. testam.*

* Iulius Capitolinus *Marc. cap.* 11. generatim: *de alimentis*, inquit, *publicis multa prudenter inuenit.* Annon et de priuatis? Celeberrima sane illa oratio principis de alimentis *l. 8. D. de transact.* non ad alimenta publica, sed testamento relicta, adeoque priuata, pertinet. Et hinc Is. Casaubonus *in Notis ad script. hist. aug. pag.* 66. rescribendum existimat: *de alimentis publicis priuatisque.* Ceterum ad publica alimenta recte referas, quae idem Iulius Capitolinus *in Marc. cap.* 7. refert: *filiam suam Lucillam fratri despondit: Ob hanc coniunctionem pueros et puellas nouorum hominum frumentariae perceptioni adscribi praeceperunt.*

§. CCC.

Alia eorumdem SCta.

Eiusdem MARCI sunt orationes et SCta de tacita hypotheca eius, qui quid ad reficiendas aedes credidit: *l. 1. D. in quib. causs. pign.* de quaestione status, morte finienda: *l. 1. §. 3. D. ne de statu defunct.* de collusione intra quinquennium detecta: *l. 2. pr. §. 4. D. de collus. deteg.* Iul. Capitolin. *Marc. cap.* 10. de confessis et iudicatis: *l. 56. D. de re iud. l. 6. §. 2. D. de confess.* de expilatoribus hereditatum: *l. 1. D. expil. hered.* denique de temporibus interponendae adpellationis. *l. 1. §. 7. D. quando adpell.*

§. CCCI.

Nec non ad Marci et

Quin et MARCI cum COMMODO filio imperantis orationes, et SCta eas consequuta, passim occurrunt, veluti de nuptiis senatorum *: *l. 16.*

Commodi orationes condita.

16. *D. de sponsal.* nec non de pupilla viore a tutore, eiusque filio, non ducenda. *l.* 20. *l.* 60. *D. de ritu nupt.* Omnium tamen celeberrima sunt SCta duo, quorum altero SC. APRONIANVM (§. 283. *sequ.*) ad collegia et corpora prolatum est; *l.* 20. *D. de reb. dub.* altero ORPHITIANO liberi ad maternam admissi sunt hereditatem. *l.* 1. *l. penult. D. de SC. Tertull. et Orphit.* Conditum illud est anno ab v. c. 930 *Vettio Rufo* et *Cornelio Scipione Orphito* coss. de quibus Henr. Noris. *in Epist. consular. pag.* 462. Praemissae vero huic SCto Marci et Commodi imperatorum orationis meminit Vlpianus *Fragm. tit.* 26. §. 7.

* In *l.* 20. *D. de ritu nupt.* inscriptio legis talis est: PAVLLVS *libro singulari ad orationem D. Seueri et Commodi*. Sed haec nihili esse, facile vnusquisque animaduertit. Numquam enim cum Seuero imperauit Commodus, sed cum M. Antonino patre, cuius hic nomen reponendum esse, recte obseruat Ant. Augustin. *de nom. prop. Pandect. pag.* 280. Nam hoc nomen habet etiam inscriptio *l.* 60. *D. de ritu nupt.*

§. CCCII.

Noua a Marco reperta.

Quamuis vero a Iulio Capitol. *in Marc. cap.* 11. obseruatum sit, Marcum imp. *ius magis vetus restituisse, quam nouum fecisse*: plurima tamen etiam noua ab eo profecta animaduertimus, veluti, quod PRAETOREM TVTELAREM primus fecit. §. 3. *Inst. de Atil. tut.* Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 10. Ios. Castalio *Lect. var. Lib. VI. cap.* 4. itemque, quod quum antea non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam curatores darentur *: adultos omnes curatores accipere iusserit, non redditis caussis: Iul. Capitolin. *in Marc. cap.* 10. nec non, quod calumniis quadruplatorum intercesserit, adposita falsis delatoribus nota, vicesimamque hereditatum temperarit. Iul. Capitolin. *ibid. cap.* 11.

* Hunc locum a plerisque ita intelligi animaduertimus, ac si ex lege Laetoria adolescentibus tantum lasciuis ac dementibus curatores dati sint. Sed hi auctoris verba male intelligunt. Alioinde enim constat, legem illam omnibus adolescentibus petentibus curatores dari iussisse, caussa cognita. Sensus ergo potius est: quum antea non nisi tria curatorum genera nota essent, vnum eorum, qui adolescentibus petentibus ex lege Laetoria dabantur, alterum eorum, quos prodigi, tertium eorum, quos furiosi ex legibus XII. tabularum accipiebant: Marcum imp. haec eatenus mutasse, vt adulti omnes curatores acciperent, etiam caussa non cognita. Vid. *Elementa nostra iur. ciu. sec. ord. Inst. adornat.* §. 271. *sequ.*

§. CCCIII.

Status iuris Rom. sub Commodo imp.

Pessimis omnino principibus adnumerandus est M. ANTONINVS COMMODVS: tamen et is, vbi solus rerum potitus est, quaedam ad iuris prudentiam contulisse legitur. RESCRIPTA enim eius laudantur *l.* 10. *D. de in lit. iur. l.* 2. *D. ad SC. Silan. l.* 6. *D. si cui plus, quam per leg. Falc. l.* 31. *D. de iur. fisci.* DECRETI mentio fit. *l.* 26. *D. de probat. et praesumt.* EDICTORVM denique *l.* 6. §. 1. *D. de agnosc. et alend. liber* Notum quoque est SC. IVNCIANVM, sub eodem imp. factum anno ab v. c. 935. *Aemilio Iunco* et *Iulio Seuero* coss.

coss. * de fideicommissariis libertatibus, de quo *l.* 28. §. 4. *l.* 51. §. 8. *D. de fideic. libert.*

* Varie admodum hi coss. suffecti nominantur. Aemilius Lampridio *in Commod. cap.* 4. vocatur *Iunctus*, eiusque collega *Atilius Seuerus*, quos a Commodo in exsilium actos refert. At cos. alter in *l.* 28. §. 4. *D. de fideic. libert. Iulius Seuerus*, in aliis Fastis *A. Hibius Seuerus* dicitur. Sed facile ex *Atilius* scribarum oscitatione fieri potuit *A. Hibius*, vel *Iulius*.

§. CCCIIII.

Status iuris Rom. sub Pertinace et Iuliano.

Occiso Commodo HELVIVS PERTINAX, et huic mox nefarie obtruncato DIDIVS IVLIANVS, Saluii Iuliani pronepos, (§. 289. *) successit. Vtriquee in tam breui imperio vix licuit multa idure constituere. Memorantur tamen quaedam Heluii Pertinacis CONSTITVTIONES, veluti vna de fideicommissariis libertatibus, occupata a fisco hereditate, dandis: *l.* 12. §. 2. *D. de fideic. libert.* nec non Graeca altera, de immunitate ob XVI. liberorum numerum, aliasque caussas concedenda. *l.* 5. §. 2. *et* §. 13. *D. de iur. immunit.*

§. CCCV.

Quaedam Pertinacis constitutiones, & orationes.

In Codicem quoque repetitae praelectionis relatas esse video eius CONSTITVTIONES de filio, qui patrem familias mentitus mutuam sumsit pecuniam. *l.* 1. *C. de SC. Macedon.* et de seruo oppignorato, ac deinde herede instituto. *l.* 2. *C. de seru. necess. her. inst.* Sed et ORATIONIS D. Pertinacis de testamentis mentio fit §. 7. 8. *Inst. quibus mod. test. infirm.* Iul. Capitolin. *in Pertin. cap.* 7. IVLIANI; quamuis iurisconsultissimi principis *, nihil, quod sciam, in iure nostro occurrit, nisi quod ei, nondum principi, rescripsisse dicitur Marcus imperator. *l.* 20. §. 9. *D. qui testam. fac. poss.*

* Imperatorem hunc *Iulianum iuris peritum* vocat Euseb. *in Chronic. num.* 2209. immo et aliis Graecis scriptoribus νομοθέτης est: sed vereor, ne hi aeque, ac Aurelius Victor, eum cum Saluio Iuliano proauo confundant. De Eusebio tamen id suspicari vix licet, quia ipse alibi in *Chronico* meminit Saluii Iuliani, qui sub Hadriano composuerit edictum perpetuum, adeoque hunc cum Didio Iuliano confundere non potuit.

§. CCCVI.

ICti qui sub Antoninis huc vsque floruerunt. Sex. Caecilius Africanus.

Sed omittendi etiam non sunt IVRISCONSVLTI, qui sub Antoninis ad haec vsque tempora floruerunt. Eorum agmen ducit SEX CAECILIVS AFRICANVS. Eumdem enim cum Africano esse *Sex.* illum *Caecilium*, qui *l.* 3. §. 4. *D. de agnosc. et al. liber.* memoratur, et quem Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 15. cum Fauorino de XII. tabularum legibus disputasse refert, contra Ant. Augustinum, Labittum, et Menagium ostenderunt Cuiac. *Tract. I. in African. init. Obseru. Lib. VII. cap.* 2. et Reinold. *ad l.* 25. *D. de reg. iur. pag.* 9.*

* Fundus rei est *l.* 3. §. 4. *D. de agnosc. et al. liber.* vbi Iulianus *Sex. Caecilio Africano* respondisse dicitur. Quum ergo et tempus conueniat, nec inauditum, sed frequentissimum sit, iuris consultum iuris consulto respondere, maxime seniorem et florentioris famae iuniori, praeceptorem discipulo: nulla

nulla profecto ratio est, cur elegantem illam coniecturam Cuiacii reiicere velimus, quamuis eam pro certa obtrudere, ne ipse quidem fortassis Cuiacius voluerit.

§. CCCVII.

Fuit Africanus Iuliano σύγχρονος, sed eo paullo aetate minor, quippe qui sub Antoninis potissimum floruit. Saltim ante Seueri et Antonini Caracallae tempora eum vixisse ex *l.* 109. *D. de legat.* 1. acute, suo more collegit Cuiac. *Recitat. ad African. Tract. I.* Sabinianum eum fuisse, et eius quidem sectae subtilissimum, nemo negauerit. At apud eumdem Iuliani, vti apud Pythagoraeos Pythagorae, auctoritatem sine ratione valuisse, quod eidem Cuiacio, Menagio, et Guil. Grotio visum est, nullo idoneo argumento probatur. Mascou. de *sect. Sabin. et Procul. cap.* 4. §. 3. Scripsit *libros nouem* QVAESTIONVM *, et fortassis *libros saltim XX.* EPISTOLARVM, quae laudari videntur *l.* 39. *pr. D. de legat.* 1. Eius aetas, secta, scripta.

* In his QVAESTIONVM libris tam subtiliter de difficillimis iuris quaestionibus disputauit Africanus, vt iam olim in prouerbium iuerit quotidianum interpretum dicterium; *Africani, lex id est, difficilis*. At nodos illos se vindice dignissimos existimauit ὁ πάνυ Cuiacius, qui scriptis in Africani fragmenta recitationibus, non alios tantum, sed et se ipsum longe superauit.

§. CCCVIII.

Minus celebres sunt TERENTIVS CLEMENS et VINIDIVS VERVS. Et ille quidem discipulus, vti videtur, et sectator Iuliani fuit, quippe quem ipse *suum* vocat *l.* 6. *D. de vulg. et pupill. subst.* auctorque fuit *librorum XX.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM, ex quibus plurima in *Digestis* fragmenta, alibi a nobis curatius exposita, supersunt. Hic inter Antonini Pii consiliarios fuit, Iul. Capitolin. *in Antonin. cap.* 12. et a Maeciano, Vlpiano, et Paullo aliquoties, quamuis non expressis librorum titulis, laudatur. *l.* 32. §. 4. *D. ad leg. Falcid. l.* 7. §. 18. *D. de pact. l.* 2. *D. si ex nox. causs. agat.* Terentius Clemens et Vinidius Verus.

§. CCCVIIII.

IVNIVS MAVRICIANVS, qui aetatem suam ipse perspicue indicat, *l.* 57. *D. de legat.* 2. auctor fuit *librorum sex* AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, et saltim *duorum* DE POENIS. *l.* 3. *D. de edendo*. TARVNTENVS PATERNVS sub Commodo imp. praefectus praetorio occubuit, *Excerpta Peiresc. pag.* 724. Lamprid. *in Commod. cap.* 4. relictis *libris IIII.* DE RE MILITARI *. Denique PAPIRIVS IVSTVS, collector *librorum XX.* CONSTITVTIONVM, vti fragmenta eius operis pleraque ostendunt, sub Marco potissimum Antonino et Commodo scripsisse videtur. Vid. *l.* 60. *D. de pact.* Iunius Mauricianus, Taruntenus Paternus, et Papirius Iustus.

* Sunt duo priores iuris consulti omnino notabiles. IVNIVS MAVRICIANVS procul dubio adoptiuus fuit *Iunii Maurici*, fratris *Iunii Aruleni Rustici*, quorum stemma supra (§. 239. *) dedimus. Quum enim Plinius *Lib. II. epist.* 15. mentionem faciat plurium filiorum istius Iunii Aruleni Rustici; vnus eorum a patruo, *Iunio Maurico*, adoptatus, Iunii Mauriciani nomen videtur

detur adsciuisse. TARVNTENVM PATERNVM sub Alexandro demum Seuero imp. vixisse existimat Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79. non alio motus argumento, quam quod hic imperator *Paterno* cuidam rescribit *l.* 2. *C. de magistrat. conuen.* Sed quum et iis temporibus, et multo post permulti floruerint Paterni, quorum aliquos recenset Reines. *Inscript. pag.* 38. nulla ratio est, cur ibi Taruntenum Paternum nostrum intelligamus. Accedit, quod iam illo tempore homines iuris rerumque militarium periti ad praefecturam praetorianam adspirarent. Nostrum vero tamquam *diligentissimum iuris militaris adsertorem* laudat Veget. *de re milit. Lib. I. cap.* 8.

§. CCCX.

Sex. Pomponii aetas.

SEX. POMPONIVS vnus, non duo, in iure nostri celebrari videtur *, de eoque nos ex instituto egimus in *Praefatione Opusculis ad historiam iuris, et maxime ad Pomponii Enchiridion illustrandum pertinentibus*, praemissa, *Halae* 1735. 4. Vixisse eum Iuliani temporibus, vel inde patet, quod et a Iuliano laudatur, *l.* 6. §. 6. 7. 8. *D. de negot. gest. l.* 63. §. 9. *D. pro soc.* et ipse Iulianum et Aburnum Valentem laudat. *l.* 2. §. 8. *D. de orig. iur.* Vitam saltim ad Diuorum Fratrum, quos vocant, tempora produxit, quippe qui alicubi *Antoninum Pium* diuum vocat. *l. penult. D. de pollicit.* Contra nusquam meminit vel Marci Antonini, vel Commodi, immo ne *Vlpii Marcelli* quidem, ceu quidam ex *l.* 10. *D. de castr. pecul.* colligunt. Verba enim illa non Pomponii esse, sed Triboniani, quamdam Vlpii Marcelli notam ad Pomponium referentis, obseruauit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. pag.* 121. Erroris ergo manifesti rei sunt, qui eum sub Alexandro demum vixisse contendunt, veluti Bernard. Rutil. *Vit. ICtor. cap.* 73. et Io. Bertrandus *de iurisperit. Lib. I. cap.* 11. Vterque enim deceptus est loco Lampridii *in Alex. cap.* 48. quem ab aliena manu esse, luculenter ostendit Salmas. *ad hist. aug. script. pag.* 242.

* Duos fuisse Sex. Pomponios, primus suspicatus est Ant. Augustin. *de nom. prop. Pandect. pag.* 92. *et* 255. quem deinde cum aliis, tum et Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. sequuti sunt. Immo nec se ab hac sententia admodum alienum esse profitetur Eu. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. iur. ciuil.* At rationes omnes, quas diligenter collegit Grotius, *in praefatione ad laudata Opuscula, pag.* 10. *sequ.* excussimus. Vrgent praecipue, Pomponium in *l.* 41. *D. de hered. inst.* ipsum videri alium Sex. Pomponium citare, et in *l.* 32. *D. de legat. I.* legi: *quod ita verum esse, tam Sex. quam Pomponius, negant.* Sed vtiam posteriore textu SEXTVS ille alius esse potest IC. quam Pomponius, et ille ipse fortassis, qui *l.* 44. *pr. D. solut. matr. l.* 30. §. 6. *D. de adquir. hered. et l.* 2. §. 27. *D. ad SC. Silan.* ita admodum dubium est, an *l.* 41. *D. de hered. inst.* sit Pomponii, ac non potius Iuliani, *et liber XII. Lect. var.* Pomponii non in margine tantum fuerit adscriptus, vid. Reinold. *Orat. de Pompon. pag.* 12. *sequ.*

§. CCCXI.

Eius philosophia et secta.

Praeter iuris prudentiam eorum temporum more et philosophiam videtur excoluisse, cuius vestigia deprehendimus in *l.* 121. *D. de verb. signif.* iuncto Seneca *de benef. Lib. VII. cap.* 10. et *l.* 30. *pr. D. de vsurp. et vsucap.* vbi diuisio corporum interiorem philosophiam redolet, ceu obseruarunt Cuiac. *Obs. Lib. XV. cap.* 33. et Guil. Forner. *Select. Lib. II. cap.* 27. De secta inter viros doctos non satis conue-

nit,

nit, aliis eum iuris consultis neutrarum partium, quos erciscundos adpellitant, adnumerantibus, Mascou. *de sectis Sabin. et Procul. cap.* 9. §. 4. *pag.* 130. aliis eum inter Proculeianos referentibus. Christ. Otto a Boekelen *de diuers. famil. vet. ICtor. cap.* 6. *

* *Proculeianum* ideo fuisse contendunt, quod Labeonis definitionem probet: *l.* 22. §. 1. *D. quando dies leg. ced.* eiusque sententiam tueatur aduersus Trebatium: *l.* 21. *pr. D. de hered. instit.* Proculo testimonium denunciet, *l.* 16. §. 2. *D. de euict. l.* 12. *pr. D. de legat.* 2. itemque, eius et Pegasi, Celsi, Atilicini, Aristonis, et Neratii sententias probet: *l.* 28. *D. de adquir. rer. dom. l.* 43. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 29. *D. de euict. l.* 14. *D. de verb. obl. l.* 48. *pr. D. de legat.* 1. *l. vlt. D. de adqu. vel omitt. her. l.* 21. *l.* 72. *D. ad SC. Trebell. l.* 8. §. 2. *D. de liberat. leg. l.* 3. *D. pro suo. l.* 45. *D. de legat.* 1. At idem Pomponius non modo Sabino et Cassio aliquando suffragatur, *l.* 6. *D. de condit. et demonstr. l.* 6. *D. de stipul. seru.* et eorum dicta benigniore interpretatione iuuat, *l.* 3. §. 1. *D. de iur. et facti ignor.* sed et passim eorum auctoritate vtitur, *l.* 34. §. 2. *D. de fideic. libert.* et id plerumque agit, vt dissidentes iuris consultos ad concordiam reducat, veluti Proculum et Sabinum, *l.* 14. *D. de condit. et demonstrat.* nec non Proculeianos et Sabinianos, *l.* 26. §. 2. *D. de legat.* 2. Qui vero ita rationes componit, iuris consultus, cum si quis sectarium esse clamet: nae is, quid sit sectae studium, mihi omnino videtur ignorare.

§. CCCXII.

Scripsit hic iuris consultus, inter πολυγράφους iure referendus, ENCHIRIDION duplex, quorum vnum *singularis* fuit *liber*, *l.* 2. *D. de orig. iur. l.* 2. *D. de iust. et iur. l.* 239. *D. de verb. sign.* alterum ex *duobus libris* constitit: *l.* 5. *D. de grad. et adfin. l.* 13. *D. de tutel. l.* 107. *D. de solut. et liberat.* EPISTOLARVM *libros XX.* FIDEICOMMISSORVM *libros V.* LECTIONVM AD Q. MVCIVM *libros XXXVIIII.* AD PLAVTIVM *libros VII.* REGVLARVM *librum singularem.* AD SABINVM *libros. XXXV.* SENATVSCONSVLTORVM *libros V.* VARIARVM LECTIONVM *libros* non XV. vt est in indice Florentino, sed saltim *vltra XXXX.* * *l.* 8. §. 6. *D. si seru. vind.* DIGESTORVM *libros V.* DE STIPVLATIONIBVS *libros VIII.* denique AD EDICTVM *libros LXXXIII.* ex quibus fragmenta in *Pandectis* quam plurima supersunt. Eius scripta.

* Hunc titulum inter *inscriptionum festiuitates, quas plerique vtriusque linguae scriptores in libris suis fecisse ait,* refert Gell. *N. Att. praefat.* Ait enim, *alios libros suos* MVSARVM *inscripsisse*, alios SILVARVM, *illum* ΠΕΠΛΟΥ, *hunc* ΚΕΡΑΤΟΣ ΑΜΑΘΕΙΑΣ, *alium* ΚΗΡΙ *partim* ΛΕΙΜΩΝ, *quemdam* LECTIONIS SVAE, *alium* ANTIQVARVM LECTIONVM. Vbi Gellius manifesto ridere voluit titulos librorum argutiores atque exquisitiores. Sed iam Salmasius recte monuit, multos titulos eo referre Gellium, qui nihil habeant, quod ad *festiuitates inscriptionum* iure referri possit. Quid enim festiuitatis inest inscriptionibus *antiquarum lectionum, epistolarum moralium, epistolicarum quaestionum, historiae naturalis,* quas omnes Gellius in hanc classem retulit? Quis non titulum NOCTIVM ATTICARVM, quem ipse Gellius tamquam simplicissimum libro suo praescripsisse, ait, facilius facetis nugis comparet, quam titulum *antiquarum* vel *variarum lectionum*? Sed videtur Gellius hic sine iudicio imitatus Plinium *in praefat. Hist. natural.*

§. CCCXIII.

CAIVS, elegantis ingenii iuris consultus, vulgo GAIVS, certissime vixit sub Hadriano, seu patet ex *l.* 7. *pr. D. reb. dub.* certissime etiam Caius iuris consultus

iam superstes fuit Antonino Pio, quia M. Antoninum imperatorem *sacratissimum principem suum* vocat *l. 9 D. ad SC. Tertull.* An vero ad Antonini Caracallae tempora aduixerit, quod Iac. Raeuardo *Coniect. Lib. III. cap. 19.* et nuper Franc. Car. Conradi (*Act. erud. Lipf. a. 1727. mense Februar.*) visum est, merito in medio relinquimus, tanto certiores, falli eos opinione sua, qui Caium nostrum, quem familiaritatis iure suum vocat Pomponius, *l. 39. D. de stipulat. seruor.* vel ad Diocletiani, vel ad ipsius Iustiniani tempora vitam produxisse existimant, quum ab Hadriani excessu ad Diocletiani imperium centum et quadraginta septem; ad Iustinianei imperii auspicia trecenti octoginta nouem anni sint circumacti *.

* Caium Diocletiani tempora attigisse suspicatus est Marcilius *ad §. 6. prooem. Instit.* Eumdem Iustiniano σύγχρονον et Christianum fuisse, ex *d. §. 6. prooem. Inst. §. 5. Inst. de publ. iudic.* et *Constit. omnem reip. §. 1. ad Antecess.* collegerunt Ant. Vacca et Hotomanus, non alio persuasi argumento, quam quod eum *Caium suum* vocare non dubitarit Iustinianus. At praeterquam quod nihil Christiani praeferunt Caii fragmenta, quodque vtrique huic sententiae rationes chronologicae manifesto refragantur: aliae rationes esse potuerunt Triboniano, (nam Iustinianum ibi stilo suo visum, vix credibile est,) cur Caium *suum* vocare non dubitarit, quoniam nimirum eum potissimum exscripsit in conscribendis Institutionibus. Vid. Ev. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. iur. ciu. pag. 19.*

§. CCCXIIII.

Eius scripta. Ceterum CAIVS quoque a sectae studio satis alienus iure ercifcundis accensetur, Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap. 8. §. 3. pag. 127.* modestiam eius satis superque demonstrantibus tot eius fragmentis, quae in *Digesta* retulit Tribonianus. Scripta reliquit tam multa, vt lectorem merito remittamus ad indicem Florentinum et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap. 43.* id modo obseruantes, eum quaedam scripsisse, in quibus reliquorum iuris consultorum vix quisquam exercuerat ingenium, veluti DOTALITIORVM *librum singularem* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II.* AD EDICTVM PROVINCIALE *libros XXXII.* AD LEGES XII. TAB. *libros VI.* et similia. INSTITVTIONEM et extra *Pandectas* exstare fragmenta bene longa, sed ab Aniano passim interpolata, nemo ignorat. *

* Ex iis duo fragmenta insignia de ritu mancipationis, et in iure cessione, qui in Anianea editione hodie non exstant, seruauit Boeth. *Lib. III. Commentar. in Topic. Ciceron.* quae tota exhibet Ant. Schulting. *in Iurisprudent. vetere anteiustin. pag. 50. seqq. et pag. 84. seqq.* Sed eadem in Cyri *Commentario ad tit. C. de vsuc. transform.* multo integriora reperit Bynkershoek. *de reb. mancipi, cap. 1. pag. 107.* Is vero haec descripta esse ait a Petro Iacobo de Rauani, qui dicat *se ea vidisse in libro Institutionum Caii*. Quae si vera sunt, (fidem autem Petri Iacobi de Rauani in dubium cur vocare velimus, nullam omnino rationem video,) Caii Institutiones, saeculo XIII. quo ille Rauani vixit, adhuc integriores, quam est Aniani editio, exstitisse oportet.

§. CCCXV.

L. Volusius Maecianus. L. VOLVSIVM MAECINAVM sub Antonino Pio et Diuis Fratribus vixisse, et in eorum principum consilio fuisse, ex Iul. Capitolin. *in Pio*

Pio cap. 12. *l.* 42. *et l.* 47. *D. de fideic. libert.* denique ex *l.* 17. *D. de iur. patron.* patet. Marcum imp. instituerat in iuris prudentia, teste eodem Iulio Capitol. *in Marc. cap.* 3. Vid. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. Vitam etiam ad Marci imperium produxit, sub quo tamquam Alexandrinae ciuitatis iuridicus, in Auidii Cassii tumultu periit, et quidem seditionis Cassianae conscius, teste Volcat. Gallic. *in Auid. Cass. cap.* 7. id est anno erae Dionysiacae 175. in quem hunc tumultum incidere ostendit Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 168. *seqq.*

§. CCCXVI.

Sabinianum eum fuisse, et Iuliani adseclam, ipse in fragmentis suis satis prodidit. Scripsit FIDEICOMMISSORVM seu QVAESTIONVM DE FIDEICOMMISSIS *libros sedecim.* Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. PVBLICORVM *libros XIIII.* a quibus diuersum fuisse librum EX LEGE RHODIA, vel AD LEGEM RHODIAM * suspicamur, quamuis aliud visum sit Iac. Gothofredo *de imper. mar. cap.* 2. Vid. Bynkershoek. *ad l.* 9. *D. ad leg. Rhod. cap.* 1. Porto *libri* QVAESTIONVM meminit Papinianus, *l.* 86. *D. de adquir. vel omitt. hered.* qui tamen an a *libris quaestionum de fideicommissis* diuersus sit, alii viderint. Denique notus est *libellus* Maeciani DE ASSE, a Io. Fridr. Gronouio post opus *de pecunia veterum*, et a Io. Ge. Graeuio *Thesaur. antiqu. Rom. Tomo XI.* editus, et iuris studiosis etiam commendatus a Iac. Cuiacio *ad l.* 21. §. 2. *D. de ann. legat.* Eius secta & scripta.

* In Florentina est: *ex lege Rhodia*, apud Haloandrum: *ad legem Rhodiam.* Sed non erat, quod hic aliquid mutaret Haloander. Ita enim, notante Bynkershoekio, et aliae in iure nostro librorum inscriptiones se habent. Nec absurdus est titulus, ex quo colligitur, Maeciani librum fuisse collectionem quarumdam legum Rhodiarum, fortassis quae magis in vsu erant, et ad iactum pertinebant, quasque hoc libro Volusius vel collegerit tantum, vel notis suis illustrarit. Vid. Bynkershoekii *Opusc. min. pag.* 169. *edit. nou.*

§. CCCXVII.

Proximus est Q. CERVIDIVS SCAEVOLA, *auctor iuris consultorum prudentissimus*, *l.* 3. *C. Th. de testam.* et Marco Antonino a consiliis, Iul. Capitol. *in Marc. cap.* 2. vel hoc ipso maximam laudem consequutus, quod Seuerum imp. et Papinianum iuris consultum formauit. Iul. Capitolin. *in Caracall. cap.* 8. Miscellionibus vel ercíscundis eum adnumerat Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 5. quippe adeo fluctuantem inter diuersas scholae vtriusque sententias, vt Bertrando Proculeianus, Ottoni a Boekelen *de famil. ICtor. cap.* 5. Sabinianus videatur. Notum quoque est, eum apud quosdam non modo obscuritatis et variationis, sed et προσωποληψίας caussa male audire. * Q. Ceruidius Scaeuola.

* Nam in *l.* 14. *D. de transact.* eum ingenuitatis et candoris laudem non seruasse, et in gratiam alicuius vel odium a iure recessisse statui Ger. Noodt *Probabil. Lib. II. cap.* 2. *pag.* 36. et *de pact. et transact. cap.* 22. *pag.* 546. Variationes quoque eiusdem notant Cuiac. *Obs. Lib. IIII. cap.* 1. Menill. *Obseru. Lib. I. cap.* 9. et Noodt. *Obs. Lib. II. cap.* 18. vbi et stilum

eius abruptum et hiulcum, ac proinde maxime obscurum notari animaduertimus, de quo etiam conqueruntur Guil. Budaeus *Annot. ad Pandect. pag. 75. sequ.* Franc. Duaren. *Disput. anniuers. l.* 50. Petr. de Toullieu *Diss. de anantapodotis in iure occurrentibus*, et Eu. Otto *in Papiniano cap.* 11. §. 3. *pag.* 313. Sed vt de stilo Scaeuolae facile transegerim: ita reliqua, quae Scaeuolae exprobrantur, iam ab aliis satis profligata sunt.

§. CCCXVIII.

Eius scripta. Scripsit DIGESTORVM *libros XXXX.* et quidem post excessum Marci Antonini imperatoris, ceu ex *l.* 39. *D. de legat.* 3. obseruauit Ger. Noodt *de foenor. et vsur. Lib. III. cap. 6. pag.* 244. DE QVAESTIONE FAMILIAE *librum singularem*: QVAESTIONVM *libros XX.* QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM *librum singularem*: REGVLARVM *libros IIII.* RESPONSORVM *libros VI.* in quibus eum saepe repetere, quae iam dixerat in *Quaestionibus*, obseruat Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 10. ORΩN *librum singularem*; denique *Notas* IN IVLIANVM et MARCELLVM.

§. CCCXVIIII.

Vlpius Marcellus. Superest VLPIVS MARCELLVS, vir toga sagoque celeberrimus, quem in consilio Antonini Pii fuisse, testatur Iul. Capitolin. *in Antonin. Pio cap.* 12. Floruit et sub Marco, *l.* 19. *D. de testam. tut.* sub quo non quidem praefectus praetorio, vti existimat Bertrandus *de Iuris perit. Lib. I. cap.* 17. sed legatus pro praetore Pannoniae inferioris fuit. Ita enim intelligendus vetus titulus apud Grut. *Inscript. pag.* 100. *num.* 4.

VIRTVTI.
ET
HONORI. L.
VLPIVS. MARCELLVS.
LEG. AVG.
PR. PR.
PANNON. INF.
V. S.

Sub Commodo in Britanniam cum imperio missus, non modo incredibilia continentiae, frugalitatis, et vigilantiae specimina edidit *, sed et rem ibi praeclare gessit, vt parum abesset, quin a saeuissimo principe virtutis caussa occideretur. Dio Cass. *Lib. LXXII. pag.* 820. et *Excerpt. Peiresc. pag.* 724.

* Meretur ille Dionis locus, qualis in primis in *Excerptis Peiresciianis* legitur, excerpi. Ait, legatum illum in Britannia tam alienum fuisse a sordibus et corruptione, quantum ab humanitate ac benignitate: tam autem vigilantem, vt per totam noctem vigilare videretur. Vt vero et ceteros comites somno arceret, eum duodecim tabellas, quales ex philyra fieri solebant, quotidie vesperi perscripsisse, et mandasse suis, vt alius alius, atque aliis horis perferret ad diuersos. Quamquam etiam a natura ad domandum somnum fuerit factus, tamen vigilantiam illam adiuuisse abstinentia, modico tantum vsum cibo, et ut pane ventrem ne impleret, eum Roma in Britanniam aduehi curasse, non quod pane eius regionis vesci non posset, sed vt eo minus ob vetustatem panis comederet, gingiuis ob eius siccitatem saepe cruentatis. Hinc apud Xiphilinum Vlpius noster vocatur ἀνὴρ μέτριος καὶ εὐτελὴς ὤν, *vir modestus et frugi*, ὅτι ἐπολέμει ὑψηλόφρων καὶ φρονηματώδης, χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος ὤν, *sublimis et elati animi, quoties bellum gereret,* et

et pecunia non corruptibilis. Habes ergo priscae disciplinae ac continentiae hominem, dignumque, qui non sub Commodo, sed melioribus rei publicae temporibus vixisset.

§. CCCXX.

Eius secta et scripta.

Proculeianorum suo tempore fuit acerrimus, Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 28. *Lib. VIII. cap.* 18. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 5. §. 4. *pag.* 90. vt Vlpiano aliisque id haud leue veritatis argumentum esset, si Iuliano adstipularetur Vlpius Marcellus. Cuiac. *Obs. Lib. XIIII. cap.* 35. Menag. *Amoenit. iur. cap.* 24. Miretis, homini negotioso, et saepius in castris, quam in museo, moranti tantum fuisse ocii, vt aliquid de iure scriberet. Et tamen praeter NOTAS AD IVLIANVM et POMPONIVM reliquit DIGESTORVM *libros XXXI.* AD LEGES Iuliam et Papiam *libros VI.* DE OFFICIO PRAESIDIS *librum singularem*: DE OFFICIO CONSVLIS *libros* saltim *V.* PVBLICORVM *libros II. et librum singularem* RESPONSORVM *.

* Addit Iac. Curtius Εἰκαστῶν *Lib. I. cap.* 38. NOTAS AD PAPINIANVM, quarum mentionem fieri ait *l.* 7. *D. ad leg. Iul. de adult.* Marcellum saltim laudasse ait Papinianum *l.* 1. *D. ad SC. Turpillian.* Quum vero multo antiquiorem Papiniano Scaeuolam ad Marcellum notasse constet: *l.* 11. §. 6. *D. de donat. int. vir. et vxor.* laudatus Curtius duos floruisse *Marcellos* iuris consultos, existimat: *Vlpium* alterum, de quo hic agimus, alterum C. *Quintillium*. Sed potuisset Curtius non errare. Qui enim ad Papinianum scripsit, eumque laudauit, non est MARCELLVS, sed AEL. MARCIANVS, Vlpiani aequalis. Adeoque ad illorum temporum iuris consultos non pertinet C. *Quintillius*.

§. CCCXXI.

Status iuris sub Septimio Seuero.

Redimus ad imperatores Romanos, inter quos obtruncato Didio Iuliano, aemulisque, C. Pescennio Nigro, et D. Clodio Septimio Albino, remotis, imperium arripuit L. SEPTIMIVS SEVERVS, Africanus, princeps non solum Graecis Latinisque litteris eruditissimus, sed et iuris Romani peritissimus, auditor quippe Q. Ceruidii Scaeuolae, et Papiniani condiscipulus (§. 317.), et hinc fisci aduocatione ante imperium functus. Spartian. *Septim. Seu. cap.* 1. *et* 2. Huius potissimum condiscipuli sui, Papiniani, vsus consilio iura constituit, aequitatis, moderationis clementiaeque plenissima, vt ab Aurelio Victore *legum conditor longe aequabilium* adpelletur. Eu. Otto *Papinian. cap. XIIII.* §. 3. *pag.* 496. *edit. nou.* Odio tamen decessoris, Didii Iuliani, *Saluii Iuliani decreta iussit aboleri, neque obtinuit*. Spartian. *Seuer. cap.* 17. Quod nos de edicto Iuliani perpetuo intelligendum esse arbitramur *.

* Sunt, qui haec de Didii Iuliani decretis intelligunt, quia et hic intercalaris veluti princeps Salui nomen tulerit. Thomas. *Naeu. iurisprud. anteiustin. pag.* 85. Sed *de Saluii scriptis*, non de imperatoris alicuius actis loqui Spartianum, ex Aurelio victore, eamdem rem plenius narrante, intelligimus. Is enim, vbi de Septimio nostro agit: *Saluii*, inquit, *nomen, atque eius* SCRIPTA *factaque aboleri iubet, quod vnum effici nequiuit*. Iam quid, quaeso, scripsisse nouimus Didium, tam eximium, vt id perire nollet senatus? Et quid intererat senatus, Didii principis sibi exosi et hostis a se iudicati, memoriam et acta non aboleri, vt in hoc vno principi asper-

pertimo dicto minus audiens esse auderet? Denique si de Saluii Iuliani scriptis priuatim editis accipiamus Spartianum et Aurelium Victorem, vix comminisci licebit rationem, cur senatus voluntati principis seueri, et adcuratum a suis obsequium exigentis, refragari voluerit. Verosimillimum itaque est, Seuerum, exsecratum Iulianorum nomen, conditum a Saluio Iuliano edictum perpetuum voluisse abolere, senatu tamen ob eximiam eius operis praestantiam auctoritatemque grauiter obnitente.

§. CCCXXII.

Iura a Seuero constituta.

Inter Seueri instituta et sequentia fuerunt: quod praefecturam vrbanam, data ad Fabium Chilonem epistola, ad summam euexit potentiam: *l. 1. D. de offic. praef. vrb. l. 8. §. 5. D. de poen. l. 6. §. 1. D. de interd. et releg.* quod oratione sua anno ab v. c. 948. *Q. Flauio Tertullo* et *Flauio Clemente* coss. res immobiles eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto alienari vel supponi vetuit: *l. 1. §. 1. D. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur.* quod legem Iuliam de adulteriis in vsum reuocauit *: Dio Cass. *apud* Xiphil. *Lib. LXXVI. pag.* 869. quod quaedam circa leges Iuliam & Papiam Poppaeam mutauit: Tertull. *Apologet. cap.* 4. quod cum Antonino Caracalla, filio, imperii socio, SCto anno ab v. c. 959. *M. Numio Albino* et *Fuluio Aemiliano* coss. facto, donationes inter virum et vxorem de nouo prohibuit: *l. 32. pr. D. de donat. int. vir. et vxor.* Recensum vero tot constitutionum, quae in *Pandectis* aeque ac *Codice*, vtramque paginam faciunt, hic a nobis institui, chartae angustia vix patitur.

* Debemus hanc notitiam Dioni, qui de Seuero imp. refert, eum criminari solitum incontinentes, *οἱ καὶ περὶ τῆς μοιχείας νομοθετῆσαί τινα*, *ob eamque caussam et de moechis leges tulisse*, ex quibus deinde quam plurimi in ius rapti sint. Addit: *Τρισχιλίας γὰρ ὑπατεύων εὗρον ἐν τῷ πίνακι ἐγγεγραμμένας*, innuens, *se consulem tria millia moechorum in tabulis accusatorum reperisse*. Incidit vero Cassii illius consulatus in annum Christi 291. quo iam paene ante centum annos leges istas seuerissimas tulerat Seuerus, ex eoque iam satis patet, quam late patuerit hoc flagitium, quum Seuerus eam legem ferret. Ceterum ex eo simul reddi poterit ratio, cur *de adulteriis* et ad legem Iuliam de illis eo tempore certatim scripserint PAPINIANVS, VLPIANVS, PAVLLVS, et alii.

§. CCCXXIII.

Status iuris sub Caracalla.

Qui exstincto patre, et Geta fratre occiso, solus imperauit, ANTONINVS CARACALLA, non minus, quam pater, ius variis nouis institutis locupletauit. Nam vt iam non dicam de celeberrima constitutione *l. 17. D. de statu hom.* qua ius ciuitatis cum omnibus ingenuis, in orbe Romano habitantibus, communicauit *, quam Antonino nostro auctoritate Dionis Cassii *in Excerpt. Peiresc. pag.* 744. vindicat Ezech. Spanhem. *in Orbe Romano*: tot aliae eius constitutiones in *Codice* et *Pandectis*, immo et in *Codicis Gregoriani* et Paulli *Sententiarum receptarum* reliquiis supersunt, vt reliquorum imperatorum paene omnium constitutiones numero superare videantur.

* Origo ergo huius iuris hodie extra omnem dubitationis aleam posita est, quamuis et nostris temporibus non desint viri eruditissimi, qui et Antonini Pii hac in re partes aliquas fuisse, adeoque vel constitutionem antiquam ab Antonino Pio primum editam, in vsum reuocatam esse, vel distinctione

inter

inter ius ciuitatis *indultum* et *imperatum* rem expediri posse existimant. Io Petr. a Ludewig. in *Diss. de peregrinitate, albinagio, et vvildfangiatu*, cap. 4. §. 3. pag. 98. *sequ.* Et sane fauent huic sententiae partim locus insignis *Nouellae LXXVIII.* cap. 5. partim nummus Antonini Pii imp. apud Mediobarbi Biragi, cuius in postica coronae inscriptum: S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIVM. At si dicendum, quod res est, nec Iustiniani est tanta in rebus historicis auctoritas, vt ea in re errare non potuisse videatur: et elogium istud tribui posse Antonino Pio, si vel maxime auctor non sit constitutionis famosissimae, quam *l. 17. D. de stat. hom.* laudari animaduertimus, iam ipse ostendit Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap. 1. pag.* 208. quippe qui non modo viros bene de re publica meritos frequentius iure ciuitatis donarit, sed et cum Carnis Catalisque, adeoque cum totis gentibus, eximium istud beneficium communicarit. Gruter. *Inscript. pag.* 408. *num.* 1.

§. CCCXXIIII.

Itemque sub Opilio Macrino.

ELAGABALVS, monstrum illud hominis, qui, occiso Caracalla, victoque aemulo *M. Opilio Aurelio Seuero Macrino*, imperio potitus est, non plus ad iuris prudentiam amplificandam contulit, quam hic Opilius, vt scribit Iul. Capitol. *in Macrin. cap. 13. iuris non incallidus*, et, teste Herodiano *Histor. Lib. IIII. cap.* 12. peritus νόμων ἐπιστήμης. Equidem Opilium istum *omnia rescripta veterum principum tollere statuisse*, refert *eodem loco* Iulius Capitolinus, *nefas esse dicentem, leges videri Commodi et Caracallae, hominum imperitorum voluntates, quum Traianus numquam libellis responderit, ne ad alias caussas facta* * *proferrentur, quae viderentur ad gratiam composita*. Sed breuitas imperii vix bimestris vetuit illum spes inchoare longas.

* FACTA hic sunt rescripta, vti Graecis πραγματικαὶ vel πραγματικοὶ τύποι. Iac. Gothofred. *ad Codic. Theodos. Tom. I. pag.* 25. Hinc PAVLLI *libri Sententiarum et* FACTORVM *sex.* Ceterum quamuis id consilium Macrini plerique damnent: tantum tamen abest, vt videatur reprehendendum, vt prudentissimo instituto rescriptis tantum in aliquorum gratiam vel odium editis vim legum detrahere voluerit. Id vero non magis improbandum est, quam quod et Valentinianus Senior imperator talia rescripta cassa esse iussit. *l. 6. C. de vectigal.*

§. CCCXXV.

Nec non sub Elagabalo.

ELAGABALI vero ne nomen quidem in *Pandecte* occurrit, quamuis quaedam eius constitutiones exstent *l. vn. C. Gregor. de patr. potest.* et *l. 8. C. de negot. gest.* quas Elagabali esse, ex subscriptionibus docent Henricus Norisius *Epist. consular. pag.* 471. et Ant. Pagi *Crit. Baron. Tom. I. pag.* 203. Obiter tamen monemus, Elagabali origines, et familiam ex *Pandectis* non modo illustrari, verum etiam suppleri posse *.

* Fuisse ELAGABALVM filium Varii Marcelli et Iuliae Soaemidis, ex eorum temporum historicis satis notum est. Sed in iure nostro passim memorantur alii eius cognati, quos hac tabula repraesentare iuuabit, maxime quum quaedam videantur emendanda, quae parum adcurate tradidit Reines. *Epist. ad Rupert. 69. pag.* 611.

coſſ. * de fideicommiſſariis libertatibus; de quo *l.* 28. §. 4. *l.* 51. §. 8. *D. de fideic. libert.*

* Varie admodum hi coſſ. ſuffecti nominantur. Aemilius Lampridio *in Commod. cap.* 4. vocatur *Iunctus*, eiuſque collega *Atilius Seuerus*, quos a Commodo in exſilium actos refert. At coſ. alter in *l.* 28. §. 4. *D. de fideic. libert. Iulius Seuerus*, in aliis Faſtis *A. Hibius Seuerus* dicitur. Sed facile ex *Atilius* ſcribarum oſcitatione fieri potuit *A. Hibius*, vel *Iulius*.

§. CCCIIII.

Status iuris Rom. ſub Pertinace et Iuliano. Occiſo Commodo HELVIVS PERTINAX, et huic mox neſarie obtruncato DIDIVS IVLIANVS, Saluii Iuliani pronepos, (§. 289. *) ſucceſſit. Vtriquee in tam breui imperio vix licuit multa idure conſtituere. Memorantur tamen quaedam Heluii Pertinacis CONSTITVTIONES, veluti vna de fideicommiſſariis libertatibus, occupata a fiſco hereditate, dandis: *l.* 12. §. 2. *D. de fideic. libert.* nec non Graeca altera, de immunitate ob XVI. liberorum numerum, aliaſque cauſſas concedenda. *l.* 5. §. 2. *et* §. 13. *D. de iur. immunit.*

§. CCCV.

Quaedam Pertinacis conſtitutiones, & orationes. In Codicem quoque repetitae praelectionis relatas eſſe video eius CONSTITVTIONES de filio, qui patrem familias mentitus mutuam ſumſit pecuniam. *l.* 1. *C. de SC. Macedon.* et de ſeruo oppignorato, ac deinde herede inſtituto. *l.* 2. *C. de ſeru. neceſſ. her. inſt.* Sed et ORATIONIS D. Pertinacis de teſtamentis mentio fit §. 7. 8. *Inſt. quibus mod. teſt. infirm.* Iul. Capitolin. *in Pertin. cap.* 7. IVLIANI, quamuis iuriſconſultiſſimi principis *, nihil, quod ſciam, in iure noſtro occurrit, niſi quod ei, nondum principi, reſcripſiſſe dicitur Marcus imperator. *l.* 20. §. 9. *D. qui teſtam. fac. poſſ.*

* Imperatorem hunc *Iulianum iuris peritum* vocat Euſeb. *in Chronic. num.* 2109. immo et aliis Graecis ſcriptoribus *νομοθέτης* eſt: ſed vereor, ne hi aeque, ac Aurelius Victor, eum cum Saluio Iuliano proauo confundant. De Euſebio tamen id ſuſpicari vix licet, quia ipſe alibi in *Chronico* meminit Saluii Iuliani, qui ſub Hadriano compoſuerit edictum perpetuum, adeoque hunc cum Didio Iuliano confundere non potuit.

§. CCCVI.

ICti qui ſub Antoninis huc vſque floruerunt. Sex. Caecilius Africanus. Sed omittendi etiam non ſunt IVRISCONSVLTI, qui ſub Antoninis ad haec vſque tempora floruerunt. Eorum agmen ducit SEX CAECILIVS AFRICANVS. Eumdem enim cum Africano eſſe *Sex.* illum *Caecilium*, qui *l.* 3. §. 4. *D. de agnoſc. et al. liber.* memoratur, et quem Gell. *Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 15. cum Fauorino de XII. tabularum legibus diſputaſſe refert, contra Ant. Auguſtinum, Labittum, et Menagium oſtenderunt Cuiac. *Tract. I. in African. init. Obſeru. Lib. VII. cap.* 2. et Reinold. *ad l.* 23. *D. de reg. iur. pag.* 9.*

* Fundus rei eſt *l.* 3. §. 4. *D. de agnoſc. et al. liber.* vbi Iulianus *Sex. Caecilio Africano* reſpondiſſe dicitur. Quum ergo et tempus conueniat, nec inauditum, ſed frequentiſſimum ſit, iuris conſultum iuris conſulto reſpondere, maxime ſeniorem et ſeverioris famae iuniori, praeceptorem diſcipulo: nulla

nulla profecto ratio est, cur elegantem illam coniecturam Cuiacii reiicere velimus, quamuis eam pro certa obtrudere, ne ipse quidem fortassis Cuiacius voluerit.

§. CCCVII.

Fuit Africanus Iuliano σύγχρονος, sed eo paullo aetate minor, quippe qui sub Antoninis potissimum floruit. Saltim ante Seueri et Antonini Caracallae tempora eum vixisse ex *l.* 109. *D. de legat.* 1. acute, suo more collegit Cuiac. *Recitat. ad African. Tract. I.* Sabinianum eum fuisse, et eius quidem sectae subtilissimum, nemo negauerit. At apud eumdem Iuliani, vti apud Pythagoraeos Pythagorae, auctoritatem sine ratione valuisse, quod eidem Cuiacio, Menagio, et Guil. Grotio visum est, nullo idoneo argumento probatur. Mascou. de *sect. Sabin. et Procul. cap.* 4. §. 3. Scripsit *libros nouem* QVAESTIONVM *, et fortassis *libros saltim XX.* EPISTOLARVM, quae laudari videntur *l.* 39. *pr. D. de legat.* 1. Eius aetas, secta, scripta.

* In his QVAESTIONVM libris tam subtiliter de difficillimis iuris quaestionibus disputauit Africanus, vt iam olim in prouerbium iuerit quotidianum interpretum dicterium: *Africani, lex id est, difficilis.* At nodos illos se vindice dignissimos existimauit ὁ πάνυ Cuiacius, qui scriptis in Africani fragmenta recitationibus, non alios tantum, sed et se ipsum longe superauit.

§. CCCVIII.

Minus celebres sunt TERENTIVS CLEMENS et VINIDIVS VERVS. Et ille quidem discipulus, vti videtur, et sectator Iuliani fuit, quippe quem ipse *suum* vocat *l.* 6. *D. de vulg. et pupill. subst.* auctorque fuit *librorum XX.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM, ex quibus plurima in *Digestis* fragmenta, alibi a nobis curatius exposita, supersunt. Hic inter Antonini Pii consiliarios fuit, Iul. Capitolin. *in Antonin. cap.* 12. et a Maeciano, Vlpiano, et Paullo aliquoties, quamuis non expressis librorum titulis, laudatur. *l.* 32. §. 4. *D. ad leg. Falcid. l.* 7. §. 18. *D. de pact. l.* 2. *D. si ex nox. causs. agat.* Terentius Clemens et Vinidius Verus.

§. CCCVIIII.

IVNIVS MAVRICIANVS, qui aetatem suam ipse perspicue indicat, *l.* 57. *D. de legat.* 2. auctor fuit *librorum sex* AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM, et saltim *duorum* DE POENIS. *l.* 3. *D. de edendo.* TARVNTENVS PATERNVS sub Commodo imp. praefectus praetorio occubuit, *Excerpta Peiresc. pag.* 724. Lamprid. *in Commod. cap.* 4. relictis *libris IIII.* DE RE MILITARI *. Denique PAPIRIVS IVSTVS, collector *librorum XX.* CONSTITVTIONVM, vti fragmenta eius operis pleraque ostendunt, sub Marco potissimum Antonino et Commodo scripsisse videtur. Vid. *l.* 60. *D. de pact.* Iunius Mauricianus, Taruntenus Paternus, et Papirius Iustus.

* Sunt duo priores iuris consulti omnino notabiles. IVNIVS MAVRICIANVS procul dubio adoptiuus fuit *Iunii Maurici*, fratris *Iunii Aruleni Rustici*, quorum stemma supra (§. 239. *) dedimus. Quum enim Plinius *Lib. II. epist.* 15. mentionem faciat plurium filiorum istius Iunii Aruleni Rustici; vnus eorum a patruo, *Iunio Maurico*, adoptatus, Iunii Mauriciani nomen videtur

detur adscivisse. TARVNTENVM PATERNVM sub Alexandro demum Seuero imp. vixisse existimat Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79. non alio motus argumento, quam quod hic imperator *Paterno* cuidam rescribit *l.* 2. *C. de magistrat. conuen.* Sed quum et iis temporibus, et multo post permulti floruerint Paterni, quorum aliquos recenset Reines. *Inscript. pag.* 38. nulla ratio est, cur ibi Taruntenum Paternum nostrum intelligamus. Accedit, quod iam illo tempore homines iuris rerumque militarium periti ad praefecturam praetorianam adspirarent. Nostrum vero tamquam *diligentissimum iuris militaris adsertorem* laudat Veget. *de re milit. Lib. I. cap.* 8.

§. CCCX.

Sex. Pomponii aetas. SEX. POMPONIVS vnus, non duo, in iure nostri celebrari videtur *, de eoque nos ex instituto egimus in *Praefatione Opusculis ad historiam iuris, et maxime ad Pomponii Enchiridion illustrandum pertinentibus*, praemissa, *Halae* 1735. 4. Vixisse eum Iuliani temporibus, vel inde patet, quod et a Iuliano laudatur, *l.* 6. §. 6. 7. 8. *D. de negot. gest. l.* 63. §. 9. *D. pro soc.* et ipse Iulianum et Aburnum Valentem laudat. *l.* 2. §. 8. *D. de orig. iur.* Vitam saltim ad Diuorum Fratrum, quos vocant, tempora produxit, quippe qui alicubi *Antoninum Pium* diuum vocat. *l. penult. D. de pollicit.* Contra nusquam meminit vel Marci Antonini, vel Commodi, immo ne *Vlpii Marcelli* quidem, ceu quidam ex *l.* 10. *D. de castr. pecul.* colligunt. Verba enim illa non Pomponii esse, sed Triboniani, quamdam Vlpii Marcelli notam ad Pomponium referentis, obseruauit Ant. Augustin. *de nom. propr. Pandect. pag.* 121. Erroris ergo manifesti rei sunt, qui eum sub Alexandro demum vixisse contendunt, veluti Bernard. Rutil. *Vit. ICtor. cap.* 73. et Io. Bertrandus *de iurisperit. Lib. I. cap.* 11. Vterque enim deceptus est loco Lampridii *in Alex. cap.* 48. quem ab aliena manu esse, luculenter ostendit Salmas. *ad hist. aug. script. pag.* 242.

* Duos fuisse Sex. Pomponios, primus suspicatus est Ant. Augustin. *de nom. prop. Pandect. pag.* 92. et 255. quem deinde cum alii, tum et Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 5. sequuti sunt. Immo nec se ab hac sententia admodum alienum esse profitetur Eu. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. iur. ciuil.* At rationes omnes, quas diligenter collegit Grotius, *in praefatione ad laudata Opuscula, pag.* 10. *sequ.* excussimus. Vrgent praecipue, Pomponium in *l.* 41. *D. de hered. inst.* ipsum videri alium Sex. Pomponium citare, et in *l.* 32. *D. de legat. I.* legi: *quod ita verum esse, tam Sex. quam Pomponius, negant*. Sed vti in posteriore textu SEXTVS ille alius esse potest IC. quam Pomponius, et ille ipse fortassis, qui *l.* 44. *pr. D. solut. matr. l.* 30. §. 6. *D. de adquir. hered. et l.* 1. §. 27. *D. ad SC. Silan.* ita admodum dubium est, an *l.* 41. *D. de hered. inst.* sit Pomponii, ac non potius Iuliani, *et liber XII. Lect. var.* Pomponii non in margine tantum fuerit adscriptus. vid. Reinold. *Orat. de Pompon. pag.* 12. *sequ.*

§. CCCXI.

Eius philosophia et secta. Praeter iuris prudentiam eorum temporum more et philosophiam videtur excoluisse, cuius vestigia deprehendimus in *l.* 121. *D. de verb. signif.* iuncto Seneca *de benef. Lib. VII. cap.* 10. et *l.* 30. *pr. D. de vsurp. et vsucap.* vbi diuisio corporum interiorem philosophiam redolet, ceu obseruarunt Cuiac. *Obs. Lib. XV. cap.* 33. et Guil. Forner. *Select. Lib. II. cap.* 27. De secta inter viros doctos non satis conuenit,

nit, aliis eum iuris consultis neutrarum partium, quos erciscundos adpellitant, adnumerantibus, Mascou. *de sectis Sabin. et Procul. cap.* 9. §. 4. *pag.* 130. aliis eum inter Proculeianos referentibus, Christ. Otto a Boekelen *de diuers. famil. vet. ICtor. cap.* 6. *

* *Proculeianum* ideo fuisse contendunt, quod Labeonis definitionem probet: *l.* 22. §. 1. *D. quando dies leg. ced.* eiusque sententiam tueatur aduersus Trebatium: *l.* 21. *pr. D. de hered. instit.* Proculo testimonium denunciet, *l.* 16. §. 2. *D. de euict. l.* 12. *pr. D. de legat.* 2. itemque, eius et Pegasi, Celsi, Atilicini, Aristonis, et Neratii sententias probet: *l.* 28. *D. de adquir. rer. dom. l.* 43. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 29. *D. de euict. l.* 14. *D. de verb. obl. l.* 48. *pr. D. de legat.* 1. *l. vlt. D. de adqu. vel omitt. her. l.* 21. *l.* 72. *D. ad SC. Trebell. l.* 8. §. 2. *D. de liberat. leg. l.* 3. *D. pro suo. l.* 45. *D. de legat.* 1. At idem Pomponius non modo Sabino et Cassio aliquando suffragatur, *l.* 6. *D. de condit. et demonstr. l.* 6. *D. de stipul. seru.* et eorum dicta benigniore interpretatione iuuat, *l.* 3. §. 1. *D. de iur. et facti ignor.* sed et passim eorum auctoritate vtitur, *l.* 34. §. 2. *D. de fideic. libert.* et id plerumque agit, vt dissidentes iuris consultos ad concordiam reducat, veluti Proculum et Sabinum, *l.* 14. *D. de condit. et demonstrat.* nec non Proculeianos et Sabinianos, *l.* 26. §. 2. *D. de legat.* 2. Qui vero ita rationes componit, iuris consultus, eum si quis sectarium esse clamet: nae is, quid sit sectae studium, mihi omnino videtur ignorare.

§. CCCXII.

Scripsit hic iuris consultus, inter πολυγράφους iure referendus, ENCHIRIDION duplex, quorum vnum *singularis* fuit *liber*, *l.* 2. *D. de orig. iur. l.* 2. *D. de iust. et iur. l.* 239. *D. de verb. sign.* alterum ex duobus libris constitit: *l.* 5. *D. de grad. et adfin. l.* 13. *D. de tutel. l.* 107. *D. de solut. et liberat.* EPISTOLARVM *libres XX.* FIDEICOMMISSORVM *libros V.* LECTIONVM AD Q. MVCIVM *libros XXXVIIII.* AD PLAVTIVM *libros VII.* REGVLARVM *librum singularem*, AD SABINVM *libros XXXV.* SENATVSCONSVLTORVM *libros V.* VARIARVM LECTIONVM *libros* non XV. vt est in indice Florentino, sed saltim *vltra XXXX.* * *l.* 8. §. 6. *D. si seru. vind.* DIGESTORVM *libros V.* DE STIPVLATIONIBVS *libros VIII.* denique AD EDICTVM *libros LXXXIII.* ex quibus fragmenta in *Pandectis* quam plurima supersunt. Eius scripta.

* Hunc titulum inter *inscriptionum festiuitates, quas plerique vtriusque linguae scriptores in libris suis fecisse ait*, refert Gell. *N. Att. praefat.* Ait enim, *alios libros suos* MVSARVM *inscripsisse*, alios SILVARVM, *illum* ΠΕΠΛΟΥ, *hunc* ΚΕΡΑΤΟΣ ΑΜΑΘΕΙΑΣ, *alium* ΚΗΡΙ *partim* ΛΕΙΜΩΝ, *quemdam* LECTIONIS SVAE, *alium* ANTIQVARVM LECTIONVM. Vbi Gellius manifesto ridere voluit titulos librorum argutiores atque exquisitiores. Sed iam Salmasius recte monuit, multos titulos eo referre Gellium, qui nihil habeant, quod ad *festiuitates inscriptionum* iure referri possit. Quid enim festiuitatis inest inscriptionibus *antiquarum lectionum, epistolarum moralium, epistolicarum quaestionum, historiae naturalis*, quas omnes Gellius in hanc classem retulit? Quis non titulum NOCTIVM ATTICARVM, quem ipse Gellius tamquam simplicissimum libro suo praescripsisse, ait, facilius facetis nugis comparet, quam titulum *antiquarum* vel *variarum lectionum*? Sed videtur Gellius hic sine iudicio imitatus Plinium *in praefat. Hist. natural.*

§. CCCXIII.

CAIVS, elegantis ingenii iuris consultus, vulgo GAIVS, certissime vixit sub Hadriano, seu patet ex *l.* 7. *pr. D. reb. dub.* certissime etiam Caius iuris consultus

iam superstes fuit Antonino Pio, quia M. Antoninum imperatorem *sacratissimum principem suum* vocat *l. 9 D. ad SC. Tertull.* An vero ad Antonini Caracallae tempora aduixerit, quod Iac. Raeuardo *Coniect. Lib. III. cap. 19.* et nuper Franc. Car. Conradi (*Act. erud. Lips. a.* 1727. *mense Februar.*) visum est, merito in medio relinquimus, tanto certiores, falli eos opinione sua, qui Caium nostrum, quem familiaritatis iure suum vocat Pomponius, *l. 39. D. de stipulat. seruor.* vel ad Diocletiani, vel ad ipsius Iustiniani tempora vitam produxisse existimant, quum ab Hadriani excessu ad Diocletiani imperium centum et quadraginta septem; ad Iustinianei imperii auspicia trecenti octoginta nouem anni sint circumacti *.

* Caium Diocletiani tempora attigisse suspicatus est Marcilius *ad §. 6. prooem. Instit.* Eumdem Iustiniano *σύγχρονον* et Christianum fuisse, ex *d. §. 6. prooem. Inst.* §. 5. *Inst. de publ. iudic.* et *Constit. omnem reip. §. 1. ad Antecess.* collegerunt Ant. Vacca et Hotomanus, non alio persuasi argumento, quam quod eum *Caium suum* vocare non dubitarit Iustinianus. At praeterquam quod nihil Christiani praeferunt Caii fragmenta, quodque vtrique huic sententiae rationes chronologicae manifesto refragantur: aliae rationes esse potuerunt Triboniano, (nam Iustinianum ibi stilo suo vsum, vix credibile est,) cur Caium *suum* vocare non dubitarit, quoniam nimirum eum potissimum exscripsit in conscribendis Institutionibus. Vid. Eu. Otto *Praef. Tomi I. Thesaur. iur. ciu. pag.* 19.

§. CCCXIIII.

Eius scripta.

Ceterum Caivs quoque a sectae studio satis alienus iure ercifcundis accensetur, Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 3. *pag.* 127. modestiam eius satis superque demonstrantibus tot eius fragmentis, quae in *Digesta* retulit Tribonianus. Scripta reliquit tam multa, vt lectorem merito remittamus ad indicem Florentinum et Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 43. id modo obseruantes, eum quaedam scripsisse, in quibus reliquorum iuris consultorum vix quisquam exercuerat ingenium, veluti DOTALITIORVM *librum singularem* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libros II.* AD EDICTVM PROVINCIALE *libros XXXII.* AD LEGES XII. TAB. *libros VI.* et similia. INSTITVTIONEM et extra *Pandectas* exstare fragmenta bene longa, sed ab Aniano passim interpolata, nemo ignorat. *

* Ex iis duo fragmenta insignia de ritu mancipationis, et in iure cessione, qui in Anianea editione hodie non exstant, seruauit Boeth. *Lib. III. Commentar. in Topic. Ciceron.* quae tota exhibet Ant. Schulting. *in Iurisprudent. vetere anteiustin. pag.* 50. *seqq. et pag.* 84. *seqq.* Sed eadem in Cyri *Commentario ad tit. C. de vsuc. transform.* multo integriora reperit Bynkershoek. *de reb. mancipi*, *cap.* 1. *pag.* 107. Is vero haec descripta esse ait a Petro Iacobo de Rauani, qui dicat *se ea vidisse in libro Institutionum Caii*. Quae si vera sunt, (fidem autem Petri Iacobi de Rauani in dubium cur vocare velimus, nullam omnino rationem video,) Caii Institutiones, saeculo XIII. quo ille Rauani vixit, adhuc integriores, quam est Aniani editio, exstitisse oportet.

§. CCCXV.

L. Volusius Maecianus.

L. Volvsivm Maecinavm sub Antonino Pio et Diuis Fratribus vixisse, et in eorum principum consilio fuisse, ex Iul. Capitolin. *in Pio*

Pio cap. 12. *l.* 42. *et l.* 47. *D. de fideic. libert.* denique ex *l.* 17. *D. de iur. patron.* patet. Marcum imp. instituerat in iuris prudentia, teste eodem Iulio Capitol. *in Marc. cap.* 3. Vid. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. Vitam etiam ad Marci imperium produxit, sub quo tamquam Alexandrinae ciuitatis iuridicus, in Auidii Cassii tumultu periit, et quidem seditionis Cassianae conscius, teste Volcat. Gallic. *in Auid. Cass. cap.* 7. id est anno erae Dionysiacae 175. in quem hunc tumultum incidere ostendit Ant. Pagi *Critic. Baron. Tom. I. pag.* 168. *seqq.*

§. CCCXVI.

Eius secta & scripta.

Sabinianum eum fuisse, et Iuliani adseclam, ipse in fragmentis suis satis prodidit. Scripsit FIDEICOMMISSORVM seu QVAESTIONVM DE FIDEICOMMISSIS *libros sedecim.* Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. PVBLICORVM *libros XIIII.* a quibus diuersum fuisse librum EX LEGE RHODIA, vel AD LEGEM RHODIAM * suspicamur, quamuis aliud visum sit Iac. Gothofredo *de imper. mar. cap.* 2. Vid. Bynkershoek. *ad l.* 9. *D. ad leg. Rhod. cap.* 1. Porro *libri* QVAESTIONVM meminit Papinianus, *l.* 86. *D. de adquir. vel omitt. hered.* qui tamen an a *libris quaestionum de fideicommissis* diuersus sit, alii viderint. Denique notus est *libellus* Maeciani DE ASSE, a Io. Fridr. Gronouio post opus *de pecunia veterum*, et a Io. Ge. Graeuio *Thesaur. antiqu. Rom. Tomo XI.* editus, et iuris studiosis etiam commendatus a Iac. Cuiacio *ad l.* 21. §. 2. *D. de ann. legat.*

* In Florentina est: *ex lege Rhodia*, apud Haloandrum: *ad legem Rhodiam.* Sed non erat, quod hic aliquid mutaret Haloander. Ita enim, notante Bynkershoekio, et aliae in iure nostro librorum inscriptiones se habent. Nec absurdus est titulus, ex quo colligitur, Maeciani librum fuisse collectionem quarumdam legum Rhodiarum, fortassis quae magis in vsu erant, et ad iactum pertinebant, quasque hoc libro Volusius vel collegerit tantum, vel notis suis illustrarit. Vid. Bynkershoekii *Opusc. min. pag.* 269. *edit. nou.*

§. CCCXVII.

Q. Ceruidius Scaeuola.

Proximus est Q. CERVIDIVS SCAEVOLA, *auctor iuris consultorum prudentissimus*, *l.* 3. *C. Th. de testam.* et Marco Antonino a consiliis, Iul. Capitol, *in Marc. cap.* 2. vel hoc ipso maximam laudem consequutus, quod Seuerum imp. et Papinianum iuris consultum formauit. Iul. Capitolin. *in Caracall. cap.* 8. Miscellionibus vel ercifcundis eum adnumerat Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 5. quippe adeo fluctuantem inter diuersas scholae vtriusque sententias, vt Bertrando Proculeianus, Ottoni a Boekelen *de famil. ICtor. cap.* 5. Sabinianus videatur. Notum quoque est, eum apud quosdam non modo obscuritatis et variationis, sed et προσωποληψίας caussa male audire. *

* Nam in *l.* 14. *D. de transact.* eum ingenuitatis et candoris laudem non seruasse, et in gratiam alicuius vel odium a iure recessisse statuit Ger. Noodt *Probabil. Lib. II. cap.* 2. *pag.* 36. et *de pact. et transact. cap.* 21. *pag.* 546. Variationes quoque eiusdem notant Cuiac. *Obs. Lib. IIII. cap.* 1. Menill. *Obseru. Lib. I. cap.* 9. et Noodt. *Obs. Lib. II. cap.* 18. vbi et stilum

eius abruptum et hiulcum, ac proinde maxime obscurum notari animaduertimus, de quo etiam conqueruntur Guil. Budaeus *Annot. ad Pandect. pag. 75. sequ.* Franc. Duaren. *Disput. anniuers. I.* 50. Petr. de Toullieu *Diss. de anantapodotis in iure occurrentibus*, et Eu. Otto *in Papiniano cap.* 11. §. 3. *pag.* 313. Sed vt de stilo Scaeuolae facile transegerim: ita reliqua, quae Scaeuolae exprobrantur, iam ab aliis satis profligata sunt.

§. CCCXVIII.

Eius scripta. Scripsit DIGESTORVM *libros XXXX.* et quidem post excessum Marci Antonini imperatoris, ceu ex *l.* 39. *D. de legat.* 3. obseruauit Ger. Noodt *de foenor. et vsur. Lib. III. cap. 6. pag.* 244. DE QVAESTIONE FAMILIAE *librum singularem*: QVAESTIONVM *libros XX.* QVAESTIONVM PVBLICE TRACTATARVM *librum singularem*: REGVLARVM *libros IIII.* RESPONSORVM *libros VI.* in quibus eum saepe repetere, quae iam dixerat in *Quaestionibus*, obseruat Cuiac. *Obs. Lib XII. cap.* 10. ΟΡΩΝ *librum singularem*: denique *Notas* IN IVLIANVM et MARCELLVM.

§. CCCXVIIII.

Vlpius Marcellus. Superest VLPIVS MARCELLVS, vir toga sagoque celeberrimus, quem in consilio Antonini Pii fuisse, testatur Iul. Capitolin. *in Antonin. Pio cap.* 12. Floruit et sub Marco, *l.* 19. *D. de testam. tut.* sub quo non quidem praefectus praetorio, vti existimat Bertrandus *de Iuris perit. Lib. I. cap.* 17. sed legatus pro praetore Pannoniae inferioris fuit. Ita enim intelligendus vetus titulus apud Grut. *Inscript. pag.* 100. *num.* 4.

VIRTVTI.
ET
HONORI. L.
VLPIVS. MARCELLVS.
LEG. AVG.
PR. PR.
PANNON. INF.
V. S.

Sub Commodo in Britanniam cum imperio missus, non modo incredibilia continentiae, frugalitatis, et vigilantiae specimina edidit *, sed et rem ibi praeclare gessit, vt parum abesset, quin a saeuissimo principe virtutis caussa occideretur. Dio Cass. *Lib. LXXII. pag.* 820. et *Excerpt. Peiresc. pag.* 724.

* Meretur ille Dionis locus, qualis in primis in *Excerptis Peiresciants* legitur, excerpi. Ait, legatum illum in Britannia tam alienum fuisse a sordibus et corruptione, quantum ab humanitate ac benignitate: tam autem vigilantem, vt per totam noctem vigilare videretur. Vt vero et ceteros comites somno arceret, eum duodecim tabellas, quales ex philyra fieri solebant, quotidie vesperi perscripsisse, et mandasse suis, vt alius alius, atque aliis horis perferret ad diuersos. Quamquam etiam a natura ad domandum somnum fuerit factus, tamen vigilantiam illam adiuuisse abstinentia, modico tantum vsum cibo, et ut pane ventrem ne impleret, eum Roma in Britanniam aduehi curasse, non quod pane eius regionis vesci non posset, sed vt eo minus ob vetustatem panis comederet, gingiuis ob eius siccitatem saepe cruentatis. Hinc apud Xiphilinum Vlpius noster vocatur ἀνὴρ μέτριος καὶ εὐτελὴς ὤν, *vir modestus et frugi*, ὅτε ἐπολέμει ὑψηλόφρων καὶ φρονηματώδης, χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος ὤν, *sublimis et elati animi, quoties bellum gereret*, et

et pecunia non corruptibilis. Habes ergo priscae disciplinae ac continentiae hominem, dignumque, qui non sub Commodo, sed melioribus rei publicae temporibus vixisset.

§. CCCXX.

Eius secta et scripta.

Proculeianorum suo tempore fuit acerrimus, Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 28. *Lib. VIII. cap.* 18. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 5. §. 4. *pag.* 90. vt Vlpiano aliisque id haud leue veritatis argumentum esset, si Iuliano adstipularetur Vlpius Marcellus. Cuiac. *Obs. Lib. XIIII. cap.* 35. Menag. *Amoenit. iur. cap.* 24. Mireris, homini negotioso, et saepius in castris, quam in museo, moranti tantum fuisse ocii, vt aliquid de iure scriberet. Et tamen praeter NOTAS AD IVLIANVM et POMPONIVM reliquit DIGESTORVM *libros XXXI.* AD LEGES Iuliam et Papiam *libros VI.* DE OFFICIO PRAESIDIS *librum singularem*: DE OFFICIO CONSVLIS *libros* saltim *V.* PVBLICORVM *libros II.* *et librum singularem* RESPONSORVM *.

* Addit Iac. Curtius Εἰκαστῶν *Lib. I. cap.* 38. NOTAS AD PAPINIANVM, quarum mentionem fieri ait *l. 7. D. ad leg. Iul. de adult.* Marcellum saltim laudasse ait Papinianum *l. 1. D. ad SC. Turpillian.* Quum vero multo antiquiorem Papiniano Scaeuolam ad Marcellum notasse constet: *l. 11. §. 6. D. de donat. int. vir. et vxor.* laudatus Curtius duos floruisse *Marcellos* iuris consultos, existimat: *Vlpium* alterum, de quo hic agimus, alterum C. *Quinctillium*. Sed potuisset Curtius non errare. Qui enim ad Papinianum scripsit, eumque laudauit, non est MARCELLVS, sed AEL. MARCIANVS, Vlpiani aequalis. Adeoque ad illorum temporum iuris consultos non pertinet C. *Quinctillius*.

§. CCCXXI.

Status iuris sub Septimio Seuero.

Redimus ad imperatores Romanos, inter quos obtruncato Didio Iuliano, aemulisque, C. Pescennio Nigro, et D. Clodio Septimio Albino, remotis, imperium arripuit L. SEPTIMIVS SEVERVS, Africanus, princeps non solum Graecis Latinisque litteris eruditissimus, sed et iuris Romani peritissimus, auditor quippe Q. Ceruidii Scaeuolae, et Papiniani condiscipulus (§. 317.), et hinc fisci aduocatione ante imperium functus. Spartian. *Septim. Seu. cap.* 1. *et* 2. Huius potissimum condiscipuli sui, Papiniani, vsus consilio iura constituit, aequitatis, moderationis clementiaeque plenissima, vt ab Aurelio Victore *legum conditor longe aequabilium* adpelletur. Eu. Otto *Papinian. cap. XIIII.* §. 3. *pag.* 496. *edit. nou.* Odio tamen decessoris, Didii Iuliani, *Saluii Iuliani decreta iussit aboleri*, *neque obtinuit*. Spartian. *Seuer. cap.* 17. Quod nos de edicto Iuliani perpetuo intelligendum esse arbitramur *.

* Sunt, qui haec de Didii Iuliani decretis intelligunt, quia et hic intercalaris veluti princeps Saluii nomen tulerit. Thomas. *Naeu. iurisprud. anteiustin. pag.* 85. Sed *de Saluii scriptis*, non de imperatoris alicuius actis loqui Spartianum, ex Aurelio victore, eamdem rem plenius narrante, intelligimus. Is enim, vbi de Septimio nostro agit: *Saluii*, inquit, *nomen, atque eius* SCRIPTA *factaque aboleri iubet, quod vnum effici nequiuit.* Iam quid, quaeso, scripsisse nouimus Didium, tam eximium, vt id perire nollet senatus? Et quid intererat senatus, Didii principis sibi exosi et hostis a se iudicati, memoriam et acta non aboleri, vt in hoc vno principi asper-

peffimo dicto minus audiens effe auderet? Denique fi de Saluii Iuliani fcriptis priuatim editis accipiamus Spartianum et Aurelium Victorem, vix comminifci licebit rationem, cur fenatus voluntati principis feueri, et adcuratum a fuis obfequium exigentis, refragari voluerit. Verofimillimum itaque eft, Seuerum, exfecratum Iulianorum nomen, conditum a Saluio Iuliano edictum perpetuum voluiffe abolere, fenatu tamen ob eximiam eius operis praeftantiam auctoritatemque grauiter obnitente.

§. CCCXXII.

Iura a Seuero conftituta.

Inter Seueri inftituta et fequentia fuerunt: quod praefecturam vrbanam, data ad Fabium Chilonem epiftola, ad fummam euexit potentiam: *l.* 1. *D. de offic. praef. vrb. l.* 8. §. 5. *D. de poen. l.* 6. §. 1. *D. de interd. et releg.* quod oratione fua anno ab v. c. 948. *Q. Flauio Tertullo* et *Flauio Clemente* coff. res immobiles eorum, qui fub tutela vel cura funt, fine decreto alienari vel fupponi vetuit: *l.* 1. §. 1. *D. de reb. eor. qui fub tutel. vel cur.* quod legem Iuliam de adulteriis in vfum reuocauit *: Dio Caff. *apud* Xiphil. *Lib. LXXVI. pag.* 869. quod quaedam circa leges Iuliam & Papiam Poppaeam mutauit: Tertull. *Apologet. cap.* 4. quod cum Antonino Caracalla, filio, imperii focio, SCto anno ab v. c. 959. *M. Numio Albino* et *Fuluio Aemiliano* coff. facto, donationes inter virum et vxorem de nouo prohibuit: *l.* 32. *pr. D. de donat. int. vir. et vxor.* Recenfum vero tot conftitutionum, quae in *Pandectis* aeque ac *Codice*, vtramque paginam faciunt, hic a nobis inftitui, chartae anguftia vix patitur.

* Debemus hanc notitiam Dioni, qui de Seuero imp. refert, cum criminari folitum incontinentes, *ὡς καὶ περὶ τῆς μοιχείας νομοθετῆσαί τινα*, *ob eamque cauffam et de moechis leges tuliffe*, ex quibus deinde quam plurimi in ius rapti fint. Addit: *Τρισχιλίας γοῦν ὑπατεύων εὗρον ἐν τῷ πίνακι ἐγγεγραμμένας*, innuens, *fe confulem tria millia moechorum in tabulis accufatorum reperiffe*. Incidit vero Caffii illius confulatus in annum Chrifti 291. quo iam paene ante centum annos leges iftas feueriffimas tulerat Seuerus, ex eoque iam fatis patet, quam late patuerit hoc flagitium, quum Seuerus eam legem ferret. Ceterum ex eo fimul reddi poterit ratio, cur *de adulteriis* et ad legem Iuliam de illis eo tempore certatim fcripferint PAPINIANVS, VLPIANVS, PAVLLVS, et alii.

§. CCCXXIII.

Status iuris fub Caracalla.

Qui exftincto patre, et Geta fratre occifo, folus imperauit, ANTONINVS CARACALLA, non minus, quam pater, ius variis nouis inftitutis locupletauit. Nam vt iam non dicam de celeberrima conftitutione *l.* 17. *D. de ftatu hom.* qua ius ciuitatis cum omnibus ingenuis, in orbe Romano habitantibus, communicauit *, quam Antonino noftro auctoritate Dionis Caffii *in Excerpt. Peirefc. pag.* 744. vindicat Ezech. Spanhem. *in Orbe Romano*: tot aliae eius conftitutiones in *Codice* et *Pandectis*, immo et in *Codicis Gregoriani* et Paulli *Sententiarum receptarum* reliquiis fuperfunt, vt reliquorum imperatorum paene omnium conftitutiones numero fuperare videantur.

* Origo ergo huius iuris hodie extra omnem dubitationis aleam pofita eft, quamuis et noftris temporibus non defint viri eruditiffimi, qui et Antonini Pii hac in re partes aliquas fuiffe, adeoque vel conftitutionem antiquam ab Antonino Pio primum editam, in vfum reuocatam effe, vel diftinctione

inter

inter ius ciuitatis *indultum* et *imperatum* rem expediri posse existimant. Io Petr. a Ludewig. in *Diss. de peregrinitate, albinagio, et vvildfangiatu, cap. 4. §. 3. pag. 98. sequ.* Et sane fauent huic sententiae partim locus insignis *Nouell. LXXVIII. cap. 5.* partim nummus Antonini Pii imp. apud Mediobarbi Biragi, cuius in postica coronae inscriptum: S. P. Q. R. AMPLIATORI CIVIVM. At si dicendum, quod res est, nec Iustiniani est tanta in rebus historicis auctoritas, vt ea in re errare non potuisse videatur: et elogium istud tribui posse Antonino Pio, si vel maxime auctor non sit constitutionis famosissimae, quam *l. 17. D. de stat. hom.* laudari animaduertimus, iam ipse ostendit Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap. 1. pag. 208.* quippe qui non modo viros bene de republica meritos frequentius iure ciuitatis donarit, sed et cum Carnis Catalisque, adeoque cum totis gentibus, eximium istud beneficium communicarit. Gruter. *Inscript. pag. 408. num. 1.*

§. CCCXXIIII.

Itemque sub Opilio Macrino.

ELAGABALVS, monstrum illud hominis, qui, occiso Caracalla, victoque aemulo *M. Opilio Aurelio Seuero Macrino*, imperio potitus est, non plus ad iuris prudentiam amplificandam contulit, quam hic Opilius, vt scribit Iul. Capitol. *in Macrin. cap. 13. iuris non incallidus*, et, teste Herodiano *Histor. Lib. IIII. cap. 12.* peritus *νόμων ἐπιστήμης*. Equidem Opilium istum *omnia rescripta veterum principum tollere statuisse*, refert *eodem loco* Iulius Capitolinus, *nefas esse dicentem, leges videri Commodi et Caracallae, hominum imperitorum voluntates, quum Traianus numquam libellis responderit, ne ad alias caussas facta* * *proferrentur, quae viderentur ad gratiam composita*. Sed breuitas imperii vix bimestris vetuit illum spes inchoare longas.

* FACTA hic sunt rescripta, vti Graecis *πραγματικαὶ* vel *πραγματικοὶ τύποι*. Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. Tom. I. pag. 25.* Hinc PAVLLI *libri Sententiarum et* FACTORVM *sex*. Ceterum quamuis id consilium Macrini plerique damnent: tantum tamen abest, vt videatur reprehendendum, vt prudentissimo instituto rescriptis tantum in aliquorum gratiam vel odium editis vim legum detrahere voluerit. Id vero non magis improbandum est, quam quod et Valentinianus Senior imperator talia rescripta cassa esse iussit. *l. 6. C. de vectigal.*

§. CCCXXV.

Nec non sub Elagabalo.

ELAGABALI vero ne nomen quidem in *Pandecte* occurrit, quamuis quaedam eius constitutiones exstent *l. vn. C. Gregor. de patr. potest.* et *l. 8. C. de negot. gest.* quas Elagabali esse, ex subscriptionibus docent Henricus Norisius *Epist. consular. pag. 471.* et Ant. Pagi *Crit. Baron. Tom. I. pag. 203.* Obiter tamen monemus, Elagabali origines, et familiam ex *Pandectis* non modo illustrari, verum etiam suppleri posse *.

* Fuisse ELAGABALVM filium Varii Marcelli et Iuliae Soaemidis, ex eorum temporum historicis satis notum est. Sed in iure nostro passim memorantur alii eius cognati, quos hac tabula repraesentare iuuabit, maxime quum quaedam videantur emendanda, quae parum adcurate tradidit Reines. *Epist. ad Rupert. 69. pag. 611.*

N. e familia IVLIORVM.

IVLIVS AGRIPPA primipilaris, de quo *l.* 38. *D. de legat.* 3. patruus magnus Iuliae Domnae, quam legem non intellexere Cuiac. *Obs. Lib. III. cap.* 18. et Menagius *Amoen. iur. ciu. cap.* 25.		N. Iulii Agrippae frater.			
		BASSIANVS, sacerdos Dei solis. Sex. Aurel. Victor *in Caracalla et Elagab.*			
		IVLIA DOMNA Aug. nupta Septimio Seuero imperatori.		IVLIA MOESA ex Apamea Syriae, teste Dione, vel ex Emesa, vti existimat Herodian. *Hist. Lib. V. cap.* 4.	
N. filia, de qua *l.* 38. *D. de legat.* 3.	IVLIVS AGRIPPINVS, cui rescripsit Antoninus imp. anno 961. *Parator LL. Mos. et Rom. Tit. X.* §. 4.	ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA, imp.	P. SEPTIMIVS GETA, a fratre occisus.	IVLIA SOEMIS, nupta *Vario Marcello.*	IVLIA MAMMAEA, nupta *Genesio Marciano.*
N. Neptis, de qua eadem *l.* 38.		*Filiolus* una cum matre in Liparam insulam relegatus, teste Dione.		ELAGABALVS, imp.	ALEXANDER, imperator.

§. CCCXXVI.

Et sub Alexandro imp.

Successit his M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER, Elagabali consobrinus, continentissimae disciplinae princeps, et qui non pauca constitutionibus suis emendauit. Praefectorum vrbi, et praetorio potentiam maxime auxit, et illis quatuordecim ROMAE CVRATORES addidit ex consularibus, quos audire negotia cum praefecto vrbis iussit, ita, vt omnes, aut magna pars, adessent, quando acta fierent. Lamprid. *in Alex. cap.* 33. His senatoriam addidit dignitatem, vt VIRI CLARISSIMI essent, et dicerentur, idque ideo, ne quis, qui senator non esset, de senatore Romano iudicaret. Lamprid. *ibid. cap.* 21. Quin et edicta eorum, condito licet iam pridem edicto perpetuo, seruari voluit. *l.* 2. *C. de offic. praef. praet. Orient. et Illyr.*

§. CCCXXVII.

Denique sub Maximino, Maximo et Balbino, Gordiano et Philippo.

MAXIMIANVS porro, Alexandri percussor, quod a scelere auspicatus fuerat, imperium tam breue habuit, vt non multum potuerit de iure nouo constituendo cogitare. Habemus tamen duas eius constitutiones: *l.* 13. *C. de pact. et l.* 6. *C. de iure dot.* quum oppositorum illi principum, MAXIMI et BALBIRI nullae omnino existent. Plurimae contra supersunt GORDIANI tertii, sub quo reuirescere potuisset imperium, si vixisset diutius: nec non percussoris eius PHILIPPI, Arabis, quamuis plerisque horum omnium epistolis vetera magis iura speciebus obuenientibus adplicari, quam noui quid sanciri, animaduertamus. *

* Et hoc ipsum argumento est, Philippum illum imp. sceleratissimum hominem, non fuisse Christianum. Fieri enim non potuisset, quin de emendando iure, abolendisque, quae paganam superstitionem sapiebant, serio cogitasset, eiusque rei vestigia in eius constitutionibus exstarent, si pio Christiano-

norum caetui sese adiunxisset. Praeterea ludi saecularis, publice editi, saeraque sollemnia et superstitiosissima eo anno curata, cum religione Christiana minime omnium congruunt. Sed illam de Philippi Christianismo sententiam iam pridem profligarunt viri doctissimi, in quorum numero sunt Conr. Sam. Schurzfleisch. *Diss. de Philippis aug.* §. 3. *sequ.* et Cellar. *de primo principe Christiano*.

§. CCCXXVIII.

Superest, vt et IVRISCONSVLTOS, qui a Commodi excessu ad haec vsque tempora floruerunt, paucis persequamur. Eorum facile princeps fuit AEMILIVS PAPINIANVS, quem vulgo Italum, Hostilii Papiniani et Eugeniae Gracilis filium fingunt, ob lapidem, descriptum a Gruter. *Inscript. pag.* 348. *num.* 8. Sed nihil veri ei lapidi inesse, ad quem tot viri docti offenderunt, praeclare ostendit Eu. Otto *in Papin. cap.* 3. qui eumdem potius Syrophoenicem, et Iuliae Domnae cognatum fuisse suspicatur. * ICti huc vsque florent. s. Papiniani origo.

* Fundamentum huius coniecturae est locus Spartiani *in Caracall. cap.* 8. vbi Papinianum *amicissimum fuisse*, ait, *Seuero imperatori, et vt alii loquantur, adfinem etiam per secundam vxorem.* At secunda Seueri vxor erat Iulia Domna, cuius schema genealogicum supra (§. 325. *) exhibuimus, ac proinde eius cognatum fuisse oportet Papinianum. Ceterum fuit illa familia litterarum studiosissima, adeo vt Philostratus *in vit. Sophist. II.* 30. *pag.* 622. Iuliam Domnam vocet τὴν γυλήσοφον, et Antoninum Caracallam τὸν τῆς φιλοσόφου παῖδα Ἰουλίας, *philosophae Iuliae filium.* Eam enim lectionem contra Ios. Scaligeri emendationem tuentur Thom. Reines. *Var. Lib. II. cap.* 12. et Gottfrid. Olear. *in not. ad Philostr. pag.* 622. De doctrina Iuliae Domnae videndus etiam Aegid. Menag. *de mulier. philos. cap.* 16.

§. CCCXXVIIII.

In iuris prudentia praeceptorem habuit Ceruidium Scaeuolam: Spartian. *Caracall. cap.* 8. in eaque arte adeo profecit, vt omnes longo post se interuallo reliquerit. Zosim. *Hist. Lib. I. cap.* 9. Hinc passim vocatur *iuris asylum et doctrinae legalis thesaurus*, Spartian. *in Seuer. cap.* 21. ἄριστος τῶν νομικῶν, *iuris consultorum excellentissimus*, Theophil. §. 7. *Inst. de fideic. hered. legum armarium*, Cassiodor. *Var. Lib. VI. cap.* 5. *acutissimi ingenii vir*, et merito ante alios excellens, *l.* 30. *C. de fideicomm.* et vix vmquam a veteribus sine elogio nominatus *: tanto maior profecto, quanto minus in aliorum verba iurauerat, inter erciscundos, quos vocant, praecipuus. Vid. Eu. Otto *in Papin. cap.* 11. §. 6. Eius doctrina.

* Eius vero auctoritas tum in scholis iuridicis, tum in foro maxima fuit. in illis tertio cursus iuridici anno studiosi PAPINIANISTARVM nomen non sine caerimoniarum adparatu adsumebant. *Const. omnem reip.* §. 1. 4. *ad antecessor.* In hoc inter ICtos, quorum scriptis Theodosius iunior vim iuris scripti attribuerat, Papiniano non solum primus locus datus, sed et id concessum est, vt paribus ICtorum suffragiis, ea pars vinceret, cui suffragaretur Papinianus. *l. vn. C. Th. de resp. prud.* et ibi Iac. Gothofredus.

§. CCCXXX.

Quamuis vero vir ingenii eminentissimi innumeris paene negotiis distringeretur, quippe sub Marco imp. aduocatus fisci, Spartian. *Ca-* Honores et scripta illius.

racall. cap. 8. sub Seuero libellorum magister, *l.* 12. *D. de distract. pign.* ac paullo post praefectus praetorio, Xiphilin. *Lib. LXXVI. pag.* 865. et Caracallae ac Getae, fratrum, totiusque imperii tutor: Zosim. *Histor. Lib. I. cap.* 9. non tamen impediri se passus est, quo minus libros praestantissimos scriberet, veluti *libros XXXVII.* QVAESTIONVM, *libros XVIIII.* RESPONSORVM, *libros II.* DEFINITIONVM, porro DE ADVLTERIIS tum *libros II.* in quibus singula legis Iuliae capita ordine exposuit, tum alium *singularem*, de exercitione huius publici iudicii. *l.* 11. *D. ad leg. Iul. de adult.* Eu. Otto *in Papinian. cap.* 12. §. 4. *pag.* 388. *sequ. edit. nou.* denique *librum* ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΩΝ, quo Aedilium municipalium officia Graece explicauit. *l. vn. D. de via pub.* Otto *Papin. cap.* 4. §. 3. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 8. §. 6. *n.* 2. *

* Papinianum in libris suis aliquando variasse, eiusque variationis vestigia passim in *Pandectis* exstare, ostendunt Iac. Cuiac. *Obs. Lib. II. cap.* 37. Merill. *Obs. Lib. I. cap.* 9. Idem Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 10. notat. Papinianum, Scaeuolae praeceptoris exemplo, saepe repetere in libris RESPONSORVM, quae iam in libris QVAESTIONVM scripserit. Sed non sane nouum est, in vno libro auctorem adcuratius exsequi alia, quae strictius in alio exposuerat.

§. CCCXXXI.

Mors Papiniani.

Sed tantum sidus exstinxit Antonini Caracallae furor, qui quum Papiniani virtutem ferre non posset, ipse flagitiis omnibus contaminatus, eum non modo dignitate mouit, simul ac peruenit ad imperium, Xiphilin. *Lib. LXXVII. pr.* sed et paullo post, parricidium, in Geta admissum, defendere recusantem, vna cum filio, quaestorio viro, nefarie interemit: quamuis ea de re non parum discrepent veterum historicorum sententiae. Saltim Papinianum tum non triginta sex, sed septuaginta aut plures annos natum fuisse, ostendit Otto *in Papinian. cap.* 16. §. 9. *

* Ex quo patet, quam absonum sit, quod Gruter. *Inscript. pag.* 348. *num.* 8. exhibet Papiniani monimentum:

AEMILIO. PAVLLO. PAPINIANO.
PRAEF. PRAET. IVR. CONS.
QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. IIII. D. X.
HOSTILIVS. PAPINIANVS.
EVGENIA. GRACILIS.
TVRBATO. ORDINE. IN SENIO.
HEV. PARENT. INFELICISS.
FILIO. OPTIMO. P. M.
FECERVNT.

Sed impostura haec aeque manifesta est, ac illud, quod vrnae argenteae inscriptum est, elogium apud Boldon. *in Diss. praelim. Epigr. fol.* 1. illi Gruteriano simillimum, nisi quod in hoc EVGENIA GRACILIS VXOR vocatur. Sed caussam iam perorarunt M. Aurel. Galuan. *de vsufr. cap.* 13. *n.* 11. Reines. *praef. Inscr. pag.* 5. et Otto *in Papin. cap.* 16. §. 10. *pag.* 651. *seqq.*

§. CCCXXXII.

Tertullianus.

Progredimur ad TERTVLLIANVM, de quo praecipue quaeritur, sitne idem cum Q. SEPTIMIO FLORENTE TERTVLLIANO, qui inter Latinos ecclesiae patres primum locum tenet? Nam et hunc Eusebius *Hist. eccl. Lib. II. cap.* 2. *τὸν Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκότα ἄνδρα*, virum

rum ius Romanum adcurate doctum adpellat, et ipsa patris istius opera magnam vbique iuris peritiam produnt. Hinc eumdem esse ICtum nostrum et Tertullianum patrem, adfirmant Ant. Augustin. de *nom. propr. Pand. pag.* 139. Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap.* 2. Radulph. Forner. *Rer. quotid. Lib. VI. cap.* 5. Guil. Grot. *Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 9. Sed si nihil aliud huic sententiae opponi posset: ipsum dicendi genus, a tumore patris ecclesiastici diuersissimum, satis euinceret, diuersos hos fuisse Tertullianos, quamuis et iuris prudentiae laude, et ipsa aetate suppares *. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 12.

* Fatetur id et Guil. Caue *Antiqu. patr. Tom. I. pag.* 396. Sed sublestum est, quo vtitur argumentum, a diuersitate nominum desumtum. ICtum enim nostrum TERTYLLIANVM, patrem ecclesiasticum TERTVLLIANVM dictum esse, ait; quasi non eadem essent haec nomina, nec sexcenta exstarent exempla permutationis litterarum. Sane quum Graeci dixerint *Sylla* pro *Sulla*, *Tyllius* pro *Tullius*, Latini *Suria* pro *Syria*: quidni et eodem iure scripserint *Tertyllianus* et *Tertullianus*? Immo et pater ecclesiae Τερτυλλιανὸς? vocatur ab Eusebio *Hist. eccl. Lib. II. cap.* 2.

§. CCCXXXIII.

Eius aetas et scripta.

Vterque tamen, vt dixi, eodem tempore floruit. Vlpiano certe noster anterior est, quippe a quo citatur *l.* 30. §. 6. *D. de adqu. vel amitt. possess.* posterior vero SC. Tertulliano, quod sub Hadriano factum esse diximus, ceu colligi potest ex *l.* 2. §. 44. *D. ad SC. Tertull.* Scripsit *libros VIII.* QVAESTIONVM, et DE PECVLIO CASTRENSI *librum singularem*, ex quo tria fragmenta supersunt in *Pandectis*, *l.* 23. *D. de test. mil. l.* 33. *D. eod. et l.* 44. *D. de castr. pecul.*

§. CCCXXXIIII.

Claudius Tryphoninus et Arrius Menander.

Minus celebres sunt CLAVDIVS TRYPHONINVS, Papiniani aequalis, quocum et cum MESSIO, nescio quo, in Seueri et Antonini consilio fuit *, *l.* 50. *D. de iur. fisc.* et praeter NOTAS AD SCAEVOLAM, ab Ant. Dadino Alteserra illustratas, *Tolos.* 1679. *libros* non XXVI., vti putat Grot. *in Vit. ICtor. Lib. II. cap.* 9. sed XXI. tantum, DISPVTATIONVM scripsit: nec non ARRIVS MENANDER, Antonino Caracallae a consiliis, et hinc a tutela excusatus, *l.* 11. §. 2. *D. de minor.* quem libros IIII. MILITARIVM, seu de RE MILITARI reliquisse nouimus.

* Est haec obseruatio Cuiacii *Obs. Lib. VII. cap.* 2. eaque firmatur ex *l.* 78. §. 4. *fin. D. de iure dot.* vbi ipse Tryphoninus se *in auditorio* aliquid *dixisse* refert, procul dubio in auditorio Papiniani, quod toties in iure celebratur. *l.* 40. *D. de reb. cred. l.* 97. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Praeterea ad Caudium Tryphoninum anno erae Dionys. 313. rescripsit Antoninus Caracalla *l.* 1. *C. de Iudaeis et caelic.* ex quo loco eum Syriae tum praesidem fuisse colligit Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79.

§. CCCXXXV.

Sex. Pedius Puteolanus,

Incertae aetatis sunt SEX. PEDIVS, qui AD EDICTVM, tum PRAETORIVM, tum AEDILICIVM notasse, *librumque* DE STIPVLATIONIBVS scripsisse videtur: *l.* 2. §. 6. *D. de bon. possess. l.* 6. *D. de reb.*

Pactumeius, Fronto, et alii. *ored.* nec non PVTEOLANVS, auctor ADVERSARIORVM, *l.* 12. *D. de pact.* PACTVMELIVS CLEMENS, citatus a Pomponio *l.* 21. §. 1. *D. de statulib.* PAPIRIVS FRONTO, cuius RESPONSA laudat Callistratus, *l.* 4. *fin. D. ad leg. Rhod. de iact. l.* 220. §. 1. *D. de verb. signif.* FVRIVS ANTHIANVS, auctor *librorum V.* AD EDICTVM *: denique CLAVDIVS et Q. SATVRNINI, et RVTILIVS MAXIMVS, de quibus tantum non omnia incerta sunt.

* Hic FVRII ANTHIANI commentarius ne Triboniani quidem aetate integer videtur extitisse. Ex solo enim *libro I.* fragmenta non nisi tria in *Pandecten* relata sunt. *l.* 62. *D. de pact.* *l.* 40. *D. de dolo mal. l.* 80. *D. de rei vind.* Praeterea auctorem habeo Laur. Theod. Gronouium *Emend. Pandect. cap.* 25. *pag.* 82. *edit. nou.* in Indice Florentino non, sicut in Taurelliana, legi μέρος ἐδίκτω βιβλία πέντε, sed μέρος ἐδίκτω βιβλίον πέντε.

§. CCCXXXVI.

Domitii Vlpiani natales et honores. A Papiniani celebritate parum absuit DOMITIVS VLPIANVS, Tyrius Syrophoenix *, *l.* 1. *pr. D. de cens.* qui Romae iam sub Seuero et Antonino inclarescere coepit, quo tempore inter Papiniani adsessores, scriniorumque magister, postea ab Elagabalo vel dignitatibus priuatus, vel in exsilium missus, Lamprid. *Elagab. cap.* 16. hinc inter Alexandri consiliarios & praefectus annonae fuit. Lamprid. *in Alex. cap.* 26. *l.* 4. *C. de contrah. stipulat.* Denique sub eodem principe ad summum praefecturae praetorianae fastigium adspirauit, *ἐπιγνώμων καὶ ὥσπερ κοινωνὸς τῆς ἀρχῆς*, *inspector & quasi particeps imperii*, vti vocatur a Zosimo *Histor. Lib. I. cap.* 11.

* Sunt, qui ideo Hebraismos quosdam in Vlpiani stilo deprehendere sibi videntur. Sed quamuis loquutiones quasdam sibi peculiares habuerit, ceu recte obseruauit Car. Andr. Dukerus *de Latinitat. vet. ICtor. pag.* 322. *et* 372. nihil tamen in eius *fragmentis* occurrere, quod Hebraismum [illegible] doleat, singulari programmate *de Hebraismis Vlpiani* ostendimus, *Francof.* 1730. Multo certius est, plurimos H[illegible]nismos magnamque [illegible] liginem eius stilo inesse: quod non mirandum in homine semigraeco, et qui cadente iam Latinitate scripsit. Erudite de eius stilo differit Bynkershoek. *Obs. Lib. VIII. cap.* 15. vbi et *l.* 22. §. 7. 8. *D. solut. matr.* quam Cuiac. *ad l.* 1. *C. de dignit.* et Donellus *Comment. iur. ciu. Lib. VIII. tit.* 2. ob impurissimam Latinitatem non ab Vlpiani, sed Triboniani, manu esse existumant, adcuratius expendit.

§. CCCLXXXVII.

Eius mors. Quamuis vero tanta cum prudentia amplissimis muneribus fungeretur, vt dicere non vereatur Lamprid. *in Alex. cap.* 51. *ideo Alexandrum summum imperatorem fuisse, quod Vlpiani potissimum consiliis rexerit rem publicam*, ac proinde principi suo esset carissimus, a quo non modo vt amicus, sed & parentis fere loco honorabatur: *l.* 4. *C. de contrah. stipul. & l.* 24. *C. locat. cond.* a militibus tamen praetorianis, eius seueritatem perosis, in ipso paene imperatoris gremio est interemtus *. Zosim. *Histor. Lib. I. cap.* 11. Xiphilin. *Lib. LXXX. pag.* 917.

* au-

* Auctor est Lamprid. *in Alex. cap.* 51. Alexandrum *Vlpianum pro tutore habuisse, primum repugnante matre, deinde gratias agente, eumque saepe a militum ira obiecto purpurae summae defendisse.* Purpura enim sacrosancta habebatur et inuiolabilis. Et hinc patet, cur et postrema vice, quum vrgeretur a militibus, in palatium, et veluti in gremium principis, tamquam in portum confugerit. Ceterum caussa odii a Xiphilino memoratur reformatio morum, sub Elagabalo corruptissimorum, quam Vlpianus vrgebat, occisis simul Flauiano et Chresto, et quidem *ἵνα αὐτοὺς διαδέξηται, vt illis succederet.* Male id habuit Epagathum, hominem libertinum, sed potentem, qui non desiit sollicitare praetorianos ad seditionem, donec obtruncata magna ciuium parte, iniectoque vrbi igne, Vlpianum etiam occiderent. At non impune id facinus tulit Epagathus, primum in Aegyptum sub honoris specie missus, quia periculum erat, ne a praesente sumtum supplicium milites ad nouum tumultum incitaret, inde vero mox in Cretam reuocatus, capitisque ibi, prout meruerat, damnatus. Refert haec omnia auctor *σύγχρονος*, Dio, a Xiphilino excerptus *Lib. LXXX. pag.* 917. quum reliqui scriptores paene omnia confundant, immo quidam sub Elagabalo obtruncatum esse Vlpianum perperam scribant.

§. CCCXXXVIII.

In iuris prudentia id, quod summum est, erat adsequutus, *νομοθέτης ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθεῖναι καὶ τὸ μέλλον εὐστόχως συνιδεῖν δυνατός, iuris consultus praestantissimus, qui & res praesentes recte disponere, & futura callide prospicere poterat.* Zosim. *Histor. Lib. I. cap.* 11. Nulli sectae mancipatus, modo Sabino & Cassio, modo Labeoni & reliquis Proculeianis suffragatur, ideoque ercifcundis accensendus, ex sententia Mascouii *de sectis Sabin. & Procul. cap.* 8. §. 7. *num.* 2. quamuis eum paullo addictiorem Proculo fuisse existimet Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 9. *pag.* 469. *edit. nou.* qui & §. 7. *pag.* 456. *seqq.* obseruasse sibi visus est, eum saepe perstringere Papinianum, etiam vbi id minime mereatur, & §. 8. eumdem argutari aliquando *, & cauillis vti, thermis Neronianis frigidioribus. Id quod tamen me nondum fateor deprehendisse. Eiusdem iuris prudentia.

* Eumdem Vlpianum verborum nouatorem esse, obseruat Iac. Gothofredus *Animadu. cap.* 8. Sed fallitur vir doctus, dum sequutus Cuiacium *Obseru. Lib. XXIIII. cap.* 39. ICtum nostrum confundit cum Vlpiano, sophista, quem *κειτούκειτον* vel *κειταικείτον* ob familiarem illi interrogationem: *τῦ κεῖται vbi hoc habetur?* dictum, et ob *κειτογορίαν* saepe irrisum esse, refert. Athenaeus, *Deipnos ph. III.* 18. Diuersus vero hic non minus est a nostro, quam Vlpianus, Demosthenis scholiastes, quamuis et ipse Tyrius Syrophoenix fuerit. Vid. Io. Alb. Fabric. *Biblioth. Graec. IIII.* 20. 6. *pag.* 632.

§. CCCXXXVIIII.

Fragmenta ex scriptis Vlpiani plura, quam ex vllius veteris ICti, in *Pandectis* supersunt. Scripsit enim plurima, partim maiora opera, partim mole exigua. In illorum numero sunt DIGESTORVM *libri* saltim XXXX. AD EDICTVM *libri LXXXIII.* AD LEGES IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM *libri* XX. AD SABINVM *libri LI.* AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS *libri V.* DE APPELLATIONIBVS *libri IIII.* DE CENSIBVS *libri VI.* DISPVTATIONVM *libri X.* FIDEICOMMISSORVM *libri VI.* OPINIONVM *libri VI.* INSTITVTIONVM *libri II.* Opera Vlpiani maiora.

AD

AD LEGEM AELIAM SENTIAM *libri saltim IV.* PANDECTARVM *libri* X. REGVLARVM *libri VII.* RESPONSORVM *libri II.* PROTRIBVNALIVM *libri* X. quorum de argumento videndus Cuiac. *Obs. Lib. VII. cap.* 23. DE OFFICIO COS. *libri III.* DE OFFICIO PROCOS. *libri* X. denique AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM *libri II.* *

* Hos Libros saepenumero in *Glossis* Philoxeni, non adscripto Vlpiani nomine, citari, obseruat Cuiac. *Obs. Lib. X. cap.* 34. Quumque Lactant. *Inst. diu. Lib. V. cap.* 11. §. 19. referat, *Domitium Libro VII. de officio procos.* (ita enim legendum est non *libris VII.* Cuiac. *Obs. Lib. X. cap.* 34. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 12) multa principum rescripta contra Christianos collegisse: quaerunt eruditi, an de Vlpiano nostro loquatur Lactantius? Negant id multi, et nuper ex instituto Petrus de Toullieu: sed sine idoneo argumento. Cristianis nostrum parum aequum fuisse, et aliunde patet. *l.* 1. §. 3. *D. de extraord. cognit.* Et scripsit Vlpianus hos libros sub Antonino Caracalla, ceu patet ex *l.* 4. *pr. l.* 6. §. 3. *D. de offic. procos. l.* 6. *D. de legation.* aliisque quamplurimis: sub quo principe durius actum esse cum Christianis, nemo ignorat. Et quis, quaeso, in pagano odium aduersus Christianos susceptum miretur? Conf. Bynkershoek. *Obs. Lib. V. cap.* 23. *de relig. peregr. Diss. I. pag.* 241.

§. CCCXXXX.

Et minora. Inter minora Vlpiani opuscula sunt DE OFFICIO QVAESTORIS *libri siue II. siue vnus.* Merill. *Obseru. Lib. II. cap.* 30. nec non libri singulares DE OFFICIO CONSVLARIVM, CVRATORIS REIP. PRAEFECTI VIGILVM, PRAEFECTI VRBI, PRAETORIS TVTELARIS, itemque DE EXCVSATIONIBVS, & DE SPONSALIBVS. Accedunt NOTAE, quibus varia veterum ICtorum, veluti ARISTONIS, PAPINIANI & MARCELLI opera vel illustrauit, vel reprehendit. *

* Notas Vlpiani ad Papinianum saepe fuisse κατασκευαστικὰς obseruat Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 6. *sequ.* Idem de Notis in Marcellum statuit Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 28. Quum enim Marcellus notas scripsisset ad Iulianum, in quibus eius sententias quacumque ratione cauillauerat ac reprehenderat, Merillius credit, Vlpianum, Marcello indignatum, par pari retulisse. Sed coniectura haec est, quam in *l.* 14. *D. de reb. cred.* quam Merillius ad partes vocat, parum praesidii reperire facile vnusquisque animaduertet.

§. CCCXXXXI.

Iulii Paulli patria et honores. Suppar aetate eiusdemque vir dignitatis fuit IVLIVS PAVLLVS, quem Bartachinus & alii Patauinum; Io. Bertrandus Tyrium; Hotomanus & Marcilius Graeculum; Laur. Pignorius *opusculo singulari* & *Epist. symbolic. Lib. I. cap.* 41. Romanum fuisse contendunt, argumentis parum idoneis subnixi. Eosdem fere, ac Vlpianus, honores gessit, quippe Seueri consiliarius, *l. vlt. D. de iur. fisc. l.* 97. *D. de adquir. hered.* nec non Antonini Caracallae, *l.* 38. *D. de minor.* ab Elagabalo in exsilium actus *, patriaeque redditus ab Alexandro imp. Aurel. Victor. *cap.* 24. Fuit etiam inter Papiniani adsessores, *l.* 40. *D. de reb. cred.* demum sub Alexandro praefectus praetorio. Lamprid. *Alex. cap.* 26.

* Eius

* Eius rei non meminit Lamprid. *in Elagabal. cap.* 16. sed Vlpianum tantum ab imperatore, vt virum bonum, remotum esse, refert. Hinc vereor, ne hic duos ICtos, confuderit Aurelius Victor. Sane Elagabalum imp. generum habuisse videtur Paullus noster, data ei in matrimonium parum auspicatum filia, IVLIA CORNELIA PAVLLA, quam *γυναῖκα εὐγενεστάτην illustrissimam feminam* vocat Herodian. *Histor. Lib. V. cap.* 6. cuiusque nummos exhibet Vaillant. *Numism. imp. pag.* 137. *et* 263.

§. CCCXXXXII.

Eius iuris prudentia.

Hic quoque *iuris peritissimus* a Lampridio *in Alex. cap.* 68. & cum Scaeuola & Vlpiano *legum peritorum coryphaeus* a Modestino *l.* 13. §. 2. *D. de exsusat.* adpellatur. Sabinianum eum fuisse, credit Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 9. ercifcundis accenset Mascou. *de sectis Sabin. & Procul. cap.* 8. *num.* 2. Id vero omnes fere obseruant, eum carpendi studio maximorum virorum doctrinas non sine acerbitate perstringere, Balduin. *Iuris prud. Mucian. pag.* 562. *Tom. I. Iuris prud. Rom. & Attic.* Petr. Faber *ad l.* 145. *D. de reg. iur.* Eu. Otto *ibid. pag.* 466. *sequ.* Mascou. *ibid. pag.* 144. & ab Vlpiano in primis & Papiniano frequenter dissentire: Merill. *Obseru. Lib. I. cap.* 33. quamuis, quae de Vlpiani & Paulli aemulatione vulgo iactantur, non adeo certa videantur Bynkershoekio *ad l. lecta, cap.* 13. *pag.* 89. Denique subtilitatum studiosissimum, vt subinde *σκοτεινὸν* & obscurum eum vocat Duaren. *ad l.* 132. *D. de verb. sign.* suscipiente & hic eius patrocinium Bynkershoekio *ibid. pag.* 55.

§. CCCXXXXIII.

Eius opera.

Indicem operum bene longum texit index Florentinus, quem hic exscribere taedet *. Fuit enim noster ICtorum *πολυγραφώτατος*. Obseruasse ergo hic tantum iuuabit, ne omnes quidem Paulli libros in indice isto reperiri, sed in eo desiderari *libros II.* AD EDICTVM AEDILIVM CVRVLIVM, *libros* saltim *quinque* EPITOMARVM, seu EPITOMATORVM ALFENI DIGESTORVM, DE IVRE FISCI tum *libros II.* tum *librum singularem*, DE CENSIBVS *libros IIII. libellos* item *singulares* DE LIBERALI CAVSSA, DE ARTICVLIS LIBERALIS CAVSSAE, nec non DE ASSIGNATIONE LIBERTORVM, DE COGNITIONIBVS, DE CONCEPTIONE FORMVLARVM, DE DOTIS REPETITIONE, DE FORMA TESTAMENTI, AD LEGEM FVSIAM CANINIAM, DE OFFICIO ADSESSORVM, DE OFFICIO COS. AD ORATIONEM D. ANTONINI ET COMMODI, DE SC. LIBONIANVM, et DE VARIIS LECTIONIBVS. Denique NOTAS ad IVLIANVM, SCAEVOLAM, et PAPINIANI tum *Quaestiones*, tum *Responsa*.

* Exstiterunt PAVLLI opera et opuscula vltra nonaginta, quorum tamen quaedam breuissima fuisse videntur. Habuit sane vir doctus *librum* PAVLLI *de gradibus*, quem non multo prolixiorem fuisse, quam *l.* 10. D. *de grad. et adfin.* testatur Cuiac. *Obs. Lib. VI. cap.* 40. Quales fuerint PAVLLI *libri Decretorum*, disquirunt Cuiac. *Obs. Lib. II. cap.* 26. et Merill. *Obs. Lib. II. cap.* 26. quales *libri ad Plautium et ad Labeonis libros πιθανῶν*, Bynkershoek. *Obs. Lib. II. cap.* 18. *Lib. III. cap.* 6. *et* 12. qui alibi et *de libris Quaestionum* differit *ad l. lecta, cap.* 1. §. 3. Ad Paulli *libros Manualium* librum Differentiarum singularem edidit Em. Merillius *Paris.* 1638, 8. Denique Paullum

lum non *de semptemuiralibus*, sed *de centumuiralibus iudicius* scripsisse, iam alii obseruarunt. Io. Frid. Gronou. *Obs. Lib. IIII. cap.* 2. Ita plura monere liceret de PAVLLI libris, nisi admoneret promissae breuitatis fides, quando omnia transcursu dicenda sint.

§. CCCXXXXIIII.

Callistratus. Iisdem temporibus & CALLISTRATVS floruit, quippe qui Seuerum & Antoninum Caracallam imperatores suos vocat, *l.* 2. *D. de iur. fisc. l.* 38. *D. de legib. l.* 3. *§. vlt. D. de offic. proc. Caes.* Plura de eo fere ignoramus. Nam locus Lampridii, in quo Papiniani discipulis et consiliariis Alexandri Seueri adnumeratur, tam corruptus est, vt ei fidem habere non liceat. Scripsit COGNITIONVM vel de COGNITIONIBVS *libros sex*, EDICTI MONITORII *libros totidem*, quos ego ad ordinem edicti perpetui compositos fuisse, obseruaui, INSTITVTIONVM *libros tres*, DE IVRIBVS FISCI ET POPVLI *libros quatuor*, denique *libros II.* QVAESTIONVM.

§. CCCXXXXV.

Aelius Marcianus. Sed et AELIVS MARCIANVS Alexandri Seueri tempora attigit *, Iac. Gothofr. *de cenotaph. pag.* 331. *Tom. III. Thesaur. iur. ciu.* quippe qui Antoninum Caracallam diuum vocat, *l.* 11. §. 3. 4. *D. de muner. et honor.* et ab Alexandro imp. rescripto videtur honoratus. *l.* 4. *C. ne de statu def.* Fuit et ipse adsessor, siue Papiniani, siue Vlpiani, *l.* 1. *fin. D. ne de statu def.* et quod ad iuris prudentiae studia attinet, inter ICtos ercifcundos refertur ab Ev. Ottone *in Papinian. cap.* 13. §. 9. *pag.* 469.

* Diuersus itaque est ab eo *Aelio Marciano*, non *Aurelio*, vti est apud *Patriatorem legum Mosaic. et Rom. tit.* 3. §. 3. qui sub D. Pio Baeticae proconsul fuit, et ad quem huius principis rescriptum extat §. 2. *Inst. et l.* 2. *D. de his qui sunt sui vel al. iur.* Quum ergo et ICtus noster AELIVS vocetur §. 1. *Inst. de leg. Aquill.* probabile est, hunc illius filium fuisse. Ad eumdem ICtum nostrum pertinere videtur rescriptum Alexandri Seueri, *l.* 6. *C. de procurat.* immo et Gordiani fortassis, *l.* 4. *C. de fide instrum.*

§. CCCXXXXVI.

Eius scripta. Scripsit DE APPELLATIONIBVS *libros II.* INSTITVTIONVM *libros XVI.* in quibus obseruante Iac. Gothofredo *de Cenotaph. pag.* 330. *Tomo III. Thesaur. iur. ciu.* id potissimum, quod in ipsis obtinuit rerum argumentis, diligentius proposuit: REGVLARVM *libros V.* PVBLICORVM *libros II.* DIGESTORVM *libros VII.* porro *libros singulares* DE DELATORIBVS, AD HYPOTHECARIAM FORMVLAM, et ad sc. TVRPILLIANVM: denique NOTAS AD PAPINIANI *libros de adulteriis*, quas eum non interpretationis, sed reprehensionis caussa scripsisse, post Franc. Raguellum *ad l.* 1. *C. de vet. iur. enucl.* obseruat Eu. Otto *in Papinian. cap.* 13. §. 6. *et* 9. *pag.* 450. *edit. nou.*

§. CCCXXXXVII.

Florentinus, Venuleius Saturninus, et Licinius Rufinus. Nullum quoque dubium est, quin ejusdem aetatis fuerit FLORENTINVS, cuius exstiterunt INSTITVTIONVM *libri XII.* stilo non vulgari scripti. Videtur hic idem esse Florentinus, cui rescripsit Alexander imp. *l.* 8. *C. de inoffic. test.* Nec aliorum temporum fuit VENVLEIVS SATVRNINVS, cui rescripsisse videmus et Caracallam, *l.* 1. *C. quib.* nou

non obiic. long. temp. praescript. et Alexandrum *l. 1. C. de excusat. veteran.* Reliquit is ACTIONVM *libros X.* DISPVTATIONVM *libros VII.* INTERDICTORVM *libros VI.* DE OFFICIO PROCOS. *libros IIII.* DE POENIS PAGANORVM *librum singularem*, PVBLICORVM *libros II.* et STIPVLATIONVM *libros XVIIII.* Σύγχρονον his fuisse LICINIVM RVFINVM, vel id argumento est, quod cum Paullo instituit litterarum commercium. *l. 4. D. de quib. ad libert. proclam. non lic.* Scripsit REGVLARVM *libros saltim XIII.* si recte se habet inscriptio *l. 34. D. de re iud.* De aliis eius operibus nihil compertum habemus *.

* Eidem Licinio Rufino vulgo tribuunt COLLATIONEM LEGVM MOSAICARVM ET ROMANARVM a Petro Pithoeo primum editam *anno* 1572. et postea saepius, et praecipue in Antonii Schultingii *Iuris prud. vet. anteiustin. pag. 727. seqq.* recusam: sed non alio argumento, quam quod Io. Tilius narrare solitus sit Petro Pithoeo, habuisse se aliquando eius operis fragmenta pauca, quae ipse LICINIO RVFINO tribuerit. Quamuis vero ipse Pithoeus nescire se fateatur, cur ita senserit Tilius: aliis tamen illa Tilii coniectura tam visa est probabilis, vt ideo Licinium Christianum fuisse censerent, non modo Io. Bertrandus, sed et ipse Cuiac. *Obseru. Lib. VII. cap. 2.* Vid. M nag. *Amoen. iur. ciu. cap. 7.* Enimuero quum hic *Pariator legum Mos. et Roman.* non modo ex *Codice Hermogeniano* et *Gregoriano*, verum etiam ex ipso *Theodosiano* constitutiones quasdam descripserit: *vid. tit 5. §. 3.* oportuit illum saltim non ante Theodosii iunioris tempora, et annum 435. quo *Codex Theodosianus* prodiit, vixisse. Immo sunt argumenta, quae auctorem illum saeculo demum sexto animum ad scribendum adpulisse persuadent. Vid. Iac. Gothofr. *proleg. Cod. Theod. cap. 3. Lib. II. cap. 2. §. 10. pag. 1262. edit. nou. et Manual. iur.* Manifestum itaque est operis istius fragmenta Licinio Rufo, saeculi tertii ICto absurdissime tribui.

§. CCCXXXXVIII.

Eamdem aetatem prodidit AEMILIVS MACER, dum non modo Vlpianum et Paullum saepius citat, *l. 68. D. ad leg. Falcid. l. 13. D. de re milit.* sed et Alexandrum Seuerum suum imp. vocat. *l. 1. D. si pendent. adpellat.* Accedit, quod ad eum rescripsisse videtur Alexander *l. 3. C. de calumn.* Guid. Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap. 79.* Reliquit *libros II.* MILITARIVM, totidemque PVBLICORVM *, *libros* item DE OFFICIO PRAESIDIS, ΕΙΚΟΣΤΩΝ seu DE VICESIMA HEREDITATIS et DE ADPELLATIONIBVS. Perperam ipsi tribuitur opus ΟΡΝΙΘΟΓΟΝΙΑΣ, cuius Diomed. *Lib. I.* meminit. Illud enim alii Aemilio Macro, aeui Augustei poetae deberi, ostendit Broukhus. *ad Tibull. Lib. II. eleg. 6.* Aemilius Macer.

* PVBLICORVM *libros* praeter Aemilium Macrum nostrum scripserunt Marcianus, Venuleius, et Volusius Maecianus. Ea vero inscriptio nihil aliud significat, quam illa PAVLLI *de publicis iudiciis*, ex quo libello decerptae sunt *l. 6. D. de praeuaricat. l. 8. D. de publ. iud. l. 7. D. ad leg. Corn. de sicar. l. 9. D. ad leg. Iul. peculat.* Sane, si inter se contendas omnia fragmenta, quae ex tot auctorum *libris publicorum* in *Pandectas* relata sunt, ne vnum quidem, quod non ad crimina publicaque iudicia pertineat, reperies.

§. CCCXXXXVIIII.

HERENNIVM MODESTINVM ab Vlpiano esse eruditum, satis constat ex *l. 42. §. 20. D. de furt.* quamuis ex eo loco vix probetur, eum Herennius Modestinus.

eum gente Dalmatam fuisse. Sub Alexandro imp. anno v. c. 996. cum Faltone Restitutiano controuersiam, decem et octo annos inter magistros fontium et fullones agitatam, decidit *. Fabrett. *Inscript. pag.* 278. Post Alexandri excessum Maximinum iuniorem in iuris prudentia instituit. Iul. Capitolin. *Maximin. iun. cap.* 1. Porro de iure eum respondisse comperio sub Gordiano, a quo *non contemnendae auctoritatis iuris consultus* vocatur. *l.* 5. *C. ad exhib.* Legalia se Graecorum voce enarrasse, ipse profitetur in *l.* 1. *D. de excus.* At in Latinis quoque eius operibus Graecismos passim reperit Merill. *Obs. Lib. III. cap.* 33. Aequitatem, modestiam, prudentiamque Modestini pro meritis laudat Brenkmannus *in Modestin. Heuremat. cap.* 1. §. 18.

* Prolixum est illud marmor, ad aggerem Seruii pone ecclesiam S. Antonii abbatis in Exquiliis repertum, ex quo patet, fullones, quum aquae vsum sine pensione exigerent, Aelium Florianum magistrum existimasse, debere fullones probare, *hoc ex sacra auctoritate descendere, vt pensiones non dependerentur.* Replicasse porro fullones, *se quibuscumque rationibus posse ostendere, hoc ex sacra auctoritate obseruari, et hodie; et ex eo tempore, ex quo Augustus rempublicam obtinere coeperit, vsque in hodiernum diem numquam haec loca pensiones pensitasse.* Demum sententia pro fullonibus lata, et pensiones exigi prohibitum est. ACTVM IIII. IDVS MAR. ANN.... VO. VICTORIAM PERCEPIMVS. LITIGATVM EST EX ALEXANDRI AVG. II ET MARCELLI II COS. IN PEREGRINI ET AEMILIANI COS. DIES, id est, ab anno Christi 226. ad annum 244.

§. CCCL.

Eius scripta.

Scripsit Modestinus praeter HEVREMATICA, a Ioanne Schiltero et Henr. Brenkmanno illustrata, de quorum materia praeter laudatos scriptores Iac. Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 32. et Merill. *Obs. Lib. VII. cap.* 34. DIFFERENTIARVM *libros VIIII.* EXCVSATIONVM *libros VI.* Graece adornatos, quorum fragmenta erudite exposuit Ant. Augustinus: porro REGVLARVM *libros X.* RESPONSORVM *libros XVIIII.* PANDECTARVM *libros XII.* quos definitiones tantum complexos esse putat Merill. *Obs. Lib. VIII. cap.* 32. DE POENIS *libros IIII.* AD Q. MVCIVM *libros saltim XXXI.* denique et *libros singulares* DE DOTIS DIFFERENTIA, DE CASIBVS ENVCLEATIS, quos de nouo enucleauit Io. Florens Riuinus, *Diss. edita Lips.* 1727. DE INOFFICIOSO TESTAMENTO, DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS, DE MANVMISSIONIBVS, DE PRAESCRIPTIONIBVS, DE RITV NVPTIARVM, et DE TESTAMENTIS *.

* Eidem Modestino periochas, Virgilii Maronis libris praemissas tribuunt Scip. Gentil. *Parerg. Lib. II. cap.* 31. ipseque Io. Alb. Fabricius *Biblioth. Lat. Vol. I. cap.* 12. *pag.* 207. Sed eas grammatici cuiusdam inferioris aeui esse, cum ipsae illae periochae produnt, tum praefatio, in qua se Nasonem vocat ille Modestinus. Vid. *Catalecta Virgil. pag.* 143. *edit. Scalig.*

§. CCCLI.

Ex eo obmutuerunt ICtorum oracula.

Ex eo tempore fere obmutuerunt ICtorum oracula, cessim et retro paullatim collabente iuris prudentia. Qui enim deinceps inclaruerunt, cuius modi haud pauci memorantur, nudam docendi profitendique

que prouinciam Beryti, Romae, ac Constantinopoli pro virili ornarunt, non accessione vlla locupletarunt iuris prudentiam. Iac. Gothofred. *Manual. iur. Lib. I. cap. 7. pag.* 1252. *edit. nou.* Illuxerunt quidem multo post HERMOGENIANI, AVRELII ARCADII CHARISII, IVLII AQVILAE ingenia, quae et lucubrationibus suis sibi famam pepererunt: sed vel ipsa operum fragmenta ostendunt, eos viros doctos non adspirasse ad veterum gloriam, nec cum his vlla ex parte esse comparandos.

§. CCCLII.

Status iuris Rom. sub insequentibus imp.

Sed et, qui Gordianum et Philippos sequuti sunt, imperatores vel breue habuerunt imperium, vel inter arma et perpetuas turbas vix cogitare de legibus potuerunt. Exstant tamen constitutiones CN. MESSII TRAIANI DECII, C. VIBII TREBONIANI GALLI et C. VALENTIS HOSTILIANI VOLVSIANI, P. LICINII VALERIANI et P. LICINII GALLIENI, M. AVRELII CLAVDII, L. DOMITII AVRELIANI, M. AVRELII PROBI, M. AVRELII CARI, et M. AVRELII CARINI, qui ab anno erae Dionys. 249. ad annum 284. imperarunt *: sed earum plerisque non tam noui quid constitui, quam iura constituta speciebus obuenientibus adplicari, animaduertimus.

* Has constitutiones ordine chronologico dispofuit, et ad suos quamque annos et coss. retulit Petr. Reland. *in Fast. consular. pag.* 210. *seqq.* Et DECII quidem constitutiones reperies *l.* 2. *C. de hered. act. l.* 2. *C. vbi causs. stat. l.* 3. *C. de adquir. vel amitt. poss. l.* 9. *C. de iur. dot. l.* 4. *C. de iure delib. l.* 3. *C. de legitim. her. l.* 3. *C. de donat.* Rescriptum GALLI et VOLVSIANI, *l.* 16. *C. de negot. gest.* VALERIANI et GALLIENI, *l.* 2. *C. de aduoc. fisc. l.* 6. *C. de testit. mil. l.* 3. *C. de testib. l.* 13. *C. de testam. mil. l.* 5. *C. de testam. l.* 14. *C. de fideicomm. l.* 21. *C. de transact. l.* 2. *C. de inoff. test. l.* 2. *C. quemadm. test. aperiantur. l.* 15. *C. de fideic. l.* 16. *C. ad leg. Iul. de adult.* et alias plurimas. CLAVDII, *l.* 6. *C. de seru. et aqu. l.* 2. *C. de diuers. rescript.* AVRELIANI, *l.* 1. *C. de his qui ven. aet. impetr.* PROBI, *l.* 2. *C. de reuoc. don. l.* 1. *C. vt nem. lic. sine iud. auct. sign. reb. l.* 4. *C. de donat.* CARI denique et CARINI, *l.* 9. *C. de rei vind. l.* 4. *C. de test. l.* 6. *l.* 7. *C. de praed. et al. reb. min. non al. l.* 16. *D. de fideic. l.* 4. *C. in quib. causs. pign. vel hypoth. tac. l.* 4. *C. de calumniat. l.* 2. *C. de recept. arb. l.* 6. *C. de sent. et interloquut. l.* 5. *C. quand. prou. non est necess.* CARINI et NVMERIANI, *l.* 19. *C. ex quib. causs. infam. irrog. l.* 17. *C. de inoff. test. l.* 2. *C. de diuid. tutel. l.* 5. *C. de donat. l.* 3. *C. de reuoc. donat. l.* 9. *C. ad leg. Corn. de fals.*

§. CCCLIII.

In primis sub Diocletiano, et collegis ac successoribus.

Soli ergo DIOCLETIANVS, MAXIMIANVS, & reliqui imperii consortes plures ediderunt constitutiones, quibus et emendarunt veterem iuris prudentiam, et noua non pauca sanxerunt. Quamuis enim vtriusque vita multis dicatur polluta flagitiis, neque illis parcant scriptores Christiani, quos detestanda illa laniena offenderant: fatendum tamen est, DIOCLETIANVM saltim, si ab illa truculentia aduersus Christianos discesseris, non male meritum esse de re publica, et multis eam institutis praeclaris ornasse. At eius vestigiis non institerunt GALERIVS, MAXIMIANVS, et reliqui collegae, quorum sub principatu *exstinctam esse eloquentiam, caussidicos sublatos, iuris consultos aut necatos, aut relegatos*, conqueritur Lactantius *de mort. persequut. cap.* 22.

X 2 *CAPVT*

CAPVT V.

DE STATV IVRIS ROM. A CONSTANT. M. AD IVSTINIANVM IMP.

§. CCCLIIII.

Constantinus M. plurima in iure innouauit.

EX quo Christianae veritatis lumen in orbe Romano resplenduit, eoque collustratus CONSTANTINVS M. paganam superstitionem deseruit, (quod initio saeculi quarti factum esse nouimus): hi dies aliam vitam, alios mores postulare visi sunt. Hinc permulta in iuris prudentia mutauit Constantinus M. * quae adcurate ac erudite exposuit Franc. Balduinus *in Costantino M.* tum *Halae anno* 1727. 8. tum nuper *Tom. I. Iuris prud. Romanae et Atticae, pag. 569. seqq.* recuso, quocum iungendus Iac. Gothofred. *in Commentar. ad Codic. Theodos.* in quo Constantini leges vtramque facere paginam nouimus.

* Iure ergo inter praecipuos legislatores locum sibi vindicat CONSTANTINVS, quem ideo maxime laudat Nazarius *in Panegyr. cap. 38. quod nouas leges regendis moribus, et frangendis vitiis constituerit, veterum calumniosas ambages resciderit, haeque captandae simplicitatis laqueos perdiderint.* Similia obseruant Euseb. *in vit. Constant. M. Lib. II. cap. 30. et auctor incertus panegyrici, Constantino Aug. dicti, cap.* 4. Laurentius Patarolus *in Notis ad veterum auct. orat. panegyr. pag.* 299. huc refert elegantem Constantini nummum, in quo sistitur ara, cui insidet noctua, ex transuerso hastile quoddam, e cuius vna parte clypeus, ex altera cassis propendet, cum lemmate: SAPIENTIA PRINCIPIS. Sunt enim haec symbola Mineruae, adeoque sapientiae, in primis legislatoriae.

§. CCCLV.

Exempla nouorum iurium a Constantino M. repertorum.

Ad haec iura noua, Constantini M. edictis inuecta, merito retuleris, quod ecclesiis per vltimam voluntatem, quantumcumque cuique libuerit, relinqui permisit: *l. 1. C. de sacrosanct. eccl.* quod ludos gladiatoribus sustulit: *l. vn. C. de gladiat.* quod artium professores immunitate donauit: *l. 6. C. de profess. et medic.* quod diem solis rite, nec tamen tam superstitiose celebrari voluit, vt agricolis non indulgerentur operae necessariae: *l. 3. C. de fer.* quod seruos bouesque aratores pignori capi; *l. 7. C. quae res pign. obl. poss.* concubinasque plures vna haberi vetuit *: *l. vn. C. de concubinis*: denique quod liberos non nisi sanguinolentos ob famem distrahi passus est, *l. 1. C. de patr. qui lib. distrax.* quamuis et eam facultatem postea, constitutis e publico alimentis, parentibus ademerit. *l. 1. et l. 2. C. Th. de alim. quae patr. ex publ. pet. deb.*

* Sunt, qui mirantur, concubinatum non plane sublatum esse a Constantino M. principe Christiano, et qui plures leges saluberrimas de re matrimoniali promulgarat. Sed impares adhuc fuisse leges communi huic vitio, et satis tamen multa sanxisse Constantinum, quibus concubinatus indirecte subrueretur, ostendimus in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. 4.*

Idem

§. CCCLVI.

Idem Conſtantinus bona liberorum materna ita eſſe in poteſtate patrum voluit, vt fruendi tantum haberent facultatem, dominio eorum ad liberos pertinente: *l. 1. C. de bon. matern.* quamuis ideo peculium aduentitium non inuexiſſe Conſtantinus, ſed multo prius imperatores liberis tale ius conceſſiſſe videantur *. Sed et equis conſuluit, curſui publico deſtinatis, quos fuſtibus contundi vetuit. *l. 1. C. de curſ. publ.* Denique et tacitam hypothecam pupillis in bonis tutorum conceſſiſſe legitur. *l. 20. C. de adminiſtr. tut.*

Alia eius generis exempla.

* Eſt haec obſeruatio ICti eximii, M. Aurel. Galuani, *de vſufr. cap. 7. p.* 57. Hic enim docet, primum ICtos introduxiſſe differentiam dotis profectitiae et aduentitiae. *l. 5. D. de iure dot.* Vlpian. *Fragm. tit. 6. §. 3.* Sic primum coepiſſe filiamfamilias aliquid proprium habere, nempe dotem aduentitiam. Deinde Hadrianum imp. filio conceſſiſſe facultatem ſtatim repetendi a patre fideicommiſſum, quod ipſe diſſipare coepiſſet, *l. 50. D. ad SC. Trebellian.* quod denuo fuerit aduentitium, quia profectitium non videretur, quod a parte inuito & coacto proueniret. *l. 5. §. 9. D. de iure dot.* Mox ICtos, argumento huius conſtitutionis induxiſſe, vt ſi pater inſtitutus, et rogatus filio reſtituere nolit, filius poſſit per magiſtratum cogere patrem, ad aditionem et reſtitutionem. *l. 16. §. 11. D. ad SC. Trebellian.* Sed et Antoninum Pium reſcripſiſſe, vt filius furioſi delatam ſibi ſucceſſionem haberet, non obſtante patria poteſtate. *l. 52. D. de adqu. vel omitt. hered.* Denique Conſtantinum M. hoc ius filii ad bona materna; *l. 1. C. de bon. mat.* Theodoſium et Valentinianum ad lucra nuptialia; *l. 1. C. de bon. quae lib.* Leonem et Anthemium ad lucra ſponſalitia; *l. 5. C. eod.* denique Iuſtinianum ad omnia aduentitia porrexiſſe *l. 6. C. eod.*

§. CCCLVII.

Praeterea Conſtantinus M. SC. de rebus minorum ſine decreto non alienandis ad vrbana etiam praedia produxit *: *l. 22. C. de adm. tut.* et nouas edidit conſtitutiones de actione ex donatione danda, *l. 25. C. de donat.* de diuiſione paterna a liberis ſeruanda, *l. vlt. C. famil. erciſc.* de querela inofficioſi teſtamenti fratribus et ſororibus germanis, et conſanguineis non concedenda, niſi inſtituta turpi perſona, *l. 27. C. de inoffic. teſt.* de teſtibus iure iurando obſtringendis, nec fide aliter iis habenda, *l. 9. C. de teſtib.* de carcere in poenam non habendo, *l. 1. C. de cuſtod. reor.* pluresque eiuſdem generis alias.

Iterum alia.

* Quin ſingularem eam ob rem conſtituiſſe videtur PRAETOREM, qui ideo CONSTANTINIANVS vocatur in *l. vlt. C. de praed. et al. reb. min.* cuiuſque in eo conſtitit officium, vt in diſtractione rerum minorum decretum cauſa cognita interponeret. Immo tunc quoque partes ſuas interponere hunc praetorem iuſſit, ſi propter debita fiſcalia pupillorum vel minorum res immobiles diſtrahendae ſint. quamuis neceſſaria eſſet haec diſtractio. Vid. Balduin. *in Conſtant. M. pag. 612. Tom. I. Iuris prud. Rom. et Attic.*

§. CCCLVIII.

Reuixit ergo quodammodo ſub Conſtantino M. Romana iuris prudentia: et hinc poſt tantum temporis interuallum ICti quidam tunc doctrinae laude florere coeperunt, quorum veluti coryphaeus fuit HERMOGENIANVS. Celeberrima iis temporibus fuit Hermogenianorum familia potentiſſimae Aniciorum genti arcto cognationis vinculo coniun-

Sub eo floruit Hermogenianus ICtus.

iuncta, de qua docte disserit Reinef. *ad Inscript. pag.* 70. ICtum nostrum et post Constantinum, et sub eius liberis floruisse, ex eo intelligimus, quod *l.* 17. *D. de min.* meminit praefectorum praetorio, a quibus adpellari non possit: quod priuilegium de non adpellando praefectis anno demum Christi 331. datum est. *l.* 16. *C. Th. de adpellat.* Itaque non mirandum, eum non semel nouis ac parum Latinis vocabulis vsum esse. Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1. Bynkershoek. *Obs. Lib. VI. cap.* 21. Eumdem adhuc immersum fuisse paganis superstitionibus, nos ex ea ipsa *l.* 60. *D. de donat. int. vir. et vxor.* ex qua eum Christianum fuisse, probare voluit Bertrandus, probamus. Scripsit EPITOMATORVM IVRIS *libros VI.* ** quorum ordinem ipse indicat *l.* 2. *D. de statu hom.*

* Alii eidem HERMOGENIANO tribuunt *libros* FIDEICOMMISSORVM, ob inscriptionem *l.* 14. *D. ad SC. Trebell.* Sed mendosam esse illam inscriptionem, et prima tantum legis verba ex Hermogeniani *Epitomatis iuris*, reliqua ex Vlpiani *libris fideicommissorum* esse desumta, ostendit Cuiac. *Obseru. Lib. II. cap.* 27. vbi etiam docet, Hermogeniani *libros Epitomatorum iuris* non fuisse IVLIANI *Digestorum* epitomen, sed institutiones vel compendium iuris.

§. CCCLVIIII.

Et Aurelius Arcadius Charisius.

Eiusdem aetatis fuisse AVRELIVM ARCADIVM CHARISIVM, ex *l. vn.* §. 1. *D. de offic. praef. praet.* colligimus, vbi itidem praefectorum praetorio, a quibus prouocare non liceat, meminit: quod ius sub Constantino demum inductum esse, paullo ante monuimus. Vnde perperam Guido Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 79. eum sub Caro, Carino, et Numeriano, nec non sub Diocletiano floruisse, contendit *. Christianum illum fuisse, censet Cuiac. *Obs. Lib. VII. cap.* 2. sed non reddita vlla, qua in hanc opinionem adductus sit, ratione. Sex sane fragmenta, quae in *Pandectis* ex ejus libris supersunt, nihil omnino, quod Christianismum redoleat, continent. Ceterum ex eorum inscriptionibus discimus, eum magistri libellorum officio esse functum, et reliquisse *libros singulares* DE TESTIBVS, *l.* 1. *l.* 21. *l.* 25. *D. de test. l.* 10. *D. de quaest.* DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO, *l. vn. D. de offic. praef. praet.* et denique DE MVNERIBVS CIVILIBVS, *l.* 18. *D. de muner. et honor.*

* Ad Charisium enim nostrum Pancirolus directas esse putat constitutiones Cari, Carini, & Numeriani, *l.* 4. *C. de calumniat.* nec non binas Diocletiani et Maximiani, augustorum, *l.* 1. *C. ne rustic. ad. vll. obs.* et *l.* 27. *C. de pact.* Sed Carus et Carinus in *d. l.* 4. *C. de calumn.* ad ARCADIVM quemdam rescribunt, quo nomine iis temporibus plures vsos esse, constat. Is vero, ad quem *l.* 27. *C. de pact.* missa est, ARCADIVS non CHARISIVS, sed CHRESIMVS adpellatur, nec facile quis audiuerit Pancirolum, *de clar. leg. interpr. Lib. I. cap.* 2. *pag.* 12. pro *Chresimo*, nullo addicente codice MSC. rescribentem *Charisio*. In *l.* 1. *C. ne rustic. ad vll. obs.* ne *Arcadii* quidem vllius fit mentio.

§. CCCLX.

An et Iulius Aquila?

Quod ad IVLIVM AQVILAM ICtum attinet, eius familiam iam Elagabali temporibus floruisse, arbitror, siquidem hic imp. in matrimonio habuit IVLIAM AQVILIAM SEVERAM, antea virginem Vestalem,

lem, cuius nummi exſtant apud Patinum *Numiſm. imp. pag.* 270. De ICti noſtri aetate multa diſputant eruditi, quae veluti in nucleo exhibet Eu. Otto *in Praefat. Theſaur. iur. ciu. Tom. I. pag.* 17. Id vnum certum eſt, eum reliquiſſe *librum* RESPONSORVM, ex quo bina ſuperſunt fragmenta, *l.* 34. *D. de adminiſtr. et peric. tut.* et *l.* 12. *D. de ſuſpect. tutor. et curator.*

§. CCCLXI.

Schola iuridica Berytenſis.

Lacertos tum mouere coepiſſe Romanam iuris prudentiam, argumento eſt SCHOLA IVRIDICA, quae tum non quidem inſtitui primum, ſed inclareſcere in orbe Romano coepit, puta BERYTENSIS. Ea et inſequentibus ſaeculis adeo in deliciis fuit imperatoribus, vt aliis locis, quam Beryti, Romae, et Conſtantinopoli ius publice docere prohiberent, & quum Alexandriae * et Caeſareae nonnulli ſcholas iuridicas aperirent, eas claudi iuberet Iuſtinianus imp. *Conſt. omnem reip.* §. 7. *ad Anteceſſ.*

* At tanto plus celebritatis conſequuta eſt ſchola Alexandrinorum medica, adeo vt olim ad commendationem artis ſufficere videretur, ſi quis ſe Alexandriae vixiſse diceret. Ammian. Marcell. *Lib. XXII. cap.* 16. *Medicinae autem, cuius in hac vita noſtra nec parca, nec ſobria, deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur in dies, vt, licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.* Alexandrini autem medici quanto in pretio fuerint, indicat etiam Galenus *libro de Anatomia*, et Iulianus Aug. *Epiſt.* 46. Hinc Fulgentius Planciades *Lib. I. Mythol.* Alexandriae in cunctis fere angiportis fuiſse medicorum domicilia, ſcribit. Alios porro medicos, qui ad perfectam artis ſuae ſcientiam adſpirarint, relictis patriis ſcholis Alexandriam nauigaſse, vt a profeſsore aliquo magno medicinam diſcerent, patet ex Liban. *Lib. IIII. epiſt.* 95. et Theodorit. *Epiſt.* 224. Zach. Mitylen. *pag.* 179. Vid. Valeſ. *ad Ammian. Marcell. pag.* 267. Noluit ergo Iuſtinianus Alexandrinos et ſcholam iuridicam habere, qui iam ex medica multum celebritatis fuerint conſequuti. Neque tamen Alexandrini ſtatim paruiſse videntur illi Iuſtiniani edicto. Quum enim Conſtitutio illa prodierit anno Chriſti 533. quindecim annis poſt, anno 548. de ſe ſcribit Agathias *Lib. II. pag.* 48. ἐτύγχανον γὰρ αὐτοῦ διατρίβων παιδείας ἕνεκα τῆς τῶν νόμων. *commorabar enim ibi*, (Alexandriae), *tum temporis legalium ſtudiorum cauſſa.*

§. CCCLXII.

Eius laudes et fata ſaeculis tertio et quarto.

Scholam iſtam iam ſaeculo tertio coepiſſe, ſupra monuimus. Vt vero paullo adcuratius inquiramus in eius origines, hic obſeruaſſe iuuabit, non ſub Diocletiano demum (vti Strauchius *de Beryto*, *cap.* 4. §. 15. cenſuit), ſed haud paullo prius, illam iuris Romani ſtudiis floruiſſe. Nam Gregorius Thaumaturgus, iam anno 248. ad epiſcopatum Neocaeſarienſem euectus, in *Orat. panegyr. pag.* 186. *ſequ.* Berytum vocat πόλιν Ῥωμαϊκωτέραν πῶς, καὶ τῶν νόμων τούτων πιστευθεῖσαν παιδευτήριον, *vrbem plane Romanam, et legum Romanarum ſchola ornatam.* Nec minus, eodem ſaeculo, huius ſcholae cum laude meminerunt Diocletianus et Maximianus auguſti, *l.* 1. *C. qui aet. vel profeſſ. excuſ.* Saeculo inſequente quarto tantus Berytum fiebat ingenuorum iuuenum concurſus, vt Libanius *Orat. XXVI.* inuidiae percitus oeſtro adoleſcentes, abdicato eloquentiae ſtudio, Berytum, ad hauriendam iuris diſciplinam contendere queratur. Enimuero hoc ipſo ſaeculo

IIII.

IIII. triste huic scholae fatum incubuit, vrbe horribili terrae motu concussa, maximamque partem subuersa, anno erae Christianae 349. Cedren. *Annal. pag.* 246.

§. CCCLXIII.

Nec non saeculis quinto et sexto.

Sed mox tamen reuiruit schola celeberrima. Nam insequente saeculo Nonus *in Dionys. Lib. XXXXI. extr.* mirifice laudat legum studium, quod Beryti ferueat : et Zacharias Mitylen. *de opific. mundi pag.* 164. eamdem vrbem vocat *μητέρα τῶν νόμων*, *matrem legum*, quemadmodum saeculo sexto a Iustiniano *ciuitas legum veneranda et splendida metropolis*, nec non *legum nutrix* adpellatur. *Const. tanta* §. 9. *de conf. Dig.* et *Const. omnem reip.* §. 7. *ad Antecess.* Auditorum magnificentiam laudant *Geographus a Iac. Gotofredo primum editus*, *pag.* 256. *edit. Gronou.* et Zachar. Mitylen. *ibid. pag.* 166. * Legum professores tempore Iustiniani ibi celebrabantur DOROTHEVS, ANATOLIVS, SALAMINIVS, et THEOPHILVS, quorum opera princeps in componendo Corpore iuris vsus est. Denique de petulantia studiosorum in nouitiis initiandis videnda *Constit. omnem reip.* §. 9. *ad Antecess.* et Strauch. *de Beryto*, *cap.* 5. §. 1. *sequ.*

* Quia hi scriptores non omnium in manibus sunt : gratiam nos inituros a studiosis, speramus, si loca eorum integra huc referamus. Et Noni quidem de Beryto haec verba sunt : *Lib. XXXXI. v.* 389. *sequ.*

> *Σκῆπτρον ὅλης Αὔγουστος ὅτε χθονὸς ἡνιοχεύσῃ*
> *Ῥώμῃ μὲν ζαθέῃ δωρήσεται Αὐσόνιος Ζεὺς,*
> *Κοιρανίην, Βερόῃ δὲ χαρίζεται ἡνία θεσμῶν.*
> *Sceptrum totius Augustus quando terrae gubernabit,*
> *Romae quidem diuinae dabit Ausonius Iupiter*
> *Imperium : Beroae vero indulget fraena legum.*

Geographus, a Gothofredo editus, *pag.* 256. *Tam Berytus ciuitas valde deliciosa, et auditoria legum habens, per quam omnia iudicia Romanorum. Inde enim viri docti in omnem orbem terrarum adsedent iudicibus, et scientes leges custodiunt prouincias, quibus mittuntur legum ordinationes.* At prolixissimus est Zacharias, qui fingit, se hospitem in auditorium Berytense, quod ipse *pag.* 165. *τὸ τέμενος τοῦ θεοῦ*, *fanum Dei* adpellitat, inductum, qui, conspecta illa augusta basilica, exclamarit : *O peritiam artificis, mi anime! O praeclarum spectaculum! Quae forma! quam apta quamque elegans coagmentatio augustae Dei domus! vtque tanta magnitudo decem columnis sustinetur! Vtque vna ex materia politae omnes! Vt eumdem inter se adspectum formamque retinent! Candidae omnes et leues, candore et laeuitate valde admodum praenitent renidentque, figuram eamdem et speciem ostendunt! At pictoris lineas vt admiror! et varia, et periucunda spectacula! omnis generis picturae lepida, colorum gratiam, et venustatem, et insignem nitorem!* Vbi Casp. Barth. *in Not. pag.* 250. *Videtur*, inquit, *templum intelligere, dicatum auditoriis legalibus, vbi scholae iuridicae, ex quibus auditoriis viros doctos in omnem terrarum orbem depromtos scribit Chorographus incertus : παιδευτήριον τῶν νόμων Gregorio Thaumaturgo.*

§. CCCLXIIII.

Interitus huius scholae miserabilis.

At vrbem florentem, et ad inuidiam vsque felicem, anno Iustiniani XX. terrae motus subruit, et magnam studiosorum multitudinem vna ruina inuoluit, vt praeter vrbis pauimenta nihil superesset. Et quamuis Antecessores superstites scholam Sidonem transferrent, et ciues interim nihil facerent reliqui, vt vrbem instaurarent : eam tamen e ruinis prodeuntem noua excepit calamitas, incendium maximum, quo vrbs antiquissima, Phoeniciae post Tyrum metropolis, et colonia iuris

iuris Italici ſplendididiſſima tota in cineres conſedit. Quae fuſius narrat Agathias *Hiſt. Iuſtin. Lib. II. pag.* 47. vbi vrbem illam vocat *τὴν καλλίστην, τὸ φοινίκων τῆς ἐγκαλλώπισμα, pulcherrimam, et totius Phoeniciae ocellum, ᾗ τοῦτο πάτριον καὶ, ὥσπερ γέρας τι μέγιστον τὸ, νόμων αὐτῇ ἀνεῖται διδασκαλεία, cui hoc patrium, et veluti maxima honoris praerogatiua fuerit, quod ſcholae iuridicae ei eſſent dicatae* *.

* Exſtant in hanc Beryti ἅλωσιν elegantia Epigrammata Graeca in *Antholog. Lib. I. cap.* 68. *ep.* 19. quorum primum adſcribere iuuabit:

Ἀδ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἄπολις πόλις, ἀμμιγα νεκροῖς
Ἐνναέταις κεῖμαι ἁ πανυστατάτα.
Ἥφαιστός μ' ἐδάμασσε μετὰ κλόνον ἐννοσιγαίου.
Φεῦ, ἀπὸ τοσσατίου κάλλεος εἰμὶ κόνις.
Ἀλλὰ παραστείχοντες ἐμὰν στοναχήσατε μοῖραν,
Σπείσατε Βηρυτῷ δάκρυα καὶ φθιμένα.

Heu nimium infelix vrbs, non vrbs, lumine caſſis
Fuſa ſolo, en iaceo mixta cadaueribus.
Nec ſat erat me Neptuni ſenſiſſe tridentem:
Mulciberis cladem hanc addidit ira nouam.
Haec, mihi quae pridem fuerat pulcherrima forma,
Eheu iam tenui puluere verſa iacet.
Vos, quibus hac iter eſt, noſtrae miſereſcite ſortis:
Berytô et lacrymas poſt ſua fata date.

§. CCCLXV.

Sed vt ad Conſtantinum M. reuertamur, is non modo in iuris prudentia, vt ſupra diximus, plura innouauit, verum etiam in republica, toto orbe Romano nouo inſtituto in quatuor dioeceſes vel praefecturas praetorianas deſcripto, Zoſim. *Hiſtor. Lib. II. cap.* 33. de quibus eruditiſſime poſt Auctorem *Notitiae imperii orientis et occidentis*, a Guidone Pancirolo perpetuis commentariis illuſtratae, erudite egit Philippus Berier. *libris* Πιθανῶν, in *Theſaur. iur. ciu. Tom. IIII. pag.* 789. *ſeqq.* recuſis, *diatribe I.* Quin translata Conſtantinopolin ſede imperii, et epiſcoporum Romanorum ambitioni viam, qua ad ſummum in eccleſia imperium ſenſim progrederentur, muniuit, et barbaris occaſionem dedit, occidentem ſuis incurſibus lacerandi, nouaque ſibi imperia quaerendi in praeſtantiſſimis Romanorum prouinciis *. Zoſim. *Hiſtor. Lib. II. cap.* 34.

Conſtantinus quaedam et in re publica innouauit.

* Sunt tamen, quae pro excuſando Conſtantino M. adferri poſſent. Semel enim electa Chriſtiana religione, ſatis animaduertebat, ſe nuſquam ſecurius acturum, quam in ea imperii parte, quam plurimi incolerent Chriſtiani. Quum ergo in maxima occidentis parte altiſſimas radices egiſſet pagana ſuperſtitio, et Romae plerique potentiores eam adhuc mordicus tenerent: quis vitio vertat Conſtantino, dum in oriente, quam in occidente, ſedem imperii conſtituere maluit. Et quod commodius imperii domicilium eligere potuiſſet, quam Byzantium, ſpeculam Europae, Aſiae, et Africae tutiſſimam? Si conſiliis non reſpondit euentus: id magis receptae iam imperii diuiſioni, quam translationi ſedis imperii, videtur tribuendum.

§. CCCLXVI.

Eſt hoc fatum Conſtantini M. vt pleraſque eius actiones perſtringant Zoſimus, Iulianus, ὁ παραβάτης, immo et recentiorum ſcriptorum Chriſtianorum quam plurimi. Contra eum laudibus in caelum euehunt Euſebius *in Vita*, et ſcriptores Chriſtiani eorum temporum alii.

Iudicium de Conſtantino M.

 Sed

Sed quemadmodum adfectus migrare soleat in calamum, & paganos Constantino ob sacrorum suorum euersionem infensos; Christianos eumdem ob munificentiam et patrocinium sibi praestitum admiratos esse, verosimile est: ita ii demum Ioue aequo iudicare videntur de hoc principe, qui nec naeuos eius dissimulant, et iustum pretium statuunt eius virtutibus, meritisque in rem Christianam plane eximiis.

§. CCCLXVII.

Codices cur fieri tum coeperint?

ICtis eorum temporum, quorum plerique deorum cultui adhuc dediti fuisse videntur, nihil magis in Constantino M. displicuit, quam quod iuris prudentiam, cui adsueti fuerant, innumeris quotidie constitutionibus emendaret, nouamque ei veluti faciem daret. Hinc metuentes constitutionum, quae ab Hadriani temporibus prodierant, ruinam: operam dederunt, vt illae colligerentur in certos CODICES *, et sic earum memoria ad posteros conseruaretur. Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1.

* Ita κατ' ἐξοχὴν vocabantur libri, in quibus constitutiones principum colligebantur, eosque quadratae formae fuisse, ostendit Schulting. *Iuris prud. vet. anteiustin. pag.* 377. Huius modi collectiones iam pridem plures exstabant, veluti IVLII PAVLLI *imperialium constitutionum libri sex*, *l.* 113. *D. de condit. et demonstr.* PAPIRII IVSTI *Constitutionum libri viginti*, ex quibus codices suos facile locupletare potuerunt GREGORIVS et HERMOGENIANVS, de quibus mox.

§. CCCLXVIII.

Codex Gregorianus qualis fuerit?

Prior tale opus confecisse videtur siue GREGORIVS, siue GREGORIANVS *, nescio quis, qui principum anteriorum ab Hadriano ab Constantinum M. rescripta collegit, et sub certos redegit titulos. Sane, quae supersunt, fragmenta, licet paucissima, consistunt in constitutionibus Antoninorum, Seueri et Caracallae, Alexandri, Gordiani, Philippi, Valeriani et Gallieni, Cari, Carini et Numeriani, denique Diocletiani et collegarum, vt male Cuiac. *princ. Paratitl. Cod.* existimet, Gregorium vltra Valeriani et Gallieni tempora non processisse.

* *De* auctore huius Codicis fere omnia incerta sunt, adeo, vt dubium sit, GREGORIVS, an GREGORIANVS fuerit adpellatus. Posteriore enim sub nomine citari videtur ab Augustino *ad Pollent. Lib. II. cap.* 8. et a *Paratit. legg. Mos. et Rom. tit.* 1. §. 8. *seqq. tit.* 3. §. 4. *tit.* 6. §. 4. *tit.* 10. §. 8. *tit.* 15. §. 3. At quum tamen vbique subaudire liceat substantiuum *Codex*, et sub Constantino M. quidam floruerit GREGORIVS, praefectus praetorio circa annum Christi 336. *l.* 3. *C. Th. de ann. et tribut. l.* 2. *C. Th. de contrah. emt. l.* 1. *C. Iustin. de natural. lib.* non poenitenda sane est coniectura Iac. Gothofredi *Proleg. Cod. Theodos. cap.* 1. hunc ipsum Gregorium huius Codicis auctorem fuisse. Panciroli enim sententia, qui Gregorium hunc sub Valente et Gratiano imp. scripsisse censuit *de clar. leg. interpretib. Lib. I. cap.* 66. nullo idoneo fundamento nititur.

§. CCCLXVIIII.

Eius Codicis auctoritas et fragmenta.

Quamuis vero priuato GREGORII consilio instituta primum fuerit haec collectio, magnam tamen et in foro eius fuisse auctoritatem, patet ex interpretamento *legi vnicae C. Th. de respons. prud.* subiecto

cto *, vbi interpres, siue is ANIANVS, siue alius sit: *Gregorianum vero*, inquit, *et Hermogenianum ideo lex ista praeteriit, quia suis auctoritatibus confirmantur ex lege priore sub titulo de constitutionibus principum et edictis*. Reliquias huius Codicis, quas Aniano debemus, post Sichardum et Cuiacium nobis exhibuit Ant. Schulting. in *Iurisprudent. vet. anteiust. pag.* 682. *seqq.*

* Nec minus idem probari potest ex *Const. summa reip.* §. 3. *de Iust. Cod. confirm.* vbi imperator: *vt sciant omnes, tam litigatores, quam disertissimi aduocati, nullatenus eis licere de cetero constitutiones ex veteribus* TRIBVS CODICIBVS, *quorum iam mentio facta est, vel ex iis, quae Nouellae constitutiones ad praesens tempus vocabantur*. (sunt hae Nouellae Codici Theodosiano a Iac. Gothofredo subiectae,) *in cognitialibus recitare certaminibus, sed solum eidem nostro Codici insertis constitutionibus necesse est vti, falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint.* Quid vero attinebat vsum et horum Codicum in foro sub poena falsi inhibere, si numquam auctoritatem in foro habuissent?

§. CCCLXX.

Gregoriano Codice non multo posterior fuisse videtur HERMOGENIANVS, Reinesius *ad Inscript. pag.* 70. qui notissimo Lampridii loco deceptus, HERMOGENIANVM ICtum inter Alexandri Seueri consiliarios fuisse existimabat, non poterat sane, quin hunc Codicem scriptum esse, negaret: ac proinde illum tribuere malebat Q. CLODIO HERMOGENIANO OLYBRIO, praefecto vrbi anno Christi 365. vel eius certe patri, vel patruo. At, quum HERMOGENIANI, ICti, aetatem in Constantini M. tempora omnino incidere, iam supra (§. 358.) ostenderimus: nihil sane impedit, quo minus eum huius Codicis auctorem esse potuisse statuamus cum Ant. Augustino et Iac. Gothofredo *. Codicis Hermogeniani auctor.

* Dicimus, illum auctorem esse potuisse, fuisse, pro certo non adfirmamus. Floruerunt enim per ea tempora plures Hermogenes et Hermogeniani: quorum posteri sunt *Hermogenes Ponticus*, praef. praet. orient. anno 358. defunctus. Ammian. Marcell. *Lib. XVIIII. cap.* 12. et *Lib. XXI. cap.* 7. *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*, praef. praet. et vrb. anno 365. cos. anno 379. *l.* 2. *C. de haeret. l.* 1. *C. de sport. et sumt. l.* 4. *C. quemadm. test. aper.* Grut. *Inscript. pag.* 353. *num.* 2. Reines. *Inscript. Class. XX. num.* 371. *Anicius Hermogenianus Olybrius*, cos. anno 395. *l.* 24. *et* 25. *C. de nauicul. l.* 41. *C. de transact.* Gruter. *Inscript. pag.* 352. *num.* 5. 6. *pag.* 353. *num.* 1. *pag.* 450. *num.* 2. *et.* 3. *Clodius Hermog. Caesarius*, cos. anno 397. et praef. praet. *l.* 2. *C. de allun. C. Clodius Hermog. Olybrius*, Grut. *Inscript. p.* 392. *nu.* 5. consularis Tusciae et Valeriae. *l.* 72. *C. Th. de decur.* Horum, eorumque maiorum quum nullus fere sit, qui talem codicem facere non potuerit: quam difficile hic sit diuinare, et quam paene ἐκ τῶν ἀδυνάτων, verum Codicis huius auctorem eruere, nemo non intelligit.

§. CCCLXXI.

Tres eius codicis editiones ab ipso auctore factas esse, vulgo colligunt ex verbis Sedulii, presbyteri, *in praefat. oper. paschalis*. Is enim excusaturus, quod post editos libros V. Carminis paschalis, eorum textum metricum in prosam transferre non dubitarit: *cognoscant*, inquit, *Hermogenianum, doctissimum iuris latorem, tres editiones con-* An tres eius editiones?

 fecisse

fecisse. Sed locus hic non minus de HERMOGENIANI *Epitomatis iuris*, quam de Codice Hermogeniano potest intelligi. Nec ratio reddi posse videtur, cur plures Codicis sui editiones conficere voluerit Hermogenianus, nisi forte eum postea aliquas constitutiones, quae antea eius diligentiam fugerint, reliquis addidisse, dicamus.

§. CCCLXXII.

Eius materia et fragmenta.

Ceterum maxima diligentia hic auctor, quisquis sit, collegisse videtur constitutiones Diocletiani et collegarum eius, adeoque spicilegium instituisse post Gregorii messem. Fragmenta sane, quae supersunt, Diocletiani et collegarum nomina praeferunt *, quamuis quaedam horum constitutiones iam fuerint in Codice Gregoriano, sed paullulum diuersae. Huius quoque codicis reliquias nouissime debemus Ant. Schultingio, qui eas cum doctissimis adnotatiunculis suis edidit *in Iurisprudent. vet. anteiustin. pag.* 709. *seqq.* Aliam tamen constitutionem, quae in his fragmentis non habetur, seruarunt Graeci iuris interpretes, de qua Cuiacius *Obs. Lib. XII. cap.* 35.

* Tres tantum primae constitutiones nomen AVRELII aug. praeferunt. Iam plures, tum tyranni, tum legitimi principes ante et post Diocletianum *Aurelii* dicti, veluti M. AVRELIVS VICTORINVS et L. AVRELIVS VICTORINVS, M. AVRELIVS MARIVS, M. AVRELIVS CLAVDIVS. M. AVRELIVS QVINCTILLVS, M. AVRELIVS TACITVS, M. AVRELIVS PROBVS, M. AVRELIVS CARVS, M. AVRELIVS CARINVS, M. AVRELIVS NVMERIANVS: sed laudatissimus Schultingius ostendit, has quoque constitutiones esse Diocletiani et Maximiani, augustorum, quod ambo apud Gruter. *Inscript. pag.* 250. et alibi passim, vocentur AVRELII.

§. CCCLXXIII.

Status iuris sub Constantini M. liberis.

Sub Constantini liberis, immo et post illos ad THEODOSIVM iuniorem, eadem per omnia, quae sub Constantino M. fuit, iuris prudentiae facies. Nam et sequentes imperatores Christiani id fere agebant constitutionibus suis, ut ius Romanum non modo ad maiorem simplicitatem, sed et, quod Eusebius *Vit. Constantin. Lib. IIII. cap.* 26. de Constantino M. praedicat, ἐπὶ τὸ ὁσιώτερον, *ad maiorem sanctitatem* traducerent. Sic exempli gratia Constantinus iunior iuris formulas, aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitus amputauit: *l.* 1. *C. de form. et impetr. act. subl.* idemque cum fratribus permulta sanxit, ad euertendas paganorum superstitiones, coërcendos Iudaeos, et prouehendam religionem Christianam comparata *.

* Tales sunt sanctiones Constantii, Iudaeis alioquin parum aequi, ne Iudaei mulieres e gynaeceo principis in turpidinis suae consortium ducerent: *l.* 6. *C. Th. de Iud.* vt ex Christiano Iudaei effecti bona fisco vindicarentur: *l.* 7. *C. Th. eod.* Iudaeus ne Christianum haberet mancipium: *l.* 2. *C. Th. l.* 1. *C. Iust. ne Christ. mancip.* Sozom. *Hist. eccles. Lib. III. cap.* 16. Constantis porro et Constantii constitutiones, vt cessaret superstitio, templa occluderentur, et sacrificiorum aboleretur insania, *l.* 2. *et* 4. 5. 6. *C. Th. de pagan.* templis tamen extra moenia parceretur, *l.* 3. *C. Th. eod.* vt episcopi, clerici, eorumque mancipia ab extraordinariis collationibus, metatis, et lustrali collatione immunes essent. *l.* 8. *C. Th. l.* 1. *C. Iustin. de episc. l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. 14. 15. *seqq.* *C. Th. eod.* vt a foro saeculari sint exemti. *l.* 12. *C. Th. de episc.*

Qui

§. CCCLXXIIII.

Sub Iuliano imp.

Qui viuo Constantio imperium extorsit, IVLIANVS, ad pristinam superstitionem relapsus, non pauca in Christianorum odium constituit. Nam et templa deorum aperuit, et profanos ritus vbique instaurauit: Ammian. Marcell. *Lib. XXII. cap.* 7. Christianis quoque honorum aditum interclusit, Sozom. *Hist. eccles. Lib. V. cap.* 15. Greg. Nazianz. *Orat. I.* et eosdem bonis artibus erudiri vetuit, Socrat. *Hist. eccles. Lib. III. cap.* 16. quod ipsi Ammiano Marcellino *Lib. XXV. cap.* 15. inclemens visum. Cetera princeps grauis et eruditus, permulta praeclare constituit, (Petr. Cunaei *praefat. ad Iuliani Caesares*,) vt plerasque eius constitutiones in codicem suum recipere non dubitarit Theodosius Iunior *.

* Aliquando tamen merito desideres compilatorum iudicium, qui plures Iuliani leges, Christianorum principum constitutionibus contrarias, immo et manifesto impias, in codicem illum receperunt. Iac. Gothofr. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 3. *pag.* 188. Et sane quis in Codice, fori Christiani vsibus destinato, ferat. *l.* 4. *et* l. 5. *C. Th. de sepulcr. viol.* quae omnem paene veterum superstitionem de religione deorum manium, reliquiis non contrectandis, aggeribus consecratis, de funeribus oculos hominum infaustis adspectibus incestantibus, vt ad deos et templa venire puri nequeant, complectuntur? Sed qui religioni sibi non duxerunt, Constantini M. et Valentiniani constitutiones de licito haruspicinae vsu illi iuris corpori inserere: *l.* 1. *C. Th. de pagan. l.* 2. *l.* 3. *l.* 9. *C. Th. de malef. et mathem.* quid eos prohibuisset, Iuliani sanctiones eiusdem furfuris in opus suum referre?

§. CCCLXXV.

Misera iuris prudentiae conditio.

Ceterum quam misera sub hoc principe fuerit iuris prudentiae conditio, vel inde colligere licet, quod nullus plane ICtus alicuius nominis illud tempus illustrauit, abhorrentibus fere ingenuis ab illo legum studio, & illud libertinis & infimae plebi relinquentibus. Saltim de anterioribus proxime temporibus Cl. Mamertin. *Panegyr. XI. cap.* 20. *iuris*, inquit, *ciuilis scientia, quae Manlios, Scaeuolas, Seruios in amplissimum gradum dignitatis euexerat*, LIBERTORVM *artificium dicebatur*. Nec probabile est, intra paucos annos, quibus rerum potitus est Iulianus, ita refloruisse iuris prudentiam, ut aliter sese res habere coeperit.

§. CCCLXXVI.

Status iuris sub Iuliani successoribus ad Theodosium M.

Cito transiit haec nubecula, quod praedixerat Athanasius apud Socrat. *Hist. eccles. Lib. III. cap.* 14. ac proinde Constantini M. vestigiis postea strenue institerunt IOVIANVS, VALENTINIANVS, VALENS, GATIANNVS, et THEODOSIVS M. quorum plurimae exstant constitutiones, ad eumdem finem comparatae, quem Constantino M. ob oculos fuisse, paullo ante obseruauimus. Singularis fuit VALENTIS ferocia, *τὸν τῶν πραγμάτων ὄγκον οὐ φέροντος*, *rerum molem non sustinentis*, uti de eo iudicat Zosimus *Histor. Lib. IIII. cap.* 4. qui, ut Arianis consuleret, libertatem omnibus dedit, suum in colenda religione iudicium sequi *: quod edictum singulari *oratione de religionibus*, quae Latine tantum exstat, collaudauit Themistius, *pag.* 155. *Oper. edit.*

Har-

Harduini. THEODOSIVS M. quantum dederit operae, vt omnes antiqui iuris ambages, si quae superessent, tolleret, bonisque legibus armaret rem publicam, patet ex Socrate *Hist. eccl. lib. V. cap.* 18. ipsaeque eius constitutiones, quas se singulari commentario illustraturum promiserat FRANC. BALDVINVS, satis euincunt.

* Neque enim, quod conscientiae libertati faueret, huius modi propofuerat edictum, sed vt Ariani sui tanto securius in orbe Romano agerent. Vnde ipse postea Valens grauis fuit catholicis. Io. Antiochen, *in Excerpt. Peiresc. pag.* 847. Ὁ δὲ Οὐάλης τῆς Ἀρείου δόξης μεταποιούμενος μέγιστον ἐκίνει κατὰ τῶν Χριστιανῶν διωγμὸν, ὡς πολλοὺς μὲν ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀναιρεῖσθαι, πολλοὺς δὲ καὶ ἐξορίαις ὑποβάλλεσθαι, καὶ αὐτοὺς δὲ τοὺς κατὰ τὴν ἔρημον ἐμφωλεύοντας τῶν ἰδίων σπηλαίων ἀπελαύνεσθαι: *sed Valens, Ariana infectus labe, grauissimam in Christianos persequutionem excitauit, adeo, vt multi iudicum sententia damnati interirent, multi in exsilium traderentur: nec pauci ex iis, qui in eremo abditi erant, e casis suis pellerentur*. Res ad saeuiorem spectabat lanienam, nisi Christianorum patrocinium suscepisset paganus ille Themistius. Socrat. *Hist. eccl. Lib. IIII. cap.* 3. Sozomen. *Hist. eccl. Lib. VI. cap.* 36. Orationem tamen, quam tunc habuit Themistius, intercidisse, aduersus Antonium Pagi ostendit Fabric. *Biblioth. Graec. V.* 18. *Tom. VIII. pag.* 10. Similes Valentiniani constitutiones de libertate conscientiae exstant *l.* 2. *l.* 3. *l.* 9. *C. Th. de malef. et mathem.*

§. CCCLXXVII.

Iuris prudentiae moles et misera facies.

Interim nimia illa imperatorum diligentia factum est, vt in immensam paene molem excresceret iuris prudentia. Nam praeter tot ICtorum opera, quorum haud exigua erat in foro auctoritas, quorumque duo paene millia sua adhuc aetate exstitisse, testatur Iustinianus, *l.* 2. §. 1. *C. de vet. iur. enucl.* tam immensa erat constitutionum veterum nouarumque silua, vt Eunapius *in vita Aedesii*, *pag.* 72. ius ciuile ἄχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus* vocaret, & nullum paene erectius ingenium isti se labyrintho committere auderet. *

* Egregiis veterum testimoniis hoc probant Iac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theodos. cap.* 1. *pag.* 185. Mamertini querelam, quae ad tempora Iuliani et anteriora pertinet, iam supra (§. 375.) audiuimus. Sub finem saeculi quarti, Asterius, episc. Amasen. *Homil. VII.* apud Phot. *Biblioth. cod.* 271. meminit serui Scythae, a ciue Antiocheno emti, qui ius professus sit (αὐτὸς νόμων ὤφθη διδάσκαλος), quem se ipsum ius docentem audiuisse, profitetur. At nemo eorum temporum iuris peritos, illorumque ignorantiam, fastum, et caninum optimos quosque adlatrandi studium elegantius descripsit Ammiano Marcellino *Lib. XXX. cap.* 4. qui locus prolixior est, quam vt hic locum inueniat.

§. CCCLXXVIII.

Theodosii II. et Valentiniani Constitutio de responsis prudentum.

Remedium huic malo reperisse sibi videbantur THEODOSIVS iunior et VALENTINIANVS, edita anno 426. constitutione, qua Papiniani, Paulli, Caii, Vlpiani ac Modestini opera, quaeque hi quinque viri ex aliorum veterum ICtorum libris in suos transtulissent, exceptis Vlpiani et Paulli notis ad Papinianum, nec non secundo loco Scaeuolae, Sabini, Iuliani & Marcelli scripta, si prius ad fidem antiquorum codicum fuerint recognita, sola in foro citari permiserant, ita vt plurium sententiae vincerent pauciorum, et si par sit ita sentientium

tium numerus, eorum praeferretur sententia, cui adstipuletur Papinianus. *l. vn. C. Th. de respons. prud.* Sed quum parum prudentiae legislatoriae prae se ferat haec sanctio *: eam ex codice suo merito exsulare iussit Iustinianus.

* At ita non iusti ac aequi habebatur ratio, sed auctoritatis, et plurium dissentientium non ponderabantur, sed numerabantur sententiae. Quum ergo prudenter obseruauerit Ammian. Marcellin. *Lib. XXX. cap. 4. iuris scientiam repugnantium sibi legum aboleuisse dissidia*: actum procul dubio fuit de iuris prudentia publicata hac constitutione. Et hinc ad pristinam perfectionem neminem eorum temporum peruenisse animaduertimus, quamuis in constituendis iuris peritis, qui ius ciuile enarrarent, nihil reliqui faceret Theodosius ille iunior. *l. vlt. C. Th. de stud. liber. vrb. Rom. et Constantinop. l. vn. C. Th. de professor. qui in vrb. Constantinop. docentes ex lege meruer. comitiu.*

§. CCCLXXVIIII.

Codex Theodosianus.

Idem Theodosius iunior anno 438. constitutiones principum ad certum modum redigere studuit: & hinc, quotquot a Constantino M. ad id vsque tempus prodierant, sanctiones * per octo viros, quorum Antiochvs, eunuchus, expraefectus et consul, demum inter presbyteros relatus, de quo *l. 6. C. Th. de collation. donatar. l. 5. C. Th. de his, qui ad eccles. confug.* Marcellin. *Com. in Chron. ad ann.* 448. *pag.* 41. *edit. Scalig.* Suid. *Tom. I. pag.* 227. *pag.* 899. *Tom. II. pag.* 175. *Tom. III. pag.* 135. *edit. Kuster.* familiam duxit, digessit in codicem, qui ab ipso Theodosianvs adpellatur, Isidor. Hispal. *Orig. Lib. V. cap. 1.* eumque postea singulari nouella Constitutione, quae inter Theodosianas prima est, confirmauit. Iac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theodos. cap. 3. pag.* 189. Hunc Codicem luculentis Iac. Gothofredi commentariis illustratum post eximii huius ICti obitum edidit Ant. Maruillius *Lugd.* 1668. *fol. Tomis VI.* quae editio Lipsiae nuper repetita, collato Wurzburgensi codice antiquissimo, emendatior prodire coepit.

* Prosper Aquitanic. *in Chronico Part. I.* hunc Codicem vocat *leges legitimorum principum*: quod Iac. Gothofredus *Prolegom. cap. 1. pag.* 284. interpretatur de principibus Christianis, quia ipsa Christiana religio illis temporibus lex catholica, *l. 1. C. Th. de haeret.* lex Christiana, *l. 16. C. Th. de episc.* lex sanctissima, *l. 5. C. Th. eod.* lex superna, *l. 49. fin. C. Th. de decurion.* lex venerabilis vel veneranda, *l. 7. l. 13. C. Th. de Iudaeis*, vocata sit. Sed quis hoc sensu *legitimum principem* vocet Iulianum, cuius tamen constitutiones vtramque in hoc Codice paginam faciunt? Potius ergo *principes legitimi* opponuntur tyrannis, quorum tum plurimi imperium per bina saecula adfectarunt, veluti sub Constantino M. *Maxentius, Licinius, Valens, Martinianus, Calocaerus*: sub eius filiis *Magnentius* Francus, *Vetranio, Decentius, Nepotianus, Siluanus*: sub Valentiniano et Valente *Procopius, Marcellus* Protector, *Valentinianus, Firmus* Maurus: sub Theodosio M. *Theodorus, Maximus. Victor, Eugenius*: sub eius filiis *Stilicho, Eucherius, Marcus, Gratianus, Constantinus et Constans, Gerontius, Maximus, Iouinus, Sebastianus, Sarus, Fl. Priscus Attalus, Heraclianus, Sabinus, Gildo, Plinta, Iouinianus* et *Sallustius*; de quibus ceteris scriptoribus adcuratius egit Christ. Ad. Rupert. *Obseru. in Synops. Besoldi cap. 15. pag.* 388. 390. *sequ. pag.* 403. *sequ. pag.* 410. *sequ. pag.* 415. *sequ.* Quum ergo constitutionum ab his nominibus editarum in hoc codice non habeatur ratio: ille leges *legitimorum* dumtaxat *principum* sinu suo complecti dicebatur.

§. CCCLXXX.

§. CCCLXXX.

Nouellae Theodosii II. et successorum.

Quum vero perfecto hoc codice subinde nouellae prodirent constitutiones non modo ipsius THEODOSII II. sed et VALENTINIANI III. MARTIANI, MAIORIANI, SEVERI, LEONIS, et ANTHEMII. Eas Nouellas primum edidit Petr. Pithoeus *Paris.* 1571. unde in eius opera *anno* 1609. edita migrarunt, sub titulo: *Nouellae constitutiones imperatorum Iustiniano anteriorum, nunc primum in vnum corpus collectae, et iunctim editae*, cum notulis marginalibus publici iuris fecit Conr. Rittershusius IC. Altorphinus, *Francof.* 1615. 8. postea easdem Codici suo Theodosiano, veluti mantissam, subiecit Iac. Gothofredus *.

* Promiserat Leonardus Adami, Volsinensis, auctor, scripta *Historia Arcadica*, seu Academiae Arcadum, cuius ipse socius erat, famam consequutus, se has Nouellas nec non Papiniani *Responsa* multo auctiora atque emendatiora ex vetustissimo codice MSC. Ottoboniano editurum, simulque in lucem protracturum quinque nouellas adhuc ineditas. Sed mors, quae virum doctissimum anno 1719. die VIIII. Ianuarii rei publicae litterariae eripuit, omnia eius consilia, in primis, quae de edendo Libanio et Iornande ceperat, turbauit.

§. CCCLXXXI.

Scholae iuridicae Romana et Constantinopolitana.

Maximi porro iure meritoque faciendum et THEODOSII II. studium, quo bonas litteras, et in his iuris prudentiam quoque, prouehere conabatur. Huic enim praecipue originem ac natales debent SCHOLAE *Romana* et *Constantinopolitana*, in quibus praeter tres oratores, decem grammaticos, quinque sophistas, et vnum philosophum, duo constituti fuerant professores, *qui iuris et legum voluntatem panderent*, *l. vn. C. de stud. lib. Romae et Const.* quosque post viginti annorum stipendia comitiua primi ordinis ornatos voluit, initio facto a LEONTIO iuris perito *. *l. vn. C. Th. de profess. qui in vrb. Constantinop. docent. ex leg. mer. comit.* Add. Herm. Conringii singularem, qui *l. vn. C. de stud. liberal.* illustrauit, commentarium. Ceterum quantus ex eo tempore concursus cupidae legum iuuentutis factus sit Romam, quam Sidonius Apollin. *Lib. I. epist. 6. legum domicilium* vocat, insequente exemplo pluribus exemplis docebimus. Vid. Sauaro *ad Sidon. ibid.* Franc. Iuret. *ad Simmach. Lib. VIIII. epist.* 83. Altesert. *Rer. Aquitann. Lib. III. cap.* 5.

* Mentionem haec lex facit quorumdam eius temporis professorum, qui ob merita viginti annorum stipendia codicillis primi ordinis comitiuae ornantur, veluti *Helladii*, grammatici, de quo Suid. *in* Ελλάδιος. Socrates *Hist. eccles. Lib. V. cap.* 16. *Syriani*, grammatici Latini, *Theophili*, sophistae, *Martini* et *Maximi*; praecipue iuris periti LEONTII, cuius alibi nusquam, qood sciamus, fit mentio, nisi quod ex *l.* 3. *C. Th. de frum. vrb. Constant. l.* 8. *C. Th. de princ. agent.* et *l. vlt. C. Th. de haeret.* constet, decennio post editam *l. vn. C. Th. de professor. qui in vrb. Constantinop. docent. Leontium* quemdam praefectum vrbi Constantinopoli fuisse. Potest hic sane nolter, quia *Themistium*, sophistam, et alios artium professores, ad hanc dignitatem adfpiraffe, nouimus. Gothofr. *Comment. ad Cod. Theod. Tom. II. pag.* 114.

§. CCCLXXXII.

Et talis quidem fuit iuris prudentiae facies sub imperatoribus Christianis etiam insequentibus vsque ad magnum illum iuris Romani restitutorem, IVSTINIANVM. Quae enim in *Codice* nostro exstant, constitutiones MARTIANI, LEONIS, ZENONIS, Isaurici, ANASTASII, et IVSTINI, Thracis, ita sunt comparatae, vt multa a maioribus constituta iis aboleantur. Nam et tutelam mulierum perpetuam iisdem fere cessasse temporibus, nouimus. Vid. Eu. Otton. *Differt. de perp. mul. tut.* Attamen et quaedam prudenter immutata esse, fatendum est, veluti dum *ab Anastasio* emancipationis veteris necessitas sublata, et a Leone vetus rigor aduersus plus iusto petentes mitigatus est. §. 33. *Inst. de act.*

Status iuris Rom. sub Theodosii II. successoribus ad Iustinianum.

C A P V T VI.

DE COMPOSITIONE IVRIS IVSTINIANEI, EIVSQVE IN ORIENTE ET OCCIDENTE VSV ET FATIS AD NOSTRA TEMPORA.

§. CCCXXXIII.

PRogredimur ad postremam iuris prudentiae Romanae periodum, quam a IVSTINIANI imperatoris temporibus inchoamus. Hic princeps, humili genere ortus, Sabbatii, Taurisini, et Biglenizae filius *, antea *Vprauda* dictus, per Iustinum auunculum peruenit ad imperium, iam misere a barbaris laceratum. Et tamen iste, vt vere ac iure gloriatur, *princ. proem. Instit.* et armis condecorauit, et legibus armauit rem publicam. Nam et Persas compescuit, et, victis Vandalis, Africam iterum fecit prouinciam, et Gothorum in Italia et Sicilia regnum destruxit, tantasque res gessit, quantas vix imperator ab Augusto alius. Procop. *de bell. Pers. de bell. Vandal. de bell. Goth.* Theophan. *in vita Iustin.* et Io. Petr. a Ludewig. *in Iustiniano*, *cap.* 8.

Iustiniani imp. res praeclare gestae.

* Quum lecturis IVSTINIANI historiam, non possint non omnia quodam modo obscura esse, nisi perspectam habeant vniuersam imperatoris familiam: licebit eius agnatos, cognatos, adfines, vna tabula comprehendere, ne operam supra tot ICtis nauatam tanto imperatori denegare velle videamur:

Acacius Byzantii Vrsarius Procop. *Anecd. pag.* 40.

Sabbatius, Iustiniani pater. Theoph. apud Alemann. *ad Procop. pag.* 57. — Bigleniza, ob filii nuptias moerore exstincta. Theophil. *in vit. Iustin.*

IVSTINVS imperator anno 518. Vx. Euphemia.

Arabs quidam — THEODORA Augusta. — VPRAVDA postea IVSTINIANVS imp. Theophil. *ibid.*

Frater anonymus

Bigleniza vel Vigilantia, nupta Dulcissimo.

Ioannes, Iustinian priuignus. Procop. *pag.* 7?.

Sophia, nupta Iustino iuniori, imp.

Filia anonyma.

Anastasius, duxit Ioanninam, Belisarii filiam.

THEODORVS Tzirος, Iustiniani filius, non tamen ex Theodora. Phot. *Cod.* 64.

Boraides. Iustus. Germanus.

Iustinus. Iustinianus. Iustina. Germanus postumus.

IVSTINVS iun. imp. Vx. Sophia.

Baduarius, comes stabuli.

Marcellus cuius meminit Corippus *Lib. II.*

Proiecta, vxor Arobindi, praef. praet. orient. et Afr. et postea Ioannis, Anastasii imp. pronepotis.

Iustus, mox exstinctus.

Arraba, uxor Patuarii Curopal.

Helena.

TIBERIVS imp. a Iustino adoptatus. Vx. Anastasia.

Charitona, nupta Germano.

Constantia, nupta MAVRICIO imp.

Liberi omnes a PHOCA tyranno occisi cum patre. Baron. *ad ann.* 602. *n.* 19.

Talis

Talis fuit IVSTINIANI familia, barbara et modica origine, sed per integrum fere saeculum magno hominum illustrium prouentu insignis. Stemmata iam exhibuerunt Alemann. *ad Procop. pag.* 67. Car. du Freine *in Byzantin. pag.* 97. 98. 99. Io. Petr. a Ludewig *in Iustiniano, cap. VIII. pag.* 131. Sed spero, nostrum paulo plenius visum iri. Ne tamen dissimulem, vnde profecerim, fateor me hic potissimum sequutum esse Christ. Adam. Rupertum, de vniuersa Iustiniani familia praeclare meritum in *Obseru. in Synops. Besoldi min. cap.* 15. *pag.* 467. *sequ.*

§. CCCLXXXIIII.

Anceps eius fama ob libros Procopii.

Et tamen iunctis veluti phalangibus impetum in principem, tot rebus gestis clarum, faciunt permulti, eiusque vitia et naeuos cum cura colligunt, nihilque faciunt libentius, quam vt et ipsum, et Theodoram vxorem, et Tribonianum, administrum, et totam eius aulam turpiter traducant. Quin vel solo hoc nomine iis mirifice placent PROCOPII ἀνέκδοτα, primum a Nic. Alemanno *Lugd.* 1622. *edita*, quod ex hac pharetra depromere possint tela, quibus IVSTINIANVM confodiant. Sed quam multum scriptor iste odio tum aduersus Iustinianum *, tum aduersus ipsam religionem Christianam suscepto indulgeat, iam ostenderunt cum GABR. TRIVORIVS in *Obseruatione apologetica*, et IO. CHIFLETIVS *in Dissertatione apologetica de iuris vtriusque architectis*, quos libellos *Tomo I. Thesauri iuris ciuilis* insertos animaduertimus, tum THOM. RIVIVS in *Defensione Iustiniani*. edita *Francof.* 1628. 8. IO. EICHELIVS in *Animaduersionibus ad Procopium*, *Helmst.* 1654. 4. CHRISTOPH. AD. RVPERTVS *in Obseru. ad Besoldum*, *pag.* 465. *seqq.* et nouissime Io. Petr. a Ludewig in *Iustiniano*, reconditae doctrinae opere, et suum apud posteros quoque pretium habituro, excuso *Halae* 1731. 4.

* Quid tuto credas homini, in reliquis libris Iustinianum laudibus velut in caelum euehenti, in *Anecdotis* vero eumdem traducenti tamquam hominem fatuum, et omnibus flagitiis coopertum, ac proinde aut insigni adulatori, si priora falsa sunt, aut, si posteriora, calumniatori turpissimo? Quid tuto credas homini, qui eas saepe criminationes profert, quas ipse procul dubio falsissimas esse non ignorauit? Tales sane sunt fabulae, quas de artibus Theodorae daemoniacis, et *pag.* 57. de Iustiniano ex incubo daemone concepto narrat. Et tamen non haec tantum facile credunt viri docti, sed et illas maledicentissimi scriptoris calumnias augent calumniis, veluti quod fuerit [illegible], quod a pietate Christiana alienum se ostenderit, quae aliaque ἐγκλήματα solide a principe illo depulit Conr. Sam. Schurzfl. *Diss. de Iustiniano orthodoxo*.

§. CCCLXXXV.

Eius patria.

Natus est IVSTINIANVS, si Zonarae fides, anno erae Dionys. 482. V. Id. Maii. Patriam habuit Taurisium, quod oppidum deinde muro circumdedit quadrangula figura, et a quatuor turribus, quibus totidem angulos clauserat, Quadriturritam vocauit. Quum vero Archidae, propinquo Taurisio oppido, esset educatus, et illi, basilicis palatiisque ornatae, et nouo vocabulo *Iustinianae primae*, ad metropoleos dignitatem euectae, nutricationis officium altrici patriae rependit. Procop. *de aedific. Iustin. pag.* 167. *seq.* Facile vero in gratiam reducentur cum Procopio, qui ei *Bederinam* patriam tribuunt cum Agathia *, *Histor. Lib. V. pag* 307.

* *Bederinam* regionis nomen esse, in qua Taurisium situm erat, suspicatur Io. Petr. a Ludewig. *in Iustin. cap.* 8. §. 1. *pag.* 127. cuius ex elegans illa coniectura est, idem esse *Taurisii* et *Ochridae* vel *Achridae* nomen, illud Latinum a tauris, hoc Germanicum vel Scythicum, quasi *Ochsenried.* Enimuero Procopius Bederinam praesidium vocat, quod prope Taurisium fuerit, potestque adeo credi, locum Iustiniani natalem promiscue modo ab arce *Bederinam*, modo ab oppido, quod prima eius incunabula vidit, *Taurisium* dictum esse.

§. CCCLXXXVI.

Quomodo et quando ad imperium peruenerit?

Iustini imp. auunculi ope primum anno 521. ad consulatum, deinde ad patriciatum et comitiuam domesticorum, hinc porro ad nobilissimatum, ac demum ad augustum fastigium peruenit, viuo adhuc auunculo anno Christi 527. Kal. Apr. Zonar. *Annal. Lib. XIIII. pag.* 60. Euagr. *Hist. eccl. Lib. IIII. cap.* 9. Procop. *Anecdot. pag.* 37. Mortuo quatuor mensibus post Iustino, ipse solus rerum potitus annos imperauit XXXVIII. caesisque hostibus, pacata, quoad licebat, ecclesia, conditis exornatisque vrbibus, et legibus Romanis restitutis, immortalem gloriam meritus, senex admodum decessit, anno 565. die XIIII. Novembr. *Chron. Alexandr. ad h. ann.* dignus profecto, cuius aetas in meliora tempora incidisset.

§. CCCLXXXVII.

Consilium eius de iure in ordinem digerendo. Quos viros adhibuerit?

Quum animaduerteret princeps, miserrimam esse iuris prudentiae faciem, de vniuerso iure Romano in concinniorem ordinem, simulque ad certum modum redigendo serio cogitauit. Quod quum sine virorum doctorum opera fieri non posset, magnis profecto sumtibus in palatio aluit viros iuris peritia illis temporibus celeberrimos, et partim summis dignitatibus fulgentes, quales erant IOANNES, qui excellentissimus, exquaestor sacri palatii, consularis, atque patricius; PHOCAS, vir eminentissimus, magister militum, consularis, atque patricius; BASILIDES, vir excellentissimus, expraefectus praetorio orientis, ac patricius; THOMAS, vir gloriosissimus, quaestor sacri palatii, et exconsul; LEONTIVS, expraefectus praetorio, partim antecessores scholae Constantinopolitanae et Berytensis celeberrimos, quales erant THEOPHILVS, CRATINVS, DOROTHEVS, ANATOLIVS, THEODORVS, ISIDORVS, THALELAEVS, SALAMINIVS, CONSTANTINVS; partim caussarum patronos disertissimos, veluti STEPHANVM, MENNAM, PROSDOCIVM, EVTOLMIVM, TIMOTHEVM, LEONIDEM, LEONTIVM, PLATONEM, IACOBVM, IOANNEM, DIOSCVRVM, et PRAESENTINVM. Hi enim omnes recensentur * *l.* 2. §. 9. 11. *l.* 3. §. 9. *C. de vet. iur. enucl. Const. haec quae necessario* §. 1. *de nouo cod. fac. Const. summa reip.* §. 2. *de Iustin. Cod. confirm. Const. cordi nobis* §. 2. *de emend. Cod. Iustin. et* §. 3. *prooem. Instit.*

* Sunt in his quidam viri docti, aliunde quoque noti. PHOCAM maxime laudat ipse Procop. *Anecdot. pag.* 121. vbi eum vocat ἄνδρα δίκαιον ἐς τὸ ἀκρότατον ἐπιεικῆ γεγονότα, χεῖρας δὲ ἐν τῷ ἀξιώματι καθαρόν, *virum aequi iustique obseruantissimum, in eoque munere ab omni quaestu purum et vacuum.* BASILIDEM idem *Lib. I. de bello Pers.* vocat *virum mansuetudine et aequitate inter patricios clarum.* In primis de ANATOLIO ipse Iustinianus *Const. Tanta,* §. 9. *de confirm. Dig.* non id modo obseruat, eum virum illustrem, *magistrum,*

ſtrum, et apud Berutienſes iuris interpretem conſtitutum eſſe, ſed et addit, *eundem ab* ANTIQVA STIRPE LEGITIMA *procedere, quum pater eius* LEONTIVS, *et auus* EVDOXIVS, *poſt* PATRICIVM, *inclytae recordationis quaeſtorium, et Anteceſſorem, et* LEONTIVM, *virum glorioſiſſimum, praefectorium, conſularem, atque* PATRICIVM, *filium eius, optimam ſui memoriam in legibus reliquerint.* Ex quo loco patet, ſimilem hanc familiam fuiſſe genti Muciae, quam iuris prudentiam, tamquam gentilicium bonum ſibi retinuiſſe, ſupra obſeruauimus.

§. CCCLXXXVIII.

Sed horum omnium non modo ἐγκυκλιάρχης, ſed & anteſignanus fuit Tribonianvs, vel, vti plerique codices eum vocant, Tribvnianvs, gente Pamphylius, patre vſus Macedoniano, Procop. *de bello Perſ. pag.* 263. qui poſtea virtute et doctrina viam ſibi ad ſummos in palatio et re publica honores muniuit, quippe *vir magnificus, magiſter*, ſcilicet officiorum, (Guther. *de offic. dom. Aug. Lib. II. cap.* 20. Caſſiodor. *Var. Lib. I. cap.* 12. 13. *Lib. VI. cap.* 6.) *exquaeſtor ſacri palatii*, §. 3. *Inſt. prooem.* itemque *exconſul*, *Conſt.* omnem *reip.* §. 2. *ad Anteceſſor. et Conſt.* Tanta §. 9. *de confirm. Digeſt.* Quos titulos Triboniani egregie illuſtrat Chriſt. Gottl. Schwarz. *in Schol. philol. ad prooem. Iuſtin. cap.* 2. *pag.* 37. *ſeqq.* * Iis praefecit Tribonianum, virum honoribus variis functum.

* Certum eſt, Tribonianum ob ſeditionem Victorianorum quaeſtura S. Palatii in gratiam plebis exutum eam tamen mox recepiſſe: Procop. *de bello Perſ. Lib. I. cap.* 24. Nam ei vita demum functo in quaeſtura ſucceſſiſſe Iunilium Afrum, tradit Procop. *in Anecdot. cap.* 20. Aldobrandinus tamen et Schwarzius, exquaeſtorem tunc dictum eſſe quaeſtorem primarium, exiſtimant: quemadmodum ὁ ἀπὸ ὑπάτων *exconſul*, vel *ex conſule* non fuerit, qui antea conſulatum geſſerit, ſed omnibus coſſ. tum ordinariis, tum ſuffectis, tum honorariis eminentior. Vid. Schwarz. *ibid. pag.* 39. *ſequ.*

§. CCCLXXXVIIII.

Huius quoque viri vita, non minus, ac ipſius Ivstiniani, varie extollitur, arguitur. Heſychius Illuſtrius *de vir. philoſoph. pag.* 63. illum vocat ἕλληνα καὶ ἄθεον, *paganum et atheum*: Suidas *in* Τριβωνιανός, ἕλληνα, καὶ ἄθεον, ἀλλότριον κατὰ πάντα τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως, *paganum et impium, et a Chriſtianorum fide prorſus alienum*, immo et κόλακα τε καὶ ἀπατεῶνα, *adulatorem et impoſtorem*, quippe quem perſuaſiſſe aiunt Iuſtiniano, eum non moriturum, ſed viuum in caelum raptum iri, Procop. Ἀνεκδότ. *pag.* 63. Addunt alii auarum fuiſſe hominem, et ius venale habuiſſe. Sed vti ipſae dignitates viri eum Chriſtianum fuiſſe arguunt, via quippe ad honores paganis prorſus tum praecluſa, calumnia vero de adulatione iſta tam abſurda eſt, vt nemo eam vel probabilem ſaltim ſit habiturus: ita Procopio, de Triboniani fama tam proterue detrahenti, neminem rectius oppoſueris, quam ipſum Procopium *. Varia de eo iudicia.

* Tantum ſane abeſt, vt Tribonianus, ſi gentilis vel atheus fuiſſet, potuiſſet ad tantas dignitates in palatio Iuſtiniani peruenire, vt diſerte teſtetur Cedrenus *Annal. pag.* 366. illum διωγμὸν κατὰ ἑλλήνων καὶ πάσης αἱρέσεως, *perſequutionem paganiſmi et omnium haereſeon mouiſſe*, θεσπίσαντα, μόνους ὀρθοδόξους πολιτεύεσθαι, *lege lata, vt ſoli orthodoxi rem publicam gererent.* Mendacium porro de Iuſtiniano in caelum rapiendo tam eſt putidum, vt aui fronte

te Tribonianum, aut cerebro caruisse Iustinianum oportebret, si vel ille ausus esset tam proterue illudere principi, vel hic se eo modo ludibrio haberi passus esset. Denique si largiamur, opum adpetentiorem fuisse Tribonianum, eumque id vitium cum aliis pluribus commune habuisse: an inde sequitur, vt ei et iura venalia fuisse dicamus? Sane ipse Procop. *de bello Persico Lib. I.* Tribonianum vocat *virum moribus et disciplina omnium artium nulli secundum*, et paullo post ei, iam satis functo, hoc perhibet testimonium: *eum virum multis post magistratum viuentem annis morbo decessisse, nihilque a quoquam ingratum esse passum, quum natura mitis et humanus fuerit, atque moribus simul et doctrina singulari vnicum auaritiae morbum obscurarit.* An vero ea elogia cadere dicamus in hominem paganum, impium, et qui virtutem post nummos habuit?

§. CCCLXXXX.

Primo confectus Codex Iustinianeus.

Capto semel illo consilio iuris in meliorem ordinem redigendi, IVSTINIANVS primum anno erae Christianae 528. decem viris, inter quos et TRIBONIANVS fuit, id dedit negotii, vt ex tribus, qui tum exstabant, Codicibus constitutiones vtiliores seligerent, easque, resectis praefationibus, et mutatis, quae eorum temporum foro minus concinna viderentur, vna cum iis, quae ipse adhuc edidisset, in XII. libros, et sub certis titulis digererent, *Const. Haec, quae necessario, de nou. Cod. fac.* Eum insequente anno absolutum IVSTINIANEVM vocauit *, Paull. Diac. *Hist. Langob. Lib. I. cap.* 25. Ioann. Antiochen. *pag.* 183. editaque anno 529. d. VII. Id. Apr. constitutione, publicauit, et suppressis tribus istis Codicibus, solum istum in foro pro norma haberi iussit. *Const. summam reip.* §. 3. *et* 5. *de Iustin. Cod. fac.*

* Est et hoc inter ea, quae in Iustiniano reprehendit Procop. Ἀνεκδότ. *pag.* 46. quod omnia a suo nomine dici voluerit. *Ἀρχάς τε μενούσας ἀνῄρει τὰς δὲ οὐκ οὔσας ἐφίστη τοῖς πράγμασι, τούς τε νόμους, καὶ τῶν στρατιωτῶν τοὺς καταλόγους. ταὐτὸ τοῦτο ἐποίει, οὐ τῷ δικαίῳ εἴκων, οὐδὲ τῷ ξυμφόρῳ ἐς τοῦτο ἠγμένος, ἀλλ' ὅπως δὴ ἅπαντα νεώτερά τε, καὶ αὐτοῦ ἐπώνυμα εἴη. ἦν δέ τι καὶ μεταβαλεῖν ἐν τῷ παραυτίκα ἥκιστα ἴσχυσεν, ἀλλὰ τούτῳ γε τὴν ἐπωνυμίαν τὴν αὐτοῦ ἔθετο: nam statis magistratuum formis* LEGVMQVE *et militarium ordinum abrogatis, alias inuexit, non iure, non publico commodo adductus, sed vt omnia noua, et de* SVO NOMINE *dicerentur. Rei cuius statim abolendae copia non fuisset, saltim* SVVM *indidit* VOCABVLVM. Et sunt sane magistratus noui, quos a se institutos *Iustinianeos* vocauit, veluti Pisidiae praetor Iustinianeus, *Nouell. XXIIII. cap.* 4. comes Phrygiae Pacatianae Iustinianeus, *ibid.* comes primae Galatiae Iustinianeus, *ibid.* comes Lycaoniae Iustinianeus, *Nouell. XXV. cap. I.* praetor Thraciae Iustinianeus, *Nouell. XXVI. cap.* 2. comes Iustinianeus Isauriae, *Nou. XXVII. cap.* 1. Immo et moderatores, et Procoss. et quaestores Iustinianei passim occurrunt in *Nouellis XXVIII. CII. XXX. XXXXI.* Ita et verum est, eum ex Vandalis legisse milites, quos *Iustinianeos stationarios* vocauit. Procop. *de bell. Vandal. Lib. II.* Denique recte obseruatunt Alemannus et alii, Iustinianum vrbes, oppida, portus, litteras, libros, scholares, et diadema de suo nomine vocari voluisse. Sed quid his omnibus inest criminis? An minus licuerit Iustiniano magistratus quosdam vocare *Iustinianeos*, quam Augusto *legatos Augusti* et *praefectos augustales*? An fas fuerit Traiano, Hadriano, Constantino, Gratiano condere Traianopolin, Hadrianopolin, Constantinopolin, Gratianopolin, Iustinianopolin id nefas fuerit? Et quis quaeso ignorat basilicam Iuliam, menses Iulium et Augustum, thermas Diocletianas, bibliothecam Vlpiam, et similia, quae ab imperatoribus nomen tulisse, nemo vmquam sanus reprehendit?

§. CCCLXXXXI.

§. CCCLXXXXI.

Deinde, quum maximum solidioris iuris prudentiae thesaurum in veterum ICtorum scriptis reconditum esse, non ignoraret, et haec tamen etiam manibus hominum fere excidissent: anno erae Christianae 530. die XVIII. Kal. Ian. illa, maxime ex Triboniani bibliotheca, (vid. *Const. Tanta* §. 17. *de confirm. Dig.*) conquiri, et periochas, quae in foro vsum praestarent, inde decerpias, et aliquando, si ita videretur, interpolatas mutatasque in quinquaginta libros, certosque titulos colligi iussit. Perfecerunt id opus TRIBONIANVS aliique XVII. viri, quos ei adiunxerat Iustinianus, intra triennium, quum initio illis decennium ad hunc laborem indulsisset: idque opus deinde Iustinianus DIGESTA vel PANDECTAS, veterum exemplo *, adpellauit, *quod omnes disputationes et decisiones in se haberet legitimas, et, quod vndique esset collectum, in sinus suos recepisset*. *l.* 2. §. 1. *C. de vet. iur. enucl.* Paull. Diac. *Hist. Langob. Lib.* I. *cap.* 25.

Deinde Pand. & e vel Digesta.

* Familiares admodum veteribus hos titulos fuisse, exemplis IVLIANI, ALPHENI, CELSI, MARCELLI et CERVIDII SCAEVOLAE, qui libros suos DIGESTA inscripserunt, nec non VLPIANI et MODESTINI, qui PANDECTAS reliquerunt, satis constat. Erat *pandect*, vti ex Apicio *de re culin. Lib.* IIII. *pag.* 103. patet, repositorium, quo varia condimenta et bellaria coenis inferebantur. Vnde et totum artis suae librum *pandecten* inscripsit. ICtis huius modi inscriptiones in deliciis fuisse, ostendit Merill. *Obseru. Lib.* VII. *cap.* 34. immo et Gell. *in praefat.* Imitati hanc figuram Hebraeorum Magistri, libros quosdam suos inscripserunt כלבו *Colbo*, quod omnia scitu digna sinu suo complectantur. Huber. *Praelect. ad Pandect. prooem.* §. 2.

§. CCCLXXXXII.

Hoc opus, quod ipse Iustinianus in septem partes diuiserat, maxime ad edicti perpetui ordinem dispositum esse animaduertimus: nec tamen per omnia. Nam et praemissa quaedam sunt de iure in genere, de statu hominum, de rerum diuisionibus et de magistratibus, quae in Edicto locum non habuerunt: et quaedam, quae primo statim loco in edicto tractata erant, veluti de magistratibus municipalibus in postremum locum *Pandectarum* reiecta, et quaedam interiecta de hypothecis, de euictionibus, de eo, quod falso tutore auctore gestum fuerit, quae vel omnino non, vel alio loco edicti occurrerunt: et denique sub finem *Pandectarum* permulta occurrunt de criminibus, adpellationibus, iure publico, quorum nullum in Edicto vestigium notamus. Ceterum ne denuo corrumperetur opus, magno studio elaboratum, Iustinianus et illud per notas scribi vetuit *, *l.* 2. §. 22. *C. de vet. iur. enucl.* et a ICtis non alios libros in illud scribi voluit, quam PARATITLA, *l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.* quae quid fuerint, docet Aeg. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 15. et Ian. a Costa *Praef. Summar. Lib. I. Decretal.*

Ordo in Pandectis obseruatus.

* In exemplari Florentino, obseruante id Ant. Augustino *Emend. Lib.* I. *cap.* 1. talia passim occurrunt. Quamuis enim id negarit Ang. Politian *epist.* X, 4. et *Miscellan.* XXXXI. αὐτόπτης tamen Henr. Brenkmannus obseruauit, reperiri ibi ꝑ pro *per* I. pro *primo*, EDM. pro *edictum*, U pro *quinti*,

UIIIO

UIIÍO pro *octauo*, si pro *us*, vt iam non dicamus de varhs monogrammatibus et contignationibus litterarum, quae typis tam facile, quam calamo exprimi non possunt: de quibus consuli debet Brenxmannus *Histor. Pandect. Lib. II. cap. 3. pag. 117. sequ.* Videtur ergo, qui hunc librum ipsius Iustiniani temporibus scriptum existimant, an sententiam satis probabilem tueantur.

§. CCCLXXXXIII.

Institutiones confectae.

Perfecto *Pandectes* corpore, at nondum promulgato, tribus viris, TRIBONIANO, THEOPHILO, et DOROTHEO, negotium dedit imperator, vt INSTITVTIONVM *libros quatuor* ex veterum ICtorum compendiis *, et CAII potissimum Institutionibus adornarent, vt illae essent totius legitimae scientiae prima elementa. *prooem. Inst.* §. 2. *et* 6. Eum libellum, quamuis post *Pandectas*, vti diximus, conditum, prius tamen, quam illas, Iustinianus publicauit XI. Kal. Dec. anno erae Dionys. 533. eique plenissimum constitutionum suarum robur accomodauit. §. 6. *prooem. Instit.*

* Sic multa *Institutionum* loca totidem paene verbis decerpta videmus ex *institutionibus* VLPIANI, FLORENTINI, MARCIANI, ex *Epitomis* HERMOGENIANI, immo et ex maioribus libris veterum ICtorum, veluti VLPIANI *regulis* et *libris ad Sabinum*, PAVLLI *libris ad Edictum*, PAPINIANI *responsis*, et similibus. Vnde optime meriti sunt de studiosa iuuentute, qui in editionibus singulis paragraphis adscripserunt loca *Digestorum*, ex quibus expressi sunt. Id quod nouissime praestitum animaduertimus ab Euerardo Ottone.

§. CCCLXXXXIIII.

Publicatio totius Corporis iuris.

Paullo post, XVII. Kal. Ian. anni 533. totum hoc Corpus iuris, adeoque et DIGESTA, constitutionibus binis, Latina altera, altera Graeca, confirmatum, et a III. Kal. Ian. in foro valere, et in scholis Romana, Constantinopolitana, et Berytensi praelegi iussum est, praescripta simul Antecessoribus methodo, qua per quinque illos annos, quos iuris disciplinae dare solebant iuuenes, vterentur, quin et nominibus paullo honestioribus, quibus singulis annis iuris studiosi vocarentur, inuentis *. *Const. omnem reip.* §. 1. *et* 2. *ad Antecess.*

* Primo anno, quo *Institutiones* et πρῶτα *Digestorum* audiebant, pro DVPONDIIS vocabantur IVSTINIANI NOVI, vel, vti ex codice suo MSC. eleganter emendat Christ. Gottl. Schwarz. *Diss. an omnia Pandect. exempl. e Florentinis manauerint?* §. 16. *pag.* 46. IVSTINIANISTAE: secundo, audientes vel alteram vel tertiam *Digestorum* partem, vna cum doctrinis de tutela, legatis, fideicommissis, EDICTALIVM nomen adsumebant. Tertio anno, percepta altera vel tertia *Digestorum* parte, (has enim Iustinianus alternis vicibus praelegi iusserat), nec non doctrinis de iudiciis de hypothecis, vsuris, edicto aedilitio, lectis denique Papiniani fragmentis per totum *Digestorum* opus dispersis, PAPINIANISTARVM nomen non sine sollemnitate accipiebant. His vbi quarto anno accesserant reliquae *Pandectarum* partes, non HIRCI, vti in Accursiano exemplari absurde legitur, sed LYTAE: denique quinto anno, postquam et *Codicem* sibi familiarem reddiderant, non LORITAE, nec COLORITAE, vti denuo apud Accursium est, nec COLOBITAE, vti Constant. Landus *in Exercit. pag.* 1302. *Tom. III. Thesaur. iur. ciu.* emendat, sed PROLYTAE vocabantur.

§. CCCLXXXXV.

Quinquaginta decisiones editae.

Obseruauerat interea Iustinianus, quasdam dissensiones veterum ICto-

ICtorum, ortas ex diuersis sectarum principiis, superesse. Itaque illas veterum altercationes, Lampadio et Oreste consulibus, et duobus insequentibus annis, id est anno 530. et sequentibus, editis QVINQVAGINTA DECISIONIBVS composuit, quas Decisiones postea in varias particulas discerptas, Codici repetitae praelectionis, de quo mox dicendi erit locus, inseruit *. *Constit. Cordi nobis*. §. 1. *de Cod. emend.*

* *De Fastorum Romanorum formula:* POST CONSVLATVM, quam permultae decisiones Iustinianeae praeferunt, singulari, eaque pereruďita dissertatione egit Christ. Gottl. Schwarzius, edita *Altorfi* 1735. Plures, quam quinquaginta, in *Codice* nostro occurrunt Decisiones, his ipsis annis editae. Sed Em. Merillius, qui his Decisiones, cum cura collectas, luculento commentario illustrauit, in *prolegomenis* ostendit, vnam saepe decisionem in plures particulas dissectam esse a noui Codicis architectis. Praeter Emundum Merillium similis labor exercuit Io. Strauchium, ICtum Ienensem, qui tamen, quod dolendum, colophonem operi non imposuit. Praeterea legi merentur Petri Franc. Linglois *Decisiones L. a secundo ad nonum librum Codicis. Antu.* 1651. *fol.* et Dominici Bassi *restiuiuus ingenii partus, seu quinquaginta Decisiones D. Iustiniani, Vienn.* 1708. 4.

§. CCCLXXXXVI.

Sed paullo post idem deprehendit imperator, primo, *nouellas suas tam decisiones, quam constitutiones, quae post priorem Codicem latae fuerant, extra corpus Codicis diuagari*: deinde, *quasdam earum ex emersis postea factis aliquam meliore consilio permutationem vel emendationem desiderare*. *Const. Cordi nobis*. §. 2. *de emend. Codic.* Itaque Triboniano aliisque quatuor viris id dedit negotii, vt Codicem Iustinianeum refingerent, et praeter quinquaginta decisiones etiam nouas constitutiones, quotquot adhuc prodierant, illi insererent, quasdam etiam ad rem non facientes omitterent. * Hunc CODICEM REPETITAE PRAELECTIONIS, id est, recognitum, suppresso priore Codice, edidit publicauitque XVI. Kal. Dec. anno 534. *Ead. Const.* §. 4. *de emend. Cod.* Itemque Codex repetitae praelectionis.

* Plures sane constitutiones, quas in Codice suo fulgere ait Iustinianus, in nouo illo ac recognito Codice desiderantur. Exempla exstant in §. 27. *Inst. de legat.* §. 7. *Inst. de legit. succ. agnat.* §. 24. *et* 27. *Inst. de action.* Fieri tamen potuit, vt constitutiones quaedam Codici quidem insertae fuerint, at nihilominus tamen postea, quia Graece scriptae erant, interciderint. Plures sane, quae in Basilicis supersunt, passim restituit Cuiacius.

§. CCCLXXXXVII.

Quum porro Iustinianus, condito Corpore iuris, diu adhuc imperaret, non mirum est, eum, nouis subinde emergentibus quaestionibus, plures promulgasse nouellas constitutiones, quarum pleraque Graece scriptas esse nouimus. Has se ipsum in aliam congregationem, quae *nouellarum* nomine *constitutionum* significetur, relaturum, promiserat Iustinianus, *Const. Cordi nobis* §. 4. *de emend. cod.* quin et praestitisse eum, quod promiserat, testantur Io. Antiochen. *in Iustiniano*, *pag.* 168. Agath. *Lib. V. pag.* 140. et Paull. Diac. *Hist. Langob. Lib. I. cap.* 25. quippe qui Iustinianum *nouas quoque leges, quas ipse sta-* Nouellae constitutiones postea editae.

tuerat, in vnum volumen redactas, CODICEM NOVELLARVM *vocari sanxisse*, scribit.

§. CCCLXXXVIII.

Earum collectio et versio Latina.

Et volumen sane istud, ipsius Iustiniani collectum auspiciis, non diuersum videtur ab illo, quod hodie pars Corporis iuris est, quodque in NOVEM COLLATIONES distinctum esse, animaduertimus, quamuis alicubi laciniis quibusdam auctum, veluti sub finem, vbi eparchica quaedam sub nomine Nouellarum occurrunt. Pro textu authentico habemus hodie versionem Latinam, antiquam illam quidem, quippe qua iam Gregorius M. Papa vsus videtur *Lib. XI. epist.* 53. aliquando et satis adcuratam, obseruante Cuiacio *Lib. XI. cap.* 40. sed barbaram tamen, et hinc inde obscurissimam *.

* Atquum ipsas constitutiones Graecas iam editas habeamus ab Haloandro, Heruagio, Scrimgero, Ruffardo: Graecarum litterarum non imperiti inde facile genuinum sensum haurient. Quin notum est, *nouam e Graeco textu versionem* adornasse Io. Fridr. Homberch zu Vach, quae prodiit *Marburgi* 1717. 4. Sed textum tamen in foro non alium, quam illum semibarbarum, receptum esse, recte obseruant Alb. Gentil. *de libr. iur. ciuil. cap.* 7. et Arthur. Duckius *de auctoritate iur. ciu. Lib. I. cap.* 4. §. 16.

§. CCCLXXXVIIII.

Naeui, quos in hoc corpore Iustinianeo obseruant.

Hoc est praeclarum illud iuris ciuilis corpus, quod per tot saecula gentibus sagacissimis admirationi fuit. Et tamen in illud etiam imperitissimus quisque hodie calamum impune stringit, dum alii ipsorum auctorum imperitiam ac stupiditatem accusant, alii meras antinomias et contradictiones, somniant, alii in methodum, stilum, et librorum ordinem ac numerum inuehuntur: alii ipsum ius Romanum iniquitatis arguunt. Quia sunt, qui et minima in Iustiniano non ferunt, veluti quod de perfecto hoc opere gloriatus sit, *l.* 1. §. 2. *C. de vet. iur. enucl.* quod *Codicem* a suo nomine IVSTINIANEVM dixerit, quod *Pandectas* in septem, ac non plures paucioresue partes, *Institutiones* in quatuor libros, ac non potius in tres, distinxerit: quod nobis reliquerit ius iniquum, incertum, et male cohaerens, et quae sunt huius generis alia. Longa enim est ea fabula, quam mira industria perpolire studuerunt FRANC. HOTOMANVS in *Antitriboniano*, FRANC. BALDVINVS in *Iustiniano*, FRANC. MAESTERTIVS *de iustitia legum Romanarum*, BERN. AVTVMNVS in *Censura Gallica iuris Rom.* vt non dicamus de ANT. FABRO, ANT. MATTHAEO, IO. IAC. WISSENBACHIO *, et recentioribus, qui in hoc mustaceo laureolam quaerunt, quam plurimis.

* Iuuenis hic scripsit *Emblemata Triboniani*, a praeceptore, Antonio Matthaeo, incredibili Triboniani odio imbutus: eumque libellum homini pauperi et peregrino in Belgio viam ad famam et fortunam muniuisse aiunt. Sed recte Bynkershoekius *praef. ad Obseru. Tom. II. Quum et ipse olim in hunc librum incidissem, et miratus, et indignatus sum, quod eo opusculo dicatur auctor sibi viam parasse ad famam: nam nihil quidquam ibi videtur praestitisse, quam quod, vt est in prouerbio, hircum mulgentibus cribrum supposuerit. Exhibuit sesquicentum fere emblemata, sed ex aliis maximam partem descripta, quae*

quae enim ex suo ipsius ingenio profecta sunt, vix numerum faciunt. Saepe etiam in libello inseruit πάρεργα ἐγχωμίζων, vt solent, qui primum quid scriptitant eruditionis ostentandae gratia: sed et ea πάρεργα non minus aliis auctoribus debentur, quam ipsa emblemata, vt obseruabis, si vel eos ipsos locos excutias, quos ipse adducit. Vnde laudandus Io. Wybo, IC. Belga, qui singulari libello, hic recuso, caussam Triboniani aduersus hunc emblematum consarcinatorem erudite egit *Vltraiecti* 1719.

§. CCCC.

Iudicium de illis.

Sed, qui ipse olim in ea haeresi fui, quo magis in iure profeci, eo magis ab illa abhorrere coepi. Credo equidem, ipsum Iustinianum hominem se agnouisse, nihilque humani a se putasse alienum. Fateor, non incidisse eum in tempora, quae opus quoddam Daedaleum, et quouis Phidiae signo perfectius producere potuerint. Pleraque tamen, quae tanto supercilio notant censores quidam, vitio creati, proba esse, expertus sum. Criminationes vero tantum non omnes a viris harum rerum intelligentibus tam praeclare dilutas esse animaduerti, vt caussa perorata videatur *.

* Prae ceteris commendari merentur Vlrici Huberi *Eunomia Romana*, opus postumum, editum a filio, Zachario Hubero, et recusum Amstelod. 1714. 4. nec non virorum illustrium, Henr. et Sam. de Cocceiis opera pleraque, in quibus haec calumnia non verbis, sed re ipsa, depellitur, dum, quae aliis desperata visa sunt, felicissima industria explicarunt, et, quae pugnantia habita, ita reuocarunt in concordiam, vt immortalem inierint gratiam ab omnibus, quibus solidior iurisprudentia cordi est.

§. CCCCI.

Graece versi libri iuris.

Iam vero porro quaeritur, quae fata iuris huius Iustinianei tum in oriente, tum in occidente fuerint? Et dubitari quidem nequit, quin in oriente vbique statim receptum sit, tum in foro, tum in scholis iuridicis. Quum vero iudices et antecessores plerique parum gnari essent linguae Latinae *: ipsis Iustiniani temporibus libri iuris in Graecam linguam transferri paullatim coeperunt.

* Rem praeclare exposuit Car. du Fresne *in praef. Glossar. Lat.* §. 12. pag. 10. vbi ostendit, Constantinum M. translata Byzantium imperii sede, Latinam etiam linguam nouae Romae seruari voluisse, hinc eum locis ac regionibus vrbis Latina imposuisse nomina, inscriptiones statuarum, aedificiorum, monetarum Latinas fecisse, constitutiones eius ac successorum diu eodem conscriptas esse idiomate: quin in schola Byzantina ideo eloquentiam Rom. oratores tres, grammaticos decem docuisse, vt lingua ista in sede imperii Rom. tanto diligentius excoleretur. *l.* 3. C. *de stud. liber.* Vsum ergo istius linguae in oriente mansisse aliquem, sed curialem fere et palatinum, immo et forensem, donec a Theodosii temporibus contingeret, vt Graeculi, dum vtrumque colerent sermonem, neutro recte vterentur, quod deinde exemplo praefatiunculae et versiculorum Theodosii M. temporibus scriptorum, et Antonini *Itinerario* in codice regio praemissorum, nec non pentastichi Latini obelisco Constantinopolitano inscripti, in quibus mera barbaries. Et sane si iam sub Theodosio M. gliscere coepit barbaries, qui de Latinitate orientalium sub Iustiniano meliora speraret?

§. CCCCII.

In primis Institutiones.

Et INSTITVTIONVM quidem elegantem paraphrasim debemus THEOPHILO, quem Iustiniani temporibus floruisse, docent loca, vbi de Iustinia-

no vtitur verbis: *ἡμέτερον βασιλέα*, *imperatorem nostrum*, §. 1. *Inst. de vsuc.* *θειοτάτου ἡμῶν δεσπότου*, *religiosissimi imperatoris nostri*, §. 12. *Inst. eod.* *ἐφοίτησε τῇ ἡμετέρᾳ βασιλείως διάταξις, ἣν ἔναγχος ἐξεφώνησε*: *exstat et principis nostri constitutio, quam nuper emisit*: itemque *εὐσεβεστάτη ἡμῶν δεσποίνη*, *religiosissima domina nostra*, §. *vlt. Inst. eod.* Quae quum ex Latino *Institutionum* textu non sint, manifesto probant, auctorem Iustiniani temporibus scripsisse *. Gundlingian. *Parte II. obs.* 2. Nec obscure aetatem suam ipse indicare videtur Theophilus in *Paraphrasi* §. 4. 5. *Inst. de SC. Tertull.* et §. 10. *Inst. de except.* Vid. Io. Henr. Mylii *Historia Theophili*, *cap.* 3. §. 4. Vnde nihil prohibet, quo minus eumdem dicamus, cum Theophilo, Antecessore Constantinopolitano, cuius in componendo corpore iuris opera vsus est Iustinianus. Prodiit haec *Paraphrasis* post editionem VIGLII ZVICHEMI *Basil.* 1534. *fol.* et *Lou.* 1536. 4. et IAC. CVRTII *Lugd.* 1581. cum animaduersionibus CAR. ANNIB. FABROTTI *Paris.* 1638. et 1657. 4.

* Fallitur ergo Cuiacius, qui Theophilitzen vocat hunc paraphrasten, et eum Accursio iuniorem facit, in *Recit. ad tit. Inst. de act.* Falluntur, qui ei multos errores adfingunt, quum pleraque recte se habeant. Illud vnum mirandum, viuo Iustiniano id sibi sumsisse Theophilum, vt vberiorem scriberet *Institutionum paraphrasin*, quum Iustinianus versiones tantum *κατὰ πόδα* permiserit. *l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.*

§. CCCCIII.

Itemque Digesta et Codex.

Eamdem operam *Pandectis* praestitit THALELEAVS, et ipse Iustiniano, vt videtur, *σύγχρονος*, cuius versio Graeca *Pandectarum* saepissime in libris *βασιλικῶν* laudatur. Quin et versiones STEPHANI *εἰς πλάτος*, CYRILLI *κατ' ἐπιτομήν*, DOROTHEI *κατὰ μέσην τάξιν* laudat Matth. Blastares *pag.* 370. apud Fabric. *Bibl. Graec. Tom. XII. pag.* 370. et Ios. Mar. Suaref. *Notit. Basil.* §. 19. sed et *Codicem* Graece siue a Thalelaeo, siue ab aliis, versum exstitisse ferunt, eumque sibi visum esse adfirmabat Marqu. Freherus. Suaref. *ibid.* §. 20.

§. CCCCIIII.

Iuliani, patricii, versio Latina Nouellarum.

Denique vice versa Constitutiones nouellas CXX. iam tum Graece maximam partem scriptas, circa annum DLXX. refectis praefationibus, in epitomen contraxit, et elegante Latinitate donauit IVLIANVS, patricius, exconsul et Antecessor Constantinopolitanus. Quam epitomen cum saepius, tum cura Francisci Pithoei, editam nouimus *Basil.* 1567. *fol.*

§. CCCCV.

Basilicῶn origo.

Et versionibus quidem illis Graecis, Nouellisque, eadem lingua scriptis, in foris scholisque vtebantur saeculis insequentibus septimo et octauo, donec de eo in compendium mittendo saeculo nono cogitare inciperent imperatores Byzantini. Ex his primum BASILIVS MACEDO anno 878. ediderat *πρόχειρον τῶν νόμων*, quod constabat titulis quadraginta. Suaref. *Notit. Basilic.* §. 3. Deinde LEO, *σοφός*, patri Basilio succedens, collectionem illam paternam perfecit, eamque sub titulo

δια-

διατάξεων βασιλικῶν promulgauit anno Christi 886. * Suaref. *ibid.* §.10. Denique fubfequutus Leonem CONSTANTINVS, cognomento Porphyrogeneta, paternum opus fub incudem reuocauit, et libros illos ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ publicauit fub initium faeculi decimi. Suaref. *ibid.* §.12. *fequ.*

* Eiufdem LEONIS imp. funt Nouellae CXIII. quas primum Graece ex Stephaniana edidit Henr. Scrimgerus, *Parif.* 1558. *fol.* poftea Latine Henr. Agylaeus, *Parif.* 1560, 8. Vnde poftea permultis iuris Iuftinianei editionibus fubiectae funt. Harum nec apud nos vllam effe auctoritatem, nec olim in ipfa Graecia fuiffe, exiftimauit Cuiac. *Obf. Lib. XVII. cap.* 31. Contra eafdem, et olim valuiffe in Graecia, et ne hodie quidem ibi extra vfum effe, ex Chriftoph. Angel. *de ftatu eccl. Graecae, pag.* 112. *et* 115. docet Bynkershoekius *Obf. Lib. IIII. cap.* 1.

§. CCCCVI.

Et hi quidem funt libri illi ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, ex Graeca Inftitutionum, Pandectarum, Codicis verfione, Iuftiniani Nouellis et Edictis tredecim, nec non ex ICtorum quorumdam orientalium paratitlis, aliifque libris, quin et patribus et conciliis collecti, ita tamen, vt multa omiffa videamus, quae fortaffis tum ab vfu recefferant, multas etiam leges in compendium contractas, multa denique ex pofteriorum principum legibus et conftitutionibus addita, animaduertamus. Bynkershoek. *Obf. Lib. VIII. cap.* 17. Opus iftud in fexaginta libros diuifum, praeter pauca, quae nondum integra reperiri potuerunt, cum gloffis Graece et Latine editum eft a CAR. ANNIB. FABROTTO, *Parif.* 1647. *fol. Vol. VII.*

Quales hi libri.

§. CCCCVII.

Infequentibus etiam faeculis ius Romanum, quale in Bafilicon libris reperitur, in oriente floruiffe, euincunt tot opera Graecorum iuridica, quae partim feparatim prodierunt, partim ENIMVNDI BONEFIDII *Iuri orientali*, edito *Parif.* 1573. 8. et Io. LEVNCLAVII *Iuri Graeco Romano*, a Marqu. Frehero locupletato editoque *Francof.* 1596. *fol. Tom. II.* inferta funt. Sic faeculo vndecimo MICH. ATALIOTA, iudex et procof. fcripfit πόνημα feu πραγματικὴν, a Leunclauio fub titulo σύνοψις ὡσανὶ συνόψεων editam, *Tom. II. pag.* 1. *feqq.* Iifdem temporibus MICH. PSELLVS iunior, vir πολυγραφώτατος, primum ad Conftantinum Ducam, deinde et Alexium, ac demum ad Nicephorum, impp. verfibus politicis edidit Σύνοψιν νόμων: Leo Allat. *de Pfellis, eorumque fcript.* §. 48. quam Graece et Latine edidit Bofquetus *Parif.* 1632. 8. *

Vfus huius iuris faeculo XI. quo Mich. Ataliota et Mich. Pfellus floruere.

* Saeculo quoque XII. in oriente, et Conftantinopoli maxime iuris Romani ftudia floruiffe, vel inde patet, quod Irnerium ius Conftantinopoli didiciffe, nefcio quo auctore, docet Innoc. Ciron. *Obf. iur. can. Lib. V. cap.* 5.

§. CCCCVIII.

Sequente faeculo XIII. floruit THEODORVS BALSAMON, qui PHOTII *Nomocanonem* fuis commentariis illuftrauit, in quibus permulta ex-

Item faec. XIII. et XIIII. qui-

bus scripsere Balsamon et Harmenopulus.

exstant iuris Romani, ex Basilicis depromti, vestigia. Ediderunt eum Guil. Voellus et Henr. Iustellus *in Bibliotheca Graeco Latina iur. can. Tom. II. pag.* 1312. *sequ.* Saeculo XIIII. non duodecimo, vt Suaresio, aliisque visum, floruit CONSTANTINVS HARMENOPVLVS, ediditque πρόχειρον τῶν νόμων, seu *Promtuarium iuris*, quod post Adami Sualenbergii Graecam, aliasque Bernardi Rey et Merceri Latinas editiones Graece et Latine cum adnotationibus suis edidit Dionys. Gothofredus 1587, 4.

§. CCCCVIIII.

Constantinopoli capta, et Turcae, et Graeci vsum aliquem iuris Romani conseruarunt.

Saeculum decimum quintum finem attulit orientali Graecorum imperio, capta anno 1453. a Turcis Constantinopoli, et toto illi orientis tractu ab iisdem barbaris oppresso. Iisdem ergo temporibus et ius Romanum in oriente procul dubio exoleuit, at non penitus tamen, si recentioribus quibusdam fides habenda est, quippe qui et apud Turcas, et apud Graecos, aliquem iuris Romani vsum hodienum superesse, referunt *.

* Turcas enim Codicem Iustinianeum in sua lingua habere, eoque in foris suis vti, primus testis αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος adfirmauit Leunclau. *in Praef. ad libros III. Paratitl.* Ex Ism. Bullialdo quoque saepe audiuisse se refert Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 26. *Turcas pleraque ex legibus Romanorum in suas transfudisse, et praecipue quae ad materiam seruitutum spectent.* De vsu Nouellarum Leonis apud hodiernos Graecos iam supra (§. 405. *) diximus.

§. CCCCX.

In occidente maior erat Codicis Theodosiani auctoritas.

Ex oriente in OCCIDENTEM reuertimur. In eo quaedam prouinciae Francis, Burgundionibus, Gothis cesserant, quaedam a Iustiniano barbaris felici Marte ereptae erant, veluti Italia, Sicilia, et Africa. In illis quidem iuris Romani vsus superfuit, at non Iustinianei, verum Theodosiani, quocum Caii *Institutiones*, Paulli *Sententias*, et alia quaedam veterum ICtorum fragmenta coniungere solebant *. Demonstrarunt hoc ex instituto Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 4. *et* 5. Io. Selden. *in Diss. ad Fletam cap.* 5. §. 2. *sequ.* Iac. Gothofr. *in Prol. Cod. Theod. cap.* 3. Innoc. Ciron. *Obs. iur. can. Lib. V. cap.* 2. Sed et nos *Libro II.* ea de re pluribus agemus.

* Et haec collectio medio aeuo κατ' ἐξοχὴν LEGIS ROMANAE nomine veniebat. Pluribus adductis veterum testimoniis, ipsisque codicum MSS. titulis id demonstrauit Car. du Fresne *Gloss. Lat. Tom. II. pag.* 269.

§. CCCCXI.

Ius tamen Iustinianeum in Italia et Africa floruit.

At in Italia, et in Africa quoque, vsus iuris Iustinianei fuit quotidianus. Ipse enim Iustinianus illud vbique in orbe Romano obseruari, solumque in academia etiam Romana doceri iusserat. *l.* 2. §. 23. et *l.* 3. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.* Et hoc sibi velle arbitror auctorem epigrammatis, Pandectis Florentinis praemissi, Iustiniano aut parem aetate, aut non multo iuniorem, dum inter alia cecinit:

*Ar-

Ἀνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτοιο Λιβύσσης,
Εὐρώπης τε τίουσιν ὅλοι σκηπτοῦχον ἄνακτα.
Europae vero, atque Asiae, Libyaeque subactae,
Vnum omnes populi regem dominumque tuentur.

Ait enim poeta, *Pandectarum* opus non modo in oriente, et Africa nuper recepta, sed et in Europa, (Italia nimirum Gothis extorta), vna cum auctore eius Iustiniano regnare. Coler. *Parerg. Lib. II. cap.* 22. *Tom. I. Thes. iur. ciu.*

§. CCCCXII.

Et quamuis paullo post circa annum 568. Italiam inuaderent Langobardi, regnumque ibi constituerent potentissimum: tamen non modo in exarchatu Rauennatensi iuri Iustinianeo pretium suum mansit, sed et ipsi Langobardi Italis sua cuique lege viuendi facultatem dederunt, ceu ex ipsa *lege Langobardica I.* 29. 2. *II.* 2. 1. adparet. Sane Saeculo VII. Novellam CXIII. citat Gregor. *Lib. XI. epist.* 53. & alibi tum ad Codicem, tum ad Nouellas prouocat *Lib. XII. epist.* 53. Item saeculo VIIII. quo istud Langobardorum regnum iam destruxerat Carolus M. saepe ius Romanorum ad partes vocant Hincmarus *XVI.* 5. *XXXXIIII.* 32. *LI. pag.* 587. *LV. p.* 440. 509. *Tom. II.* et Ioannes PP. VIII. apud Iuon. *III.* 98.

Etiam sub Langobardis et Francis.

§. CCCCXIII.

Quamuis vero his temporibus *Codex* magis et *Nouellae*, quam *Pandectae*, in manibus hominum fuisse videantur: non tamen ideo existimandum est, eas plane intercidisse. Vulgo equidem referunt, *Pandectarum* codicem aliquem primum iterum repertum esse a Lothario III. imp. in Amalphi vrbe, anno 1137. expugnata, eumque imperatorem donasse Pisanis, qui illum classe instructissima adiuuerint. *Pandectas* vero illas Pisanas, quae iam Florentiae non sine veneratione quadam ostenduntur, occasionem dedisse et Irnerio, praelectiones in hunc librum instituendi Bononiae *, et Lothario, ius Romanum in scholas et fora introducendi. Sigon. *de regn. Ital. Lib. VIIII. p.* 270. Conf. Henr. Brenkmann. *de Amalphi a Pisanis direpta*, §. 24. *pag.* 65. *et Hist. Pandect. Lib. I. cap.* 5. *seqq.*

Vulgaris historia de restitutione iuris Rom. sub Lothario III.

* Addunt, Irnerium initio Latinas litteras docuisse Bononiae, quumque explicatuto illi, quid sit AS, aqua haesisset, *Pandectas* adiisse, eumque deinde librum publice interpretatum esse Bononiae. Nota sunt illa cardinalis Hostiensis in *c.* 1. *pr. X. de test. n.* 2. *As, id est, duodecim vnciae. As ergo quandoque ponitur pro obolo, propter quod verbum venit Bononiam studium ciuile, sicut audiui a domino meo* (Azone). Atqui Azo ille Bulgari temporaratattigit, isque ipsius Irnerii discipulus fuit, vt rem non diu antea gestam scire omnino potuerit.

§. CCCCXIIII.

Enimuero vt posterius falsum esse aduersus Nihusii et Bononiensium clamores solide demonstrauit Herm. Conringius: ita et tota illa historia de repertis Amalphi *Pandectis*, et restituto ea occasione iuris Romani

Quid de ea sentiendum.

mani ſtudio, admodum ſuſpecta eſt. Primo enim id veterum nemo tradit, et vir doctiſſimus, Lud. Ant. Murator. *Script. rer. Ital. Tom. XI.* ad Fr. Raynerii de Grancis Piſani *Poema de Praeliis Tuſciae*, quod e ſaeculo demum XIIII. eſt, obſeruat, hunc primum fuiſſe, qui *Lib. IIII. Pandectas* memoret in depopulatione vrbis Amalphitanae repertas, Piſaſque translatas. Deinde neſcio, quid Piſanos mouere potuerit, vt librum hunc pro nautatae operae pretio accipere voluerint, niſi ei iam tum aliquis apud Italos honor fuiſſet. Denique et IRNERIVS ante repertum illum codicem ius ciuile Bononiae docuit anno 1128. ceu ipſi Bononienſes in epiſtola ad Nihuſium fatentur, et ante eum, teſte Odofredo *ad l. 1. D. de iuſt. et iur.* PEPO leges priuata auctoritate profeſſus eſt.

§. CCCCXV.

Quomodo iuris ſtudium Bononiae florere coeperit.

Res itaque, niſi me omnia fallunt, ita ſe habet. Iuris ciuilis in foris Italiae iam a Iuſtiniani temporibus magna fuerat auctoritas. At quum in ſcholis, rudibus iſtis ſaeculis, vix quiſquam reperiretur, qui cupidae legum iuuentuti viam ad ius ciuile monſtraret: Bononiae eam artem profiteri coepit primum PEPO *, ac deinde IRNERIVS, Germanus, quem Conſtantinopoli ius didiciſſe, ſcribit Innoc. Ciron. *obſ. iur. can. Lib. V. cap.* 5. Ex eo quum plures profeciſſent, iique et ipſi ſcholas iuridicas aperirent: tantus vndique Bononiam factus eſt concurſus, vt ius ciuile plerisque tum primum renaſci videretur. Inde et in Gallia PLACENTINVS, in Anglia ROGERIVS, poſteaque ACCVRSIVS, alibi alii ius Romanum profeſſi ſunt, vt breui in vniuerſa Europa id ſtudium propagaretur.

* Hunc PEPONEM plerique magnis conuiciis proſcindunt, ſequuti auctoritatem Odofredi *ad l. 6. D. de iuſt. et iur. Hic* PEPO, inquit Brenkmannus, *quem merito peponem dixeris aut fungum, plane nullius nominis fuit. Unde etiam paſſim, miſſo eo, primus Irnerius auditorium iuris aperuiſſe dicitur.* Vid. *Hiſt. Pandect. Lib. I. cap.* 9. *pag.* 52.

§. CCCCXVI.

Primi, qui ibi poſt Irnerium ſub Friderico I. ius docuerunt.

Hinc iam ſub Friderico I. imp. clari fuerunt primi Irnerii diſcipuli MARTINVS GROSIAS, Cremonenſis, BVLGARVS, HVGO DE PORTA RAVENNATE, et IACOBVS HVGOLINVS, quos imperator, quum anno Chriſti 1158. comitia haberet in campis Roncalienſibus, in conſilium adhibuit. Radeuic. *de geſt. Fridr. imp. II.* 5. Otto et Andr. Moren. *de reb. Laud.* apud Leibnit. *Scripſ. rer. Brunſuic. Tom. I. pag.* 818. quibus Bononiae ius docentibus, adeo ibi floruit ſchola, vt idem laudatiſſimus princeps, antequam expeditionem in Palaeſtinam ſuſciperet, peregrinos, Bononiam ſtudiorum cauſſa confluentes, pulcherrimo ornaret priuilegio, poſtea inſerto Codici Iuſtinianeo in *Auth. Habita. C. ne fil. pro patre.*

§. CCCCXVII.

Eorum ſucceſſores.

Praeter quatuor iſtos inter primos ICtos Bononienſes celebrantur ROGERIVS VACARIVS, qui in Angliam ius ciuile intulit, Io. Sariſber. *Policrat. Lib. VIII. cap.* 22. Selden. *Diſſ. ad Flet. cap.* 7. §. 2. *ſequ.*

OTTO

OTTO PLACENTINVS, qui primus Montispessuli iura interpretatus est, PYLEVS, qui Bononiae et Mutinae docuit, ALBERICVS A PORTA RAVENNATE, Azo, ICtorum sua aetate princeps, et non minor hoc praeceptore suo ACCVRSIVS, Florentinus, cuius in illis tenebris doctrinam admirabilem ipsi laudant Iac. Cuiac. *Obs. Lib. XII. cap.* 16. et Franc. Duaren. apud Mornac. *ad l.* 2. §. 21. *C. de vet. iur. enucl.* * quod eo magis mirandum, quo tardius eum, quippe iam quadragenario maiorem, ad studia se contulisse, scribunt. Obiit anno 1229. aetatis LXXVIII. Vid. Guid. Pancirol. *de clar. legg. interpret. Lib. II. cap.* 29.

* Et recte quidem laudatur ACCVRSIVS, qui omnes ante se interpretes Graecos et Latinos longe superauit, nullum omnino etiam e posteris parem habiturus, nisi ei saeculum humaniorum litterarum antiquitatisque lumen denegasset. Recte Ian. Vinc. Grauina *de ortu et progr. iur. ciu.* §. 155. *In sensibus vestigandis adeo fuit acutus, et sollers, perspicuus autem in verbis, et sobrius, felixque in abditis sententiis eruendis, vt nisi temporum barbaries antiquitatis ei lucem et sermonis elegantiam ademisset, nullam fortasse laboris partem reliquisset eruditis recentioribus.* Vnde merito viro docto stomachum facessit eorum non dicam insolentia, sed immanitas, qui quum ex ACCVRSIO sapiant, tamen sicubi quid nubeculae occurrit, statim perstrepunt et cachinnos tollunt, nec naeuos condonant homini, qui illi non iuris inscitia, sed temporum iniuriis haeserunt, neque cogitant, tanto magis admirandum esse ACCVRSII ingenium, quod et istis praesidiis destitutum, acutius nonnumquam vidit, quam quisquam posteriorum, quibus nihil, quod ad elegantiores litteras et antiquitatem pertinet, defuisse, crederes.

§. CCCCXVIII.

Hi et eorum auditores, a Guid. Pancirolo et Grauina recensiti, non modo viua voce iura publice docuerunt, sed et scriptis suis ista illustrare conati sunt. Eorum vero scribendi labor in eo constitit, vt quidam ius in breuiores veluti positiones, vel, vti ipsi vocabant, SVMMAS contraherent, alii in partiendo augendoque corpore iuris desudarent, alii Graecorum exemplo breuiores GLOSSAS, seu scholia, singulis iuris partibus adiicerent. Inter summistas, quos vocant, praecipui sunt ROGERIVS et AZO, cuius *Summa aurea* prodiit *Lugd.* 1596, 4. Glossas vero aliorum, et maxime AZONIS collegit, suasque adiecit ACCVRSIVS, atque ita anno 1220. perfecta est illa GLOSSA, quae deinde Corpori iuris addita, non minorem fere in foro auctoritatem, quam ipsae leges obtinuit *. Summae et glossae ab aliis scriptae.

* Nota sunt illa Raphaelis Fulgosii in *l.* 6. *C. de oblig. et act. Nostis, quanta sit auctoritas glossatoris. Nam beri dixit Cynus, glossam timendam, propter praescriptam idololatriam per aduocatos, significans, quod sicut antiqui adorabant idola pro diis, ita aduocati adorent glossatores pro euangelistis. Volo enim pro me potius glossatorem, quam textum. Nam si allego textum, dicunt aduocati diuersae partis, et etiam iudices: credis tu, quod glossa non ita viderit illum textum, sicut tu, et non ita bene intellexerit, sicut tu? Ego recordor, et sic istud pro nouo, quod dum essem scholaris, eram satis acutus, et dum semel essemus socii multi in vna collatione, ausus fui vnum textum allegare contra sententiam doctoris mei: tantam audaciam babui. Dixit vnus socius, tu loqueris contra glossam, quae dicit sic. Et ergo respondi, etsi glossa dicit sic, ego dico sic, ignarus auctoritatis glossatorum. Credebam enim, quod essent speciales apostillae, quae sunt in libris grammaticae, sicut super Virgilio et Ouidio. Sed tamen non ita est.* Fue-

Fuerunt enim glossatores maximae scientiae viri et auctoritatis.

§. CCCCXVIIII.

Quid in Iustiniani libris innouarint? Ad partiendum augendumque Corpus iuris pertinet labor eorum, qui Pandectas in DIGESTVM VETVS, INFORTIATVM, et NOVVM diuiserunt, quam ineptam partitionem tribuunt BVLGARVSO. Paullo magis operae pretium fecit siue BVLGARVSO, siue, vt alii malunt, BVLGVNDIO, vel BELGVNTIO, qui Graecos in *Pandectis* et *Codice* textus Latinitate donauit, Pancirol. *de Clar. legg. interpr. Lib. II. cap.* 15. Laurent. Pignor. *Epist. symb.* 39. quamuis, vitiis haud carere illam versionem, ostendit Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 33. Contra minus concinna est partitio *Nouellarum* in nouem partes, quas *nouem authenticarum collationes* barbare vocauit idem BVRGVNDIO.

§. CCCCXX.

Authenticae Codici insertae. Sed omnium maxime notabiles sunt additiones AVTENTICARVM, quas vocant, et librorum FEVDALIVM. Confecerant cum Irnerius, tum alii quidam, ex *Nouellis* certas positiones iuris nouissimi, quibus ipsis *Codicis* legibus derogatum esse obseruarant. Addiderant alii similes quasdam periochas, ex legibus potissimum vtriusque Fridrici imp. decerptas. Has omnes sub titulo AVTENTICARVM *Codici* inseruit, nescio quis, vt eo facilius reperirent studiosi, quid nouis legibus mutatum sit: quamuis nonnumquam a *Nouellarum* sensu aberrasse earum auctores, res ipsa loquatur. De Authenticarum auctoribus et erroribus videndus est Io. Strauchius in *Irnerio non errante*, et inter quos acris ea da re contentio fuit, Alex. Arnold. Pagenstecherus *Sicilim. Manip.* 3. et *in Irnerio iniuria vapulante*, ac Bynkershoekius *de auctore auctoribusque Authenticarum*, quod cum aliis opusculis prioribus nuper recensum est *Lugd.* 1730. 4.

§. CCCCXXI.

Libri feudorum Nouellis adiuncti. Quum vero multae in foro quaestiones etiam de feudis inciderent, de quibus nihil sancit Ius Iustinianeum, et in Italia scriptae circumferrentur consuetudines feudorum Langobardicae, a PHILIBERTO Episcopo, GERARDO NIGRO, et OB. AB ORTO, coss. Mediolanensibus, qui ab Ottone Frising. *de gest. Fridr. II.* 13. memorantur, et ab aliis fortassis collectae: eas vna cum constitutionibus Conradi III. et Fridricorum impp. sub titulo, DECIMAE COLLATIONIS *Nouellis* subiunxit HVGOLINVS, ICtus Bononiensis. Odofred. *Comment. in Auth. Cassa. C. de SS. eccles.* Schilter. *praef. ad Mincucc.* §. 4. Quod postea Fridricum II. imp. ratum habuisse, ferunt. Engelhus. *Chron. pag.* 1115. Pancirol. *Lect. var. Lib. I. cap.* 90. Iis postea accessere CAPITVLA EXTRAORDINARIA, quae vocant, ab ARDIZONE et ALVAROTO collecta, nec non constitutiones quaedam principum, quae EXTRAVAGANTIVM nomine veniunt. Horn. *Iuris prud. feudal. cap.* 1. §. 35.

§. CCCCXXII.

ICtorum saeculi XIIII. prolixiores commentarii. Hic primae istius ICtorum scholae labor fuit, qui per saecula XII. et XIII. ferbuit. Soquente enim XIIII. vixerunt BARTOLVS DE SAXOFERRATO, et, qui ab eo profecit, BALDVS, Perusinus, ALEXANDER TARTAGNVS, BART. SALICETVS, PAVLLVS CASTRENSIS, IA-

IASON MAYNVS, CYNVS, RAPHAEL FVLGOSIVS, HIPPOLYTVS RIMINALDVS*, et reliqui, quorum vitas Pancirolus aliique descripserunt, qui non breuibus glossis et scholiis, sed COMMENTARIIS amplissimis Corpus iuris illustrarunt. Sunt sane in his aeque, ac in glossa, quae admireris: sed plura etiam inepte et stolide scripta, qualia proficisci oportuit a viris in illa caligine educatis, omnique litterarum, historiae, ac philosophiae lumine destitutis *.

* Nemo commentarios horum hominum elegantius descripsit M. Ant. Mureto *Orat. I*, 17. *Primo* enim ostendit, quam saepe boni illi viri ignoratione antiquitatis et peruerso quodam contradicendi studio peccarint. *Deinde*, quam multa vbique tractariur ad rem nihil pertinentia, veluti dum quaerunt, quae sit potestas ablatiui, gerundii, relatiui, *qui*, *quae*, *quod*, et similia. De ordine *porro: at nostri*, inquit, *qualem nobis cuiusque generis farraginem reliquerunt? vt si quis rusticus bordeum, triticum, viciam, legumina in vnum aceruum conferat, non illis aceruum bo-rum commentariis existimem perturbatiorem fore*. Et quibusdam interiectis: *apud hos enim, vbi v. c. de auctoritate magistratuum agitur, dicetur etiam aliquid de testamentis, vbi de emtione venditione differitur, aliquid de poenis, aut de auctoritate tutorum inferetur: nihil est denique, quod certam sedem ac domicilium habeat, nihil quod non alienissime aeque facile, ac suo loco pertractatum reperiatur. Inde illae crebrae ex vno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum et tractandum erat, id iubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, numquam nisi admonitus, diuinare potuisses. Prorsus vt si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria, conderet, panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet.* Denique de horrido dicendi genere agens: *non vnam linguam esse*, ait, *qua loquantur, sed deterrimum quemdam cinnum ex foedissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluuione, olentem, vt seruus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, suem, canem, capram*; cet. Meretur sane tota oratio legi, qua nihil de glossatorum barbarie scriptum est elegantius.

§. CCCCXXIII.

Mansit ille scribendi mos saeculis decimo quinto et sexto, quo etiam in Germaniae aliarumque prouinciarum academias penetrauit. Quo tempore quae docendi interpretandique methodus fuerit, optime docuit Guido Pancirol. *de clar. legg. interpretibus toto libro II.* Nulla quoque circa iuris prudentiam his saeculis facta est mutatio, nisi quod libros Feudorum paullo concinniores quidam dare conati sunt. Methodus docendi interpretandique iura.

§. CCCCXXIIII.

Ceperat hoc consilium anno 1428. ANTONIVS MINCVCCIVS (non *Mericutius*) DE PRATO VETERE, ICtus Bononiensis, scripseratque auspiciis, vt videtur, Sigismundi imp. de FEVDIS *libros sex*, quos a Sigismundo et Friderico III. impp. confirmatos docuit Schilterus, qui hunc MINCVCCII foetum, diu latitantem desideratumque a pluribus, edidit *Argentorati* 1695. 4. Nec aliud fuit institutum BARTHOL. BARATERII, Placentini, qui priuata industria confecit LIBELLVM FEVDORVM REFORMATVM, eumque anno 1442. Academiae Papiensi commendauit. Eum codicem cum reliqua bibliotheca Ticinensi in Galliam transtulerat Ludouicus XII. rex Franciae, ex quo eum primum edidit Nic. Rigaltius *Paris.* 1612. ac postea Io. Phil. Schmidius *Argent.* 1695. 4. Neuter tamen libellus iuris feudalis Langobardici luminibus offecit. Quid Mincuccius et Baraterius circa feudorum libros moliti?

LIBER II.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS GERMANICI.

CAPVT I.

DE IVRE GERMANICO ANTE CAROLI M. IMPERIVM.

§. I.

QVVM commune id esset Germanis cum gentibus reliquis antiquissimis, vt diutissime, et saltim ad saeculum Christianum quartum litteris ac scriptura carerent *: facile patet, eosdem, vti alias gentes, initio legibus quoque ac iure scripto caruisse. Germani veteres legibus scriptis caruerunt.

* Eo enim saeculo litteras inter Gothos primus inuenit Vlphilas, eorum episcopus, auctor versionis Gothicae sacri codicis. Socrat. *Hist. eccles. Lib. V. cap.* 33. Philostorg. *Hist. eccles. Lib. II. cap.* 5. vbi hic de isto Vlphila: Καὶ γραμμάτων τοῖς Γότθοις οἰκείων εὑρετὴς καταστὰς, μετέφρασεν εἰς τὴν αὐτῶν φωνὴν τὰς γραφὰς ἁπάσας: *proprias Gothis litteras excogitauit, et vniuersos sacrae scripturae libros patrio ipsorum sermone interpretatus est.* Quo inuento non fuisset opus, si iam antea Germani litteras habuissent. Versionem enim illam vere Germanicam esse, res ipsa docet: et vere scripsit Walafridus Strabus *Rer. eccles. cap.* 7. *Gothi, qui et Getae, eo tempore, quo ad fidem Christi perducti sunt, in Graecorum prouinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerunt.* Quae ex Tacit. *Annal Lib. II. cap.* 63. *et* 88. obiiciunt de epistolis a Germanis ad Romanos missis, ea de lingua et scriptura Latina intelligenda videntur, quam eorum nonnulli diuturna cum Romanis consuetudine procul dubio addidicerant, quemadmodum Graecas litteras ex consuetudine cum Massiliensibus addidicerant quidam Galli. Strabo Geograph. *Lib. VI.* Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 14. *et Lib. I. cap.* 10. Sed et, quae de Runicae litteraturae antiquitate iactantur, plane incerta sunt, multoque incertius, an ea in Germania vmquam nota fuerit.

§. II.

Nihilominus tamen maioribus nostris sui erant mores ac consuetudines, tum communes omnibus, tum vni vel alteri genti propriae, quarum multas cum cura descripserunt Caesar *de bell. Gallic. Lib. VI. cap.* 21. *sequ.* et Tacitus libello *de moribus Germanorum* singulari, ex quibus locis prolixum recensum instituit Melch. Goldastus *in Collectione legum et consuetudinum imperii*, edita Francof. 1613. & 1674. Harum vero consuetudinum patriarum eo sanctior ad posteros manebat custo- Habuere tamen suos mores et consuetudines.

custodia, quo minus ipsa natio vllis exterorum commerciis connubiisue infecta esset. Tacit. *de morib. Germ. cap.* 4.

* Adeo, vt quidem nec aditum exteris ad se concederent, nec vina, aliasque merces ad se importari paterentur, ceu de Neruiis et Sueuis narrat Caesar *de bell. Gall. Lib. II. cap.* 15. *et Lib. IIII. cap.* 2. Tales vero gentes moris patrii seruantissimae esse solent, ceu Hebraeorum, Scytharum, et olim Sinensium exemplis luculenter potest demonstrari.

§. III.

Earum quaedam exempla.

Tales consuetudines sunt quam plurimae, a Tacito, Caesare, et aliis auctoribus veteribus recensitae, veluti, quod longa esset Germanorum pueritia, longa impubertas, et sera iuuenum Venus: Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 21. Pompon. Mela *de situ orb. Lib. III. cap.* 3. Tacit. *de morib. German. cap.* 20. quod liberi cum matre ministeria domestica obirent: Tacit. *ibid. cap.* 25. ipsique filii, non nisi acceptis sollemniter armis, pars rei publicae haberentur: Tacit. *cap.* 13. quod dotem non vxor marito, sed vxori maritus offerret, consentientibus parentibus et propinquis: Tacit. *cap.* 18. quod arma aliaeque res expeditoriae ad filios et nepotes transmitterentur: alioquin sui cuique heredes essent liberi, fratres, patrui, auunculi, nullumque ibi testamentum *: Tacit. *cap.* 18. quod auunculi sororum liberis loco parentis essent, sanctissimaque ea necessitudo haberetur. Id. *cap.* 20.

* Verba haec Taciti quidam ita interpretati sunt, vt non in vniuersum testamenta ignorasse Germanos existimarint, sed eo saltim casu, si liberi non essent, testamentis locum non fuisse contenderint. Sed hunc sensum nec verba Taciti, nec mores Germanorum, quippe ἀδιαθέτων, admittere, alibi docuimus ex instituto. Vid. *Diss. nostr. de testam. fact. iure Germ. arct. limit. passim circumscript.* (in *Sylog. I. opusc. Exerc. XXVII.* §. 9. *pag.* 943. *edit. Geneu.*) et *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 6. §. 3.

§. IIII.

Alia eiusdem generis.

Eiusdem generis sunt, quae veteres referunt de statu seruorum libertinorumque: Tacit. *cap.* 25. de seueritate maritorum in sponsas et vxores impudicas: Tacit. *cap.* 19. Procop. *de bello Goth. Lib. IIII.* de consultationibus plerisque inter pocula susceptis: Tacit. *cap.* 22. de insigni promittentium ac colludentium fide: Tacit. *cap.* 24. *Annal. Lib. XIII. cap.* 54. de inimicitiis a tota familia susceptis, Tacit. *cap.* 21. et manu potius, quam iure, finitis: Pompon. Mela *de situ orb. Lib. III. cap.* 3. Vellei. *Lib. II. cap.* 118. de homicidiis mulcta; aliis criminibus morte expiatis: Tacit. *cap.* 12. *et* 21. de mulcta pro parte regi vel ciuitati, pro parte ipsi, qui vindicabatur, vel propinquis eius exsoluta; Tacit. *cap.* 12. de hospitalitate mira et paene promiscua: Tacit. *cap.* 21. Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 21. Pomp. Mela *Lib. III. cap.* 3. de tributis pro munere datis: Tacit. *cap.* 15. de numero non dierum, sed noctium computato: Tacit. *cap.* 11. Caes. *de bell. Gall. Lib. VI. cap.* 18. et quae sunt eiusdem generis alia *.

* Quo et feuda refert Ge. Ad. Struuius *in Syntagm. iur. feud. Lib. I. cap.* 3. §. 3. ob ea, quae de principum comitibus eorumque insigni fide re-

refert Tacit. *de morib. Germ. cap.* 14. Quod quamuis ridiculum videatur Dietmaro *in not. pag.* 87. argumenta tamen, quae ei sententiae opponit, non infringunt hanc Struuii doctrinam, tantum abest, vt ridiculam illam esse demonstrent. An enim apud Germanos viri principes, quia non erant territorii domini, sed in conciliis electi, non potuere habere vasallos? an necessario requiritur superioritas territorialis, ager, et sedes domini fixa, si quis vasallum habere velit? Et quid aliud sunt illi comites, *Gesellen*, *Waetselon*, quam vasalli, maxime quum Tacitus de eorum fide in dominos, et de stipendiis, pro seruirio militari datis, diserte testetur? Nihil ergo impedit, quo minus feudorum stamina cum Struuio iam apud Tacitum quaeramus.

§. V.

Singulae etiam gentes suos mores speciales habebant.

Sed quemadmodum pleraeque has consuetudines Germanis omnibus communes erant: ita dubitari nequit, quin et singulae gentes quasdam habuerint, sibi proprias, ac peculiares, quarum vel vnicum exemplum adferre iuuabit ex Tacito, *cap.* 32. vbi de Tencteris: *inter familiam et penates, et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior*. Quem locum ad consuetudinem res expeditorias * ad filios vel agnatos transmittendi pertinere, interpretes plerique obseruant.

* Equus et hodie inter res expeditorias est, iis locis, vbi illae filiis cedunt. Quemadmodum vero filius natu maximus in Saxonia praecipuum habet gladium: *Ius prou. Sax. Lib. II. art.* 22. *Ius prou. Sueu. cap.* 264. ita Tencteri praecipuum capi volebant equum, non quidem a filio natu maximo, sed fortissimo.

§. VI.

Gentium Germanicarum aliae in Germania substiterunt, aliae alio migrarunt.

Sed a Taciti temporibus ad saeculum vsque quintum, magna facta est rerum conuersio, migrationeque tot gentium frequentissima effectum est, vt gentes potentissimae, GOTHI, VANDALI, BVRGVNDIONES, SVEVI, FRANCI, ANGLI, praestantissimis Romanorum prouinciis infusae, regna ibi amplissima conderent: vacuas vero eorum sedes gentes antea parum notae, ALAMANNI, BOII, SAXONES, THVRINGI occuparent, totamque Germaniam magnam inter se partirentur, nisi quod ad orientem VENEDI, gens Sarmatica *, magnam Germaniae partem inter mare Balthicum et Alpes sub suam redegerunt potestatem.

* Non VANDALI, gens vere Germanica, quamuis vocabuli sono non multum a VENEDIS differant. Hinc iam pridem explosus est Alb. Cranzii error, Vandalos et Venedos vbique confundentis. Illi relicta Germania in Hispaniam, atque inde in Africam, migrauerant, regnaque ibi potentissima condiderant. Hi vacuas eorum sedes occupabant, et imperii sui fines paullatim ita proferebant, vt ad Albim et Salam omnia, et in superiore Germaniae parte Silesiam, Morauiam, Boëmiam, partem Austriae, Carinthiae, Stiriae et Carniolae sub suam redigerent potestatem.

§. VII.

Illae iure scripto, hae non scripto vsae sunt.

Quae in vetere patria substiterant gentes, eae, si a Francis discesseris, iure consuetudinario porro vixerunt, nec de eo scribendo, quamdiu sui iuris mansere, cogitarunt *: quum contra populi, qui extra Ger-

* Multo post tractus terrae haud exiguus ad Ruram nomen *pagi Ripuariorum* vel *Ribuariorum* retinuit, cum ex aliis monumentis, tum ex *Traditionibus Werthinensibus* a Leibnitio *Tom. I. Scriptor. rer. Brunsu.* editis patet. De eo plura auctor *Prodromi Chronici Gotuicensis, Lib. IIII. pag.* 749.

§. X.

Burgundionum.

Initio saeculi quinti Burgundionibus, qui in Alpibus Graiis, Viennensi prima, Lugdunensi prima et quinta, prouinciis potissimum consederant, leges ex procerum sententiis dedit Gundobardus rex, a quo et ipsa lex GVNDOBADAE nomen accepit. Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. II. cap. 33. Praef. Leg. Burgund. apud Lindenbr. pag.* 266. Plura tamen adiecisse videtur Sigismundus, cui ideo hae leges tribuuntur in codicibus MSSC. Valuit ea et euerso Burgundionum regno. *Capit. Caroli M. ann.* 813. Quod odio religionis Arianae adeo momordit Agobardum *, vt singularem librum *aduersus legem Gundobadi, et impia certamina, quae per eam geruntur*, scriberet, qui occurrit *Tom. II. Oper. pag.* 107.

* At ea in re non erat, quod Burgundionibus exprobrarent Franci, quum et impia ista certamina non minus, quam Burgundiones probarent. Vid. *Capit. Lib. III. cap.* 46. Si vero Agobardus generatim damnauit singularia ista certamina: pie quidem et recte sensit, sed non debuit sibi solos Burgundiones eligere aduersarios. Fatendum tamen est, Agobardum inter primos agnouisse certaminum illorum impietatem. Exstat enim eius libellus *contra iudicia Dei ibid. pag.* 301.

§. XI.

Ostrogothorum et Wisigothorum.

Ita et OSTROGOTHIS, qui in Italia regnarunt, EDICTVM satis prolixum primus proposuit THEODORICVS, rex, quod etiamnum exstat apud Lindenbrog. *in Cod. leg. pag.* 239. *sequ.* quamuis et plura alia eiusdem generis Cassiodorus *in Variis* seruarit, quae aeque, ac illud maius, non ius Gothorum sincerum, sed ex Romano iure vbique interpolatum, sistunt *. Paullo plus prisci moris inest LEGIBVS WISIGOTHICIS, quas primum Euricus rex anno erae Hispanicae 504. id est anno Christi 466. scripsit, successores vero, et in primis Legeuildus recognouit ac correxit, quum *antea tantum moribus et consuetudine tenerentur*. Isidor. *in Chron. ad ann.* 504. *et* 608. Lex ea primum locum occupat in Codice Lindenbrogiano: quamuis codicem MSC. multo locupletiorem, et aliquando ab editione Lindenbrogiana diuersum, seruet instructissima Io. Petri a Ludewig bibliotheca.

* Struuius *in Hist. iur. Lib. V. cap.* 4. *pag.* 355. leges antiquissimas Gothorum memorare ait Iornandem *de Reb. Get. cap.* 11. quarum auctor, fuerit Dicenceus aequalis L. Sullae philosophus. *Hic enim*, inquit, *cernens Gothorum animos sibi in omnibus obedire, et naturale eos habere ingenium, omnem paene philosophiam eos instruxit, erat enim huius rei magister. Nam ethicam eos erudiuit, vt barbaricos mores ab iis compesceret: physicam tradens, naturaliter* PROPRIIS LEGIBVS *viuere fecit, quas vsque nunc conscriptas*, BELLAGINES *nuncupant. Logicam instruens, eos rationis supra ceteras gentes fecit expertes*, cetera. Sed nemo non videt, BELLAGINES istas non fuisse leges politicas, quibus res publica regeretur, sed diaeteticas et physicas, ad quas Gothi in cibo potuque, et tota vitae ratione sese componerent. Et nescio sane, an

non vocabulum istud sit a Germanico *Wohlbehagen*, Belg. *Welbehagen*, quod sanitatem vel commodam valetudinem significat, ad quam tuendam comparatae erant illae *bellagines*.

§. XII.

Anglorum et Werinorum.

De SVEVORVM, qui in Hispania; nec non VANDALORVM, qui primum in Hispania, ac postea in Africa regnarunt, legibus nihil compertum habemus. At ANGLORVM; qui in Britannia sibi nouas sedes imperiumque quaesiuerunt, et WERINORVM lex antiqua, sed perbreuis, exstat, ab Heroldo, Lindenbrogio, et Leibnitio edita, quamque facile patet, ante expeditionem Britannicam scriptam esse, si genuina est inscriptio, in qua Angli et Werini, tamquam vicini, iunguntur: quamuis plane dubitare liceat, an hae Anglorum, ac non potius Thuringorum leges sint. Vid. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 13.

§. XIII.

Cur gentes extra Germaniam ius Romanum non adspernatae sint?

Et hae quidem sunt leges gentium, quas relicta Germania in cultioribus orbis Romani prouinciis confederunt. Quum vero plerumque imperatorum Romanorum maiestatem comiter venerarentur, qui eas ibi regnare suis auspiciis patiebantur, quum expellere non possent *: haud mirum est, non modo ipsas illas gentes nonnulla ex iure Romano adsciuisse, sed et prouincialibus, quos quibusque locis repererant, leges Romanas permisisse.

* Ita ipsi FRANCI possessionem occupatae a se Galliae non satis stabilem existimabant, antequam tabulis ab imperatore consignatis confirmaretur. Procop. *de bell. Goth. Lib. III. cap.* 33. auctorque est Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. II. cap.* 38. Chlodouaeum ab Anastasio imperatore consularia insignia impetrasse. Conf. Eccardi *praef. Orig. Habsburg.* Deinde ipsi Ostrogothorum regum nummi, in quibus imperatorum orientalium capita et tituli cusi sunt, satis indicant, Theodoricum, etsi non exspectata Zenonis imp. iussione regis Gothorum ac Romanorum titulum sumsisset, comiter tamen illius maiestatem veneratum, regnumque Italiae se clienteliari tantum iure tenere, professum esse. Eccard. *Epist. de nummis quibusdam sub regimine Theodorici Gothor. reg. in honorem imperatorum Zenonis et Anastasii cusis*, *Hanou.* 1720, 4. Io. Petr. a Ludewig *in Vit. Iustin. cap.* 8. §. 86. *pag.* 404. Sed et Burgundiones sedes suas, teste Prospero Aquitanico *in Chron. ad annum* 443. beneficio Valentiniani Imp. obtinuerant, quemadmodum et Wisigothos Honorius imp. regnare passus erat in Gallia et parte Hispaniae, ea lege, *ut suasolatia Romanae rei publicae, vbi vsus exigeret, non denegarent.* Iornand. *de reb. Get. cap.* 32. Quae quidem clientelarem nexum satis superque arguunt.

§. XIIII.

Leges Germanorum passim ius Romanum redolent.

Ac primo quidem istas gentes ex diuturna illa cum Romanis consuetudine aliquid peregrini etiam circa leges attraxisse, tam certum est, quam quod certissimum. Quamuis enim de lege Wisigothica non adsentiamur Cuiacio *ad* 2. *Feud.* 2. scribenti, *in ea omnia fere esse petita ex iure ciuili:* multa tamen inde originem habere fatemur, in primis, quae constituta legimus de testamentis, *leg. Wisig. Lib. II. tit.* 5. §. 12. nec non de peculio filiorum familias. *Lib. IIII. t.* 5. §. 5. Eius-

Eiusdem originis sunt, quae de testamentis sancit *lex Burg. tit.* 43. §. 1. et *Edictum Theoderici* §. 28. *seqq.* itemque, quae *eodem Edicto* §. 132. de possessore nec titulum edente nec probante, §. 133. de muliere fideiubente, §. 138. de re a duobus emta, et vni tradita, nec non in *lege Burgundica tit.* 87. §. 3. de restitutione minorum ante annum aetatis XXX. et *tit.* 88. §. 2. de manumissionibus praecipiuntur. Vt iam non adcumulemus huius generis alia.

§. XV.

Deinde probe obseruandum est, easdem gentes prouincialibus quasque suis legum Romanarum vsum concessisse. Fecerunt id sane WISIGOTHI, quorum rex, ALARICVS iunior, anno Christi 506. per Anianum Gothum, aliosque ecclesiae ac rei publicae proceres, ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano, nec non Paulli *Sententiis*, et Caii *Institutionibus* conficiendum curauit corpus iuris Romani, sed vbique fere interpolatum. Vnde *Anianismos* innumeros in his fragmentis deprehenderunt eruditi. Cuiac. *Not. prior. ad* §. 34. *Inst. de rer. diuis.* Iac. Gothofr. *Proleg. Cod. Theod. cap.* 6. Baptista a Iesu Christo *nou. vel vindic. iur. ciuil. art.* 2. Bynkershoek *Obs. Lib. V. cap.* 13. Id passim vocatur CORPVS THEODOSIANVM, Baluz. *Tom. II. pag.* 474. LEX ROMANA, Idem *Not. ad Capit. Tom. II. pag.* 995. Car. du Fresne *Glossar. med. et inf. Lat. voce: Lex Romana*, itemque BREVIARIVM ANIANI, *c.* 21. *causs.* 2. *qu.* 6. Historiam huius corporis Alariciani dedit Iac. Gothofr. *in Proleg. Cod. Theod. cap.* 5. * cui addendum, vsum hunc iuris Romani saeculo septimo in regno Gothico sustulisse Childeswindum, regem, cuius seuera ea de re constitutio exstat in *leg. Wisig. Lib. II. tit.* 1. §. 9.

Germanicae gentes prouincialibus ius Romanum concesserunt, veluti Wisigothi.

* Vbi etiam recte obseruauit, Anianum non esse auctorem et compilatorem corporis istius Alariciani, sed tantum auctoritati vel constitutioni Alarici regis, qua illud opus ratum habuit, idque in foris obseruari iussit, subscripsisse, tamquam scriniorum magistrum, vel cancellarium. Vnde procul dubio iniuria fit bono viro, dum omnes iuris Romani corruptelae *Anianismorum* nomine traducuntur, vti emblemata iuris Iustinianei Tribonianismos ab omnibus vocari animaduertimus.

§. XVI.

Idem institutum multo magis seruabant OSTROGOTHI. Ipse enim Theodoricus rex in praefatione edictum suum valere iubet, *salua iuris publici reuerentia, et legibus omnibus cunctorum deuotione seruandis.* Et apud Cassiod. *Variar. Lib. III. cap.* 43. vsum iuris Romani diserte confirmat. Quin tanta erat regum illorum humanitas, vt arbitrium facerent subditis, qua quisque lege viuere vellet. Greg. Turon. *Hist. Franc. Lib. II. cap.* 33. Cassiod. *Variar. Lib. I. cap.* 1. *Lib. III. cap.* 4.

Ostrogothi.

§. XVII.

Eo exemplo BVRGVNDIONES quoque Romanos, in regno suo viuentes, iure suo vti patiebantur. Gundebald. *in Praef. Leg. Burg. apud Lindenbr. pag.* 267. *Inter Romanos vero; sicuti a parentibus no-*

Burgundiones.

ftris ftatutum eft, *ROMANIS LEGIBVS praecipimus iudicari*. Hinc PAPIANVS quidam Aniani exemplo *librum RESPONSORVM* ex Codice Theodofiano, *Nouellisque* Theodofij et fucceflorum, quin et ICtorum libris quibufdam compilauit, vt prouincialibus, qui lege Romana, quam Gundobalda, viuere mallent, pro norma effet *. In eo *Refponforum* libro, quem Ant. Schultingius recufum dedit, eumdem ordinem effe feruatum, ac in lege Burgundica, obferuant Lindenbrog. *in Praef. Cod. leg. Alam.* et Iac. Gothofr. *in Manual. iur. Lib. II. cap.* 2. §. 11.

* Addo, librum illum *Refponforum* a Papiano ipfius Gundebaldi regis iuffu ac aufpiciis videri confectum. Quum enim rex ille Romanos Romanis legibus iuffiffet iudicari: ftatim fubiicit *in dicta praef. pag.* 267. *Qui Romani*) *FORMAM ET EXPOSITIONEM LEGVM confcriptam*, *qualiter iudicent*, *fe nouerint ACCEPTVROS*, *vt per ignorantiam fe nullus excufet*. Vbi manifefto promittit corpus aliquod legum Romanorum, quod quidem non aliud effe videtur, quam PAPIANI *Refponforum liber*.

§. XVIII.

Francorum fub Chlodouaeo et Theodorico.

Denique et et FRANCI quamuis iure moribufque patrijs viuerent, optionem tamen et ipfi dabant prouincialibus, fuifse, an Romanis legibus, viuere vellent, quippe quas tum in Gallia vniuerfa viguiffe, teftatur Agathias *de bello Goth. Lib. I. pag.* 7. Ita Chlotarius apud Baluz. *Tom. I. Capit. pag.* 7. *cauffas inter Romanos controuerfas Romanis terminari legibus*, iuffit. Sed et Theodoricus II. rex iuris Romani tam ftudiofus fuit, vt Baronius *ad ann.* 468. per *leges Theodoricianas*, quarum meminit Sidon. Apollin. *Lib. II. epift.* 1. intellexerit codicem quemdam legum Romanarum ab hoc rege exemplo Gothorum confectum. Quod quamuis falfum effe docuerit M. Ant. Dominicus *de praerog. allod. cap.* 6. §. 2. * idem tamen eius amorem erga ius Romanum aliunde folide probat, in primis ex illis Sidon. *Carm. Lib. VII. v.* 495. vbi Auitum alloquitur Theodoricus:

—— *Mihi Romula dudum*
Per te iura placent.

* Immo Iac. Sirmond. *ad Sidon. pag.* 25. oftendit, non intelligendas effe leges a Theodorico, rege Francorum, fed a Theodorico, Gotho, latas, ac proinde refellit eos, qui ante Euricum nullas exftitiffe Gothorum leges, exiftimant. Sed et alterum locum non ad Theodoricum Francum, fed Gothum pertinere, facile lector intelligit.

§. XIX.

Tum fub fequentibus regibus.

Denique fub Dagoberto adhuc ius fecundum leges Romanas dictum effe, teftis eft Aimon. *in Hift. Dagob. IV.* 25. Exftant etiam teftamenta, tum ad normam iuris Rom. facta, quale eft non modo S. Remigii apud Flodoard. *Hift. Rem. Eccl. I.* 18. & Hadoindi Cenomanenfis Ep. apud *eumdem II.* 5. fed et Alredi, Abbatis, factum anno 571. apud Mabillon. *Analect. Tom. II. pag.* 48. qui et alibi *Annal. Bened. Tom. II. pag.* 702. adfert diploma Murbacenfe Euerardi Comitis, in quo mentionem facit *donationis*, *a fe nequaquam ciuiliter geftis*

stis municipalibus alligatae, id est, ad acta non insinuatae. Quamuis vero non haberent peculiare aliquod iuris Romani syntagma: sequebantur tamen Codicem Theodosianum, cuius non ignari erant Francorum proceres, veluti Celsus patricius, quem *iuris lectione peritum*, et Andarchius, quem *legis Theodosianae libris eruditum* celebrat Gregor. Turon. *Hist. Franc. Lib. IV. cap.* 24. *et* 47. itemque Bonitus Aruernensis Episcopus, quem circa annum 650. *Theodosii edoctum fuisse decretis*, ex MSta eius vita docet Iac. Gothofred. *Proleg. Cod. Theod. cap.* 7. *pag.* 196. *

* Quin in vniuersum testatur Sidon. Apollin. *Lib. II. epist.* 1. iuuentutem Gallicanam, imperante Chlotario, Francorum Rege, *Codicis Theodosiani studio fuisse imbutam*. A multo enim tempore inoleuerat ibi mos, vt Romam confluerent, qui iuri ciuili dabant operam; eiusque rei exempla sunt apud Constantinum *in vita S. Germani cap.* 1. et Rutil. Numat. *Itin. I. v.* 209. Celebrabatur enim tum Roma, tamquam *domicilium legum*, Sidon. Apoll. *Lib. I. epist.* 6. ac proinde iuris ciuilis cultum inde petebant, quotquot ex prouincialibus ad sapientiae illius laudem adspirabant. Fr. Iuret. *ad Symmach. Lib. VIIII. epist.* 83.

§. XX.

Quid? quod et ANGLOS, quamuis Britanniam, iam a Romanis desertam, occupassent, legum tamen Romanarum vsum, cui adsueti fuerint, Britannis prouincialibus relinquere non dubitasse, existimat Io. Sam. Brunquell. *Hist. Iur. I.* 15. 19. Auctor enim est Beda Venerab. *Hist. Angl. II.* 5. Ethilbertum, Cantii Regem, *inter cetera bona, quae genti suae consulendo contulerit, etiam decreta iudiciorum iuxta templa Romanorum cum consilio sapientum constituisse, quae conscripta Anglorum sermone hactenus habeantur, et obseruentur ab ea*. Enimuero non leges Romanas recepit Ethilbertus, quas tunc ex Britannia plane exulasse, obseruat Selden. *in Diss. ad Flet. cap.* 7. §. 1. sed sensus est, primum illum regem Christianum proprias Anglis leges tulisse *, et tanta quidem cum cura, vt exemplo Romanorum viros sapientissimos in consilium adhibuerit. An et Angli?

* Exstant permultae Ethilberti istius leges etiamnum in G. Lambardi *Archaeonomia, edita Londin.* 1568. Sed eae nihil Romani redolent. Quin ipse Beda statim subiicit, Ethilbertum *in his legibus primitus posuisse, qualiter is emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiae, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret*: Obseruatque Selden. *in Iano Angl. Lib. I.* §. 34. fures ex ea lege delictum numis luisse, si qui vero manum sacris essent admoliti, iis manum praecisam esse. Id quod sane cum iure Romano nihil commune habet, magisque iuri Germanico concinnum videtur.

§. XXI.

Talis erat status apud eas gentes, quae in prouinciis Romanis noua regna condiderant. Quod ad eas attinet, quae in Germania subsiterant: eae pleraeque tum demum, quum in Francorum potestatem peruenissent, ius scriptum habere coeperunt. *Theodoricus* enim *Rex Francorum, quum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, iussit conscribere le-* Gentes quae in Germania subsiterunt, legibus scriptis vti coeperunt tum

ante Carolum M. re legem Francorum, et Alamannorum, et Baiuuariorum, vnicuique genti, quae in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit, quae addenda erant, et improuisa et incomposita renouauit, et quae erant secundum consuetudinem paganorum, mutauit secundum legem Christianorum. Et quiquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthaec Childebertus, Rex, inchoauit, sed Chlotarius Rex perfecit. Haec omnia Dagobertus, Rex gloriosissimus, per viros illustres Claudium, Chadum, Indomagum et Agilulphum * renouauit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et vnicuique genti scripta tradidit, quae vsque hodie perseuerant. Ita habet Praef. Leg. Bajuuar. apud Lindenbr. pag. 399.

* Qui inter hos viros illustres est AGILVLFVS proculdubio Boioarius fuit, et fortassis ipse Boiorum Dux, qui et postea semper debuit esse ex Agilolfingicis. Lex Baiuu. tit. 2. §. 20. Ergo probabile est Dagobertum ex singulis gentibus, quibus leges praescribebat, viros illustres, et iuris patrii gnaros in consilium adhibuisse.

§. XXII.

Tum sub eo. Similia de Carolo M. memoriae prodidit Eginardus *in vita Car. cap.* 29. *eum nimirum omnium nationum, quae sub eius dominatu erant, iura, quae scripta non erant, describi ac litteris mandari fecisse.* Poëta vetus apud Leibnit. *Script. Brunsu. Tom I. pag.* 168.

Cunctorumque sui regni leges populorum,
Collegit, plures inde libros faciens.

Talia etiam in *Annal. Francor.* apud Lambec. *Bibl. Vindob. II.* 5. legimus, ex iisque simul obseruamus, factum id a Carolo esse circa annum 804. *

* Hinc tot harum legum editiones diuersissimae, quarum aliae prolixiores, aliae adstrictiores sunt. Immo quam sui dissimiles sint, argumento sunt tot variae lectiones, quas codici suo subiunxit Lindenbrogius, quarumque multo plures colligi posse, Ge. Eccardus legis Salicae et Ripuariorum; Lud. Ant. Muratorius Langobardicae exemplis docuerunt.

§. XXIII.

Lex Alamannorum. Iam itaque facile patet, quae sit origo LEGIS ALAMANNORVM *. Ea enim in Codicibus MSC. hunc titulum praefert; *incipit LEX ALAMANNORVM, quae temporibus Chlotarii Regis vna cum principibus suis, id sunt XXXIII. Episcopis, et XXXIV. Ducibus, et LXXII. Comitibus, vel cetero populo, constituta est.* Herold. *pag.* 17. Lindenborg. *pag.* 363. Est ergo haec lex a Chlotario, et quidem, vt P. Daniel *Hist. Franc. Tom. I. pag.* 306. recte suspicatur, secundo, quia tum Alamanni iam ducibus suis paruerunt. Lex Alam. *tit.* 31. Interim facile largimur, Theodoricum, Chlodouaei filium, prima eius stamina duxisse. Nec dubium est, quin successores plura addiderint, eaque caussa sit tantae exemplarium varietatis, de qua Lindenbrog. *pag.* 1330. *sequ.* et Conring. *de orig. iur. Germ. pag.* 9. *cap.* 42.

* Doctissimus Nic. Hier. Gundlingius *Part. III. Gundling. Diss. II.* §. 16. statuit, Alamannorum a Chlodouaeo oppressorum, prouinciam occu-

cupasse Francos victores, iisque datam esse *legem Salicam*, cui postea demum lex Alamannica successerit, quum a Francis paullo minus haberentur. Sed veterum auctoritate destituitur haec sententia, nec aliud habet fundamentum, quam quod vir doctus quatuor pagos, *Salheim*, *Windheim*, *Bodenheim*, et *Wisenheim*, qui *Salogasto*, *Windogasto*, *Bodagasto* et *Wisogasto*, legis Salicae auctoribus, nomina dare potuerint, in tractu Wormatiensi, adeoque in Alemannia inuenisse sibi visus est. Conf. quae huic coniecturae opposuit Leibnit. *in Responsione sua* §. 45. *sequ.* quam ipse Gundl. edidit *Part. VI. Gundling. pag.* 77. *sequ.*

§. XXIV.

Certior est LEGIS BAIVVARIORVM aetas: Quum enim Boioarii, Alamannorum clade perterriti primum Theodorico, Ostrogothorum in Italia regi, eoque mortuo, Francis se dedissent: leges eorum, in scripturam redactas firmarunt primum Theodoricus, deinde Childebertus et Chlotarius, ac demum Dagobertus, Reges. *Praef. Leg. Baiuuar. pag.* 399: At quum non armis victi, sed spontanea deditione in Francorum potestatem venissent, adeoque magna adhuc ducum e gente Agilolfingica esset auctoritas: non mirum profecto est, eos quoque leges tulisse subditis, in quibus est DECRETVM TASSILONIS *, legi isti Baiuuariorum subiunctum apud Lindenbrog. *pag.* 439. et haud paullo auctius apud Gewold. *ad Hund. Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 310. *sequ.* Baiuuariorum.

* Sunt qui Thassilonem sibi id ius statuendi, vel nouas condendi leges ob regum Merouingicae stirpis impotentiam sumsisse existimant. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 9. Sed quantacumque fuerit regum impotentia, hanc audaciam saltim non tulissent maiores Domus, tanto potentiores. Probabilius ergo est, Ducatus Boiorum eam fuisse formulam, vt Duces pleraque iura, quae hodie ad superioritatem territorialem referuntur, iure suo in prouinciis explicarint, ac proinde et nouas leges, quas exigere videbatur rei publicae salus, ciuibus praescriberent.

§. XXV.

Incertae aetatis est LEX FRISICA, quippe quam alii a Theoderico, alii a Chlotario, alii a Dagoberto, alii denique a Carolo M. latam existimant. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 13. Sed quum Theoderico nondum paruerint Frisii, leges ipsae autem rudiores atque horridiores sint, quam quales felicius Caroli M. saeculum ferebat, quin in ipsis, quae postea accesserunt, additionibus sapientum, VVLEMARI et SAXMVNDI *tit. XII.* §. 1. adhuc pagana legislatorum superstitio pelluceat: mihi quidem certissimum videtur, leges has scriptas esse, antequam gens Frisica sacra christiana susciperet *, quamuis deinde quaedam ad christianum ritum detorta videantur. Vid. *Addit. Vulemari tit.* 1. §. 1. Praeter Heroldum, et Lindenbrogium hanc legem non modo edidit; sed et notis vtilissimis illustrauit SIB. TEDARDVS SICCAMA, cuius libellum eleganter recusum debemus viro clarissimo, Car. Guil. Gaertnero, *Lips.* 1730. 4to. Frisiorum.

* Id demum factum, quum a Carolo Martello victi in Francorum potestatem venissent. Sed quam aegre suaue istud Christi iugum subierint, vel ex *S. Ludgeri vita Lib. I. cap.* 1. *sequ.* et S. Bonifacii certaminibus ac martyrio

nis satis intelligitur. Non mirum igitur, tam cito non potuisse omnia superstitionis veteris vestigia tolli ex lege Frisica.

§. XXVI.

Langobardorum.

Interea LANGOBARDI quoque Italiam, Gothis vix a Iustiniano Imp. ereptam, circa annum Christi 568. occupauerant, ibique regnum constituerant potentissimum, quod praeter exarchatum Rauennatensem vniuersam paene Italiam complexum est. Itaque et hic populus leges suas non modo in scripturam, verum etiam in iustum corpus redigere coepit, etiam post Caroli M. tempora, et exstincto licet regno Langobardico, diutissime apud Italos valiturum. Sigon. *de Regno Ital. Lib. VIII. ad an.* 1007. *pag.* 188. quin etiamnum in quibusdam Italiae vrbibus valentem *, si fides habenda Iac. Spigelio et Melch. Goldasto *apud* Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 22.

* Hinc leges Langobardicas passim citant glossatores, Accursius, Pileus, Conradus, Ioannes Teutonicus, quoties ius suorum temporum describunt. Obseruauit hoc Franc. Curtius iunior, ex eoque Goldastus *in prolegom collection. consuet. et legum imperial.*

§. XXVII.

Legum Langobardicarum collectio et glossae.

Diximus has leges in corpus aliquod redactas. Nam quamuis non vnum agnoscant auctorem, sed partim a Rothare Rege anno 637. partim a Grimoaldo, Luitprando, Ratchiso, Aistulpho, quin et a Francicis ac Germanicis Imperatoribus, latae sint: editiones tamen Lindenbrogiana, et pleraeque omnes, has leges sistunt libris tribus, in certos titulos distributis. Quod a PETRO, diacono Cassinensi, factum esse, plerique existimant, quem Lotharii III. Imp. Logothetam, exceptorem et chartularium fuisse, ex *Chron. Cassin. IV.* 125. patet. Glossas iuridicas in leges has Langobardicas scripserunt CAROLVS COTTVS, ANDR. DE BARVTO, et IO. BAPT. NENNA. Duorum priorum nec non NIC. BOERII glossae * habentur in *Corpore iuris glossato Lugd. Sequan. apud Gabr. Carter. anno* 1600. 4. *Tom. vlt.*

* Eae quoque glossae argumento sunt, eorum auctorum temporibus extra vsum non fuisse ius Langobardicum. Ex his vero iuris Langobardici interpretibus CAROLVS quidam COTTVS antiquissimus est, quem Pithoeus in *praef. ad Capitular.* annis 380. ante se vixisse ait: de Io. BAPT. de NENNA aetate non constat. ANDR. vero DE BARUTI et NIC. BOERIVS saeculo XVI. vixerunt.

§. XXVIII.

Noua Muratorii collectio laudata.

Sed omnium industriam in restituendo illustrandoque Codice LEGVM LANGOBARDICARVM superarunt Socii Palatini, & in his Lud. Ant. Muratorius, qui inter *Script. Rer. Ital. Tom. I. Part.* 2. leges Langobardicas ex duobus codicibus Mutinensibus * edidit, non in titulos, secundum ordinem argumentorum distributas, suisque prooemiis, quae in editis omnibus desunt, instructas, interiectis passim formulis; quibus prudentes Langobardorum tum agendo, tum excipiendo in foro vsi sunt, additisque praefationibus, notis, indicibusque praestantissimis, vt nihil hac quidem collectione reperiri possit perfectius.

* Alte-

* Alterum ex his codicibus Eurardus quidam per Lupum describendum curauit. Id enim docet praemissum carmen heroicum, cuius initium est:
Hunc Heros librum legum conscribere fecit
EVRARDVS prudens.
Eurardum istum Muratorius non alium esse suspicatur, quam ducem Forotuliensem sub Ludouico II. imp. Addo ego, eumdem forsan esse hunc codicem, cuius ipse Euerardus meminit in Testamento suo apud Aub. Miraeum *cod. donat. piar. cap.* 15. *pag.* 21. vbi Vnrocho filio primogenito legat *librum de lege Francorum, et Ripuariorum, et Langobardorum, et Alamannorum, et Baiuuariorum.* Et in hoc Codice Mutinensi, eaedem leges, vno fasciculo coniunctae fuerunt, teste ipso Muratorio.

§. XXIX.

Et hae quidem sunt leges gentium Germanicae originis, a saeculo V. ad Caroli M. imperium in scripturam redactae ac editae. Quum vero Franci hoc temporis interuallo, Burgundiones, Frisios, & Alamannos perdomuissent, Gothos Gallia submouissent, Baiuuarios in deditionem accepissent: non mirum est, praeualuisse reliquis LEGES FRANCICAS, non modo SALICAM et RIPVARIORVM, sed et edicta, quae singuli Reges in comitiis vel placitis publicis, et consentientibus regni ordinibus, sub CAPITVLARIVM * nomine edere solebant. Supersunt sane eiusmodi capitularia CHILDEBERTI, anni 554. CHLOTARII, anni 560. GVNTCHRAMMI, anni 585. CHILDEBERTI iunioris, anni 595. CHLOTARII II. anni 615. CAROLOMANNI, anni 742. sequ. PIPPINI item capitularia Suessionense anni 744. Vermeriense anni 752. Vernense anni 755. denique Metense et Compendiense anni 757. apud Baluz. *Tom. I. Capit. pag.* 1. *sequ.*

Capitularia Regum Francorum ad tempora Caroli M.

* CAPITVLVM et CAPITVLARE iam ante Francos erant vocabula satis nota, sed alio plane sensu vsurpata pro censibus, quae alias personalia vocantur *l.* 14. *l.* 15. *l.* 18. *C. Theod. de extraord. muner.* vbi temonaria functio eo nomine venit. *Vet. Glossarium*: *Tributum* CAPITVLARE, ἐπικεφάλαιον φόρον. At quum tamen et leges *capitula* dici coepissent. *l.* 27. §. 4. et *l.* 30. §. 3. *D. ad leg. Aquil.* non mirum profecto, Francos leges suas κατ' ἐξοχὴν vocasse CAPITVLA et CAPITVLARIA.

§. XXX.

Quamuis ergo hae leges omnes passim aliquid ex iure Romano traxerint, (§. 14.) multa etiam ex pristina barbarie paullatim deterserit christiana religio, qua interea hae gentes omnes imbuebantur: res ipsa tamen docet, consuetudines tantum non omnes, quas Iulius Caesar, Tacitus, aliique veteres scriptores in Germanis notauerant, (§. 3. et 4.) in istis Germanorum legibus etiamnum reperiri: Vnde facile adparet, maiores nostros prisci et auiti moris tenacissimos fuisse.

Leges Germanicae plerosque mores patrios a Tacito descriptos firmarunt.

§. XXXI.

Hinc expressissima in legibus his vestigia deprehendimus longae pueritiae, *Leg. Wisig. IV.* 3. 1. *Langob. II.* 29. 1. dotis vxori a marito oblatae, *Leg. Wisig. III.* 1. 5. *et* 6. *Burg. LXII.* 2. *Alam. LVI.* 1. *sequ. Ripuar. XXXVII.* 1. *et* 2. *Langob. II.* 4. 1. *et seqq.* rerum expeditoriarum et geradae, *Leg. Burg. LI.* 3. *et* 4. *Angl. VI.* 5. *et* 6. inimicitiarum a tota familia susceptarum, *Leg. Fris. II.* 2. *addit. Vulem.*

Id quod exemplis demonstratur.

lem. I. 1. *Leg. Sal. LXIII.* 2. *et seq. Angl. VI.* 5. *Langob. I.* 7. 15. *I.* 37. 1. *sequ.* controuersiarum non iure, sed ferro decisarum, *Leg. Burg. LXXX.* 1. *sequ. Alam. I.* 3. *LXXXIV.* 1. *Baiuuar. XVI.* 1. *Ripuar. XXXII.* 4. *Fris. XI.* 3. *XIV.* 4. *Langob. XXXII.* 3. homicidii non morte, sed mulcta, expiati, *Leg. Sal. XXVI.* 1. *Ripuar. VII. et XXXVI.* 1. *Angl. I.* 1. *Fris. I.* 1. *sequ. Alamann. XLIX.* 1. *sequ. LXVIII.* 1. *sequ. Baiuuar. XIII.* 1. *sequ. Langob. I.* 9. 3. *et* 6. hospitalitatis legibus praeceptae, *Leg. Burg. XXXVIII.* 6. 7. 9. numeri denique non dierum, sed noctium initi *: *Leg. Sal. XXVI.* 49. *Ripuar. XV.* 9. 6. *Langob. I.* 13. 23.

* Immo eadem computandi ratio etiam multo post in Speculis Saxonico et Sueuico obseruatur, notaque est loquutio: *vber vierzehen nachte*. *Ius Prou. Sax. Lib. I. art.* 2. *et art.* 67. Et hinc nata est dilatio Saxonica, quam vocant, sex hebdomadum et trium dierum. Quum enim ter citandus esset reus, et quidem singulis vicibus, vt post quatuordecim noctes adesset: his connumeratis prodibant sex hebdomades, additisque tribus diebus iuridicis dilatio vocabatur Saxonica. Vide *Gloss. ad ius prou. Sax. Lib. I. art.* 67.

§. XXXII.

Formulae forenses eorum temporum.

Sed haec quidem de legibus ipsis horum temporum sufficiant. Vnum addimus, ad earum aeque ac iuris Romani, tum apud prouinciales recepti illustrationem, vsusque forensis intelligentiam non parum conferre tot FORMVLARVM collectiones, quae ex istis saeculis supersunt. Habemus enim MARCVLFI *Formulas*, quales tum ab Hier. Bignonio, tum a Lindenbrogio, datae sunt, apud Steph. Baluzium; aliasque*, secundum LEGEM ROMANAM, vel SIRMONDICAS, nec non alias BIGNONIANAS, ab eodem Baluzio; alias ANDEGAVENSES, a Mabillonio tum *Analect. Tom. IV. pag.* 234. tum in operis *de Re Diplom. Adpendice Tom. II.* editas, et quas paullo ante laudauimus (§. 28.) LANGOBARDICAS, a Lud. Ant. Muratorio *Tom. I. Script. Rer. Ital. Part. II.* ex vetere Codice Mutinensi descriptas, quas vtut barbaro dicendi genere scriptas, maximam tamen adferre vtilitatem, vnusquisque re ipsa experietur.

* Merito addimus *formulas* ALAMANNICAS, a Melch. Goldasto *Tom. II. Rer. Alam. Part. I.* nec non ALSATICAS, itidem a Mabillonio primum, ac deinde a Ge. Eccardo sub finem *Legis Salicae pag.* 232. *sequ.* editas: quas tamen non minus, quam Goldastinas esse *Alamannicas* et in monasterio S. Galli scriptas res ipsa docet.

CA-

C A P V T II.

DE PROGRESSV IVRIS GERMANICI A CAROLI M. TEMPORIBVS AD LOTHARIVM III. IMP.

§. XXXIII.

Carolus M. legis lator Saxonum.

PRogredimur ad tempora CAROLI M. quem si emendandis barbarorum moribus, legibusque aequioribus ferendis natum dixerimus, neminem nos habituros contradicentem speramus. Eum omnium, quae sibi parebant, gentium, leges in scripturam redigi iussisse, iam supra vidimus (§. 22.) Quum ergo tum gentes omnes iam leges scriptas haberent, praeter SAXONES, quos ipse primus diuturno bello perdomuerat: dubitari nequit, quin iis prae ceteris hanc operam nauarit *. Non tamen nouas illis obtrusit leges, sed, ut *Poeta Anonymus ad ann.* 803. loquitur,

Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatisque suis, permissi LEGIBVS vti
Saxones PATRIIS, et libertatis honore.

* Coniicit quidem Burc. Gotth. Struuius in *Hist. iur. Lib. VI*, 7. *pag.* 425. 426. iam ante Carolum M. in *Capitul. de part. Saxon. cap.* 33. ad *legem Saxonum*, et *in Capit. Sax. Aquisgr. anni* 797. nec non *capit.* 4. *app. II. cap.* 35. ad *eorum* euuam prouocet. Sed vti *lex* et *euua* πολίτευμα sunt vocabula: ita et ius non scriptum significare possunt.

§. XXXIV.

Lex Saxonum quando scripta.

Et haec procul dubio est LEX illa SAXONVM, ab Heroldo, Lindenbrogio, Leibnitio, et nuper a Car. Guil. Gaertnero, edita. Quamuis enim Lindenbrogius eam legem vel ideo Caroli saeculum antiquitate superare existimet, quod in membranis, quas nactus sit, litterarum ductus vetustatem maiorem arguant, et codex illi ante Caroli tempora scriptus videatur: tamen quum ista Lex Saxonum Christianis vocabulis e. g. *ecclesia* vtatur *, *tit. III.* §. 5. et praeterea regni ac regis Francorum diserte meminerit. *tit. III.* §. 1. *tit. XVII.* §. 5. fieri sane non potest, vt eam vel Caroli M. aeuo antiquiorem, vel ab Haraldo, Danorum Rege, profectam esse existimemus. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 12.

* Quamuis enim ante bella Caroli M. cum Saxonibus gesta, christianae religionis scintillae quaedam in Saxonia emicuissent, ceu patet ex Venant. Fortun. *Lib. III. carm.* 9. et *vita S. Faronis Episcopi Meldensis MSC. cap.* 76. ex qua excerpta edidit Leibnit. *Script. rer. Brunsuic. Tom. I. pag.* 63. id tamen de paucis hominibus, qui in Gallicano littore piraticae caussa confederant, intelligendum videtur, non de vniuersa gente, quae ad Caroli M. tempora auitam superstitionem et armis tuebatur, neque adeo patiebatur ecclesias vel templa Christianorum apud sese exstare.

§. XXXV.

An integra ad nos peruenerit?

Videtur tamen non nisi fragmentum istius legis ad nos peruenisse. Multa enim, quae veteres ex lege Saxonum citant, in hac nostra desiderantur, v. g. lex de matrimonio impari nobilis et plebeiae sub mortis supplicio vetito. Eginard. *apud Adam. Brem. I.* 5. de traditionibus digito firmandis, *Diplom. Liemari apud* Lindenbrog. *Script. Rer. Septentr. pag.* 147. de eo qui fines alienos inuaserit, capitis damnando. Lamb. Schafnab. *Chron. pag.* 196. Accedit quod quum *crudelissimam Saxonum legem* vocet Wippo *in vita Conradi pag.* 430. in hac superstite nihil crudelitatis reperiatur, nisi crudelem etiam dicere velis Nemesin Carolinam, quae aeque, ac lex Saxonica, fures capite plecti iubet. Esse tamen in illa fragmenta genuina ac vetusta, aliis sane argumentis satis demonstrari potest *.

* Prouocat enim ad legem nostram ipse Carolus M. *Capitul. de partib. Sax.* §. 32. vbi ait: *De periuriis secundum legem Saxonum sit.* Atqui hoc caput hodienum habemus in *lege Sax. Lib. II. cap.* 8. *et* 9. *Qui sciens peierauerit, capite puniatur, qui nesciens peierauerit, manum suam redimat auctor sacramenti.*

§. XXXVI.

Capitularia Caroli M. de Saxonibus.

Nec in eo adquieuit Caroli M. solicitudo. Quum enim gens Saxonum, quamuis publica professione christianis accessisset, adhuc tamen auitas superstitiones priuatim mordicus teneret *: legi illi patriae nonnulla adstruxit, quae rudem istam gentem saltim poenarum metu in officio continerent. Eo enim pertinent CAPITVLATIO DE PARTIBVS SAXONIAE incerti anni, et CAPITVLARE SAXONVM anno erae Christianae 797. in comitiis Aquisgranensibus promulgatum, quae inuenta in bibliotheca Vaticana a litteratissimo principe, Ferdinando Furstenbergio, (vid. *Monim. Paderborn. pag.* 324.), primum a Luca Holstenio Romae, deinde ab Hermanno Conringio Helmstadii, demum a Steph. Baluzio *Capitul. Tom. I. pag.* 250. Herm. Adolph. Meinders *de statu relig. et reipubl. sub Car. Magn. pag.* 23. *sequ.* et nouissime a Car. Guil. Gaertnero, edita sunt *Lips.* 1730. 4.

* Argumento esse potest *Indiculus superstitionum et paganiarum*, quem eidem debemus principi Ferdinando Paderbornensi epis. *in Monim. Paderborn. pag.* 308. Et notum est, in iis illustrandis multum operae insumsisse Gasp. Caluoer, Herm. Adolph. Meinders, et Io. Ge. Eccardum. Adeo vere cecinit poeta:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

§. XXXVII.

Nec non ad Leges Salicam, Baiuuariorum et Langobardorum.

Sed aliarum quoque gentium legibus, quas a Theoderico, rege Francorum, eiusque successoribus in scripturam redactas diximus, noua quaedam additamenta sub Carolo M. eiusque filio, Ludouico Pio accesserunt. Ipsis enim Francorum legibus illum *paucula capitula, et ea imperfecta addidisse*, testatur Eginardus *in vita Caroli, cap.* 29. taliaque capitula ad LEGEM SALICAM exstant apud Baluz. *Capitul. Tom. I. pag.* 17. 387. 606. *Tom. II. pag.* 1060. * Eiusdem generis sunt

ſunt capitula, LEGI BAIVVARIORVM anno 788. adiecta apud eumdem *Tom. I. pag.* 207. Denique quod ad legem LANGOBARDORVM attinet, non modo illi inſertas videmus plures Caroli M. et ſucceſſorum conſtitutiones, verum etiam *Capitula, addita ad legem Langobardicam*, nec non *Capitula, excerpta ex lege Langobardorum* reperimus apud Baluz. *Tom. I. pag.* 327.

* Fortaſſis et plura perierunt. Exſtat ſane charta manaſterii Honaugienſis apud Mabillon. *Annal. Benedict. Tom. II. pag.* 697. in qua Carolus, *rex Francorum, vir illuſter* profitetur, *res peregrinorum ſecundum legem Francorum proprias eſſe regis*: ab eoque iure excipit peregrinos Scotos. Quod eſt ipſum ius Albinagii, cuius alioquin vix veſtigium in legibus Francicis reperias, vt non potuerint non quaedam earum capita periiſſe, niſi et hic per *legem Francorum* ius eorum non ſcriptum intelligere malis.

§. XXXVIII.

In primis vero notanda ſunt ipſa CAROLI M. CAPITVLARIA, vniuerſis ciuibus praeſcripta *, id eſt, ſanctiones, vel in conciliis et ſynodis, vel in comitiis regni, de eccleſia et re publica factae, quarum plurimas ex variis codicibus MSC. integras edidit Steph. Baluz. *Tom. I. pag.* 189. *ſeqq.* Talia deinde et Ludouicus Pius, Pippinus, Italiae rex, Carolus Caluus, et alii Francorum orientalium et occidentalium reges plura publicarunt, quae laudatus Baluzius eadem induſtria vndiquaque collegit ediditque *Tom. I. pag.* 533. 541. 561. *ſequ.* Addat. Brower. *Annal. Treu. Proparaſc. cap.* 10. Mabillon. *Analect. Tom. I. pag.* 299.

Capitularia regum Francorum vniuerſalia.

* Quemadmodum enim communi populi conſenſu huius modi capitularia fiebant: ita et omnes iis ſubſcribere, eoque chirographo ſe ad eorum obſeruantiam obſtringere cogebantur. *capit. III. a.* 803. *cap. XVIIII. Capitul. II. a.* 813. *in prooem. Capitul. Caroli Calui, tit.* 1. Ex quo patet, vnde mos ſuperſit, in imperio noſtro, vt leges communes et communibus electorum, principum, ac ordinum ſuffragiis ferantur, et capitularibus iſtis ſeu *receſſibus* praeter imp. et electores et principes quidam, nec non ex comitibus, praelatis, et ciuitatum legatis quidam ſubſcribant.

§. XXXVIIII.

Ne vero tot ſpeciales leges conquirendae eſſent Francis: fuerunt, qui capitularia illa colligerent, et in certum ordinem redigerent. Collectionum illarum notiſſima eſt ANSEGISI, abbatis ſiue Lobienſis, ſiue Fontanellenſis, ſiue alius monaſterii, tamen non archiepiſcopi Senonienſis *, Baluz. *Proleg. Capitul.* §. 39. qui omnia Caroli M. et Ludouici Pii capitularia eo ordine diſpoſuit, vt *liber primus* Caroli M. conſtitutiones ad rem eccleſiaſticam pertinentes; *ſecundus* eiuſdem leges ciuiles; *tertius* Ludouici leges eccleſiaſticas; *quartus* eiuſdem leges ciuiles, vel, vt auctor vocat, *mundanas* complectatur. Addidit auctor *adpendices tres*, quibus varia colligit Caroli M., Ludouici Pii, et Lotharii I. imp. capitularia, quae vel ex ſuperioribus *memoriae cauſſa ſcripta, vel non plenum explere ſenſum, vel geminata, vel cum aliis mixta* videbantur. Ediderunt hanc collectionem, quae anno Chriſti 825. Ind. V. et XIII. imperii Ludouici Pii et Lotharii primum

Eorum collectio ab Anſegiſo facta.

mum prodierat in lucem, (vid. Ansegif. *praefat.*) B. Rhenanus, Vitus Amerbachius, Ioach. Vadianus, Heroldus, P. Pithoeus, Iac. Sirmondus, et nouissime Steph. Baluzius.

* Ansegiso, abbati Lobiensi, hanc collectionem tribuit Sigeb. Gemblac. *in Chronic. ad annum* 827. Ansegiso, archiep. Senonensi, Odorann. *in Chron. ad ann.* 882. Ansegiso, abbati Fontanellensi. Baluz. *in Proleg. Capitular.* §. 39. Sed vti manifesto errant, qui auctorem faciunt Ansegisum, archiep. Senonensem: ita sunt, qui Ansegisum, abbatem Lobiensem, postea Fontanellensi monasterio praefectum contendunt. Quae si probari possent, Baluzium Sigeberto facile conciliaremus. At quid opus est verbis, quum de hoc Ansegiso manifestum extet auctoris veteris testimonium, puta Adsonis *de miraculis S. Waldaberti*, vbi inter alia refert, Ludouicum Pium abbatem Fontanellensem *Ansegisum* praefecisse *Luxoniensi* monasterio, hunc vero CAPITVLA *regum Francorum, quae diuersis fuerint acta conciliis, excepisse, et vno volumine contineri fecisse*. En Ansegisum, auctorem collectionis non Lobiensium, sed Luxoniensium et Fontanellensium abbatem. Facilis vero fuit Luxonii et Lobii confusio.

§. XXXX.

Nec non a Benedicto Leuita et Lothario.

Postea anno 845. nouam collectionem Otgarii, archiepiscopi Moguntini, auspiciis adornauit BENEDICTVS, Leuita Moguntinus, quam Ansegisianae collectionis veluti auctarium esse voluit. Constat illa tribus libris, in quibus nec delectu, nec ordine vsus est bonus ille Leuita. His deinde, nescio quo auctore, accesserunt *Additionum Libri IIII.* Vtraque collectio in foris Francicis haec Germaniae, illa Galliae, maximi vsus fuit: Ansegisiana tamen etiam Ludouici Pii & Caroli Calui auctoritate firmata. Vid. Steph. Baluz. *Proleg.* §. 47. *seq.* Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 15. Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 845. *n.* 17. *pag.* 598. *Tom. III.* Quin ipse LOTHARIVS imp. nouam collectionem in vsum Italorum confecit *, Baron. *Annal. eccles. ad annum* 847. *num.* 12. quam edidit Melch. Goldastus *in Collect. leg. et consuet. Germ. pag.* 192.

* Errauit tamen Baronius, dum collectionem hanc Italis ex decreto *synodi Maldensis cap.* 78. promulgatam existimat; quo anno 845. cautum fuerit, *vt capitula ecclesiastica a Carolo M. imp. et Ludouico Aug. promulgata omnino obseruari praeciperentur*. Sed non meminit Baronius id concilium in regno Caroli Calui habitum, ac proinde nec Lotharium obstrinxisse, nec ad Italos pertinuisse. Vid. Petr. de Marca *de concord. sacerdot. et imperii, Lib. II. cap.* 12. §. 5. Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 847. *n.* 13. *pag.* 604.

§. XXXXI.

A Carolo M. ad finem stirpis eius in Germania leges patriae adhuc valuerunt.

Iam ex his facile patet, quaenam fuerit iuris Germanici facies a Carolo M. vsque dum eius stirps apud Germanos defecit, id est, ad annum 811. Primo enim adhuc singulae gentes legibus suis propriis vtebantur. Id quod vel inde patet, quod multo post ad legem Baiuariorum ipse prouocat Henricus II. rex: Adelbold. *Vit. S. Henrici, cap.* 10. apud Leibnit. *Scriptor. rer. Brunsuic. Tom. I. pag.* 423. quodque idem imperator, eiusque successor Conradus Salicus, Saxonum leges confirmasse dicuntur: Ditm. Merseb. *Lib. V. pag.* 386. *edit. Leibnit.* Wippo *in vita Conradi*, *pag.* 430. quin et lex Alamannica

pro

pro norma fuit Conrado I. regi Germ. in ferenda anno 914. sententia. Ekkehard. *de casib. monaster. S. Galli*, *cap.* 1. vt taceam, manumissionem per iactum denarii secundum legem Salicam factam esse sub Zuenteboldo, Lotharingiae rege, cuius charta ea de re exstat apud Buchel. *ad Hedam de episc. Vltraiect. pag.* 70.

§. XXXXII.

Deinde maximae auctoritatis hoc temporis interuallo erant CAPITVLARIA Caroli M. et Ludouici Pii, quod solide demonstrauit Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 17. *pag.* 94. *sequ.* Ad ea enim prouocant patres concilii Moguntini anno 852. *cap.* 16. itemque synodi Coloniensis sub Carolo Crasso habitae *cap.* 3. concilii Moguntini anno 888. *cap.* 21. *et* 23. indicio satis luculento, toto illo tempore sancta adhuc Germanis fuisse illa regum Francorum capitularia *. **Nec non capitularia regum.**

* Patres enim concilii Moguntini anno 852. vrgent, *pauperes liberos non esse saepius banniendos ad placita, nisi sicut in* DOMINICO CAPITVLARI, *olim facto praecipitatur*. Non ergo solum citant CAPITVLARIA, tamquam leges quasdam veteres, sed et eas non obseruari, et pauperes contra illas leges publicas opprimi, conqueruntur. Quo vero, quaeso, colore id fecissent, si eorum capitularium, tamquam legum obsoletarum nulla superfuisset auctoritas?

§. XXXXIII.

Praeterea nullum est dubium, quin nouas subinde leges tulerint Ludouicus Germanicus, eiusque posteri: quamuis eae, quas edidit Goldastus *Tom. I. Constit. imp. pag.* 274. non ex chartis authenticis, sed ex Auentini Annalibus, legibusque Langobardicis, desumtae videantur. Omnium celeberrima tamen est constitutio *de expeditione Romana*, CAROLO Crasso vulgo tributa, a multis reiecta, criticisque stricturis confossa. Sed quum, qui plurimum illi constitutioni tribuunt, eam non a Carolo Crasso, sed Conrado Salico, profectam existiment *, non est sane, quod hic illi immoremur. **Et si quas alias nouas leges tulerunt Caroli successores.**

* Videnda, quae de ea disputarunt Marq. Freherus, Rittershusius, Schurzfleischius, Io. Petr. de Ludewig, Gebauerus, nec non etiam olim Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 17. *pag.* 89. Retulit mihi nuper amicissimus, et discipulorum meorum optimus, Io. Guil. Hofmannus, in manus suas incidisse ipsam chartam authenticam, quam olim cum Rittershusio communicauit Marcus Vellerus, et se illius ope plura, quae editores praeteruiderint, quaeque ad constitutionis istius veram aetatem atque originem pertineant, obseruasse, adfirmauit, quae se vna cum aliis obseruationibus suis editurum promittebat. Sed eheu vitae breuitas vetuit ingenii paene stupendi virum spes inchoare longas. Euanuit illa spes, Hofmanno meo sub finem superioris anni properantibus satis extincto.

§. XXXXIIII.

Quaeri posset, an non et iuri Romano in Germania tum locus fuerit? Responsum cape. Quum Franci iis tantum iuris Romani vsum concederent, qui illi iam antea adsueuerant (§. 18.): toto hoc tempore in Gallia non exoleuisse iuris Rom. vsum, satis adparet ex Hincmar. *Opusc. XVI.* 5. *Tom. II. pag.* 225. *Opusc. LV. Tom. II. pag.* **An et iuris Romani aliquis vsus fuerit?**

pag. 440. 509. 587. 739. vt iam non dicamus de conciliis Gallicanis et Iuonis Carnutensis Decreto ; in quibus ad leges Romanas, etiam Iustinianeas, et e *Pandectis* depromtas, saepissime prouocatur. Add. Strauch. *Amoen. iur. can. Ecl. II. cap.* 7. *pag.* 33. Id vero de Germanis dici non potest, quippe quos numquam Romani in prouinciae formam ita redegerant, vt stabile ibi esset eorum imperium. Hinc consequens est, vt iuris Romani vsum nec desiderarint vmquam, nec habuerint. Interim quum Capitularia apud eos maximae fuisse auctoritatis, fassi simus (§. 42.), in iis vero paucula ex iure Romano deprompta sint *: eatenus dici potest, aliqua ex eo iure profecta tum quoque in Germania locum habuisse.

* In ipsis Ludouici Pii *Capitularibus addit. IIII.* §. 102. ius Romanum vocatur *omnium humanarum mater legum*, adeoque non mirum est, quaedam ex illo in vsus suos conuertisse Francorum reges. Pauca tamen illa esse, et vix alicuius momenti, ipsorum Capitularium lectio vnumquemque conuincet, vt paullo latius scripsisse videatur Burc. Gotth. Struuius *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 11. *pag.* 435. *fontes horum capitularium ipsas fuisse leges Romanas, ex eo potissimum patet, quod lex Romana omnium humanarum legum mater dicatur*. Neque enim id elogium nos conuincit, omnia vel pleraque ex iure Romano depromsisse Francorum reges.

§. XXXXV.

Sub Saxonicis impp. legibus patriis adhuc vixerunt gentes Germanicae.

Eadem omnia ab exstincta apud Germanos stirpe Carolingica, vsque ad Saxonicae familiae interitum, obtinuisse videntur. Nam tunc quoque singulos Germaniae populos veteres suas leges, quas reges Francici scriptas promulgarant, sequutos esse, ex iis, quae supra (§. 41.) obseruauimus, et obseruabimus paullo post, colligitur *: idque innuere videtur Wittich. *Annal. Lib. II. pag.* 21. *seq.* dum *leges diuinas et humanas auctorali vigore* Ottonis M. *polluisse*, et *coniuratos secundum leges meritas luisse poenas* scribit. Vid. Hert. *de consult. legib. et iudic. in spec. Rom. Germ. imp. rebus publicis* § 12. *pag.* 419. Accedit, quod ad LEGEM SAXONICAM in chartis suis se referunt anno 952. Otto M. apud Stangefol. *Annal. VVestph. Lib. II. pag.* 185. multoque post anno 997. Otto III. apud eumdem *pag.* 203.

* Idem et inde patet, quod legem Salicam, Langobardicamque suis additionibus auxerunt Otto I. et Henricus II. impp. quas edidit ex vetusto codice Io. Ge. Eccardus *ad leg. Salic. pag.* 198. *sequ.* Quin in his ipsis additionibus Otto I. imp. anno 952. se refert ad *capitularium praecedentium regum instituta*, in comitiis Francofurtanis *coram posita*. Vid. Eccard. *ibid. pag.* 198.

§. XXXXVI.

Lex Sax. tamen aucta ab Haraldo rege Daniae.

Quod tamen ad LEGEM SAXONICAM et FRISICAM * attinet, eam Ottonis II. temporibus non parum vel immutauerat, vel auxerat HARALDVS, rex Daniae, qui tum transalbinas proximasque regiones inuaserat, et tum his, tum Fresonum genti leges et iura constituere coeperat. Referunt hoc Adam. Brem. *Histor. Lib. II. cap.* 19. Helmold. *Chron. Slau. Lib. I. cap.* 15. qui addunt, gentes istas leges Haral-

raldinas *pro tanti auctoritate viri adhuc hodie seruare contendere*. Sed harum additionum hodie nihil exstat.

* Sane et Frisonibus leges datas esse ab Haraldo, refert Alb. Stadens. *ad ann.* 984. Sed id intelligendum videtur de Frisiis vel Fresonibus transalbinis, qui et hodie Chersonesi Cimbricae littora adcolunt. Ad reliquos enim Frisios eius pertigisse imperium, nemo veterum obseruauit. Immo ne Pontanus quidem in *Histor. Dan. Lib. V. pag.* 196. vbi locum Alberti Stadensis adducit, quidquam de eius imperio in Frisios dixit.

§. XXXXVII.

Quid? quod ne CAPITVLARIVM quidem vsus circa haec tempora exoleuisse in Germania videatur. Auctorem enim habemus Continuatorem Reginon. *ad annum* 952. *constitutum esse in Francofurth a rege gloriosissimo, Ottone, anno illius XV. consentientibus episcopis, comitibus, aliisque fidelibus compluribus, canonum sanctorumque patrum auctoritate, nec non CAPITVLARIVM, praecedentium institutis coram positis* *. His ipsis tamen temporibus paullatim ab vsu recessisse illa regum Francorum capitularia, suspicatur Baluz. *in proleg.* §. 1.

Capitularium etiam vsus aliquis.

* Eadem verba in ipsis illis editionibus legis Salicae, a Io. G. Eccardo *pag.* 198. editis repetuntur, vt adeo illas tum in manu illius Continuatoris fuisse verosimile fit. Quod insigne est *γνωρίσματος* harum additionum argumentum.

§. XXXXVIII.

Accesserunt et hoc temporis interuallo variae leges nouae, a regibus et imperatoribus, vel missis in suffragia ordinibus, vel commissis campionibus, quos vocabant; latae. Ita sane in comitiis Stelensibus Otto M. interpretatione authentica decidit quaestionem iuris Germanici, *num nepotes cum filiis ad hereditatem simul admittendi sint, necne* *? Rem enim Otto M. inter gladiatores discerni iussit, vicitque pars, quae filios filiorum computabat inter filios, & hinc lege perpetua firmatum, vt aequaliter cum patruis vel auunculis hereditatem diuiderent. Wittich. Saxo *Annal Lib. II. pag.* 644. Sigeb. Gemblac. ad annum 942. Plures alias Ottonum leges collegit Goldast *Constit. imp. Tomo vno pag.* 215. *sequ. pag.* 225. *sequ. Tom. III. pag.* 303. *seq. et pag.* 309. *sequ.*

Leges nouae sub Ottonibus latae.

* Quum de iure repraesentationis nepotibus concedendo tum ambigerent Romani; eo minus mirandum, Saxones illud numquam concedere voluisse fratrum sororumue liberis, quo sibi ius patrium reseruasse, quum in comitiis aliud lege publica statueretur. Qua de re alibi. Iam id obseruo, in Geldria id ius repraesentationis anno demum 1560. inuectum esse, Pontan. *Histor. Geldr. Lib. XIIII. pag.* 882.

§. XXXXVIIII.

Iuris Romani hoc saeculo in Germania nec vola, nec vestigium adparet: quamuis eo subinde vterentur reges et imperatores, si quando Italis, et maxime Langobardis, leges praescriberent. Exstat sane in *leg. Langobr. Lib. II. tit.* 47. §. 11. Henrici imp. constitutio, de iureiurando calumniae clericis remittendo, in qua constitutio D. Mar-

An et iuris Romani vsus?

ci, (vel Marciani potius, *l.* 25. *C. de episc.*) Iustiniani sanctio, et legis periti, ab imperatore in consilium adhibiti, memorantur.

§. L.

Origo iuris canonici in Germania.

At certius est, his temporibus paullatim iuris canonici auctoritatem permagnam esse coepisse in Germania. Quemadmodum enim paullo ante haec tempora circa annum 906. Regino Prumiensis in regno Lotharingico iussu Ratbodi, archiep. Treuerensis, *de disciplina ecclesiastica libros II.* ex canonibus antiquis decretisque pontificum compilauerat, quos post Ioach. Hildebrandum, Helmstadiensem, iterum edidit Steph. Baluzius 1671. ita paullo post sub initium saeculi XI. scripto *magno canonum volumine* ex iisdem, ac inquinatioribus aliquanto fontibus, ius ecclesiasticum deriuauit BVRCHARDVS, Wormatiensis episcopus. Sigeb. Gembl. *de script. eccles. cap.* 141. *seqq.* et in *Chron. ad annum* 1008. Chron. Wormat. *cap.* 13. apud Io. Petr. de Ludewig *Reliqu. MSSC. Tom. II. pag.* 55. Produt hoc opus *Col. anno* 1548. *et Paris.* 1550. *fol.* tantamque sensim auctoritatem obtinuit, vt non modo Sigeb. Gemblac. *d. cap.* 141. *ex eo adhuc* suo tempore *omnium conciliorum decreta auctorizari*, scribat, sed et apud vulgus canonistarum multo post mos inualuerit, vt regulas iuris, omni exceptione maiores, et vsu fori probatas, BROCARDICA, quasi *Burchardica* adpellarent *.

* Talia *Brocardica* primus scripsit DAMASVS, vetus iuris canonici doctor, quae deinde recognita, et ex MSTIS exemplar bis edita sunt *Colon.* 1564. Ex praefatione haec decerpsit Strauch. *Amoenit. iur. can. ecl. VI. cap.* 6. *pag.* 112. *BVRCHARDICA inscribuntur, a Burchardo, episcopo Wormatiensi, qui primus ea tempestate coepit ius pontificium ad generales quasdam theses reuocare, Ex Gallis atque Italis plerique, originationem verbi ignorantes, corrupte Brocardum et Brocardicum adpellunt.* Nescio ergo, quid sibi velit Alciat. *ad l.* 90. *D. de verb. oblig.* scribens, BROCARDICA dici *materiam, quae sit contrariarum opinionum rationibus inuoluta.*

§. LI.

Sub imperatoribus Franconicis leges patriae in vsu.

Superest, vt qualis ab Henrici II. regis ac imp. obitu ad Lotharium Saxonem vsque iuris Romani fuerit facies paucis ostendamus. Leges patrias SAXONVM, ALAMANNORVM, BAIVVARIORVM, etiam sub his constanter viguisse, dubio videtur carere. Leges enim SAXONVM firmasse Conradum Salicum, supra (§. 41.) ex Wippone ostendimus. Ad legem etiam SALICAM in regno Burgundico anno 1009. viuere se profitetur Otho comes, Arduini, regis Italiae filius, apud Guichenon. *Biblioth. Sebus. Cent. II. n.* 3. *pag.* 188. Vt iam non dicam Guilielmum marchionem in alia charta anno 1136. profiteri, se viuere lege Salica, quemadmodum eius coniux, Iulita, Leopoldi Austriaci filia, se *lege Alemannorum* viuere ait. Ibid. *Cent. I. n.* 99. *pag.* 170. Quare charta, quamuis ad Burgundiam pertineat, satis tamen euincit, illo tempore Austriam *legem Alemannicam* coluisse, et Iulitam more illorum temporum, nuptam quoque retinuisse *.

* Aliquando tamen feminae nuptae se legibus, quibus mariti viuebant, vltro subiicere non dubitabant. Mathildis dux, initio viuebat lege Langobardica,

at

at in gratiam mariti, Gotfridi Lotharingici, tranfierat ad legem Salicam, vid. Franc. Mar. Florentin. *Memor. Math. l.l. Lib. III. pag.* 105. vbi in diplomate Lucenfi Epifcopo dato ita loquitur: *quia ego, qui fupra* MATILDA, *marchioniffa, profeffa fum ex natione mea* LEGEM *viuere videor* LANGOBARDORVM: *fed nunc modo pro parte fuprafcripti Gotifridi, qui fuit viro meo,* LEGEM *viuere videor* SALICAM.

§. LII.

Multae etiam leges nouae conditae a Conrado Salico.

Quemadmodum vero hoc temporis interuallo nulla amplius fit mentio Capitularium regum Francorum: ita tanto frequentius nouas leges tulerunt imperatores et reges. De Conrado fane II. Martinus Polonus *in Chronico, cap.* 94. *hic*, inquit, *multas leges condidit.* Et exftant quaedam eius conftitutiones non modo in *leg. Langob. Lib. III. tit.* 8. §. 4. fed et *II. F.* 9. §. *vlt. et II. F.* 34. *et.* 40. (quamuis eae ad Italiae regnum potius, quam ad Germaniam, pertinere videantur), et apud Goldaft. *Conftit. imp. Tom. III. pag.* 312. Eidem celeberrimam conftitutionem de expeditione Romana vindicant Schilterus, *ad Ius Feud. Alam. VIII.* 11. Schurzfleifchius *Diff. de Conrado imp. Aug. eiufque dipl. quod de exped. Rom. infcribitur, VVittenb.* 1702. et nouiffime Ge. Chrift. Gebauerus *in Adpend. ad Schilt. Inft. iur. feud. Lipf.* 1728. 8. Attamen ne fic quidem fufpicione omni carere videtur conftitutio illa, quae tot aliorum virorum doctorum cenfuras, ex quo lucem vidit, experta eft *. Editiones eius recenfet Gebauer. *in Praef. pag.* 196. *feqq.*

* Quum enim omnes, qui illam adhuc vindicare Conrado II. conati funt, fateantur eam folius Velferianae membranae fide niti, in hac autem initium et finem a mala manu effe: ecquis fide fua nos iubebit credere, reliqua omnia integra, ac fincera effe? Qui nobis titulo et fubfcriptione illufit, an eum in reliquis bona fide agere voluiffe credibile eft?

§. LIII.

Eiufque fucceffori-bus.

Sic et Henrici III. conftitutionem de veneficiis protulit Goldaftus *Conft. imp. Tom. III. pag.* 312. qui *ibidem et Tomo vnico pag.* 252. etiam Henrici IIII. et V. quafdam edidit. Sed quum non vbique fatis *ἀκριβῶς* genuina a falfis diftinxerit vir ceteroquin diligentiffimus *: de his fimilibufque iuris prudentiae publicae priuataeque monimentis, quae ex Goldafti fcriniis prodierunt, paullo amplius videtur deliberandum.

* Diffimulare id non potuit eius encomiaftes Io. Chrift. Senckenberg. *in Vita Goldafti, eius fcriptoribus rerum Alam. praemiffa*, §. 40. vbi: *iufte confidentior*, inquit, *nofter erat, fi quid verofimile babebat, fua aliis pro veritatibus, immo pro antiquorum fententiis obtrudens. Scatent id genus rebus fcripta eius, nec folus ei Gretferus id obiecit.* —— *Sane nonnullos id ei exprobrantes apud* Io. Alb. Fabric. *Bibliotb. pag.* 252. *videas: id ipfum legas in τῷ* Contingii *de orig. iur. Germ. cap.* 18. *pag.* 99. *et faepius: nec non in* Wendelini *legibus Salicis, inter Opufcula Chiffletiana, pag.* 61. *et alibi.* Hactenus Senkenbergius.

§. LIIII.

An et iuris Romani aliquis vfus?

Iuris Romani ne hoc quidem tempore vllam inter Germanos mentionem fieri animaduertimus, quamuis eius veftigia nobis videamur anxie

anxie quaesiuisse. Video quidem, in ferali illo certamine, quod inter Gregorium P. P. VII. et Henricum IIII. intercessit, aliquando ad ius Romanum esse prouocatum, sed ab Italo, Venerico nimirum Vercellensi, in libro *de vnitate Eccles. conseru. pag. 16. edit. Schardii:* at in Germanorum scriptis, inter quae Leodiensium *Epistolam apologeticam*, Walrami, Numburgensis episcopi, *librum de inuestitura*, aliaque eorum temporum opuscula a Goldasto in *Apol. pro Henrico IIII.* edita euolui, tale quid reperire me nondum potuisse, fateor.

C A P V T III.

DE STATV IVRIS GERMANICI A LOTHARIO IMP. AD TEMPORA, QVIBVS IN GERMANIA ACADEMIAE INSTITVTAE.

§. LV.

A Lotharii III. imp. temporibus magna iuris in Germania commutatio facta est.

QVamuis fabulam, quae circumfertur de iure Romano, iussu Lotharii III. imp. in foris et academiis recepto *, adeo profligarit Herm. Conringius *de orig. iur. German. cap. 21. sequ.* vt verbum addere pigeat: verissimum tamen est, ex eo tempore aliam paullatim factam esse iuris Germanici faciem, et ius Romanum, quod in vniuersa paene Europa adeo inualuerat, vt miraretur orbis, se tam cito factum esse Romanum, etiam in Germania lacertos mouere coepisse.

* Semper enim et ante Lotharium vsum aliquem iuris Romani superfuisse in Italia, pluribus potest testimoniis demonstrari. Nos vnico rem conficiemus. Imperio Lotharius potitus est anno 1125. mense Septembre eius anni coronatus a Fridrico, archiep. Coloniensi. Alberic. *in Chron. ad annum* 1125. res vero Italicas demum ab anno 1132. constituere coepit, *Chron. Bigaun. ad ann.* 1133. Codex porro Pandectarum Amalphi repertus fertur anno 1137. Iam vero anno 1058. Vmbertus, comes Sabaudiae, apud Vghell. *Ital. sacr. Tom. IIII. pag.* 1458. *viuere se* profitetur LEGE ROMANA.

§. LVI.

Ab eo tempore in vniuersam fere Europam cultiorem ius Rom. penetrauit.

Quum enim ab eo tempore, vt supra ostendimus, iuris Iustinianei studium Bononiae quam maxime ferueret *, et ex vniuerso cultiore orbe iuuenes, tamquam ad mercatum sapientiae ciuilis, eo confluerent: reduces in suam quisque patriam, et summis in toga dignitatibus aucti, tantum iuri Romano auctoritatis conciliarunt, vt illo passim tamquam subsidiario vterentur, ipsaque instrumenta sua ad eius iuris regulas anxia diligentia componerent.

* Obseruauit hoc Conradus, abbas Vrspergensis, *in Chron. pag.* 291. *eisdem*, inquiens, *temporibus dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in iis studuerat, ad petitionem Mathildae, comitissae,*

tiſae, *renouauit*. Si ergo non priuata, ſed publica auctoritate ius profeſſus eſt Irnerius, id ſaltim non iuſſu Lotharii, ſed Mathildae auſpiciis factum eſt. Atqui Mathilda iam anno 1115. deceſſerat, decem annos ante, quam ad imperium adſpiraſſet Lotharius. Ergo prius floruit Bononiae iuris prudentiae Rom. ſtudium, quam Lotharius imperauit.

§. LVII.

Sane Seldenus *in Diſſ. ad Flet. cap.* 7. §. 11. *ſequ.* praeclare oſtendit, eodem tempore, quo Bononiae refloreſcere coeperint ſtudia iuris, non modo *Codicem Theodoſianum*, ſed mutilum, vna cum *Nouellis* Theodoſii, Caii *Inſtitutionibus*, et Paulli *Sententiis* in Anglia edidiſſe Guilielmum Malmesburienſem: ſed et non multo poſt regnante Stephano, Theobaldum, primatem, *Iuſtinianeum corpus* eo tranſuehendum curaſſe. Ioan. Sarisber. *in Policrat. Lib. VIII. cap.* 22. Id deinde publice ibi cum applauſu expoſuit Rogerius Vacarius, gente Langobardus, coaeuus Irnerio, Martino, Bulgaro, ICtis, et poſtea abbas Beccenſis, ſed edicto demum regio Stephani, teſte eodem Io. Sarisber. et Rog. Baconio, prohibitus. Nihilominus tamen *Deo faciente*, vt Sarisberienſis verbis vtamur, *eo magis virtus legis inualuit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare* *. Veluti in Angliam.

* A Stephani regis temporibus, qui anno 1154. deceſſit, diutiſſime iuris Romani vſum in Anglia viguiſſe, et ſub Eduardi demum III. regis initia, id eſt, circa annum 1327. euanuiſſe, toto *capite* 8. *Diſſertationis ad Fletam* ſolide demonſtrat Seldenus, *pag.* 1093. *Vol. II. Oper.* vt dici poſſit, prius, quam pleraique alias gentes Europaeas, et recepiſſe ius Romanum Anglos, et eidem nuncium miſiſſe.

§. LVIII.

Paullo poſt et in Galliam penetrauit Romana iuris prudentia. PLACENTINVM enim in Monte Peſſulano ius docuiſſe, teſtis eſt Pancirol. *de clar. leg. interpr. Lib. II. cap.* 20. Et hinc iam a ſaeculo duodecimo haud pauca, in Aquitania, ſaltim et Narbonenſi prouincia, exſtant iuris Romani veſtigia, quae adcurate ſuo more conſectatus eſt vir doctiſſimus, M. Ant. Dominicus *de praerog. allod. cap.* 20. §. 1. Circa ea ſane tempora Petrus, comes Melgorienſis, in charta profitetur: *ſi quis autem heredum aut ſucceſſorum meorum contra hanc donationis et confirmationis auctoritatem inſurgere praeſumtuoſe, et obuiare, quod abſit, attentauerit, non valeat vindicare, quod iniuſte repetit, ac perſoluat mulctam, quam SANCTA LEX ROMANA per Theodoſium, Arcadium et Honorium promulgata decreuit.* Vbi donatorem in animo habuiſſe *l.* 34. *C. Th. de epiſcop. et cler.* res ipſa docet. Et apud Guil. Briton. *Philippid. II. v.* 45. *ſequ.* anno 1184. ita inter ſe, allegatis iuris Romani rationibus, contendunt Philippus rex Franciae et Flandriae Comes *, vt ad *v.* 55. notet Barthius *pag.* 91. *vides iuris ciuilis non ignaros, quod tum per ſcholas iam regnabat.* In Galliam.

* Sunt ſane memorabilia haec vtriuſque argumenta, quae, quia Guillermus ille non eſt in omnium manibus, paucis excerpere iuuabit. Comes primo vrget, patrem ſibi caſtra donaſſe, quae iam rex repetat, atque inde colligit,

ligit, se in iis ius in re consequutum. Hinc v. 40.

His veris titulis mihi ius adquiritur in re,
Quam repetis.

Deinde addit, se possessorem ne edere quidem titulum teneri, tamdiu rem habiturum, quamdiu rex illam suam esse, nondum probauerit. §. 4. *Inst. de interd.* Eo pertinent v. 45. *sequ.*

Esto, quod nullum ius sit mihi rebus in istis,
Vt loquar absque meae praeiudicio rationis;
POSSIDEO *tamen haec per teque tuumque parentem,*
Iusque mihi defendit in his possessio sola.
Nam possessorem compelli dicere, quo rem
Possideat titulo, nimis inciuile videtur.

Praeterea se iam res illas vsucepisse, contendit v. 52. *seqq.*

Quum res a dominis licite data sit mihi veris.
Sic BONA *nempe* FIDES, *TITVLVS sic* IVSTVS *ab omni*
Excusat culpa nostri fundamina iuris.

Denique nec id omittit, neminem sine facto et culpa sua dominium amittere debere, v. 55. *sequ.*

Nec tibi ius nescire licet, quo nemo sibi rem,
Iuste collatam, sine culpa amittere debet.

Sic et rex comiti ex iure Romano obuertit exceptiones varias, e. g. possidere comitem precario; v. 60. *sequ.* se quidem illi diploma dedisse, sed adhuc minorennem: v. 63. *sequ.* Quin enarrata postea ipsius comitis, rem donatam donatario propter donatoris minorennitatem abiudicantis, sententia, ad partes vocat edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM, v. 78. *sequ.*

Vis aliis aliud, aliud tibi dicere iuris?
Absit: quam tuleris, legem patiaris, oportet.

Quis sibi audire videatur regem et comitem, ac non potius binos caussidicos, ex iure Romano inter se disceptantes? Ad idem edictum triennio ante prouocare videmus. Matth. Paris. *ad ann.* 1181. *Quod quisque iuris in alterum statuerit, vti debet eodem.* Adeo iam eo tempore aulae curiaeque personabant huius modi iuris ciuilis Romani regulis.

§. LVIIII.

In Burgundiam et Hispaniam.

Ex Gallia facile id ius in Burgundiam, iuris Germanici regnum, penetrauit: Id quod maxime patet ex Guichenonii *Bibliotheca Sebusiana*, in qua iam hoc saeculo occurrunt diplomata, iuris ciuilis Iustiniani gemmulis distincta. Quale est illud *Cent. I. num.* 81. Fridrici I. imp. anno 1157. conscriptum, in quo mentio fit *meri et mixti imperii, conditorum testamentorum, heredum institutorum, dotis constitutae, legati facti*, et similium, quae ex iure Romano esse, nemo non videt. Quin et Hispanis eodem tempore innotuisse videntur leges Romanae *, quippe saeculo insequente XIII. iis tam familiares, vt Alphonsus X. Castillae rex, conficiens legum corpus, quod PARTITAS Hispani vocant, permulta ex iure Romano desumserit. Vid. Art. Duckius *de vsu & auctor. iur. Rom. Lib. II. cap.* 7.

* Immo multo prius ipso saeculo XI. si fides Hispanis scriptoribus. Nam de Sanctio IIII. Arragonensium rege, qui Ramiro I. anno 1067. successit, scribit Mariana *de reb. Hisp. Lib. VIIII. cap. 7. Sanctium, Romani successorem, memorant Gothicas leges abrogasse, Barcinonis exemplo scilicet: sanxisse* CAESAREAS, *et secundum eas populis iura dari.* Add. Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 5.

§. LX.

Cur et Germanis adriserit?

Non mirum ergo, si sensim etiam in Germaniam nostram viam sibi muniuit ius Romanum, tanto vbique plausu receptum. Nam et in

in ea legum Doctores et iuris periti ad summas in ecclesia, aulis, et foris dignitates adspirabant, et imperatores ac regea ipsi, a pontificibus Romanis exagitati, fauebant ICtis, in quibus sibi haud parum praesidii positum existimabant aduersus pontificum iniurias, et ipsa denique consilia pontificum Rom. ius canonicum obtrudendum regnis ac rebus publicis Christianis, non felicius turbari posse videbantur, quam si iura Romana ciuilia in foris ac gymnasiis dominarentur *.

* Quanti tum fieri coeperint iuris periti, vel inde patet, quod in Henrici VI. imp. laudibus poneretur, *quod fuerit dotibus insignitus scientiae liberalis, ter si tibus eloquentiae redimitur, et ciuilis iis apostolicis institutis, et legibus imperatoriae maiestatis*, Alberic. Monach. *in Chron. ad annum* 1187. quodque Bertholdo anno 1179. ad archiepiscopatum Bremensem euecto, praecipue profuerit *decretorum legumque peritia*: Anon. *Histor. episc. Brem. pag.* 94. Fridericum porro imp. sibi quam maxime conciliare studuisse ICtos, satis patet ex illius imp. oratione apud Radeuic. *in Vita Friderici I. II*, 3. et ex iis, quae de dominio mundi cum Bulgaro et Martino colloquutus est apud Ottonem et Acerbum Moren. *de reb. Laudens. ad annum* 1158. apud Leibnit. *Script. rer. Brunsuic. Tom. I. pag.* 818. vbi etiam in iura regalia imperatorem per magistros Bononienses et iudices vniuersitatum Lombardiae ciuitatum inquisiuisse, legimus.

§. LXI.

Glifcente enim iuris Romani vsu, DECRETVM, seu CONCORDIAM DISCORDANTIVM CANONVM, circa annum 1152. ex Dionysio Exiguo, Isidoro, Iuone, Burchardo, aliisque canonum collectoribus, compilauit GRATIANVS, patria Clusinus, non Romanae ecclesiae cardinalis, quod visum Alberico monacho *in Chron. ad annum* 1146. sed monachus Benedictinus Classensis, qui, vt eo commodius hunc laborem exantlaret, Bononiam in monasterium S. Felicis secesserat *. Chiflet. *Diss. apolog. cap.* 5. §. 4. Panclrol. *de clar. leg. interpr. Lib. III. cap.* 2. Ger. Mastricht *Hist. iur. eccles. n.* 318. *sequ.* Huic Canonum corpori accessere variae additiones, quae PALAE canonistis vocantur, quas diuersis temporibus primum exemplarium adscriptas marginibus, postea in ipsum textum migrasse, codicum MSC. fide probarunt Pithoei fratres *in praefatione editioni suae praemissa*. — *Decreti origo.*

* Ibi et mortuus dicitur. Exstat sane ibi ad facellum S. Sebastiani monimentum, cum ab aliis, tum a Val. Forstero *in Hist. iur. ciu. Lib. III. cap.* 7. editum, recentius illud quidem, et a Io. Franc. Aldobrando anno 1468. positum, sed ideo non contemnendum, quod ex vetere carie ruderibusque obruto descriptum sit. In eo dicitur *Clusinus, Caesarei iuris et pontificii enucleator prote dinentis, monachus in martyrum Felicis et Naboris aede, vbi absolutissimum opus decretorum anno gratiae* 1151. *compilarit*.

§. LXII.

Quamuis vero priuatum hoc monachi opus non eo iudicio ac cura confectum sit, vt nomen *concordiae discordantium canonum* sine rubore sustineat, Ziegl. *Diss. praelim. ad Lancell.* §. 38. nec, a pontifice aliquo vmquam iuris robur acceperit: nihil tamen reliqui fecerunt pontifices, vt illud gentibus omnibus obtruderent, licet irrito aliquam- — *Illud et Germanis, et aliis gentibus obtrudere volebant pontifices.*

quamdiu conatu, quum tot experimentis moniti reges et principes non possent non subolfacere, quid ea legislatione adfectet aula Romana *. Maluerunt ergo iuris Iustinianei studia euehere, quam collum submittere iugo illi pontificis Romani durissimo. Selden. *in Diss. ad Fletam cap. 6.* §. 5. *pag.* 1078.

* Probauit hoc laudatus Seldenus insigni loco Orderici Vitalis *Hist. eccles. Lib. XIII. pag.* 919. qui verba faciens de concilio generali ab Innocentio II. Papa anno 1139. Romae habito, illisque qui illuc confluxerant: *multa eis*, inquit, *Papa de priscis codicibus propalauit, insignemque SACRORVM DECRETORVM TEXTVM congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia terrigenarum, corda contra ecclesiastica scita obdurauit. Vnde remeantibus ad sua magistris apostolica decreta passim per regna diuulgata sunt. Sed nihil, vt manifesto patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt, quoniam a PRINCIPIBVS et OPTIMATIBVS REGNORVM cum subiectis plebibus parui pensa sunt.* Quum vero eo tempore in lucem nondum prodiisset Decretum Gratiani: intelligenda est alia Decretorum collectio, ipsius Innocentii Papae II. iussu confecta, nisi cum Bellarmino suspicari malis, Gratianum iam ab anno 1127. in adornando eo opere desudasse. Potuit ergo Innocentius hoc ipsum opus, licet nondum suis numeris absolutum, concilii patribus commendasse.

§. LXIII.

Hinc iuri Romano pretium statutum.

Inde factum, vt iam saeculo XII. multoque magis insequente in Germania passim prouocetur ad ius ciuile Iustinianeum, quamuis, quum in episcoporum curiis et Decreto aliquis locus esset, simul ius canonicum non exiguo vsus haberetur. Collegerunt ex variis diplomatibus et scriptoribus rerum Germanicarum eius modi formulas, Hertius *de consult. leg. et iudic.* §. 14. Boehmerus *in iur. eccles. Protest. Lib. I. tit.* 2. §. 48. Struu. *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 39. *pag.* 529. *seqq.* ex quibus patet, Germanos a saec. XII. actus suos ciuiles ad vtriusque iuris normam componere coepisse. Quum vero et nobis, quantum per negotia licuit, inquirentibus talia quaedam in manus inciderint: ea cum reliquis secundum temporis seriem disponere non pigebit, ita tamen, vt et Burgundici regni, quod tum Germanico vnitum erat, simul habeamus rationem.

§. LXIIII.

Probatur id de saeculo XII.

Ex saeculo XII. non nisi pauca adferre licet, sed insignia. Anno enim 1150. apud Guichenon. *Bibl. Sebus. Cent.* II. 54. contrahentes renunciant *exceptioni non numeratae pecuniae, et non habitae, et omni LEGVM et CANONVM auxilio, super hoc competenti, vel competituro.* Paullo post, anno 1157. in diplomate Fridrici I. imp. mentionem fieri *meri et mixti imperii, conditi testamenti, heredis instituti, facti legati*, iam supra (§. 59.) ex eiusdem Guichenonii *Bibliotheca Sebusiana Cent.* I. 81. ostendimus. Anno 1179. in dissidio Volcmari et Rudolphi, diuisis suffragiis ad archiepiscopatum Treuerensem euectorum, Volcmarus *sequebatur curiam Romanam, pro eoque esse videbatur iustitia CANONVM, quum LEGISTAE pro parte Rudolphi legum iura stare*, contenderent. Arnold. Lubec. *Chron. Slau. Lib. III. cap.* 10. Anno 1179. Bertholdum, archiep. Bremensem, ac de-

mum

mum anno 1185. Henricum VI. imp. a decretorum legumque peritia commendatos esse, iam supra (§. 60. *) monuimus *.

* Addi potest testamentum vel instrumentum comitis Hombourgensis Mathildis, scriptum anno 1175. in quo monasterio Salinallensi *palam, publice et expresse, pure et libere, et simpliciter donatione pura, mera, valida, et irreuocabili, quae dicitur* INTER VIVOS *pagum nomine Bourmont*. Addit sub finem, se adhibuisse *notarium publicum et testes ad praemissa vocatos specialiter atque rogatos*. Calmet *Probat. hist. eccles. Lotharing. Tom. II. pag.* 409. Quae omnia iuris Romani cautiones sapere, nemo negauerit.

§. LXV.

Itemque de saeculi XIII. initio.

Insequens vero saeculum XIII. huius modi testimoniorum insignem dat prouentum. Anno enim 1209. capitulum Lugdunense ab ecclesia Cluniacensi sibi stipulatur seruitutem non altius tollendi, Guichen. *Bibl. Sebus. Cent. II. num.* 15. Anno 1224. apud Schatenium *Annal. Paderborn. Lib. XIII.* occurrit sententia, quae plane hodiernum litigandi modum redolet *. Anno 1235. apud Guichen. *Cent. II. n. 96.* reperimus contractum venditionis, in quo praeter alia de pretio in rem verso reperimus formulam: *renunciantes certa scientia exceptioni minoris pretii, non numeratae pecuniae, et non habitae, et priuilegio fori, et exceptioni doli, et errori in factum, et omni auxilio* LEGVM *et* CANONVM, *et omni iuri scripto et non scripto*. Qualis renunciatio, *exceptionum doli, in factum, restitutionis in integrum*, etiam anno 1246. occurrit *Cent. II. n.* 98. quemadmodum anno 1244. apud eumdem *Cent. I. n.* 98. permutatio quaedam fit *de consilio* IVRIS PERITORVM, *et amicorum*. Et apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Part. I. pag.* 16. habetur eodem anno conditum testamentum Ioannae, comitis Flandriae et Hannoniae, in quo *clausula codicillaris, constitutio testamentariorum, testium subscriptio et subsignatio*.

* Sic et anno 1231. Henricus, comes Barrensis, in pactis dotalibus cum Margaretha Lucceburgica initis, quaedam *decernenda* esse monet *per duos* DOCTORES, nec ad sensum vtriusque partis ad hoc electos. Calmet. *Probat. hist. eccles. Lothar. Tom. II. pag.* 445.

§. LXVI.

Eiusque fine.

Talia vero et adultum iam saeculum XIII. ad finem eiusdem complura reliquit. In charta enim anni 1252. Rudolphus Landgrauius Alsatiae, apud Guillemann. *Habsburg. Lib. VI. cap.* 4. *renunciat omni iuris subsidio* CANONICI *et* CIVILIS, *consuetudinibus, constitutionibus editis et edendis*, et anno 1259. *donationis propter nuptias*, suaeque *ad euictionem obligationis* meminit in charta apud eumdem *Lib. VI. cap.* 2. Anno 1266. Simon, episcopus Paderb. apud Schaten. *Lib. XI. pag.* 112. prouocat ad *constitutiones* LEGALES *et* CANONICAS *, et anno insequente Rudolphus, comes Tubingensis, *renunciat omni iuri* CANONICO *seu* CIVILI, *in Monim. VVurtemb. de monast. Blaubeuren n.* 3. Similes renunciationes insertas reperimus anno 1276. diplomati ducum Slauorum et episcopi Camin. apud Rangon. *in Pomeran. dipl. pag.* 265. anno 1278. chartae Hermanni, comitis de Sulze, in *Monim.*

VVurtemb. Part. I. pag. 255. anno 1280. litteris Rudolphi, regis Rom. apud Gewold. *in Antith. ad Marqu. Freher. litt. B.* anno 1281. eiusdem diplomati apud Toelner. *in Cod. dipl. Pal. n.* 112. *pag.* 78. anno 1283. tabulis capituli Ratisponensis apud Hund. *Metrop. Salisburg. Tom. I. pag.* 178. anno 1290. et 1292. chartis, productis *in Deduct. Stolb. n.* 7. anno 1296. foederi inter Eduardum, regem Angliae, et Guidonem, Flandriae comitem, inito, apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Tom. I. pag.* 39. ** et denique anno 1298. chartae apud Io. Petr. de Ludewig, *Reliquiar. Tom. V. pag.* 445.

* Eodem anno Robertus, episcopus Verdunensis, apud Foppensium *in Supplem. Mir. pag.* 863. renunciat *privilegio clericatus et fori, consuetudini et statuto, beneficio restitutionis in integrum, et omnibus exceptionibus generalibus et specialibus.*

** Anno 1297. Fridricus, Lotharingiae dux, condidit testamentum plane ex iuris Romani formula, adeo vt ne septem quidem testium rogationem et sigilla omiserit. Exstat illud apud Calmet *Probat. hist. eccles. Lotharing. Tom. II. pag.* 546.

§. LXVII.

Iam ergo his saeculis ius Rom. cum canonico inualuit.

Et haec quidem testimonia, quorum multo plura, si otium esset, accumulare facile potuissemus, satis superque indicant, iam ab ipsis Lotharii temporibus vtrumque ius, canonicum et ciuile, etiam in Germaniam paullatim penetrasse, adeoque non parum falli, qui saeculo demum XV. illud in academias primum, ac postea in forum, irrupisse existimant cum doctissimo Conringio *de orig. iur. Germ. cap.* 32. Nec tenuia tum eius rei initia fuerunt, vt sibi persuadet vir doctissimus: sed certis argumentis constat, iam illis temporibus in ipso foro rationem vtriusque iuris esse habitam *.

* Ludewigius enim in *Programmate, von Verbesserung des Deutschen Leben-Rechts, pag.* 14. chartam edidit, ex qua adparet, comitem Schwartzburgicum, iudicem austregalem inter electorem Brandeburgicum et archiep. Magdeb. electum, auditis partibus, cognitaque causa, noluisse tamen sententiam ferre, nisi *aduocatis prius Romani iuris peritis.*

§. LXVIII.

Multoque magis saeculo XIIII.

Vnde non mirandum, maxima incrementa iuris studium saeculo XIIII. cepisse in vniuersa Germania. Tunc enim inter domesticos et palatinos Balduini, archiep. Treuerensis, quem anno 1308. electum constat, primo statim loco recensentur LEGISTAE et CANONISTAE. *Auct. gest. Balduini Lib. I. cap.* 12. Biennio ante mentio fit *actionum personalium, realium, et mixtarum* apud Leibnit. *Cod. iur. gent. Tom. I. pag.* 113. Anno 1333. celebratur Vdalricus de Augusta, imperatoris scriba secretus, homo in vtroque iure peritus. Trithem. *Chron. Hirsaug. ad ann.* 1333. Anno sequente chartae Humberti, Delphini Viennensis, subscribit Amblardus de Bellomonte, IVRIS CIVILIS PROFESSOR, protonotarius Delphinatus. Guichenon, *Biblioth. Sebus. Cent. II. n.* 8. In decreto Rensensi anno 1338 de iuribus electorum dicitur: *haec verissima esse, conuenit inter omnes annalium, rerum humanarum diuinarumque peritos, atque iam saepius*, VTRIVS-

QVE

QVE IVRIS, CAESAREI *atque* PONTIFICII, *caelestis thesauri testimoniis comprobatum est*. Goldast. *Tom. III. Const. imp. pag.* 409. Testamentum Henrici, ep. Lubec. anno 1340. plane ad iuris Rom. formulas conditum ex chartulario Lubecensi eruit Boehmer. *Iur. eccles. Lib. I. tit.* 2. §. 47. *pag.* 115. In charta de anno 1343. memorantur substitutio testamentaria, stipulatio sollemnis, donatio inter viuos, apud Guichen. *Biblioth. Sebus. Cent. II. n.* 22. *Emancipationis sollemnis* Philippi, ducis Burgundiae, exemplum est apud Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom. I. pag.* 221. In academia Viennensi anno 1365. fuere *professores iuris* CANONICI *et* CIVILIS. Lambec. *Bibl. Vindob. II.* 5. *pag.* 85. 164. *sequ.* Vt iam non accumulemus innumeras formulas, quibus iuris vtriusque beneficiis annis fere singulis huius saeculi nuncium miserunt Germani nostri *.

* Tales formulas hic tantum per lancem saturam indicabimus. Occurrunt eius modi renunciationes, factae anno 1305. apud Leibnit. *Cod. dipl. iur. gent. Tom. I. pag.* 113. anno 1306. *in der Waldeckischen Ehren Rettung. n.* 36. *pag.* 3. anno 1311. et 1318. in chartulario Lubecensi, de quo Boehmer. *Iur. ecclef. Protest. Lib. I. tit.* 2. §. 47. *pag.* 115. anno 1319. apud Ludewig. *Reliqu. MSC. Tom. VI. pag.* 4. 6. anno 1324. apud Schaten. *Annal. Paderb. Lib. XIII. pag.* 360. anno 1328. apud Leibn. *Tom. I. pag.* 128. anno 1330. et 1331. apud Ludewig. *Reliqu. Tom. V. pag.* 553. *et* 625. anno 1338. et sequente apud eumdem *Tom. V. pag.* 546. 548. 630. 639. 565. anno 1341. apud Leibnit. *Tom. I. pag.* 154. anno 1356. apud Ludewig. *Tom. V. pag.* 518. anno 1367. in *Monim. Wurtemb. Part. I. pag.* 917. anno 1377. apud Schaten. *Annal. Paderb. pag.* 399. Nos speciminis loco adferemus renunciationem talem Stephani Palatini com. Rheni et ducis Bauariae, ex diplomate anno 1318. scripto editoque a Gewaldo *Antith. ad Marqu. Freher. edito, pag.* 20. quia et Germanica est, et maxime singularis: *ob wir oder der debeiner, dez Got nicht engeb, als khranck vveren, das vvir oder ihr debeiner davvider teten, oder thuen vvolden, uns davvider nit behelffen mit debeiner dispensation, absolution, relaxation, abolition, in integrum restitution, debeinerlay beneficio, vvie daz genant sey, etz khomm vvanne oder vvie etz khom, etz geschech vmb vnser oder ander leut beth, oder daz man nennet ze Latein ex officio.* Vbi quaedam ad ius ciuile, alia ad ius canonicum pertinere, vnusquisque intelligit.

§. LXVIIII.

Pontifex Decretales publicat.

Quo magis vero feruebant his saeculis iuris ciuilis studia: eo magis de ecclesiastici incrementis sollicitus erat Pontifex Romanus. Hinc post varias ISIDORI MERCATORIS, IARLANDI, ipsorumque pontificum collectiones Gregorius PP. VIIII. circa annum 1230. per RAYMVNDVM DE PENNA FORTI, capellanum suum, compilauit DECRETALIVM libros quinque: Matth. Paris. *ad annum* 1235. Io. Chiffiet. *de vtriusque iuris architect. cap.* 6. Ziegl. *in Diss. praelim. ad Lancell.* §. 51. *seqq.* cui postea anno 1298. librum VI. eodem modo in libros V. diuisum adiecit Bonifacius Papa VIII. Henr. Stero *in Annal. ad annum* 1297. eumque cum superioribus in fora et academias introduci iussit, quamuis in Gallia auctoritatem minime obtinuerit. Vid. Franc. Duaren. *praef. libri de sacr. eccles. minist.* Iis saeculi sequentis anno XIII. accessere CLEMENTINARVM itidem libri V. a Clemente PP. V. ita adpellatae., Baluz. *de pap. Auenion. pag.* 60. et EXTRAVA-

GANTES tum IOANNIS PP. XXII. anno 1340. tum COMMVNES, exeunte saeculo XV. collectae *. Ziegl. *Diss. praelim. ad Lancell.* §. 58.

* Librum sextum Decretalium iussu Bonifacii PP. VIII. collegerunt Guill. de Mandagollo, archiep. Ebrodunensis, Berengarius Fredo, Biterensis episc. et Magister Richardus de Senis S. R. E. vicecancellarius. CLEMENTINAS mortuo demum Clemente PP. V. promulgauit anno 1313. Ioannes PP. XXII. Idem pontifex anno 1325. Extrauagantes edidit, nec tamen eas speciali rescripto ad vniuersitates misso confirmauit. Communes priuati hominis studio collectas esse post annum 1483. ex *c. 2. de reliqu. et vener. sanct.* colligitur. Vid. Nic. Frerotii *Parallela sexti Decret. Clementinar. Extrauagant. et extrau. commun.*

§. LXX.

Germani de conseruando iure patrio laborare incipiunt.

At non tamen ideo nuncium iuribus patriis mittebant Germani, sed iuribus his peregrinis tantum vtebantur, tamquam illorum supplemento. Quin erant, qui aegre ferrent, has lacinias iuri Germanico adsui, ac proinde illud conseruare omni ope niterentur. Quo factum, vt ipsi reges Germaniaeque ordines leges veteres in vsum reuocare, consuetudinesque litteris mandare studerent, et subinde nouas conderent, quibus obex quodammodo poneretur peregrinis istis iuribus.

§. LXXI.

Hinc veteres leges ac iura seruari iubent impp.

Imperatores et reges ipsos cum imperii ordinibus de conseruando iure patrio fuisse sollicitos, primo inde patet, quod his saeculis non semel publica lege cauerunt, vt iuri antiquo patrio sua constaret auctoritas. Sub Ottone enim IIII. imp. anno 1208. in comitiis Francofurtanis sancitum, *vt omnia iura a Carolo M. instituta, obseruarentur, tenerenturque* *. Godofred. monach. *in Chron. ad annum* 1208. Anno 1225. in comitiis Moguntinis celeberrimis, teste eodem Godofredo, *pax iurata, vetera iura stabilita, noua statuta, et Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicata*. Quod vetustissimum legis, patria lingua scriptae, monimentum edidit Goldast. *Part. II. der Reichs-Satzungen, pag.* 17. Eodem feruore legum patriarum vsum firmatum animaduertimus a Rudolpho Habsburgico, in comitiis non solum Herbipolitanis, annó 1287. sed et Spirensibus anno 1291. apud Lehmann. *in Chron. Spir. Lib. V.* 108.

* Nec tamen hic intelligenda videntur capitularia, sed leges Saxonibus, aliisque gentibus Germanicis a Carolo M. latae. Et iam fere in consuetudinem res abierat apud Germanos, vt quaeuis paene gens mores suos ac priuilegia Carolo M. tribueret. Exempla in iure tum prouinciali Saxonico, tum Weichbildico, itemque apud Frisios, aliasque gentes vbique occurrunt. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 13. Gryphiander *de Weichbild. cap.* 54.

§. LXXII.

Imperatores et ordines nouas leges condunt.

Deinde ipsos imperatores principum consilio a Lotharii temporibus frequentius tulisse leges nouas, easque scriptas promulgasse in imperio, satis constat. Tales fuere leges Fridrici I. feudales, de quibus Radevic. *de gest. Fridrici I. imp. Lib. II. cap. 7.* *: tales eiusdem constitutiones apud Goldast. *Constit. imp. Tom. III. pag.* 330. Talis eius *pax*

pax publica, in comitiis Noribergensibus anno 1187. publicata, de qua Abb. Vrsp. *ad annum* 1187. et Dattius *de pace publ. cap.* 2. §. 69. *pag.* 19. Supersunt et aliquot leges Ottonis IIII. apud Goldast. *Constit. imper. Tom. III. pag.* 371. Friderici II. de quibus Pfeffing. *in Vitriar. illustr. Lib. I. cap.* 2. *pag.* 67. Vt alia huius generis omittamus. Mirandum enim profecto, collectiones Recessuum imperii antiquiorem nullam exhibere, quam ex saeculo XV. in cuius rei caussas inquirit Io. Petr. a Ludewig *in Comment. ad Aur. Bullam, Tom. I. pag.* 15.

* In primis huc pertinet libellus de BENEFICIIS, quem dudum a Io. Hauboldo Col. 1567. editum, tamquam ἀνέκδοτον edidit Thomasius *in Selectis feudalibus*. De huius vero libri aetate, quae dicenda erant, iam *in praefatione prima* diximus.

§. LXXIII.

Denique tam certum, quam quod certissimum est, non aliam ob caussam ab his temporibus scribi coepisse tot leges prouinciales ac statuta, quam vt irruentibus in forum iuribus illis peregrinis obicem ponerent principes ac ciuitates. Iac. Frid. Ludou. *Prooem. Spec. Sax.* §. 12. *sequ.* Nec alio pertinent illa Repkouii *Lib. I. art.* 3. *Der Papst mag kein Recht setzen, da er unser Landrecht oder Lehen-Recht mit aendern oder kraencken moege* *. Eo consilio saeculo XII. ad scribendum Speculum Saxonicum EPKONEM DE REPKAV excitauit HOYERVS A FALKENSTEIN: eodem scriptum est SPECVLVM SVEVICVM, totque ex eo tempore condita sunt iura prouincialia et municipalia statuta, vt taediosum esset, eorum numerum inire. Iuraque patria in scripturam redigunt.

* Paullo ante enim innotescere in hoc terrarum tractu coeperant pontificum Decretales, usque monachi Montis Sereni prope Halam nostram primum vsi sunt circa anuum 1205. ad quem in *Chronico Montis Sereni pag.* 79. *edit. Maderi* haec legimus: *ad hoc primum tempus fratres Sereni Montis adpellationis et verborum Decretalium, eis adhuc ignotorum, vsum habere coeperant, quarum rerum praefati Tiderici electores a Bertholdo Merseburgensi praeposito et Henrico, eius fratre, informati auctores fuerant*. Qui sane locus notatu dignissimus hic non fuit praetermittendus.

§. LXXIIII.

Quod ad Speculum Saxonicum attinet, auctoris vtriusque aetatem nos ignorare haud patiuntur tot chartae ac diplomata, in quibus commemorantur. Testis enim citatur HOYERVS COMES A FALKENSTEIN anno 1215. apud Beckmann. *Hist. Anhalt. Part. III. Lib. II. pag.* 213. et anno 1219. in charta alia Henrici, comitis de Aschersleue, apud Leukfeld. *Antiquit. Pold. pag.* 288. eique iungitur HECCO vel EICO de REPKAV vel REPECHOVE. Idemque HOYERVS laudatur anno 1230. 1233. et 1241. in diplomatibus quibusdam apud Kettner. *in Antiqu. Quedl. pag.* 219. 260. *et* 264. *et in Dipl. Quedl. pag.* 254. 256. *seqq.* 261. 264. 266. *sequ.* 273. 279. 332. adeoque nullum est dubium, quin iisdem circiter temporibus compilatum a Repkouio sit SPECVLVM seu IVS PROVINCIALE SAXONICVM *. Speculi Sax. auctor & aetas.

* Et quidem inter annum 1215. et 1235. Nam *Iur. prou. Sax. Lib. I. art.* 3. mentio fit *cap. non debet. X. de consangu. et adfin.* quod anno 1215. ab iu-

Innocentio PP. III. in concilio generali latum eſt. Ergo poſt illum annum perpolitum eſſe oportet hoc ſpeculum. Deinde *Lib. III. art. 62.* enumerantur feuda imperii vexillaria, in quibus locum non inuenit ducatus Brunſuicenſis et Luneburgicus: qui quum anno 1235. inſtitutus ſit a Fridrico II. conſequens eſt, vt ante hunc annum opus ſuum abſoluerit. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 30.

§. LXXV.

De eo iudicium.

Quamuis vero multi huius Speculi naeui ſint, multae nugae ac naeniae, maxime, vbi aut philoſophatur auctor, aut hiſtoricum agit, aut ius publicum Germanicum exponere conatur: fatendum tamen eſt, Repkouium laudabili induſtria collegiſſe iuris priuati patrii, per vniuerſam Germaniam inferiorem recepti, reliquias *. Vnde huic Repkouii induſtriae reliquos eius naeuos, ſaeculo, quo ſcripſit, proprios, facile condonamus. Quod vero et ex iure canonico et ciuili Romano quaedam immiſcuit, (vid. *Ius prou. Sax. Lib. II. art. 63. Lib. I. art. 37. Lib. II. art. 56.*) nouo argumento eſt, iura illa peregrina iam tum Germanis haud ignota fuiſſe.

* Teſtis eſt ipſe Repkouius *in praef. rythm.*
Dies Recht hab ich nicht erdacht,
Es habens vor Alten auf uns bracht,
Vnſere gute Vorfahren.
Et pleraque ſane, quae in hoc Speculo traduntur legibus veterum Saxonum, Friſiorum, Angliorum, Francorum, quin et Normannorum paene gemina eſſe, legg. Gaertnerus in *edit. Saxonic. et Friſiorum* multis exemplis oſtendit. Quin et nos poſtea multo plura ac luculentiora huius conſenſus ſpecimina dediſſe videmur in *Elementis iuris Germanici*.

§. LXXVI.

Eius editiones.

Ipſe Repkouius fatetur, initio ſe hoc opus Latine ſcripſiſſe, poſteaque non ſine difficultate illud in linguam vernaculam tranſtuliſſe. *Praef. rhythmica Spec. Sax.* Exſtat et hodie, Latinum exemplar, quod tamen non eſt a Repkouio, ſed ab homine peregrino, et fortaſſis Polono, neſcio quo, ſiquidem hic interpres, quiſquis ſit, ne intellexiſſe quidem ſatis videtur linguam Germanicam. Schilter. *Prax. iur. Rom. Exerc. XVI.* §. 35. Authenticum hoc exemplar lingua Saxonica antiqua, qualis in ducatu Magdeb. et vniuerſa inferiori Saxonia tum fuit, ſcriptum eſt, ceu et tot codices MSCi, et editiones veteres, teſtantur. At demum in dialectum Miſnicam illud tranſtulerunt WOLFGANGVS Loss, ciuis Fribergenſis, et CHRISTOPH. ZOBEL *. Codices MSSC. qui paſſim reperiuntur, variaſque operis editiones cum cura recenſuere Gryphiander, Lambecius, Werlhoffius, Hertius, Struuius, Ludouici, Gaertnerus, quas repetere hic breuitas vetat et inſtituti ratio.

* Sed ſicuti Latinus Germanicam, ita Zobelius Saxonicam dialectum non ſatis intellexiſſe videtur. Hinc ſaepe Saxonicum *leven*, vita, verti videmus *leib* corpus. Sic cum equus aſthmaticus auctori ſit *barſchlegig*, Zobelius id vertit *baarſchlechtig*, quaſi de equo ſcabioſo loquatur. Talia paſſim obſeruabit, qui varios codices Saxonicos cum illa verſione, maxime Zobeliana contulerit.

§. LXXVII.

Ius feuda-

Acceſſit et IVS FEVDALE SAXONICVM, quod in codicibus MSSC. iuri

iuri prouinciali plerumque, tamquam liber quartus, adiungitur, et eidem auctori EPKONI DE REPKAV tribuitur. Eiusdem sane illud aetatis videtur, eumdemque stilum et methodum praefert, quam in iure prouinciali obseruamus, vt nihil prohibeat, quo minus EPKONI tribuatur. De eo plura dixit Iac. Frid. Ludouici *in Proleg. iur. feud. Sax.* Struu. *Hist. iur. Lib. VIII. cap.* 16. Thomas. *Select. feudal.* §. 9. *seq.* le Saxonicum.

§. LXXVIII.

Recentius est ius municipale Magdeburgicum, seu WEICHBILDICVM, quod vel exeunte decimo tertio, vel sequente demum saeculo ineunte Magdeburgi videtur compilatum *, et consuetudines istius ciuitatis, sed iuris ciuilis laciniis passim deformatas, complectitur, *VVeichb. Art.* 119. 121. *et* 128. non tamen ita, vt Aen. Sylu. *in Europ. cap.* 24. id iure vocet *ius ciuile abbreuiatum, et Saxonica lingua conscriptum*. De huius quoque iuris Welchbildici editionibus plura obseruarunt scriptores paullo ante laudati, in primis Iac. Frid. Ludovici *in Proleg. VVeichb.* §. 16. *seq.* Ius Weichbildicum.

* In Vindebonensi enim bibliotheca codices quadringentorum annorum iam superiore saeculo reperit Lambec. *de bibliotb. Vindeb. II*, 8. *pag.* 831. Et ita in medium saeculum XIII. incideret huius libri origo. Sed vereor, vt tantam antiquitatem tueatur ius municipale multo inquinatius, quam reliqua iura Saxonica, eo tempore scripta.

§. LXXVIIII.

Quamuis vero pontifici minime omnium placeret illud iuris Saxonici corpus, adeo vt plures eius articulos damnarint Gregorius PP. VIIII. anno 1371. et postea Eugenius PP. IIII. vid. *Bull. ad archiep. Rigens. post Spec. Sax. pag.* 485. tanto tamen plausu receptum est non modo per archiepiscopatum Magdeburgicum et terras Anhaltinas, vbi genuina huius iuris patria est, verum etiam per Misniam et Thuringiam, Marchiam, Brandenburgicam, Lusatiam, Boëmiam, Silesiam, Holsatiam, terras Brunsuicenses, quin et Borussiam, Poloniam, Daniam, Transsyluaniam *, vt veluti ius commune harum aliarumque gentium haberetur, et hinc frequentissime exteri, sententiis grauati, ad scabinatum Magdeburgicum prouocarent. Vid. Leuberi *Stapul. Sax. n.* 540. Iuris Saxonici auctoritas.

* In omnibus his prouinciis viuebatur iure Saxonico, quamuis alibi *ius prouinciale* ac *feudale*, alibi *ius Weichbildicum*, maiore polleret auctoritate. Fusius hoc probauit Struuius *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 23. qui et *pag.* 475. de terris Meclenburgicis, et Brunsuicensibus ostendit, ibi abrogatum esse ius Saxonicum, adeoque eo ipso eius vsum veterem in his prouinciis confirmauit. Sed quod ad terras Brunsuicenses attinet, vsus iuris Saxonici in illis clarissime demonstratur ex vsu geradae, vel *Frauen-Radae*, de qua Io. Andr. Schmid. *in Helmst. saeculis XIIII. et XV. per Frauen-radam adflicto. Helmst.* 4. In Holsatia et vrbe Luneburgensi eius adhuc hodie vsum aliquem esse, obseruauit Hert. *de consultat. legg. et iudic.* §. 15. *pag.* 430.

§. LXXX.

Eodem exemplo postea et SPECVLVM SVEVICVM conditum est, et quidem medio circiter saeculo XIII. Nam in eo mentio fi non modo Speculi Sueuici aetas.

Inno-

Innocentii Papae III. et Ottonis IIII. imp. quorum ille anno 1216. hic non multo post decessit, *Spec. Sueu. Lib. I. art.* 348. et ita quidem, vt eorum certamen se tamquam rem antiquam legisse auctor profiteatur, sed et Decretalium, quas anno demum 1235. prodiisse diximus, (§. 68.) *Spec. Sueu. Lib. I. art.* 5. quin et Friderici II. qui 1250. obiit. *Spec. Sueu. Lib. II. epilog.* Non multo post tamen illud conditum esse, manifestum est ex editione Io. Frid. Schannati, §. 144. *pag.* 253. vbi verba*: Verraeter haissen wir, dy mit red ain verpalmundent, alsa das sy in sagent von seiner Christenhait, als dy Myner Prüder Kaiser Fridrich teten;* et paullo post*: das teten all dij Mijner Pruder dem Kayser Fridrichen;* vbi de historia illa, tamquam recenti, loquitur. Accedit, quod Speculum hoc archipincernatum tribuit ducibus Bauariae, qui ab anno 1231. cum Boëmiae rege de eo officio imperii altercati sunt, donec secundum hunc litem dedit Rudolphus I. imp. anno 1290. Toeln. *Cod. dipl. Palat. n.* 109. *pag.* 76. Vnde denuo consequitur, vt Speculum istud inter annum 1250. quo Fridericus II. obiit, et aunum hunc 1290. in lucem prodierit *, adeoque Saxonico multo sit recentius, quod tamen negasse nouimus viros doctos, Lambec. *Biblioth. Vindeb. II.* 8. *pag.* 825. et Schilter. *in Praef. iur. Feud. Alam.* §. 17.

* Quare nec adsentiri possumus Io. Sam. Brunquello, qui in *Hist. iur. Lib. I. cap.* 6. §. 23. hoc Speculum Sueuicum saeculo XIIII. conditum esse censet, sequutus, vt opinor, Conringium, qui *de orig. iur. Germ. cap.* 30. *pag.* 135. id paullo ante Ludouici Bauari imp. tempora confectum esse scripsit.

Variae editiones.

§. LXXXI.

Plura vero eius exstant exemplaria, inter se haud parum discrepantia. Nam praeter illud, quod sequutus est Seb. Meischnerus *im Kayserl. und koenigl. Land-und Lehen-Recht*, quod deinde similiter expresserunt Melch. Goldastus *Tomo I. der Reichs Satzungen*, *pag.* 31. et Io. Steph. Burgemeister *im Deutschen Corpore iur. dipl.* editionem nouam, et a reliquis et ordine, et verbis passim discrepantem edidit Io. Frid. Schannatus *in der Sammlung alter Historischer Schrifften*, *Part. I. pag.* 163. *seqq.* et nouissime ex MSCo Argentoratensi Io. Aug. N. D. de Berger *Lips.* 1726, 4. *

* Ne iam dicamus de noua editione, quae in Io. Schilteri *Thesauro antiqu. Teuton. Tom. II.* prodiit, vbi Io. Ge. Scherzius non modo totum illud ius Alamannicum ex insigni codice Kraftiano edidit, sed et codicem illum cum aliis XI. MSSC. et VI. impressis diligentissime contulit. In *praefatione praemissa pag.* 4. virum doctissimum camdem mecum sententiam de Speculi huius origine et auctoritate fouere non sine voluptate obseruaui. Et meretur sane tota illa praefatio legi, quum nemo maiore instructus adparatu animum adpulerit ad Speculum istud nitori suo restituendum.

De eo iudicium.

§. LXXXII.

Est et hic iuris Germanici thesaurus egregius, ac proinde iuri Saxonico in multis conuenit. Multa tamen auctor admisit ex iure Romano, veluti *Lib. I. cap.* 6. 41. 64. 67. 315. et 327. et vbi philosopha-

tur

tur, aut de iure publico differit, non minus desipit, quam Speculator Saxo. An vsum vmquam hoc ius in foro habuerit, fuere, qui dubitarent *. Sed sunt sane diplomata, quae manifesto prouocant ad decisionem iuris Sueuici, quae iam produxit Datt. *de pace publica, Lib. IIII. cap.* 1. §. 21.

* Merentur ea de re legi verba Scherzii, *in praef. pag.* 4. *Quamuis autem hoc opus, prout hic iacet, legis robore donatum fuisse, nullus credam, attamen plurimum inde vtilitatis, tum ad illustrandas antiquitates patrias, tum ad iuris prudentiam hauriri posse adsero. Nihil enim rationi sanae magis conuenit, quam vt in foro, si de pactis, contractibus, diuisionibus familiarum, litteris inuestiturarum, similibusque, quae antiquis temporibus fuere facta, iudicium ferendum sit, illa interpretemur iuxta vsum moremque illorum temporum, quibus fuere celebrata: vsum vero antiquiorum temporum in hoc opere repraesentari, vel Tiresiae clarum est, et probauit id multis exemplis Schilterus in Comm. ad ius feud. Alamann.*

§. LXXXIII.

Accessit et huic Speculo, seu iuri prouinciali, IVS FEVDALE, quod paullo post ius prouinciale, et fortassis ab eodem auctore, conditum est, si quidem aliquoties lector ad ius prouinciale, tamquam ad partem priorem, remittitur. *Ius feud. Alam. cap.* 1. §. 120. 168. Quare male de libri huius vetustate iudicarunt Lambecius, Schilterus, et alii, qui illum diu ante Speculum Saxonicum natum existimant. Thomas. *Select. feud.* §. 63. Editionem adcuratissimam huius libri, ad codicem Ambrosianum bibliothecae Vindebonensis expressam, et luculento commentario illustratam dedit Schilterus, Arg. 1697, 4. et nouissime Io. Aug. N. D. de Berger *Lips.* 1726. 4. Ius feudale Sueuicum Alamannicum.

§. LXXXIIII.

Nec tantum communia illa Germaniae iura colligi sedulo coeperunt, sed et prouinciae singulae suas leges et consuetudines in scripturam iisdem fere temporibus redegerunt. Tale sane est IVS PROVINCIALE AVSTRIACVM, anno 1190. conditum, quod ex codice MSC. edidit Io. Petr. a Ludewig *Reliquiar. Tom. IIII. pag.* 1190. *sequ.* Tale IVS PROVINCIALE BAVARICVM, quod anno 1346. condiderunt fratres Ludouicus, Marchio Brandeburgicus, et Stephanus, Ludouicus et Guilielmus, comites Palatini Rheni, et duces Bauariae, qui tamen profitentur, *dass sie zu Rat worden mit ihrem Herrn und Vaeterlein, Kayser Ludwichen von Rom.* Codicem MSC. elegantem membranaceum, similemque per omnia illi, quem descripsit Lambec. *Bibl. Vind. II. 8. pag.* 834. in bibliotheca Hoffmanniana Francofurti vidi. Tales denique sunt leges, quas Tirolensibus anno 1397. dedit Leopoldus, dux Austriae, teste Hundio *in Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 450. * Iura prouincialia varia.

* Ad hanc eamdem epocham pertinent etiam Stadensium statuta, quae ipse MSSC. possideo, quorum in praefatione, quae incipit: *Iuste iudicate filii hominum* haec quoque legimus: *In dem Iare von onses Heren Godes Bort tusend twe hondert negen vnd seuentich in dem Mayge, do vvorden de meenen radmanne vnde de mittigsten van diser Stadt tho Stade to rade, to Sünte Martinus Dage, also men then rade kesen schall;* sequuntur deinceps ipsa statuta, *Hist. Iur. Ciu.*

variaque additamenta, quorum singulis haec praemittitur formula: *Hinder den tvveeden (derden, vofden) stukke syn volgende Capittel vatho gedichtet*. Ex quibus patet, primis his atque antiquissimis statutis postea varia SCta paullatim accessisse, adeoque non omnia esse eiusdem aetatis.

§. LXXXV.

Leges gentium exterarum Germanicis similes.

Quin et exterae gentes, quae leges et consuetudines Germanicas ob communem originem seruabant, iis temporibus illas in scripturam redigebant, ne a iure Romano et canonico agerentur in exilium. Nam et Codex LEGVM DANICARVM auspiciis Waldemari II. regis, anno 1232. * confectus est, de quo aliisque Danorum Legibus consulendus Io. Petr. a Ludew. *in praef. Tomi VIIII. Reliqu. pag. 5. seqq.* Et NORMANNI LEGES suas, quas secum ex septemtrione attulerant, Germanicis plane geminas, litterarum monimentis consignarunt anno circiter 1250. ceu docet codex MSC. Bibliothecae Ludewigianae, ex qua illas cum notis suis edidit possessor *Tom. VII. Reliquiar. pag. 149. seqq.* **.

* Certum id est legibus Cimbricis, quas anno 1232. in comitiis Vordingensibus a Waldemaro II. praesentibus filiis Erico, Abele, et Christophoro, ducibus, conditas esse omnes fatentur. At Scanicas non a Waldemaro II. sed primo anno 1161. conscriptas, et postea ab Andrea, Sunonis archiepiscopo, Latine redditas esse, erudita *praefatione editioni Latinae Hafniensi* 1590. 4. praemissa demonstrauit Arnoldus Huitfeldius.

** Sed et Suedicae leges eiusdem fere aetatis sunt. Vplandicas enim, a S. Erico primum vel scriptas, vel collectas, publicauit, suisque auxit Birgerus Magni, rex, qui circa annum 1295. vixit: quemadmodum paullo ante anno 1251. Birgerus Iarl. ius municipale Sueciae ciuitatum in ordinem redegit. Qua de re ex instituto agit Io. Loccen. *Antiqu. Sueo Goth. Lib. II. cap. 2. pag.* 35. Brabantinorum quoque ducum constitutiones circa annum 1312. compilatas publicatasque esse, iam docuit Herm. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 28. *pag.* 167. Leges Boemicas a Carolo IIII. latas digestasque in ordinem sub titulo *Maiestatis Carolinae* edidit Paullus Geschinius, *Francof.* 1617. *fol.*

§. LXXXVI.

Ciuitates patrii iuris seruantissimae.

Sed ciuitates praecipue, in quibus scabini, non nisi iuris patrii periti, maxima auctoritate, pollebant, manibus pedibusque enixe omnia agebant, ne iura peregrina intra moenia sua reciperentur. Hinc multa vel condita, vel in scripturam primum redacta sunt STATVTA vrbium praecipuarum, non modo liberarum, sed et municipalium. Vbi id maxime notatu dignum, eas ciuitates, vnde alia oppida ius suum municipale petiuerant, ab his veluti metropoleon loco habitas, et a sententiis domi latis prouocatum esse ad illas vrbes, quarum iura adoptauerant, qui mos hodienum quibusdam locis obtinet *.

* Auctor est Ioannes Sibrandus in *Iur. publ. vrb. Lubec. Part. I. sect.* 10. *n.* 7. Rostochienses, quia iure Lubecensi vtebantur, adpellationes a tribunali Rostochiensi detulisse ad Lubecense. Idem *n.* 15. *pag.* 102. adducit priuilegium Stralsundensibus concessum anno 1314. quo permittitur ciuibus, *dass sie moegen und sollen ihre bescul-dene Vrtheil fuhren und holen zu Lubeck.* De adpellationibus Neomagensium ad scabinatum Aquisgranensium deuolutis, similique more apud Belgas passim obuio, quaedam haud vulgaria differit Io. Isaac. Pontan. *Hist. Gelr. Lib. I. pag.* 50. quibus ex Conringio *cap.* 28. *pag.* 169. addimus, alias quoque vrbes Rhenanas partim Aquisgranum,

par-

partim Coloniam prouocare solere a caussis dubiis. Helmstadienses *a tribunali magistratus sui ad consistorium Magdeburgense solitos adpellare*, refert Magnus dux Brunsu. et Ioannes abbas Werthinensis in diplomatibus anni 1358. apud Schmidt. *de Helmstadio per Frauvenradam adflicto*, *pag.* 6. *et* 8. Vnde non mirum, Polonos quoque et Boemos Halam vel Magdeburgum, a quibus ius acceperant, prouocasse: *Weichb. art.* 10. §. 1. quem morem tamen in Polonia anno 1356. sustulisse Casimirum II. regem, memoriae prodidit Mechou. *Chron. Polon. Lib.* IIII. *cap.* 19.

§. LXXXVII.

Statuta Susatensia.

De huius modi statutis iam satis prolixe a Struuio *Hist. iur. Lib. VI. cap.* 27. aliisque actum. Nos de praecipuis, et quibus apud alias quoque ciuitates honor fuit, agemus. Et hic nescio, an non primum sibi locum merito vindicet IVS SVSATENSE. Celeberrimum illud municipium iam olim *εὐνομίᾳ* tantam sibi famam pepererat, vt multae aliae ciuitates inde leges suas peterent, easque veluti beneficium acciperent ab imperatoribus, Arnold. *Lub. Lib. II. cap.* 35. Lambec. *Orig. Hamb. Lib. I. n.* 98. Henr. Meibom. *Introd. ad hist. Sax. infer. pag.* 81. At illud antiquum apud ipsos Susatenses paullatim obsoleuisse videtur: nam nouum ius Susatense, (*die Soestische Schraden* vel *Schragen*), in plerisque a iuris Lubecensis principiis discedit *.

* Ipse possideo apographum iuris municipalis Susatensis, cuius prima pars, continens *das alte gekorne und geprwvede Recht*, incipit: *in dem Boke von obersten Gude schrivet Mester Boetius, dat men in allen Beginnen sal anropen den allmachtigen Vader und Schopper aller Dinge cet.* Constat illud *articulis* 176. et quamuis sub finem legamus: *actum et concordatum anno dni millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, feria sexta post. beati Cunsberti episcopi; articulo* tamen 151. adscriptum: *anno domini* 1350. *articulo* 156. *anno dni* 1309. *crastino Alexii confessoris: articulo* 157. *anno domini* 1370. *in die beati Bonifacii: articulo* 173. *sub anno domini* 1368. *in die dominica, qua cantatur Laetare:* vt adeo librum hunc subinde auctum esse, satis adpareat. Conf. Henr. Melch. Schutte *Diss. de iure Susat. eiusque et iur. ciu. collatione in success. ab intestato.* Altera pars eumdem titulum habens *dat alde und geprovede Recht der Stadt von Soest*, constat articulis 130. eiusque initium est: *Tho den ersten so seyn drey Gerichte binnen der Stadt, dat ein unses Herrn van Colln, dat ander des Provestes van Soest, und dat derde des Rats.* Tertia pars inscribitur: *Des gemeinen Gerichts Process*, titulisque constat 19. quorum initium est: *Socrates der Heydnische Philosophus spricht: Das recht ist einer spinnen-wveben gleich, cet.* Sub finem subiiciuntur quaedam sub rubrica: *Dit sind nachfolgende Urtheil, ins freyen Stohls Gerichte gehoerig belangende.*

§. LXXXVIII.

Ius Lubecense.

Ex iure hoc Susatensi natum est LVBECENSE * et HAMBVRGENSE. Et Lubecenses quidem, qui antea, teste Helmoldo *Lib. I. cap.* 47. vt alii Nordalbingi iure Saxonico viuebant, ius suum ab Henrico Leone accepisse videntur, confirmatum postea a Fridrico I. imp. anno 1183. Arn. Lubec. *Chron. Slau. Lib. II. cap.* 35. Quod enim alii pro *Iure Susatiae* apud Arnoldum rescribi iubent *iura Holsatiae*, alii per illud intelligunt *legitimam consuetudinem potestatemque vtendi pascuis, lignisque in comitatu Nordalbingiae*, id tam solide profligatum est ab Henr. Meibomio *Introd. ad hist. Sax. inf. pag.* 81. et Mollero *Isag. ad hist. Chers. Cimbr.* IIII. 6. vt actum agere nolimus. Caue vero, id quod hodie obtinet, ius Lubecense vetus et sincerum existi-

mos **. Vidi ego in bibliotheca Hoffmanniana codicem MSC. membranaceum antiquum, lingua vetere Saxonica scriptum, in quo istud ius et ab hodierno diuersissimum, et multo breuius illo sistitur. Constabat enim articulis 271. alio plane ordine dispositis, quam qualem hodie in iure Lubecensi obseruamus. Fusius de hoc quantiuis pretii codice, aliisque, qui passim memorantur, codicibus MSCtis singulari programmate egit amicissimus Hoffmannus. *Francof.* 1731.

* Equidem ex iure Sueogothico, tamquam fonte, promanasse ius Lubecense nuper ostendere voluit Christ. Nettelblatt. in *Diss. de fontibus iuris Lubecensis*. Sed quum pleraque communia habeant Gothicae illae et Germanicae leges, dicere malim, vtramque gentem talia a maioribus accepisse, vt non opus sit fingere, Lubecenses ius suum ex septemtrione petiisse, de quo plane silent annales. Nec magis verum est, esse hoc ius Slauicum vel Venedicum, quum Sosato cum Venedis nihil vmquam commune fuerit.

** Collectio, qua hodie vtimur, facta est auspiciis senatus, a Io. Ludinghausen, cos. Calixto Schein, syndico, Gottschalco de Sliten, senatore, excusaque Lubecae a Io. Balhorn, 1586. Eodem quidem anno Ioach. Kobus, consul Crempensis, ex codice MSC. ius Lubecense Hamburgi publicauit: sed et haec, et si quae exstant, aliae antiquiores editiones, in foro nullius amplius vsus sunt. Conf. Ern. Ioach. Westphali *Diss. de origine et fontibus iuris Lubecensis, eiusque vsu, auctoritate, elogio, et subsidiis*.

§. LXXXVIIII.

Statuta Hamburgensia. Eumdem fuisse IVRIS HAMBVRGENSIS fontem, diplomata euincunt apud Lambecium, in quibus ipsis saeculo XIII. conceditur *antiqua iustitia Lubecensium*, vel, *vt fruantur iure Sosatensium et Lubecensium*, quae iam alii attulerunt. Hinc simillimae olim fuere Hamburgensium et Lubecensium leges, vt Thraciger, Hamburgensium syndicus, scribere non vereatur ad annum 1292: *Bis auf diese Zeit hat die Stadt Hamburg gebraucht Lübisch Recht, als hiebevor ist angezeigt.* Quum vero hoc ipso anno Adolphus, Gerardus, Io. Henricus et Henricus, Holsatiae comites, vrbi *concederent et donarent ius tale, quod vulgo Kôbre dicitur, statuta mandare, et edicta promulgare, secundum placitum eorum, pro vtilitate et necessitate ciuitatis, et reuocare eadem, quotiescumque et quandocumque ipsis visum fuerit expedire*. Lambec. *Orig. Hamb. II. n.* 471. vsi sunt eo iure Hamburgenses, et, vt denuo verbis Thracigeri vtamur, *nachdem sie angeregtes priuilegium erlanget, haben sie ihr eigen Recht gefasst, welches mehrentheils aus gemeinen Sächsischen Rechten gezogen, und in folgenden Zeiten etliche mal vermehret und verbessert ist* *. Attamen et ante saeculum XIII. quaedam exstitisse iuris Hamburgici stamina, ostendit Mich. Richey *in Historia Statutorum Hamburgensium, cap.* 1. §. 5. *sequ.* qui et alia huc pertinentia plena manu serit.

* Hodierna Statuta Hamburgensia nouissime reuisa sunt publicataque anno 1603. quamuis postea et nouae leges, veluti *die Gerichts-Ordnung*, et varii recessus accesserint. At exstat in bibliotheca Ludewigiana codex MSC. lingua Saxonica scriptus, et glossis illustratus, *insigne iuris antiqui Germanici, a iure Romano adhuc minus infecti, monimentum*, iudice Boehmero, qui et specimina quaedam dedit in *Diss. de aeris alieni inter coniuges Hamburgenses communione*, *edita Hal.* 1728. 4.

§. LXXXX.

§. LXXXX.

Iuris Lubecensis vsus quam late patuerit? Vnde ius Culmense.

At latius patuit iuris Lubecensis, quam Hamburgensis, vsus. Illud enim in Pomerania, ducatu Magdeburgico, Saxonia inferiore, Holsatia, et Slesuicensi ducatu, nec non Prussia et Liuonia a multis ciuitatibus oppidisque receptum est, quorum recensum prolixum instituunt Io. Sibrandus *ad Ius Lubec. Part. I. sect.* 5. *et* 10. Meu. *ad Ius Lubec. Prol. quaest.* 2. *n.* 23. Moller. *Isagog. I.* 2. Werlhoff. *Specim. iur. Germ. Diss. III. pag.* 202. Quin ex eodem et Weichbildo Magdeburgico conflatum ineunte saeculo XIIII. videtur IVS CVLMENSE *, quamuis posterioris, puta iuris Weichbildici, principia magis redoleat. Vid. Hartknoch. *Diss. XVII. de iure Pruss.* §. 14. *sequ. et in dem Alten- und Neuen-Preussen. Part. II. cap.* 7. §. 3. *p.* 549.

* Culmia condita anno 1232. ab Hermanno de Balcke, ordinis Prussici magistro. Insequente anno Hermannus de Salza, supremus ordinis Teutonici magister, Thorunensibus et Culmensibus dedit priuilegium famosissimum Culmense, in quo diserte illis vrbibus indulgetur, vt iure Magdeburgico vtantur. Harknoch. *in dem Alten- und Neuen-Preussen, ibid.* §. 5. Attamen circa aurifodinas ius Silesiacum, circa argentifodinas Fribergense obseruari iussum. Recepta etiam quaedam ex iure Flandrico, veluti in mensuris agrorum, successione coniugum. Denique et ipsi magistri ordinis vrbi specialia quaedam iura et statuta dederunt. Ex his omnibus demum ius Culmense confectum, quod ex vetere MSC. primus edidit Henr. Stroband, burggrauius et consul Thorunensis *anno* 1584.

§. LXXXXI.

Statuta Aquisgranensia, et Coloniensia.

Antiqua porro sunt iura municipalia, COLONIENSE et AQVISGRANENSE, quae iam *Ius WVeichb. art.* 1. laudat. Coloniensium iura ac consuetudines iam anno 1229. confirmauit Henricus archiepiscopus, et anno 1242. Fridericus II. imp. apud Lunig. *im Reichs-Archiu. Part. spec. IIII. cent. p.* 341. Prodiere anno 1562. * sub titulo: *Abdruck vnd gemeiner Begriff der Policey-Ordnungen, Plebisciten, und Statuten der alten löblichen freyen Reichs-stadt Coelln*, in quibus tamen Sigismundi aliorumque diplomata, saeculo XV. non antiquiora, statim initio occurrunt. Aquisgranensia statuta an vmquam edita sint scire me fateor cum ignarissimis.

* Attamen Io. Noppius *in Chron. Aquisgr. lib. III. n.* 18. *pag.* 54. edidit Sigismundi imp. *statutum anno* 1423. *de mobilibus ab intestato relictis et aedibus ruinosis*, *n.* 19. *pag.* 56. varia ciuium priuilegia ex libro scabinali *n.* 29. *pag.* 71. *seqq. Gesetze und Ordinantien des Churs, pag.* 85. *Reformirte Chur Gerichts-Ordnung de anno* 1577. *n.* 30. *pag.* 116. *Tassel des neuen Gesetz, auf Latein Tabulae nouae legis, genant, de anno* 1456. *die* 1. *Maii n.* 31. *pag.* 122. *Vormunder versorger Ordnung de anno* 1574. *n.* 32. *pag.* 129. *Reuision Ordnung eines ehrw. Sendt-Gerichts*, et quaedam eiusdem generis alia.

§. LXXXXII.

Nec non aliarum vrbium paullo antiquiora.

Antiqua praeterea sunt iura municipalia FRIBVRGENSIVM a Bertholdo IIII. Zeringiae duce anno 1170. data, itemque statuta GOSLARIENSIVM, condita anno 1330. teste fratre desideratissimo in *Antiqu. Goslar. Lib. IIII. pag.* 362. et edita a Leibnit. *Script. rer. Brunsu. Tom. III. pag.* 484. *sequ.* BREMENSIVM anno 1303. ab Oldenburgensibus

sibus petita. Gryphiand. *de VVeichb. Saxon. cap.* 77. BRVNSVICENSIVM apud Leibnit. *Tom. III. pag.* 434. anno 1232. ab Ottone I. duce praescripta, et alia, quorum recensum non admittit hoc compendium.

§. LXXXXIII.

Ius Wisbyense.

Id modo addo, hac tempestate in rebus nauticis inualuisse in vrbibus Hanseaticis vsum IVRIS WISBYENSIS, quod ipsum quoque [illegible]nis Germanicae est, teste praefatione apud Leibn. *Tom. III. pag.* [illegible]. vbi haec occurrunt: *So sande man an Hertoghen Hinrike, enen Hertoghen over Beyern unde Sassen, de bestedigde uns den Vrede unde dit Recht, als et vore sin auder Vader Keyser Lothar ghegbeven hadde.* Saepius hoc ius Wisbyense prodiit: quod et apud exteros non leuis vsus est. At postea ipsae ciuitates Hanseaticae condiderunt *der erbarn Hansee Staedte Schiffs-Ordnung und See-Recht* *, quae constitutio vltimum recognita in conuentu ciuitatum Hanseaticarum publicata est die XXII. Maii 1614.

* Immo Hamburgenses iam ab anno 1290. habuerunt ius nauticum singulare, et ab Hanseatico diuersum, quod edidit et notis illustrauit Langenbeckius *in denen Anmerckungen uber das Hamburgische Schiff-und See-Recht*, vbi *pag.* 2. ius illud maritimum antiquum vocat *der Stads eigenes, und aus keinen andern entlehntes See-Recht.* Ita et Lubecenses ius nauticum iuribus Hanseaticis antiquius sibi esse perhibent. Andr. Lang. *de legib. naut. cap.* 9. *pag.* 61. Addatur Mich. Richey *Hist. Statut. Hamb. cap.* 1. §. 9. *pag.* 6.

§. LXXXXIIII.

An ideo ius Rom. & canonicum minora incrementa ceperit?

Tot igitur iuribus prouincialibus ac statutis in scripturam redactis, id quidem consequuti sunt Germani, vt iura patria non plane in exsilium agerentur: nec tamen ideo ius Romanum et canonicum nulla in Germania cepit incrementa. Quin magis magisque quotidie inualuit, et ab eo maxime tempore, quo academiae supremaque imperii iudicia institui coeperunt, tantum auctoritatis consequutum est, vt paullatim pro iure communi habitum, et iudiciis, tamquam norma decidendi commendatum sit. Quod quomodo contigerit, postremo huius libri capite distinctius ostendemus.

CA-

CAPVT IIII.

DE STATV IVRIS GERMANICI A CONDITIS ACADEMIIS AD NOSTRA TEMPORA.

§. LXXXXV.

Constitutis academiis, professores vtriusque iuris publice docere coeperunt.

SImul ac in Germania institui academiae coeperunt: praeter theologos, medicos, et philosophos, etiam iuris vtriusque, CIVILIS et CANONICI, professores publica auctoritate sunt constituti. Quod eo minus mirum cuiquam videbitur, quo certius constat, Germanos in condendis academiis Italorum et Gallorum instituta esse imitatos *.

* Ad Parisiensis exemplum Carolum IIII. instituisse Pragensem, obseruat Dubreu. *Hist. Boem. Lib. XXII. pag. 179. edit. Freber.* Et Rupertus senior, comes Palat. Rheni, anno 1386. profitetur, academiam Heidelbergensem *ad instar studii Parisiensis a se fundatam*, eamque *regendam, disponendam, et regulandam modis et materiebus in vniuersitate Parisiensi solitis obseruari, vt Pariensis studii, vt pedissequa, vtinam digna! modis conuenientibus gressus imitetur.* Toeln. *Cod. dipl. Palat. n.* 189. *pag.* 123. Sed et Ludouicum, ducem Bauariae, anno 1477. in constituenda academia Ingolstadiensi Bononiensis et Viennensis vniuersitatis exemplum se prae oculis habuisse, ait apud Hund. *Metrop. Salisb. Tom. II. pag.* 291.

§. LXXXXVI.

Et quidem iam saeculo XIIII.

Academias vero Germania nostra non demum saeculo quinto decimo habere coepit, ceu existimauit Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 24. *pag.* 147. sed integro saeculo prius. In omnibus vero, quarum historia comperta est, statim instituta est facultas, quam vocant, iuridica. Anno enim 1365. VIENNENSI vniuersitati Vrbanus papa id priuilegium concedit, *vt sit studium generale, illudque perpetuis temporibus ibi vigeat, tam in iuris CANONICI et CIVILIS, quam in alia qualibet licita, praeterquam theologica, facultate.* Lambec. *Bibl. Vindeb. II.* 5. *pag.* 85. Idem circa annum 1388. ERPHORDIENSI academiae indultum est, teste Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 31. *pag.* 91. nec non anno 1386. HEIDELBERGENSI *, teste diplomate Ruperti senioris, com. Palatini, apud Toeln. *Cod. dipl. pag.* 123. ac denique INGOLSTADIENSI anno 1477. apud Hund. *in Metrop. Salisb. Tom. II. pag.* 291.

* Attamen initio tres doctores iuris tantum canonici Heidelbergae docuisse, legimus *in Chron. magno Belg. pag.* 343. cui suffragatus Schilterus *de inuestitura simult. cap.* 3. §. 2. per totum saeculum XIIII. nullum ibi professorem iuris ciuilis fuisse, tradit. Id quod verum esse, deprehendi ex diplomate eiusdem Ruperti senioris n. 186. *pag.* 128. in quo anno 1393. recensentur: *Meistere und Doctorn und gute graduirte der heil. Geschrifft und in geistlichen Rechten, und in der Artzney, die zu zyten in denselben Zvveyn Künsten gekorn und gesetzt sind zu lesen und auch lesent in der obgem Vniuersitaet*, iuris ciuilis professorum nulla facta mentione. At in Vienn[illegible] iuris mia iam anno [illegible] enim anno professores [illegible] con-

condita facultatis iuris canonici et ciuilis statuta, quae exhibet Lambecius *in Bibl. Vindob. pag. 164.*

§. LXXXXVII.

Hinc magnus doctorum numerus in aula imperatorum.

Itaque fieri non potuit, quin saeculo sequente iam vbique magnus esset doctorum vtriusque iuris prouentus, qui in principum palatiis, curiisque, et iudiciis illustrioribus vbique regnabant, caussasque ad iurium illorum peregrinorum principia decidebant, et omnem denique mouebant lapidem, vt ius patrium magis magisque supprimeretur. Sic in aula Caroli IIII. *Bartolus de Saxoferrato;* Dubrau. *Hist. Boem. XXII. pag.* 181. Struu. *Hist. iur. XII.* 38. *pag.* 535. in aula Sigismundi imperatoris *Georg. Fiscellus*, I. V. D. summa auctoritate pollebat. Sub eodem et duobus insequentibus imperatoribus, Alberto et Friderico, cancellarii munere functus est *Casp. Schlick.* Aen. Sylu. *Hist. Boem. cap.* 3. Quin hic postremus in consilium suum fere solos iuris peritos adoptauerat, ac proinde in diplomate, quo anno 1375 quemdam Adolphum Gegener, doctorem iuris renunciauit, id se facere professus est, *de adsensu et consilio DOCTORVM et SAPIENTIVM curiae suae.* Itter. *de grad. acad. cap.* 6. §. 20. *pag.* 162. Quamuis fatendum sit, Fridericum III. imp. *mediocriter dilexisse iuris peritos, quod iuris aequitatem diceret ab iis inuerti, iustitiamque foedari* *. Cuspinian. *pag.* 411.

* Communis tum illa querela, non aliunde orta, quam quod, inuecto paullatim in fora iure Romano, tardius procedere lites animaduerterent, quam olim, quum vna alterue dicta die finiretur controuersia. Tolerabilior vero Germanis videbatur breuis iniuria, quam tarda iustitia. Praeterea, quum eo tempore nondum sublata essent bella priuata, quibus iureconsulti quam maxime refragabantur, idem Germanis, maxime nobilioribus cuenicbat, quod eorum maioribus, tempore Quinctilii Vari, vt mirarentur, legibus terminari lites, quae adhuc armis finitae fuerint. Vellei. Paterc. *Histor. Lib. II. cap.* 118.

§. LXXXXVIII.

Itemque in palatiis principum et vrbibus.

Imperatores imitati principes et ordines imperii, et ipsi ICtos maximi faciebant, eorumque consilio et opera, tum in administranda re publica, tum in iure dicundo, vtebantur. Sic in aula Saxonica magni fiebant consilia *Iac. Radewizii*, Ienensis, Thuringi, I. V. D. et ordinis iuridici in academia Lipsiensi praesidis, vsque adeo, vt ei potissimum impetratam a Sigismundo imp. Saxoniam, dignitatemque electoralem, acceptam ferret Fridericus, marchio Misniae. *Centur. script. qui in Lips. VVitteb. et Francof. acad. flor. num.* 17. In Pomeraniam *Petrum Rauennatem*, eiusque filium, *Valentinum*, deduxerat Bogislaus X. Dux Pomeraniae. Conring. *de orig. iur. Germ. cap.* 32. Comitiis Noribergensibus anno 1466. interfuere loco Treuerensis Ioannes Gemminger, Decret. D. loco Saxonis, Io. de Weisbach, D. Legati etiam Salzburgensis, Eistadiensis, Ratisbonensis, Bauari, marchionis Brandeb. landgrauii Hassiae, Lubecensium, doctores fuere, apud Goldast. *Const. imp. Tom. I. pag.* 217. *sequ.* Quin et in ciuitatibus quibusdam praecipuis, iurium doctores tum syndicorum et consiliariorum officio functos esse, reperio *.

* No-

* Noribergensi enim senatui saeculo XV. a consiliis fuit Gregorius Heimburg, sub initium concilii Basileensis doctor iuris creatus et fatis suis notissimus. Freher. *in Theatr. vir. doct. pag.* 795. Eodem saeculo, immo et multo ante, etiam Francofurti ad Moenum fuere syndici, iuris periti, qui eo saeculo *Pfaffen* vocabantur, quemadmodum hodienum in Gallia, Anglia, et Belgio, clerici, *Clerken van Rechten*, audiunt, qui scripturas faciunt. Feltm. *de tit. hon. ll.* 20. 9. Itterus enim *de gradib. acad. cap.* 9. §. 5. *pag.* 339. producit exemplum litterarum anno 1377. datarum, quibus Hermannus von Orbe, licentiatus Decret. profitetur, quod a senatu Francofurtano conductus sit syndicus, (*dass er Pfaff und Diener uvorden sey der ersamen vuisen Lude, des Rades und der Stadt zu Francenford*,) vbi Itterus recte obseruat, *Pfaffen* ibi esse syndicos, qui sum et *aduocati*, itemque ob honores academicos, quibus insigniti fuerint, *Meistere* fuerint adpellati.

§. LXXXXVIIII.

Receffus imp. ad leges Rom. attemperati, idque ius commendatum saeculo XV.

Nec parum etiam iuris Romani et canonici auctoritatem eo saeculo prouehebant imperatores et ordines, dum ipsi leges, quas dabant, ad vtriusque iuris placita attemperabant, quin et iura illa in iudiciis ac foris seruari lege publica iubebant. Talia plura occurrunt in *Reformatione politica* Sigismundi imp. apud Goldast. *Const. Tom. I. pag.* 188. Nam *cap.* 9. legimus: *Es ist zu wissen, dasz hohe Fürsten, die grosse Land haben, noch fast Keyserliche Recht zu ihrem Theil halten.* Et *cap.* 13. §. 5. *Man soll an allen Haubtgerichten, do man über das Blut richten mag, haben ein Keyserlich Rechtbuch, dasz man richte nach Recht, und niemand unrecht beschehe.* Item §. 8. *VVaer aber Sach, dasz in den Rechten iedwederm Theil zu hurtz beschech, desz ihn deucht, so mag man die Sach ziehen fur einen geistlichen Meister*, (doctorem Decretorum) *und einen weltlichen Meister*, (iur. ciu. doctorem,) *die dazu benant werden, die Vrtheil zu sprechen.* Ita et in *Auisamentis Constantiensibus* de anno 1416. apud eumdem *Tom. I. pag.* 151. *cap.* 1. et in Moguntinis de anno 1426. apud eumdem *pag.* 160. *sequ. cap.* 5. aliquoties mentio fit *Corporis iuris et extrauagantium cap.* 9. *doctorum et licentiatorum iuris. cau. et ciuilis, et baccalaureorum iuris vtriusque*, ad canonicatus admittendorum. Qualia a Friderico III. etiam profecta videmus apud Muller. *Reichs-Tags-Theatr. Part. IIII. cap.* 41. *et Part. IIII. cap.* 15. quae de iuris vtriusque auctoritate satis testantur.

§. C.

Hinc ordines imperii de eo abolendo cogitarunt.

Animaduerterunt demum hoc saeculo principes, quanta strages immineat iuri patrio, ac proinde sub eodem Friderico III. anno 1441. id egerunt, vt lex publica, de doctoribus iuris plane abolendis in Germania, promulgaretur. Et exstat sane apud Goldast. *Part. I. der Reichs-Satz. pag.* 166. eius modi *Reformatio*, in comitiis Moguntinis proposita, vbi *art.* 5. legimus: *Alle Doctores der Rechten, sie seind geistlich oder weltlich, im H. Roemischen Reich Teutscher Nation, sollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht, bey keinen Rechten, auch in keines Fürsten oder andern Raethen mehr gelitten, sondern ganz abgethan werden: Sie sollen auch fürbas hin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, schreiben oder Rath geben**. Et id momordisse arbitror Petrum de Andlo, eius aetatis ICtum, dum *de imp. Rom. Germ. Lib. I. cap.* 10. scripsit: *leges Romanas no-*

stra Alamannia proh dolor! in sua despicit insipientia. Sed euentu caruit illud consilium, nec reliquis ordinibus adrisisse videtur scriptum, quod Fridericus III. vel pauci quidam alii conceperant. Saltim neque perlata est illa lex durissima, neque vmquam exsequutioni mandata. Mansit iuri peregrino suus honor, et magis magisque creuit ICtorum in Germania auctoritas.

* Duriora sunt, quae in *Declaratione* sequuntur. Quemadmodum enim ibi locus relinquitur ICtis ternis in singulis academiis, ita tamen, vt non nisi iura in imperio probata interpretentur, et consulti, ex iis respondeant: ita foro plane excesse iubentur, adiuta ratione: *Wann ihnen das Recht barter, dann den Leyer, verschlossen ist, und kan ihrer keiner keinen Schlüssel dazu finden, biss beyde Theil arm vverden, oder gar verdorben sind. Aber der Ley behelt doch den Schlussel zum Rechten bey ihme, das man zu zimlicher zeit das Recht herfür bringen mag. Aus diesen Vrsachen kan man die Gelehrten in keinen Rechten mehr leiden. Darzu seynd es nur besolde Knechte, und nicht Erbdiener des Rechtens*. Paullo post audiunt *Stieff-vaeter, und nicht die rechten Erben des Rechten*. Sed meretur illa *Reformatio*, in qua auctor in ICtos grauissime inuehitur, tota perlegi. Reperies quisque, eam plane conuenire genio Friderici III. imp. quem parum dilexisse ICtos, iam supra (§. 97.) vidimus.

§. CI.

Saeculo XV. ius Romanum in foro pro norma haberi iussum.

Sub finem enim saeculi XV. et proxime insequente, ipsis imperii legibus frequenter ius Romanum pro norma esse iubetur, ita tamen, vt et iuris Germanici consuetudinumque patriarum praecipue habeatur ratio. Quin ipsas constitutiones Recessusque imperii, qui tum prodierunt, fere in plerisque ad iuris Romani normam accommodari animaduertimus. Id quod exemplis latarum a Maximiliano I. imp. legum paucis demonstrabimus.

§. CII.

Quod patet ex legibus imperii sub Maximiliano I. latis.

Quum post longa molimina anno 1495. Wormatiae de instituendo iudicio camarali conuenisset, (vid. Datt. *de pace publ. Lib. III. cap. 1. §. 66. sequ.*): condita est primo ordinatio iudicii camaralis, in qua §. 6. mentio fit iurisiurandi *de calumnia et malitia vitanda, prout de iure*, ab aduocatis praestandi: et in §. 20. iudex et adsessores circa adpellationes ab interloquutoriis decernere iubentur secundum ius ciuile, (*wie das in Keyserlichen Rechten geordnet und begriffen ist*). Eodem anno imperator edidit constitutionem contra blasphemos, in qua breuiter recenset sanctionem Nouellae LXXVII. Iustiniani, quem vocat *seinem Vorfahren am Reich loeblicher Gedaechtnifs*. Quumque anno 1500. Augustae Ordinationem camarae emendare placuisset: §. 8. receptum est ius Romanum, quod nepotes in stirpes iure repraesentationis cum parentum suorum fratribus et sororibus ad aui auiaeque hereditatem admitti iubet, *nach laut gemeiner geschriebener Keyserlicher Recht, der Gewonheit, so an etlichen Orten darwieder seyn moecht, vnangesehen cet.*

§. CIII.

In primis ex Ordin. iud.

Anno 1507. Ratisbonae prodiit noua camaralis iudicii forma, cuius nullus est titulus, nulla paragraphus, in qua non ius ciuile et canonicum,

nicum, eorumque glossae, itemque Cynus, Panormitanus, Bartolus, Baldus, Speculator, Rofredus, similesque heroës, vtramque paginam faciant. Sequuta est anno 1512. *Constitutio, de notariis*, in cuius §. 1. statim hi suo munere fungi iubentur: *nach Inhalt gemeiner Rechten oder loeblicher Gewohnheit vnd Gebrauch ieder Orts*: deinde §. 3. forma instrumentorum praescribitur, *wie dieselbe von gemeinen Rechten*, (*Nou. XXXXVII. LXXII. et LXXIIII. Brauch, Vbung, vnd Gewonheit eingefuehret ist.* Titulus porro de testamentis totus ex iure Romano desumtus est *, addita §. 12. clausula: *es sollen auch alle Notarien des Wissens haben, welche obgemeldte form der Testamenten, als aus Keiserlichen Gesetzen gegeben, mit Fleiss zu halten saumig waeren, dass die zudem, dass die Testamenta, so anders gemacht wurden, von Keyserlichen Rechten nicht bestaendig seyn, die Peen des Rechten darum zu leyden, sich nicht enthalten moegen.*

cam. 1507. et Constitutione de notariis.

* Ita tamen vt, qui constitutionem illam in chartam coniecerunt, plus videantur glossae, quam ipsi iuris textui tribuisse. Exemplo insigni de militari testamento, in cuius forma describenda glossam magis, quam veteres leges sequuti sunt, id probari potest quam luculentissime. Doctrinam vero veterum ICtorum et glossatorum hic diligenter contulit Vigl. Zuichem. *in Comment. ad §. 1. Inst. de milit. test.*

§. CIIII.

Multo magis itaque Carolus V. iuris Romani vsum in Germania firmare studuit. Sane anno 1521. in *Recessu Wormatiensi* §. 17. *sequ.* cauetur, primo vt nepotes neptesque in stirpes auo auiaeque succedant, cum parentum suorum fratribus et sororibus: deinde vt fratrum sororumque liberi vna cum defunctі fratribus sororibusque iure repraesentationis admittantur: abolitis consuetudinibus contrariis. Qua de re et singulare edictum paullo post per imperium promulgatum est. Denique vt de casu, vtrum fratrum sororumque liberi, si soli sint, in capita, an in stirpes succedant? a Regimento imperii decisio promulgetur. Sic et anno 1529. *in Edicto contra anabaptistas* edito reiterationem baptismi morte luendam monet, (*dass in Keyserlichen Gesetzen die Vmbtauffung bay strase des Todes verbothen*). Vbi sane prouocat *ad tit. C. ne sacr. bapt. iteretur* *.

Necnon ex constitutionibus Caroli V. imp.

* Equidem Conr. Sincerus, id est, Culpis. *in Dissert. epistolica* §. 80. per verba *des Reichs gemeine Rechte*, intelligenda putat iura Germanica, per *gemeine Rechte*, vel *Kayserliche Rechte*, ius ciuile Romanum. Sed expenderunt iam hanc sententiam Strykius in *Diss. prooem. vs. hod. Pand.* §. 25. Datt. *de Pace publ. Lib. IIII. cap. 1. §. 117. sequ.* Thomas. Cautel. *circa praecognitur. eccles. cap. 12. §. 4. sequ.*

§. CV.

Paullo post anno 1532. in comitiis Ratisbonensibus promulgata est CONSTITVTIO CRIMINALIS CAROLINA, in qua passim iudices ad ius Romanum remittuntur, *auf die Keyserliche beschriebene Rechte*, *art.* 117. et 135. *auf die Keyserlichen Rechte*, *art.* 121. Quin *art.* 104. 118. et 120. ius ciuile vocatur *die Satzungen unserer Vorfahren, vnd vnser Keyserlichen Rechten.* Quae eo magis notanda videntur, quo cer-

Praecipue Constitutione criminali.

certius hodie constat, constitutionem illam criminalem tum non primum natam, sed ex antiquioribus ordinationibus et *proiectis*, vt vocant, compilatam esse *. Thomas. *Diss. de occas. concept. et intent. Constit. crimin. Ludouic. Praefat. Comm. in Const. crim. et Kress. Praef.* §. 13. *seq.*

* Existimabat Thomasius, constitutionem criminalem descriptam fere esse ex Georgii, episcopi Bambergensis, Constitutione criminali, quippe quae iam 1508. prodierit, sub titulo *Bambergische Hals-Gerichts-und rechtliche Ordnung in peinlichen Sachen*, et saepius postea recusa, anno 1510. 1531. et 1543. et nouissime a Ludouici, et criminali Carolinae in plerisque similis. Sequutus illum est Ludouici, qui constitutionem Bambergensem nostrae veluti parentem facit, sororem vero Brandenburgensem, quam *anno* 1516. publicarunt Georgius et Casimirus, marchiones Brandenburgenses, ipse vero Ludouici cum Bambergensi itidem recusam dedit. At praeclare demonstrauit Io. Paullus Kressius *praef. Comm. in Const. crim.* §. 15. *sequ.* primam constitutionem criminalem contectam esse a Maximiliano I. imp. et quidem iam anno 1495. quamuis fortassis auctoritatem publicae legis non habuerit. Ex hac ergo pleraque decerpsisse primum anno 1508. Georgium, episc. Bambergensem, deinde anno 1510. Vdalricum Tenglerum, ducalem Altipolensis prouinciae praesidem (*Landvoigt zu Hochstedt*) *im Layen-Spiegel*, de quo videndus coniunctissimus olim collega, Hoffmannus in *Differt. de insign. defect. iurisprud. crimin. Germ. cap.* 1. §. 18. *pag.* 36. *sequ.* anno 1516. Georgium et Casimirum, marchiones Brandenburgenses, ac denique anno 1532. Carolum V. imp.

§. CVI.

Non tamen penitus repudiatum ius Germanicum.

Quamuis vero ex his satis adpareat, nihil reliqui factum esse sub Maximiliano. et Carolo V. vt ius Romanum et canonicum iuris communis nomine in imperio reciperetur: semper tamen simul cautum est, vt foris ideo non extorres essent leges ac consuetudines patriae, quippe quae fere semper nominatim confirmantur in constitutionibus imperii. Maximilianus I. *in Ord. iud. camar. anno* 1495. *Ein ieder soll seine Vnterthanen in ordentlichen Gerichten, Rechten vnd Obrigkeiten lassen vnd halten, nach eines iedem Fürstenthums, Herrschafft vnd Oberkeits Herkommen vnd Gebräuchen*. Et Carolus V. *in Ordin.* anno 1521. adsessores iureiurando obstringi iubet, vt iudicent, *nach redlichen ehrbaren vnd laendischen Ordnungen, Statuten, vnd Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschafften, vnd Gericht, die vor sie bracht werden*. Id quod deinde saepe numero repetitum esse, iam ab aliis obseruatum est. Vid. *Constit. crim. Car. praefat. et art.* 140.

§. CVII.

Potius protestationes interpositae, quoties id actum.

Quin eo factum est, vt, si quando iuris Romani vsus ordinibus obtruderetur paullo importunius, hi interpositis protestationibus, iura patria sibi reseruarent. Ita electorem Saxoniae protestatum nouimus, leges de successionibus ab intestato iuri Saxonico fraudi non futuras *. Vid Speidelius *in Speculo sub voce Sachsen-Recht*. Thomas. *Differt. de potestate legislat. stat. imp. contra ius commune*, §. 51. *sequ.* Quumque Nemesis Carolina multa ex iure communi sanxisset, similem protestationem interposuere multi imperii ordines, in primis elector Brandenburgicus, elector Palatinus, et hi quidem omnes ex ea ratione, quod

quod iuribus patriae ea constitutione derogatum vellent imperator et ordines. Kress. *Praefat.* §. 21. *sequ.*

* At sunt, qui hanc protestationem vocant in dubium. Obseruauit enim collega olim coniunctissimus Chr. Gottfr. Hoffmannus, in *Diss. de Ioachimi I. elect. Brandenb. Constitut. de success. pag.* 92. hanc protestationem non a Friderico electore, sed a Georgio, duce Saxon. interpositam esse, nec eam ad ipsam constitutionem de iure repraesentationis, sed ad controuersiam de iure προεδρίας, quae tum inter Saxones et Bauaros gliscebat, pertinuisse. Vtcumque se res habeat: certum sane est, id ius tum Saxones non recepisse, nec hodie illud omnes admittere.

§. CVIII.

Status iuris Germanici Romani sub sequentibus imperatoribus.

Eadem iuris facies fuit et sub Ferdinando I. omnibusque insequentibus imperatoribus. Quum enim et camarale iudicium, deficientibus legibus et constitutionibus patriis, iura communia sequeretur, idque ipsis in omnibus ordinationibus, et maxime postrema *anno* 1654. iniungeretur: *Part. I. tit.* 13. §. 1. *et Part. III. tit.* 53. §. 9. et idem postea iudicio aulico ab imperatoribus praescriberetur *, ipsi quoque imperii Recessus, quoties de iure priuato vel modo procedendi forensi aliquid sanciunt, fere semper iuri Romano vel canonico suffragentur: facile est ad intelligendum, magis magisque inualuisse iuris communis auctoritatem, ita tamen, vt sua in primis iuribus ac consuetudinibus patriis constaret auctoritas.

* De ordinationibus variis huic iudicio praescriptis (*von Reichs-Hof-Raths-Ordnungen*) ex instituto egit Er. Mauritius *de iudic. aulico*; §. 19. Prima est Ferdinandi I. Augustae 1550. promulgata; postrema Ferdinandi III. Ratisbonae anno 1654. publicata, in qua *tit.* 7. §. 22. consiliarii aulici iurare iubentur *auf des Reichs Constitutionen und Satzungen, nebst den gemeinen beschriebenen Rechten*, et in fine tituli §. 24. praecipitur, *dass das Corpus iuris ciuilis et Canonici allezeit auf der Reichs-Hoffraths-Tafel seyn solle, damit man sich derselben gebrauchen koenne*.

§. CVIIII.

Prouinciae quaedam repudiato iure patrio sese Romano submiserunt, veluti Frisia.

At quod ad ordines et prouincias vrbesque Germaniae attinet, eorum aliis diligentior patrii iuris mansit custodia, alii repudiato illo, Romano se plane submiserunt. Exemplo praeiuerat sub initium saeculi XVI. FRISIA, de qua Zach. Huberus, *in praef. Obseru. rer. iud. Cent. I. Exortis diu post bellis plus quam ciuilibus, quibus per omne saeculum decimum quintum concussa et turbata fuit Frisia, procax haec licentia miscuit eam, et quidquid ibi iuris legumque superfuerat, e medio sustulit: donec tandem Saxoniae duces,* ALBERTVS et GEORGIVS, *quorum ille belli, hic pacis artibus sua aetate in Germania maxima laude claruerunt, gentem factionibus diuisam, armis efferatam, humanarum diuinarumque legum nesciam, ac insolentem, rerum potiti, in ordinem redegerunt, constituta ciuili reipublicae forma, et stabilita,* GEORGII *potissimum opera, curia suprema, cui datum id negotii fuit, vt ius Romanum tamquam suae iuris dictionis principium certum vnice sequeretur, ad dirimendas ciuium lites quotidianas* *. Conf. Vbb. Emm. *Hist. Fris. Lib. II.*

* Idem

* Idem testatur, Frisios posthaec ea lege se submisisse Carolo V. imp. *vt ius fori redderetur, secundum praescripta legum Romanarum*, idque sibi eo pacto conuento esse stipulatos. Praesens etiam ipse obseruaui, sanctissime ibi coli Themidem Romanam, ipsaque Statuta Frisiae anno 1722. reuisa et locupletata pauca superaddere, quae a iure illo communi longius recedant.

§. CX.

Marchia Brandenburgica. Ita et in MARCHIA BRANDENBVRGICA repudium iuri Saxonico missum anno 1527. quo IOACHIMVS I. elector edidit *Constitutionem de successionibus ab intestato*, et in praefatione fatetur, se cum consensu ordinum omnes constitutiones, priuilegia, et consuetudines abrogasse, iisdemque ordines omnes renunciasse. Et quamuis scabinatum Brandeburgensem confirmet, eum tamen iubet pronunciare secundum illam constitutionem, *vnd in andern Sachen nach beschriebenen Kayserlichen Recht*. Idem factum et anno 1534. *in dem Landes-Reuers* *. Reliquos imitati sunt NOVAE MARCHIAE ordines, vt profitetur Ioannes marchio *im Land-Tages-Abschied* anno 1539. Et quamuis ius Saxonicum relinqueretur *denen VVeichbildern, Crossen, Cotbuss, Zullichaw*, et *Sommerfeld*, diserte tamen excipiuntur *die beyde Articuli, die Succession vnd Erbfaelle belangend*.

* Verba Reuersalium in codice meo MSCto variorum Recessuum Marchicorum ita se habent: *Vnd vveil bevormals die Staendte vnser Landschafft sich eintraechtiglich mit vns vereiniget, dass hinfürder in unserm Churfurstenthum vnd Landen Kayser-Recht gehalten vnd gesprochen soll vverden; derovvegen sich vnsere Praelaten, Herren, Mann vnd Staedte aller Gebraeuch vnd Gevvohnheiten voriger, Gerichte vnd Rechtens verziehen vnd abgesagt: so ordnen vnd vvollen vvir, dass hinfürder in Erbtheilungen kein Heergevvedde, Gerade noch Mustheil soll genommen, noch gegeben vverden, besondern in dem vnd andern allen Kayser-Recht dergestalt, vvie hiebevor in vnser aufgerichten Constitution vnd Ordnung der Erbfaelle geordnet, durch jedermanniglich solle gehalten vverden.* Idem deinde saepius sancitum, veluti in recessibus prouincialibus 1538. et 1572.

§. CXI.

Ducatus Brunsuicensis et Luneb. Idem de terris BRVNSVICENSIBVS et LVNEBVRGENSIBVS contigit. In illis iam saeculis XIIII. et XV. *geradam* seu *Frawenradam* Saxonicam Helmstadij esse abrogatam a Magno duce Brunsuicensi, et Ioanne et Bertholdo, abbatibus Werthinensibus et Helmstadiensibus, Martino denique Papa V. et Friderico III. imp. ostendit Io. Andr. Schmidius, *de Helmst. per Frawenradam afflicto*, *pag. 6. seqq.* vbi *pag.* 30. addit, in vniuerso ducatu Brunsuicensi et Calembergensi consuetudinem illam demum anno 1625. sub Friderico Vlrico, duce, esse abrogatam. Sed quod ad ipsum ius Saxonicum attinet, illud satis constat, multo ante, saeculo XVI. ab Henrico iuniore esse repudiatum, surrogato in eius locum iure Romano *. Conring. *de orig. iur. Germ. cap. 32. pag.* 203. Hahn. *praef. Obs. ad VVesenbec. pag.* 18.

* Quumque Brunsuicum, ciuitas, ius Saxonicum mordicus adhuc tenuisset: ea potiti duces Brunsuicenses et ibi illud plane aboleuerunt. Constitutionem Rudolphi Augusti ducis Brunsuic. et Luneb. anno 1675. ea de re editam recenset Strykius in *Diss. proaem. Vs. mod. Dig.* §. 30.

§. CXII.

§. CXII.

Eadem iuris Saxonici fata in aliis prouinciis fuerunt, veluti in POMERANIA et ducatu MECLENBVRGICO, (vid. Cothmann. *Vol. I. consil. 26. num. 219. seq.*) nec non iuris Sueuici in ducatu WVRTENBERGICO, vbi iudicibus negotium datur, *so nicht andere redliche vnd ehrbare Gewonheiten vorhanden, nach des H. Reichs-Rechten gleich zu richten. VVurtemb. Hof-Gerichts-Ordn. Part. I. tit. 9.* Qualia et in aliorum principum ordinationibus et constitutionibus passim legas. Vid. *erneurte Anhalt. Canzley-Ordn. §. 27. Magdeb. Policey-Ordn. in praef.* Quod eo minus mirandum, quo magis constat, ne in ipsa quidem Saxonia iuris Saxonici totius vsum superesse, sed ipsos Saxonum prudentes fateri, illud valere, quatenus sit receptum. Hartm. Pistor. *Quaest. I. 16. 21. II. 13. 82. II. 25. 35. II. 26. 17.* Carpzov. *Process. XII. 1. 15.* Coler. *de Process. exsequut. in praefat.* Aliaeque Germaniae prouinciae.

§. CXIII.

Quae iuris Romani incrementa haud parum adiuuit felix illa temporum reparatio, qua sub initium saeculi XVI. purior doctrina Christiana veluti reuiuiscere in Germania coepit. Quo minus enim iuri canonico fauere poterant Protestantium theologi, quod Lutherus flammis absumere non dubitarat: eo magis euehebant ius Romanum. Vid. Luth. *Comm. ad Genes. XXIIII. 1. Tom. VIIII. Altenburg.* Reformatio religionis iuris Rom. incrementa adiuuit.

§. CXIIII.

Denique obseruandum, omnes fere principes Germaniae a saeculo XVI. edere coepisse varias leges prouinciales inscriptas, *Land-Rechte*, *Policey-Ordnungen*, *Hof-Gerichts*, *Cantzley*, *Process-Gerichts-Ordnungen*, *Kirchen-Consistorial-Ehe-Ordnungen*, et innumeras huius generis alias. Idem fecere ciuitates tum imperiales, tum municipales, in quibus passim condita varia *Statuta*, *Reformationes*, et *VVillkühre*, quorum pleraque et principes territoriorum rata habuerunt. In his passim supersunt quaedam iuris Germanici reliquiae, at multa vbique de nouo sancita, pleraque ex iure Romano in illa translata animaduertimus. Varia iura prouincialia et statuta.

§. CXV.

Iam ex his facile patet, quid de vsu iuris Romani et Germanici post tot eximiorum ICtorum concertationes tenendum videatur. Receptum sane esse ius Romanum, et quidem tamquam ius commune et subsidiarium, nemo temere negauerit, quum ipsa experientia id satis demonstret. Ac proinde primo loco tenendum I. *eum, qui iure illo nititur, eatenus firmo satis fundamento niti, neque ad receptionem probandam esse obstrictum.* De vsu iurium cum patrii tum peregrinorum Regula I.

§. CXVI.

At quum recepto iure Romano, non ideo in exsilium plane actum sit ius patrium: consequens est, II. *vt primo omnium secundum ius Germanicum pronunciandum, eoque demum deficiente, Romanum in subsidium sit adhibendum:* III. *vtque adeo bene illi sibi suisque studiis* Reg. II. et III.

diis consulant, qui IVRIS ROMANI et PATRII differentias mature inuestigant.

§. CXVII.

Reg. IIII. et V. Enimuero iam supra ostendimus, Capitularia regum Francorum, multoque magis leges Wisigothorum, Burgundionum, Salicam, Ripuariam, Baiuuariorum, Alamannorum, Saxonum, Angliorum, Werinorum, Frisiorum, Langobardorum, iam ante plurima saecula exoleuisse, ex eoque colligimus IIII. *non esse ius Germanicum ex illis priscis Germanicarum gentium legibus aestimandum**. Quin quum hae gentes diuersissimis maximam partem vsae sint consuetudinibus: ex eo facile vnusquisque animaduertit, V. *laterem eos lauare, qui ex tam diuersarum gentium legibus et institutis; quae principiis diuersissimis nituntur, corpus et systema aliquod iuris Germanici consui, sibi persuadent.*

* Itaque ius Germanicum hodiernum, cuius passim reliquiae supersunt, egregie quidem illustrari potest ex his aliisque gentium Germanicarum legibus: sed qui illis vsum forensem hodie tribuunt, illis probatio incumbet, omnes illas leges iam olim in Germania vniuersa receptas fuisse. Quod quum vel cogitare absonum est, et multo magis absurdum erit, ex iure Wisigothico vel Burgundionum ostendere velle, quale e. g. in hoc tractu Germaniae ius patrium olim viguerit.

§. CXVIII.

Reg. VI. et VII. Multo maior quidem pro iure Saxonico et Alamannico praesumtio est, quia illud in inferiore, hoc in superiore Germania maximae fuit auctoritatis. Sed, quum iura illa, alibi desuetudine exoleuisse, alibi lege publica abrogata, et nusquam plane tota recepta esse, demonstratum sit: per se patet, VI. *iura illa citantem non habere fundatam intentionem, nisi eorum vsum in ea prouincia, in hoc vel illo capite, superesse ostenderit.* Quid? quod VII. *ne in Saxonia quidem allegatio iuris Saxonici alicuius momenti sit, nisi vel vsus probetur, vel de eo aliunde iam satis constet.*

§. CXVIIII.

Reg. VIII. VIIII. et X. Itaque satis patet VIII. *multos inuehi in ius Romanum, multos iuris Germanici vsum mirifice commendare, qui quale sit illud ius Germanicum, quod tantopere commendant, scire cum ignarissimis videntur.* Eosdem vero VIIII. *incredibile damnum inferre reipublicae, dum ius Romanum certum, et a tot saeculis magno studio excultum, manibus iuuenum extorquere conantur, neque tamen ius patrium certius, et quod pro norma tuto sequi possint, illis ostendunt.* Ex quo sane verendum, X. *ne demum plane omnis iuris certitudo in scholis et foro tollatur.*

§. CXX.

Reg. XI. XII. et XIII. Vt ergo pateat, quale sit illud ius Germanicum, cuius primo omnium in dirimendis litibus rationem esse habendam diximus: sciendum XI. *esse quasdam consuetudines Germanorum vniuersales*, v. g. pacta nuda producere obligationem et actionem, liberos per separatum

paratam oeconomiam exire patria poteſtate, cet. *quas tuto ſane ſequimur, etiamſi nulla ſcripta lege firmatae ſint, niſi probetur, eas quibuſdam caſibus legibus reſtrictas eſſe*. Deinde XII. *multa Germanorum inſtituta paſſim confirmata eſſe ſtatutis et legibus Germanorum, immo ipſis aliquando Receſſibus imperii*, e. g. confirmationem tutorum, *quae itidem nulla probatione indiget*: denique XIII. *paſſim vigere conſuetudines particulares, nulla lege ſcripta firmatas* e. g. ius congrui, paroemiam: maior diuidit, minor eligit, *quarum vſus ex actuum conformium frequentia merito probandus eſt*. Tales ſunt veteres Germanorum conſuetudines, quas collegerunt Schottelius, *von unterſchiedlichen Rechten in Deutſchland*, et Struu. *Hiſt. iur. VI. 34. ſeq.*

§. CXXI.

Si tale nihil occurrat, XIIII. *merito ad ſtatuta topica, et his deficientibus, ad iura prouincialia reſpicitur, in quibus multa quis latere videbit iuris patrii λείψανα* *, *quae ſiue adhuc ſincera ſint, ſiue iuris Romani laciniis deformata, pro norma eſſe debent iudicibus*. Multoque minus quiſquam dubitabit, XV. *quin ſicubi ſtatuta et iura prouincialia ius Romanum in uno alteroue capite mutant, in iſta iuris patrii diſpoſitione ſit adquieſcendum*. Reg. XIIII. et XV.

* Sic multa paſſim in ſtatutis reliqua ſunt ex iure Alamannico et Saxonico. De hoc nemo dubitarit, qui iura prouincialia Magdeburgica, Halberſtadienſia, Anhaltina perlegerit. De Alamannico iam obſeruauit Goldaſtus *in Praeſ. der Reichs-Satzungen: es ſey der Schwaben-Spiegel bey den Schwaben in Schwaebiſchen Gebieten, als Algeuvern, Schweitzern, Plindinern, und Burgundiern, noch zu guten Theil im Schwanck, und in ihre Statuta gezogen*. Vnde a ſcopo aberrauit Steph. Chriſtoph. Harprechtus, dum *Speculi Sueuici* non vſum demonſtraturus, multa ICtorum reſponſa corraſit, ſuper quaeſtionibus, *utrum ius feudale Alamannicum publice doceatur, et in decidendo pro norma habeatur, an ius feudale Langobardicum?* Quamuis enim nec publice doceatur, nec in reſponſis allegetur; multa tamen ex eo vel moribus adhuc obtinere, vel lege ſcripta confirmata eſſe, nemo dubitat.

§. CXXII.

Deficientibus eius modi ſtatutis, iuribuſque prouincialibus, XVI. nihil reliquum eſt, quam *vt ius Romanum in ſubſidium adhibeatur*. Id quod etiam XVII. *de* IVRE FEVDALI LANGOBARDICO *intelligendum, quippe vna cum Corpore iuris Iuſtinianei ſimul recepto, tamquam iure feudali ſubſidiario* *, *ſi conſuetudines feudales patriae deficiant*. Reg. XVI. et XVII.

* Schilterus *ad. ius feud. Alam. cap.* 40. §. 4. 5. producit duo diplomata Ruperti Palatini, regis Rom. in quorum vtroque *mentio fit conſuetudinum feudorum, vſuum ſcriptorum et non ſcriptorum, praeſertim Capituli Naturales in rubrica, ſi de feudo controuerſia fuerit, collatione X. in libro feudorum*. Germanice: *Des Geſetzes und Gewonheit in Kayſerlichen Lehn-Rechten begriffen, und in dem Capitel, das anfahet Naturales der Rubricen, ob umb Lehn zweytracht waere*. Vtrumque diploma datum eſt anno 1409.

§. CXXIII.

Attamen nullum eſt dubium, quin XVIII. *ea, quae ius Romanum ſancit, ad ius publicum Rom. pertinentia, nec non quae principiis Re-* Reg. XVIII.

mancrum, reipublicae nostrae parum concinnis, nituntur, nullum in forum nostris vsum habeant, nisi recepta esse probentur. Quamuis hic Io. Ottonem Taborem aliosque dissentire, non ignoremus.

§. CXXIIII.

Reg. XVIIII. Denique XVIIII. IVS CANONICVM *in Protestantium foris non nisi quatenus receptum est, valere, eiusque vsum in caussis praecipue ecclesiasticis, matrimonialibus, et processu, quem vocant, forensi superesse*, iam ab aliis, et praecipue Boehmero ἐξ ἐπαγωγῆς, seu *per inductionem*, ostensum est in opere eximio *de iure ecclesiastico Protestantium*.

F I N I S.

IN-

INDEX I.

SERIES CAPITVM.

LIB. I.

DE ORIGINE, PROGRESSV, VARIISQVE MVTATIONIBVS IVRIS ROMANI.

LIB. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSV IVRIS GERMANICI.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IIII.

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

Primus numerus designat Librum, *alter* Paragraphum, *Asteriscus* Additamentum.

Agi-

Ar-

B.

Be-

C.

D.

 Di-

E.

H.

I.

Inno-

Ar-

B.

Be-

C.

D.

E.

G.

Gr.

Inno-

Rom.

K.

L.

LEGVM ROMANARVM RECENSIO.

LEGVM GERMANICARVM RECENSIO.

P.

P.

Q.

Sabi-

T.

V.

IO:

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IC. ET ANTECESSORIS,

ELEMENTA IVRIS CIVILIS

SECVNDVM

ORDINEM INSTITVTIONVM,

COMMODA AVDITORIBVS METHODO

ADORNATA.

EDITIO SEXTA, PRIORIBVS MVLTO AVCTIOR ET CASTIGATIOR.

N E A P O L I

IMPENSIS DONATI CAMPI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

Lementa haec iuris, quae, adornata in vsum auditorum, scriniis meis excidere passus sum, ea tibi lege exhibeo, candide lector, ne illico poscas tabellam, neque me prius, quam caussam dixerim, praecipiti suffragio condemnes. Quamuis enim in tanto libellorum huius generis prouentu nihil tibi opus esse videatur lucubratione mea, & ipse ego satis intelligam, non tantum mihi esse vel auctoritatis, vel doctrinae, vt me tot celeberrimorum virorum diligentiam imitaturum, nedum aliquid rectius et praestabilius traditurum, confidam: tamen, si instituti mei rationes, si genus scribendi, et ipsum, quo singula tradidi, ordinem paullo adcuratius expenderis, constabit mihi, vt opinor, otii ratio, et de iudicio aequitateque tua spem paullo meliorem concipere licebit. Quare vt, quae tandem illa sint, in quibus et aliquam operam posuisse me dico, dum libellum hunc concinnaui, et multam ponendam esse omnibus, qui adornandis iurisprudentiae praeceptis animum adiiciunt, puto, intelligas: exponam ea, vt potero, breuiter, tibique facultatem faciam, ex iis de insumta huic opusculo opera, eiusque fructu iudicandi.

Primum, vt instituti rationem perspicias, liceat mihi pace tua rem paullo altius ordiri ab iis temporibus, quibus IRNERIVS eiusque successores studium aliquod iuris Romani, iam paene sepulti, hominibus iniecerunt. Quum his ratio interpretandi iura ἀναλυτικὴ videretur pulcherrima; id sibi negotii credebant solum dari, vt diffusum istud iuris Iustinianei volumen, vel amplissimis commentariis, vel scholiis breuioribus illustratum, in cathedra proponerent, et ita leguleios a se formatos dimitterent in fora, ibi non sine vberrimo quaestu in fas nefasque verba et iras suas locaturos. Verum ea docendi ratione, pro tironum captu, et eorum temporum caligine, nihil poterat reperiri deterius. Primum enim quum ab elegantiorum litterarum, historiarum, ac philosophiae praesidiis, quae ἀνάλυσις requirit, plane destituti tantum opus adgrederentur: ipsi sibi praescripserunt leges istas interpretandi, quas a GVIDONE PANCIROLO (a) exponi animaduertimus, taediosissimas, quibus adstricti tot verba inania faciebant, tot nihil ad rem pertinentes quaestiones mouebant, vt tironibus, qui se huic oceano commiserant, vix vlla spes esset, illum vmquam enauigandi. Deinde, si qui inter illitteratissimas illas litteras consenuissent, id essent diuturnis vigiliis consequuti, vt vniuersum ius Iustinianeum, Bartoli et Accursii absinthio probe conditum, deuorassent: tamen et hi non tam veram iurisprudentiam, sibi per omnia similem et inter se cohaerentem, quam aliquam eius vmbram, tenebant. Fieri enim non potest, ut disciplinam aliquam videatur adsequutus, qui, neglectis principiis, quasdam eo pertinentes quaestiunculas edidicerit: nec tirones tam sunt perspicaci ingenio, vt ex tot relatis in Digesta et Codicem veterum legum fragmentis, id est, ex dispersis Hippolyti membris, iustum sibi iurisprudentiae cor-

pus

(a) *De clar. leg. interpret. Lib. II. cap. 6.*

esse paullo difficiliorem, facile largior, et hinc factum existimo, vt ea paucioribus, quam quidem merebatur, placeret. Nam qui eam sequuntur, eis primum perspectas esse oportet iurium rationes, quas nemo facile intellexerit, nisi paullo accuratiore antiquitatum Romanarum, philosophiae Stoicae et iuris anteiustinianei notitia instructus. Deinde quum hic conclusiones omnes ad principia sua reuocandae sint: non satis feliciter tantum opus adgredietur, nisi qui eam praeterea didicerit artem, *quae docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus positis, essent, quaeque non essent consequentia*. Quam facultatem dum summo illi ICto tribuit CICERO, (*a*) ea sola id effectum esse arbitratur, *vt, quum iuris ciuilis magnus vsus apud multos fuerit, ars in solo Ser. Sulpicio reperiretur*. Postremo et in melioris aeui ICtorum aeternis operibus eum non mediocriter versatum esse decet, qui hoc capit consilium. Ii enim passim, ex quibus fontibus iura Romanorum promanarint, acute perspexerunt, et explicarunt solide.

Haec de instituti mei ratione. Etsi autem satis intelligo, me, ab istis praesidiis vix mediocriter instructum, longe ab illa ingenii felicitate, quae ad hoc perficiendum requiritur, abesse, iuuit tamen vel periculum facere tam praeclarae exercitationis, si forte alios, rebus omnibus instructiores, commouere, et ad eamdem suscipiendam cogitationem excitare possem. Conatus itaque sum, quam praeclare ius nostrum cohaereat, specimine aliquo commonstrare, simulque re ipsa refellere eorum opinionem, qui omnia in iurispru- dentia

(*a*) BRVT. *cap.* 41.

dentia fastidiunt, et pleraque, si non absurda et stolida, saltim ἀνακόλουθα et sui dissimillima esse contendunt; a qua sententia, quo maiores in iure progressus facio, eo magis me quotidie fieri intelligo alienum.

Genus dicendi neque artificiosum adhibui, (quas phaleras huius generis libellis haud conuenire arbitror,) neque barbarum, neque diffusum, neque abruptum, et sua breuitate obscurum, probe memor, me cum auditoribus, non cum Euandri matre, loqui, nec vmquam in eorum ingressus sententiam, qui ius non posse doceri censent, nisi adhibeatur horridum, incomtum, et inficetum quoddam dicendi genus, quo glossatores vsos animaduertimus, et nisi scripta vbique redoleant illud pus Accursianum, illam saniem, illud virus, quod optima quaeuis ingenia auertit et exanimat.

Denique eum ordinem seruaui, quem scopo meo credidi adcommodatissimum. Notionibus enim rerum paullo distinctioribus inuestigatis, inde definitiones elicui, seruatis plerumque antiquis, si probae essent, vel nouis, si istae haud satisfacerent, constructis. Hinc progressus sum ad axiomata, quo nomine propositiones, ex definitionibus ἀμέσως fluentes, intelligo. Haec excipiunt corollaria vel consectaria, ita disposita, vt ea, quae ex vno eodemque axiomate fluunt, semper coniungantur. His adscripsi leges potiores, vt adpareret, illa consectaria in libris Iustinianeis omnino reperiri. Saepe et ex pluribus definitionibus inter se comparatis doctrinas quasdam collegi, imitatus geometras, qui eius generis propositiones, si theoreticae sint, theoremata; sin practicae, problemata solent adpellare. Aliquando et scholia inspersi, quibus vel doctrinae paullo difficiliores illustrarentur, vel id aliunde demonstraretur, quod in ipso paragrapho fuerat traditum, vel iuris

iuris antiqui a nouo discrimen explicaretur. Quum pleraque vna veluti serie cohaereant: nolui paragraphorum numerum in singulis titulis abrumpere. Cuius instituti hunc quoque fructum cepi, vt ex quo principio singulae conclusiones fluant, citato per parenthesin paragrapho, eo facilius possem commonstrare. Vt vtilitatem harum citationum intelligas, exemplo illam ostendam. Diximus §. 728. arrogatori olim omnes res, corporales et incorporales arrogati pleno iure fuisse adquisitas. Si rationem quaeris: eam ostendent paragraphi, quos citauimus 179. et 472. quia videlicet arrogatio sit modus adquirendi patriam potestatem, et pater veteri iure omnia indistincte per filium adquisiuerit. Si porro scire aueas, cur liberi omnia parentibus adquisiuerint, rationem reddet citatus ibi §. 135. vbi ostensum, patriam potestatem vere fuisse dominium iuris Quiritium: dominum autem per rem suam adquirere, nemo dubitat. Atqui forsan dubium videbitur, liberos in dominio iuris Quiritium fuisse; sed eximet scrupulum idem paragraphus, vbi liberos ratione patris fuisse res mancipi, demonstrauimus. Quis vero dubitet, res posse esse in dominio? Porro mirum videbitur, liberos fuisse res, quum fuerint homines. Sed et hic in viam te reuocabit §. 76. *sequ.* ibi adscriptus, vbi ostendimus, qui nullo statu ciuili gauisus sit, eum hominem quidem habitum fuisse, sed non personam, ceu ex ipsa definitione personae adparet. Maximam itaque vtilitatem ex his citationibus capies, si iis dextre vteris. Ceterum aequitatem tuam, beneuole lector, vbi quid peccatum existimabis, spero, id uniceprecatus, ne, si qua conclusio tibi displiceat, me illico condemnes, nisi simul destruxeris principium, ex quo illam deriuaui. Alioquin haud absimilis futurus esses scholastico illi faceto apud Hieroclem, qui,

domum

domum venditurus, euulſum ex illa lapidem in ſpecimen circumferebat. Non magis enim de huius generis libellis ex vna propoſitione, extra nexum ſuum poſita, quam de aedibus ex lapide vno pariete euulſo, poteſt iudicari. Tu vale, candide lector, et, ſi vitam produxerit Deus, Pandectas etiam, adcuratiſſime diſpoſitas, a me exſpecta.

Scripſeram haec ante biennium. Iam altera prodit editio, in qua et menda quamplurima ſuſtuli, et numeros omnes, quos turbatos animaduerti, reſtitui, quaedam etiam, quae vel dubia, vel obſcuriora videbantur, illuſtraui. Quas curas poſteriores vti auſpicatas eſſe iubeat ſupremum Numen, ex animo precor. *Franequerae* e muſeo ipſis Kal. Martiis cIↄIↄccxxvII.

IO

IO. GOT. HEINECCII, I. C.

ELEMENTA IVRIS

SECVNDVM ORDINEM

INSTITVTIONVM.

PROOEMIVM.

§. I.

Iuris antiqui moles.

QVVM ius Romanum in tantam molem paullatim excreuisset, vt iam LIVIVS *Lib. III. cap.* 34. illud *immensum aliarum super alias aceruatarum legum cumulum*; EVNAPIVS vero *in Vita Aedes. pag.* 92. ἄχθος καμήλων πολλῶν, *multorum camelorum onus*, adpellare non dubitent, omnino e republica videbatur, tam diffusam, ac per tot volumina dispersam iurisprudentiam in vnum veluti corpus compingi. *Const. tanta pr. et* §. 1. *de Confirm. Digest.*

§. II.

Eius collectio ante Iustinianum frustra tentata.

Quamuis vero nec Ciceroni, qui id consilium, teste GELLIO *Lib. I. cap.* 22. ceperat, nec Cn Pompeio, quem ISIDORVS *Orig. Lib. V. cap.* 1. nec denique Iulio Caesari, quem SVETONIVS *Iul. cap.* 44. de huius modi collectione cogitasse ferunt, is labor successerit: felicior tamen ea in re saeculo VI. fuit FLAVIVS IVSTINIANVS, Imperator.

§. III.

Iustiniani mores et ingenium.

Hic obscuro loco natus, adoptatusque ab auunculo Iustino Illyrico, Imperatore, IVSTINIANI nomen, ipsumque per Orientem imperium accepit, anno saeculi sexti vicesimo septimo, eique per quadraginta fere annos praefuit, Princeps, non quidem a vitiis immunis, quae iusto acrius PROCOPIVS *in anecdotis* insectatur; nec tamen illitteratus, multoque minus ἀναλφάβητος, (vt quidam ex deprauato loco SVIDAE, *Iustinianum* et *Iustinum*, confundentis, perperam colligunt *,)

nec ab omni prudentia legislatoria, qualem illa saecula ferebant, destitutus.

* PROCOPIVS *Gothic. Lib. III.* Iustinianum magis in dogmatum, quam reipublicae cura defixum fuisse ait. Theodahatus et Vitiges apud CASSIODOR. *Var. Lib. X. epist.* 9. 22. 31. eius doctrinam et sapientiam laudant. Alia Vigilii et Eustathii pontificum testimonia Suidae opponit BARON. *Annal. eccles. ad ann.* 528. quum tamen idem sui oblitus eamdem dicam Iustiniano scribat *ad ann.* 551. et merito ideo castigatus a SCHVRZFLEISCGIO *in Iustiniano Orthodoxo*, §. 11.

§. IIII.

Res bello gestae.

Res, dum imperauit, praeclaras gessit. Nam et bello, cum Persis vario Marte gesto, amissa quaedam recuperauit; (PROCOP. *in Pers. Lib. II. cap.* 19. AGATH. *Lib. IIII. extr.*) et Gelimere, Vandalorum rege, capto, Africam recepit: (PROCOP. *Vandal. Lib. II. cap.* 3.) et victis Vitige, Totila, et Teio, Siciliaque, et magna Italiae parte recepta, finem Gothorum regno in Italia fecit: (PROCOP. *Goth. Lib. IIII. cap.* 32. *). Quos bellicos sudores et triumphos ex parte ipse Imperator memorat §. 1. *prooem. Inst. L.* 1. *pr. et L.* 2. *pr. C. de Offic. praef. praet. Afr.*

* Ex quo facile patet, cur in *prooemio Institutionum Gothici*, *Vandalici*, *Africani*, cognomina nemini suo adscripserit. *Gothos* enim et *Vandalos* perdomuerat, *Africam* receperat, quumque *Alani*, a Vallia, Visigothorum rege, in Lusitania, anno Christi 418. ad internecionem caesi, Gunderico Vandalorum regi se submisissent, [IDAT. *Chron. ad h. ann.*] et hinc cum Vandalis postea a Iustiniano essent excisi: *Alanici* quoque cognomine vti coeperat. Pro *Anticus* equidem EZ. SPANHEM. *de vsu et praest. numism. Diss. XII.* §. 12. *p.* 544. *Tom. II.* legi iubet *Ponticus*. Lazos enim, Abasgos, et Tzanos ad Pontum Euxinum subegerat. Vnde et alibi in *Nou.* XXXXIII. pro *Antico*, vel *Pontico*, se vocat *Lazicum*: quamuis et *Antium* gens tunc sui terrorem circumtulerit, posteaque et Mauricius Imp. diceretur *Anticus*. Vid. HADR. VALES. *Rer. Franc.* XIIII. *pag.* 365. (Verum recte se habere scripturam, probatum dedimus ad BRISSON. *de verbor. quae ad ius pertin. signif. h. v.*) *Germanicum*, *Alamannicum*, *Francicum* frustra se adpellauit, quum non deuicisset eas gentes. Quare eo nomine Iustiniano indignatum esse Theodebertum, Francorum regem, auctor est AGATH. *Lib. I. pag.* 15.

§. V.

Corpus iuris ab eo compilatum, et quidem primo Codex Iustinianeus.

Nec minus in toga profuturus, legibus paullatim rempublicam armauit, siquidem primum opera vsus Triboniani, aliorumque virorum eius aeui iurisperitorum, constitutiones selectas Principum ab Hadriano ad sua tempora, antea in Codices, *Gregorianum*, *Hermogenianum*, et *Theodosianum* collectas, in nouum Codicem * compilari iussit, quem, vt fere alia omnia, a suo nomine IVSTINIANEVM vocauit, editque VII. id. Apr. anno 529. *Constit. summa reip.* §. 3. 4. 5. *de Iustin. Cod. confirm.*

* Ita enim proprie adpellatae sunt constitutionum principalium collectiones. Hinc *οἱ τῶν νομοθετῶν κώδικες* apud ISIDOR. PELVS. *Epist.* IIII. 91. EVAGR. *Hist. eccles.* I. 12.

§. VI.

§. VI.

Deinde sequente anno ad immensa veteris prudentiae volumina *, (quorum duo millia erant, e tricies centenis millibus versuum composita, *L. 2. §. 1. C. de vet. iur. enucl.*) curam suam extendit, ex hisque per XVII. viros conficiendas curauit PANDECTAS, seu DIGESTA, publicata demum XVII. Cal. Ian. anni 533. *L. 2. C. de vet. iur. enucl.* PAVLL. DIAC. *Lib. I. cap. 25.* Deinde Pandectae.

* Nec tamen Pandectae collectae sunt ex iureconsultorum antiquiorum scriptis, sed ex eorum potissimum, qui ab Hadriani temporibus floruerunt, vt Saluii Iuliani, Papiniani, Vlpiani, Paulli, Marcelli aliorumque. Caussa in promtu est. Ab Hadriani enim temporibus per edictum perpetuum et Principum constitutiones ita immutata fuerat iurisprudentia vniuersa, vt nihil vtilitatis redundaturum fuisset ad remp. si ex P. Mucio Scaeuola, Manilio Bruto, aliisque, qui liberam viderant remp. excerpta dari iussisset Iustinianus. Vid. DODWELL. *Praelect. Cambden.* VIII. *pag.* 319. Obiter moneo, [IVRISPRVDENTIAM MEDIAM, cuius mentio fit §. 3. *Inst. de legit. agnat. success.* ab eo tempore, quo praetores ex edictis perpetuis ius dicere lege Cornelia iussi, id est, ab a. v. c. 585. esse inchoandam: NOVA enim, cui *cit.* §. *Inst.* opponitur *media*, non aliunde, quam ab Hadriani temporibus arcessenda videtur; reliqua omnia, quae ante Hadrianum constituta sunt, iura ad ANTIQVAM pertinent. Conf. *Histor. edictor. et edict. perpetui*, *Lib. II. cap. 2.*]

§. VII.

Antequam Pandectae conficerentur, anno 530. Lampadio et Oreste coss. et duobus insequentibus, Iustinianus edidit L. DECISIONES, quibus varios iuris articulos, ob diuersas iureconsultorum sectas * perquam ambiguos (*L. penult. C. de necess. seru. her. inst.*) opera potissimum Triboniani (§. 3. *Inst. de libertin.*) definiuit. Hae deinde in Codicem repetitae praelectionis migrarunt, vnde eas collegerunt, et luculentis commentariis illustrarunt EM. MERILLIVS et IO. STRAVCHIVS. Hinc L. Decisiones.

* Sectae a iureconsultis celeberrimis, Labeone et Capitone, duobus pacis decoribus, natae. *L. 2. §. 7. D. de orig. iur.* A Capitone descendunt Sabinus, vnde *Sabiniani*, et C. Cassius Longinus, vnde *Cassiani*. Labeonis sequaces sunt Nerua, Proculus, vnde *Proculeiani*, et Pegasus, vnde *Pegasiani*. *d. l. 2. §. 47. D. de orig. iur.* De his sectis plura notabimus ad Pandectas. [*Part. I. §. 85. seqq.*]

§. VIII.

Hinc porro INSTITVTIONES ex veterum iureconsultorum enchiridiis, et maxime ex Caii Institutionibus, Triboniani, Dorothei et Theophili * opera conscribendas curauit, vt essent totius legitimae scientiae prima elementa. §. 3. 4. 6. *Inst. proœm.* Nec non Institutiones.

* Qui Theophilus non diuersus est ab eo, cuius Graeca Institutionum exstat paraphrasis. CAR. ANNIB. FABROTTVS dissentit, et obiectat tamen, Theophilum a Thalelaeo citari. Thalelaeus autem procul dubio fuit Iustiniano σύγχρονος. Vid. *Praefat. nostr. ad* VINN. *Comment. in Instit.*

§. VIIII.

Qui libellus, vtut post Pandectas compositus, ante eas tamen publicatus est XI. Kal. Dec. anni 533. Iustiniano A. tertium consule §. 7. *proœm.* At plenissimum illud constitutionum Iustinianearum robur, de Earum publicatio et confirmatio.

de quo §. 6. *prooem.* vna cum Pandectis demum obtinuit ex III. Kal. Ian. anni 533. *L.* 2. §. 23. *C. de vet. iur. enucl.*

Codex repetitae praelectionis.

§. X.

Quum paullo post editas Pandectas et Institutiones deprehenderet Imperator, non paucas superesse Codicis Iustinianei et Pandectarum dissensiones: e re visum est, Codicem illum retexi, nouumque adornari, qui ideo vocatur CODEX REPETITAE PRAELECTIONIS, abolito Iustinianeo *, editus publicatusque, XVI. Kal. Dec. anno 534. *Iustiniano A.* quartum et *Paullino* coss. *Const. cordi nobis* §. 3. 4. 5. 6. *de emend. Cod. Iustin.*

* Hinc saepe in Institutionibus laudantur constitutiones, quas frustra quaesiueris in Codice. Exempla vide fis §. 20. *Inst. de legat.* §. 27. *eod.* §. 7. *de legit. agnat. success.* *pr. de bon. poss.* §. 24. *et* 33. *de action.*

Nouellae non a Iustiniano.

§. XI.

Sequutae sunt postremo hanc compilationem variae constitutiones *νεαραὶ*, seu NOVELLAE, Graece maximam partem conscriptae. * AGATH. *Lib. V. pag.* 145. IO. MALALA, *pag.* 165. Quas licet se collecturum promittat Iustinianus *dict. const. cordi nobis* §. 4. *de emend. Cod. Iustin.* fidem tamen, quantum constat, haud liberauit.

* Maximam partem dicimus. Quaedam enim Latine editae videntur, (*vid. Nou.* LXVI. *cap.* 1. §. 2.) veluti VIIII. XI. XXIII. LXII. CXXXVIII. CL. Quamuis enim et in his Graecismos repererit IO. FRIDER. HOMBERGK. *in Praefat. nou. vers. Nouell.* id tamen facile contingere potuit, aeuo Iustinianeo et Constantinopoli scribentibus.

Sed ab homine semibarbaro collectae.

§. XII.

Quae enim hodie sub titulo *nouem collationum* exstant, Nouellae, eae non multo post Iustiniani tempora, et ante Gregorium M. Papam, ab homine semibarbaro collectae, et *κατὰ πόδα* quidem, sed parum pure, versae sunt. CVIAC. *Obseru. Lib. VIII. cap.* 40. Sola tamen illa semibarbara versio authentica est. Textum enim Graecum, ab Haloandro, Scrimgero, Lud. Russardo, Henr. Agylaeo, aliisque restitutum, nec non versionem, a Iuliano, patricio et antecessore, circa annum Christianae erae 570. cultiore stilo adornatam, et e bibliotheca Pithoeorum editam *, immo et elegantiorem, quae tempore Irnerii extitisse fertur, versionem forum haud recepit, quia eam non recepit Irnerius. GVID. PANCIROL. *de clar. legg. interpret. Lib. II. cap.* 13. *p. m.* 120.

* *Bas.* 1567. et *Paris.* 1689. *fol.*

Authenticae quid?

§. XIII.

Ex Nouellis istis, et constitutionibus quibusdam Fridericorum, Impp. Germ. ab Irnerio, vti videtur, aliisque quibusdam iurisprudentiae restauratoribus, decerptae sunt AVTHENTICAE, id est summaria nouellarum constitutionum, legibus Codicis, quibus derogant, subiuncta. BYNKERSH. *de auct. Authent. cap.* 3. *pag.* 14. *seqq.*

§. XIIII.

§. XIIII.

Libri Feudorum a quo Corpori iuris additi?

Praeterea ab Hugolino a Porta Rauennate, iureconsulto Bononiensi, vti GVID. PANCIROL. *de clar. legg. interpret. Lib. II. cap. 16. pag.* 130. et SCHILTER. *in praefat. ad* MINCVCC. §. 4. ex Odofredo ostendunt, Nouellis sub titulo decimae collationis additi sunt libri FEVDORVM, medio circiter saeculo XII. a Gerardo Nigro et Oberto ab Orto, coss. Mediolanensibus compilati. Vnde et hi vna cum Corpore iuris recepti in forum, iuris communis feudalis auctoritatem obtinuerunt, saluis tamen moribus cuiusque gentis patriis. Conferenda hic omnino THOMASII *Selecta feudalia*.

§. XV.

Qui libri Corporis iuris sibi inuicem derogent?

Quum ergo sensim in hanc molem excreuerit ius Iustinianeum, (§. 5. *sequ.*) et lex posterior deroget priori: (*L. vlt. D. de const. princ.*) consequens est, 1. vt Codicis Gregoriani, Hermogeniani et Theodosiani, quae exstant, fragmenta, quamuis ad iuris interpretationem vtilissima, tamen nullius in foro auctoritatis sint, nec sine falsi crimine ad decisionem caussarum citentur. *L. 2. §. 19. C. de vet. iur. enucl.* 2. Vt Nouellae derogent libris omnibus, quia postremo prodierunt. (§. 11.) 3. Vt Codex deroget Institutionibus et Pandectis, quippe vtriusque posterior (§. 10.) 4. Vt Institutiones et Pandectae, quae ab eodem tempore robur suum obtinuerunt, (§. 9.) eiusdem auctoritatis sint, et neutrae alteris derogent. *.

* Quia tamen in quibusdam pugnant, obseruandae sunt regulae: I. *Institutiones cedunt Pandectis, tamquam auctoritatibus suis, quatenus ex his descriptae sunt.* Hinc e. c. *lex 7. §. 7. D. de adquir. rer. dom.* merito praefertur *§. 25. Inst. de rer. diuis.* II. *Pandectae cedunt Institutionibus, quoties, his nouationem ex instituto fieri, adparet.* Hinc e. c. *§. 7. Inst. ex quib. causs. manum.* merito praefertur *legi 9.* et *legi 11. D. de manumiss. vind.* vid. HVBER. *Praelect. ad inst. prooem.* §. 10.

§. XVI.

An Authenticae auctoritate polleant?

Quia deinde priuatus non condit leges: consequens est, 5. vt Authenticae, quippe a priuatis confectae, (§. 13.) non polleant auctoritate legum, nisi quatenus cum Nouellis, ex quibus decerptae sunt, conueniunt *. RITTERSHVS. *Fromulf. error. Irner.* WISSENBACH. *Syll. error. Irner.*

* Saepe autem non conueniunt. Exempla vide in *Auth. Bona damnatorum C. de bon. proscript. Auth. ex causa C. de lib. praeterit. et exher. Auth. Hoc ita C. de verb. obl. Auth. Sed hodie C. de indic.* quas si contenderis cum auctoritatibus suis, discrimen statim in oculos incurret.

§. XVII.

Quanta hodie iuris Romani auctoritas?

Quia denique Iustiniano, qui Orienti praefuit, (§. 3.) pars maxima Europae, in qua hodie ius Romanum viget, numquam paruit: consequens est, 6. vt ius Iustinianeum hodie obliget, quatenus receptum. 7. Vt illi leges et statuta, necnon mores patrii singularum ciuitatum et gentium praeferantur. 8. Vt *Nouellae Leonis*, quamuis cum iure Iustinianeo edi soleant, nec non *Edicta Iustiniani* XIII. et con-

constitutiones quaedam, a Iac. Cuiacio, Contio, aliisque viris doctis restitutae, contra ius Iustinianeum non valeant. CVIAC. *Obs. Lib. XVII. cap.* 30.

LIBER I.

TITVLVS I.

DE IVSTITIA ET IVRE.

§. XVIII.

Finis iurisprudentiae iustitia.

FInis vniuersi iuris est IVSTITIA, cuius se sacerdotes profitentur iureconsulti *. *L.* 1. §. 1. *D. h. t.*

* Aemulari philosophos, inprimis Stoicos, quorum praeceptis plerique veteres ICti imbuti fuerunt. Vid. EM. MERILL. *Obs. Lib. I. cap.* 8. *sequ.* EV. OTTONIS *Orat. de philos. Stoica vet. ICtor.* Nam et philosophi olim se vocare solebant [illegible] *virtutis antistites et solos sacerdotes.* DIOG. LAERT. *prooem.* MERILL. *Obs. Lib. I. cap.* 11.

§. XVIIII.

Iustitia quid?

IVSTITIA ex principiis philosophiae moralis Stoicae * *est constans et perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. pr. Inst. L.* 10. *pr. D. h. t.*

* Stoicis enim, quibus addicti veteres ICti (§. 18. *) omnis virtus consistere dicebatur in constantia, vel constante ac perpetuo animi proposito. CIC. *Paradox.* III. *cap.* 1. SENECA *Epist.* LXVI. CXX. Conf. GER. NOODT. *Probabil. Lib. III. cap.* 1. At in ciuitate is etiam habetur vir iustus, qui externas actiones ad legem componit, quamuis non accedat constans illa ac perpetua voluntas. Cogitationis enim poenam in foro nemo patitur. *L.* 18. *de poen.*

§. XX.

Ea vel expletrix, vel attributrix.

Quandoquidem itaque iustitia ius suum cuique tribuit (§. 19.) homines vero alia iure perfecto, alia iure imperfecto a se inuicem exigere possunt, vel, (vti PAVLLVS *L.* 17. §. 3. *D. commod. vel contr.* loquitur,) *quaedam voluntatis et officii magis, quam necessitatis* sunt: iustitia recte in EXPLETRICEM et ATTRIBVTRICEM diuiditur a GROTIO *de iure belli et pac. Lib. I. cap.* 1. §. 8.

§. XXI.

Vtriusque differentia.

EXPLETRIX est, quae cuique tribuit, quod iure perfecto debetur. ATTRIBVTRIX, quae cuique tribuit, quod voluntatis et officii magis est, quam necessitatis. (§. 20.)

§. XXII.

Praecepta iuris.

Qui iustitiam attributricem colit, *honeste viuit*. Qui expletricem, *is*

is neminem laedit, et *suum cuique tribuit*. Vnde habes tria iuris praecepta *, de quibus §. 3. *Inst.* et *L.* 10. §. 1. *D. h. t.*

* Quomodo eadem cum virtutibus cardinalibus Stoicorum concilianda sint, docet THOMAS. *Not. ad Inst. h. t.*

§. XXIII.

Qua diuisione iustitiae (§. 20. 21.) quum multo obscurior sit altera in *uniuersalem* et *particularem*: de ea aeque, ac de tertia in *commutatiuam* et *distributiuam*, commodior ad Digesta erit dicendi locus. Iustitia vniuersalis, particularis, commutatiua, et distributiua.

§. XXIIII.

A iustitia, (non quidem grammatice, sed moraliter,) IVS; (*L.* 1. *pr. D. h. t.*) a iure IVRISPRVDENTIA dicitur. A iustitia ius, a iure iurisprudentia.

§. XXV.

IVRISPRVDENTIA veteribus est *rerum diuinarum et humanarum notitia, iusti iniustique scientia*. §. 1. *Inst. L.* 10. §. 1. *D. h. t.* Cuius definitionis priora verba alias ad definitionem philosophiae pertinent: SENEC. *Epist. LXXXVIIII.* adeoque sensus est, iurisprudentiam esse *philosophiam, quae in iusti atque iniusti scientia consistit* *. Iurisprudentia quid veteribus?

* ICtis enim perpetua erat aemulatio cum philosophis *ἀπράκτοις*, qui sola barba et pera id nomen tuebantur. Quemadmodum ergo ICtos *veram, non simulatam, philosophiam affectare*, dicit VLPIANVS *L.* 1. §. 1. *D. h. t.* ita ab eodem iurisprudentiam philosophiae definitione exornari, minime mirandum.

§. XXVI.

Concinnius tamen definiri potest, quod sit *habitus practicus, leges recte interpretandi, adplicandique rite quibusuis speciebus obuenientibus.* Quo modo a nobis definiatur?

§. XXVII.

Interpres non ad verba tantum legum, sed et ad earum vim et potestatem respicit. *L.* 17. *D. de legib.* Qui enim leges, quas memoria tenet, non intelligit, LEGVLEIVS vocatur a CICERONE *de orat. Lib.* I. *cap.* 55. ICtus leges interpretatur.

§. XXVIII.

Vis et potestas legum ex ratione earum perspicitur, quae, si latius patet verbis, interpretationis EXTENSIVAE; si verbis angustior est, RESTRICTIVAE; si cum verbis pari passu ambulat, DECLARATIVAE fundamentum habetur. Interpretatio quotuplex?

§. XXVIIII.

Leges interpretatione explicatae adplicantur a ICto factis vel speciebus obuenientibus, (§. 26.) adeoque ille *legum et consuetudinum earum, quibus priuati in ciuitate vtuntur, et ad* RESPONDENDVM, *et ad* AGENDVM, *et ad cauendum*, (adde et *ad iudicandum*,) *peritus esse debet*, iudice CICERONE *de orat. Lib. I. cap.* 48. Qui ergo nulla accuratiore iuris notitia imbutus, cruda studia in forum propellit, Adplicatio legum ad facta.

euer-

euertendisque aliorum fortunis quaestum facit, RABVLA vocatur ab eodem CICERONE *ibid. cap.* 55.

§. XXX.

Iuris diuisio in publicum et priuatum.

Quum vero iurisprudentia in interpretandis adplicandisque legibus versetur, (§. 26.) leges autem vel de *statu publico*, vel de *priuatorum negotiis* ferantur: ius recte diuiditur in PVBLICVM et PRIVATVM, quae et *duae iuris positiones* * vocantur §. 4. *Inst. L.* 1. §. 2. *D. h. t.*

* Positio, τόπος, sicut Stoicis dicebatur pars, seu species. CVIAC. *ad* L. 115. *D. de verb. sign.* Eodem vocabulo positionis eodem sensu vsum esse PALLADIVM *de re rust. Lib.* III. *tit.* 2. obseruauit CAR. ANDR. DVKER. *de Latinit. ICt. vet. p.* 326.

§. XXXI.

Quid publicum? quid priuatum?

PVBLICVM *de statu iuribusque rerumpublicarum*, (vel de imperantium ac ciuium nexu,) *praecipit*; PRIVATVM *ad singulorum vtilitatem*, (id est, ad meum et tuum,) *spectat* *. *L.* 1. §. 2. *D. h. t.*

* Ab obiecto ergo dicitur haec partitio; non a caussa efficiente, vel finali. Secundum has enim et priuatum ius recte vocatur publicum. *L.* 38. *D. de pact. L.* 8. *D. de tutel. L.* 29. *D. de test. tut. L.* 18. §. 1. *D. de damno infect.*

§. XXXII.

Vtriusque triplex origo.

Vtrumque, (non solum priuatum *,) tripartitum est, collectum quippe ex NATVRALIBVS praeceptis, GENTIVM, et CIVILIBVS. §. *vlt. Inst. L.* 1. §. 2. *D. h. t.* De quibus agendum erit titulo sequente.

* Si nempe recte ius naturae definias, vti nos infra (§. 40.) VLPIANVS vero, qui ius naturale hominibus cum reliquis animantibus commune putabat, (§. 36.) non poterat inde deriuare ius publicum, cuius nec vestigium, nec vmbram inter bruta notamus.

TITVLVS II.

DE IVRE NATVRAE, GENTIVM, ET CIVILI.

§. XXXIII.

Ius quo sensu hic accipiatur?

IVs, vocabulum alias maxime πολύσημον, (*L.* 11. *et* 12. *D. de iust. et iur.*) hic pro lege, vel potius complexione legum omnium vnius generis, accipitur. Quales ergo sunt leges, tale ius emergit.

§. XXXIIII.

Vel diuinum, vel humanum est.

Leges igitur quum vel *diuinae*, vel *humanae* sint: ius quoque vel DIVINVM, vel HVMANVM esse oportet. (§. 33.)

§. XXXV.

§. XXXV.

Divinvm, prout vel per rectam rationem, vel per sacras litteras promulgatur, aut NATVRALE et GENTIVM dicitur, aut POSITIVVM. Sed hanc distinctionem veteres negligunt. Diuini diuisio.

§. XXXVI.

Natvrale ex principiis Stoicorum (§. 18.) definit Vlpianvs, *quod natura omnia animalia docuit*. *L.* 1. §. 3. *D. de iust. et iur. pr. Inst. h. t.* Stoicis enim iuste viuere erat secundum naturam viuere. Natura iisdem erat vel hominibus cum brutis communis, vel illis propria. Ex *communi* IVS NATVRAE; ex *propria* IVS GENTIVM deriuabant *. *L.* 1. §. 3. *et* 4. *D. de iust. et iur.* Quid ius naturale?

* Vnde dici nequit, Stoicos brutis tribuisse rationem. Alia omnia disci mus ex PLVTARCH. *de sollert. animal.* Nec magis id faciebant ICti. *L.* 1. §. 3. *D. si quadrup. pauper. fec. dic.* Conf. BARBEYRAC *ad Pufendorff. Iur. nat. et gent. Lib.* 11. *cap.* 3. §. 2. Nec tamen brutis negabant facultatem viuendi secundum naturam eiusque leges, atque inde et ius naturae illis cum humano genere commune esse adseuerabant.

§. XXXVII.

Quemadmodum ergo *ius naturae* omnibus animalibus; ita IVS GENTIVM *solis hominibus inter se commune esse* docebant: *L.* 1. §. 4. *D. h. t.* idque illis vel PRIMARIVM, vel SECVNDARIVM erat, quamuis haec vocabula artis veteres ignorent. Quid ius gentium?

§. XXXVIII.

Primarivm dicitur, *quod naturalis ratio*, (non natura communis, sed propria hominibus §. 36.) *inter omnes homines constituit, et apud omnes peraeque custoditur*. §. 2. *Inst. h. t. L.* 1. *pr. D. de adquir. rer. dom.* Eius diuisio in primarium,

§. XXXVIIII.

Secvndarivm, *quod vsu exigente et humanis necessitatibus est introductum*. §. 1. *Inst. h. t.* vel, vti Modestinvs *L. penult. D. de legib.* definit, *quod necessitas constituit*. Merill. *Variant. Cuiac. Lib.* 1. *cap.* 1. Primarium ergo *absolutum*, secundarium *hypotheticum* est. et secundarium.

§. XXXX.

Ita veteres. Nobis, quos nemo Stoae, tamquam glebae, adscripsit, IVS NATVRALE est *ius ab ipso Deo generi humano per rectam rationem promulgatum*. *Epist. ad Rom. II.* 15. Quid nobis ius naturae?

§. XXXXI.

Ivs gentivm vero est *ipsum ius naturale* *, *integrarum gentium negotiis et caussis adplicatum*. Pvfendorff. *de iur. natur. et gent. Lib. II. cap.* 3. §. 23. Quid ius gentium?

* Quod et veteres quidam videntur agnouisse, Vid. *L. vlt. pr.* iunct. *L.* 14. *D. de rit. nupt. L.* 19. *pr. D. de capt. et postlim. L.* 31. *pr. D. depos. L.* 84. *D. de reg. iur.* quos sequitur Imperator §. 11. *Inst. de rer. diuis.* ibi: *iuris naturalis, quod appellatur ius gentium.*

§. XXXXII.

Ius diuinum positiuum.

Ius diuinum POSITIVVM denique, (§. 35.) *quod per facras litteras promulgatum, ex recta ratione fola non innotefcit*, vel humano generi commune, vel genti Iudaicae proprium eft, et hinc in VNIVERSALE et PARTICVLARE diftingui folet. Ad prius referunt praecepta et leges *Genef.* VIIII. *6. Leu.* XVIII. *et* XX. et fimilia.

§. XXXXIII.

Ius humanum, vel ciuile.

Huic iuri diuino opponitur HVMANVM (§. 34.) quod et CIVILE dicitur, et CAIO noftro eft *ius, quod quifque populus fibi conftituit, et cuiufque ciuitatis proprium eft*. *L. 9. D. de iuftit. et iur.* Κατ' ἐξοχὴν *ciuile* vocatur ius Romanum, vel Quiritium; quemadmodum et Roma κατ' ἐξοχὴν *vrbs* dici folebat. §. 2. *Inft. h. t.*

§. XXXXIIII.

Eius diuifio in fcriptum, et non fcriptum.

Populus vero liber vel *expreffe* fibi ius conftituit, vel *tacite*. Quid enim intereft, fuffragio populus voluntatem fuam declaret, an rebus ipfis et factis? *L. 32. §. 1. D. de legib.* Vnde differentia iuris SCRIPTI, ἐγγράφου, et NON SCRIPTI, ἀγράφου *. §. 3. *Inft. h. t. L. 6. §. 1. D. de iuftit. et iur.*

* SCRIPTVM IVS ICtis non eft in fcripturam redactum, fed promulgatum: NON SCRIPTVM; non promulgatum. Sequuntur ea in re Graecos, quibus γράφειν νόμους faepe non eft *leges fcribere*, fed *promulgare*. Hinc LIBANIVS *Tom. 1. pag.* 476. Lycurgum ait, γράψαι νόμους, *fcripfiffe leges*: quum tamen leges ab eo latae in fcripturam redactae non fuerint. PLVTARCH. in *Lycurgo p.* 47. Et PLATO, qui apud LAERTIVM itidem Ius diuidit in γεγραμμένον καὶ ἄγραφον, hoc definit, quod fit νόμος κατὰ ἔθη γενόμενος, *ius per confuetudinem conftitutum*. Itaque diuerfa Athenienfium et Lacedaemoniorum inftituta potuerunt quidem occafionem dediffe huic iuris partitioni, vti ait Imp. §. 10. *Inft. h. t.* nam Athenienfes omnino iure fcripto, Lacedaemonii non fcripto vfi funt: fed tunc alio fenfu, puta grammatico, diftinctio ifta accipitur. Occafionem ergo iftae ciuitates dedere partitioni iuris in ἄγραφον et ἔγγραφον: fed non illi acceptioni harum vocum, qua ICti vtuntur.

§. XXXXV.

Species iuris fcripti.

Iuris fcripti fpecies apud Romanos ob mutatam fubinde formam reipublicae erant plures. Nam eo §. 3. *Inft. h. t.* referuntur *I. Leges, II. Plebifcita, III. Senatufconfulta, IIII. Principum placita, V. Magiftratuum edicta, VI. Refponfa prudentum* *, quae et ftrictiffime *ius ciuile* dici folent. *L. 2. §. 5. D. de orig. iur.*

* Atqui ius iftud ciuile ftrictius acceptum *fine fcripto venire*, et fine *fcripto in fola prudentum interpretatione confiftere* dicitur. *L. 2. §. 5. et §. 12. D. de orig. iur.* Refponfum cape. Ἄγραφος haec iuris pars fuit, ratione originis, quia, non promulgata, tacite in foro auctoritatem obtinuit. Poftea quam vero illam, Corpori iuris infertam, cum legibus reliquis publicauit Iuftinianus, ἔγγραφος effe coepit.

§. XXXXVI.

Quid lex?

LEX eft, *quam populus Romanus*, (id eft, patricii et plebs coniunctim, qui et Quirites dicuntur,) *fenatorio magiftratu rogante, veluti*

luti consule, (dictatore , tribuno militum cos. potest. decemuiris , praetore , et quidem in comitiis olim curiatis , *L.* 2. §. 2. *D. de orig. iur.* postea centuriarum , vel tribuum suffragiis ,) *constituit*. §. 4. *Inst. h. t.*

§. XXXXVII.

Plebiscitvm , *quod plebs* , (a patriciis discreta) *plebeio magistratu rogante* , *veluti tribuno plebis* , (in comitiis tantum tributis , et tribuum suffragiis ,) *constituit*. §. 4. *Inst. eod.* Quibus plebiscitis quum initio teneri nollent patricii : postea iis eadem auctoritas data , ac ipsis legibus * , per legem primum Horatiam , latam a. v. c. 304. Liv. *Lib. III. cap.* 55. deinde per Pvbliliam a. v. c. 414. Liv. *Lib. VIII. cap.* 12. ac denique per Hortensiam , a v. c. 456. *L.* 2. §. 8. *D. de orig. iur.* Gell. *Lib. XV. cap.* 38. Quid plebiscitum?

* Vnde ex eo tempore et plebiscita dici coeperunt *leges* ; veluti *lex Aquillia* , lex *Falcidia* , *Voconia* , *Cincia* , cet.

§. XXXXVIII.

Senatvsconsvlta libera adhuc republica erant *decreta senatus de rebus* , *amplissimi eius ordinis curae demandatis* * . Vid. Polib. *Histor. Lib. VI. cap.* 12. *seqq.* Posteaquam vero Tiberius euersurus antiquum leges ferendi morem , comitia ex campo transtulerat in curiam , (Tacit. *Annal. Lib.* I. *cap.* 15.) non ambigebatur , senatum ius facere posse . *L.* 9. *D. de legib. L. vn. C. de senatuscons.* SCtorum origo.

* Senatusconsulta ergo libera republica ad curam aerarii , legationes , administrationem prouinciarum , cognitionem de maleficiis , per Italiam admissis , triumphos , comitia , ferias , supplicationes , aliaque huius generis , pertinebant . POLYB. *ibid.* Sed non faciebant ius , nisi populi suffragiis probata , quod saepe factum nouimus . DIONYS. HALIC. *Lib.* X. *p.* 676. Alias populum non tenebant , LIV. *Lib.* VIIII. *cap.* 8. sed senatum tantum illius anni , tamquam πολιτεύματα καιρὸν ἐνιαύσιον ἔχοντα ἰσχύν , *instituta vnius anni* , vt idem vocat DIONYS. *Lib.* VIIII. *p.* 595.

§. XXXXVIIII. Quid SC.?

Quum ergo senatus ab eo tempore populum vel comitia repraesentaret : (§. 48.) senatvsconsvltvm definiri poterit , quod sit *ius* , *a senatu* , *loco populi* , *ad orationem principis* , *vel consulis relationem constitutum*. §. 5. *Inst. h. tit. L.* 2. §. 9. *D. de orig. iur.*

§. L.

Talia SCta , vel , vti nonnumquam vocantur , *iura* orationibvs principvm *constituta* , *L.* 8. *D. de transact. L.* 1. *D. in quib. causs. pign.* iunct. *L.* 52. §. 10. *D. pro soc. L.* 60. *pr. D. de rit. nupt.* post Antoninorum tempora paullatim ab vsu recesserunt , postquam multo ante principes , in quos ius omne populus per legem regiam * contulerat , §. 6. *Inst. h. t.* constitutionibus vel edictis suis iura noua sancire coeperant . Exemplum Vespasiani habes in *L.* 6. §. 6. *D. de legation.* Quamdiu durarint?

* LEX illa REGIA , quae et LEX IMPERII dicitur in *L.* 3. *C. de testam.*

nec non AVGVSTVM PRIVILEGIVM in *L. un.* §. 14. C. *de caduc. toll.* nihil aliud erat, quam complexio praerogatiuarum, imperatoribus decretarum sub auspicium imperii. Adeoque ea constitit variis SCtis, paullatim factis in honorem principum, de quibus plura diximus in *Antiqu. Rom. h. t.* § 43. *seqq.*

§. LI.

Constitutiones quid sint? CONSTITVTIONES huiusmodi sunt *principum placita, quae, si hi volunt*, (§. 6. *Inst. h. t.*) *legis habent vigorem*. *L. 1. pr. D. de const. princ.*

§. LII.

Quotuplices. Quum ergo illae a principis voluntate auctoritatem suam sortiantur, (§. 51.) princeps vero iis vel omnes ciues velit obstringere, vel quibusdam extra ordinem aliquid aut indulgere, aut imponere: priores vocantur *generales*, quales sunt RESCRIPTA, DECRETA, EDICTA; posteriores *speciales*, quales sunt PRIVILEGIA, quae ad exemplum non trahuntur *. §. 6. *Inst. h. t. L. 1. §. 1. et 2. D. de constit. princ.*

* Hac sola ratione priuilegia vocantur constitutiones *speciales*. Nam alioquin et ea, maxime fauorabilia, omnes obligant, eatenus, ne eum, qui priuilegium impetrauit, in eiusdem exercitio turbent, vel impediant.

§. LIII.

Rescripta, eorumque variae species. RESCRIPTIS princeps vel ad libellos, seu ἀξιώσεις *partium*, vel ad consultationes *magistratuum*, vel ad desideria *vniuersitatum* respondet. *L. 19. §. 9. D. locat. L. 3. §. 1. D. de testib.* quorum ista ADNOTATIONES seu SVBNOTATIONES, illae EPISTOLAE, haec SANCTIONES PRAGMATICAE dicuntur. *L. 6. et 7. C. de diuers. princ. rescr. L. 12. C. de vectigal.*

§. LIIII.

Decreta. DECRETA dat imperator, dum, *caussa inter partes cognita, siue sententiam fert, siue de plano interloquitur*. *L. 1. §. 1. fin. D. de constit. princ. L. vlt. pr. C. de legib.*

§. LV.

Edicta. EDICTIS denique princeps *motu proprio ius nouum ad vniuersorum ciuium vtilitatem constituit*. *L. 1. §. 1. D. de const. princ.* *. Vnde ab *edictis* facile distinguas MANDATA, quae et ipsa *motu principis proprio, sed ad certas tantum personas diriguntur*, *L. 1. C. de mandat. princip.* maxime ad magistratus prouinciales. IAC. GOTHOFR. *ad L. vn. C. Th. de mandat. princip. pag.* 28. *Tom. I.*

* Videntur primo imperatores ea, quae senatus ad orationem principis decreuerat, edictis publicasse: BVRMANN. *de vectigal. pop. Rom. cap.* 6. *p.* 113. MARAN. *Paratitl. p.* 114. postea, firmata satis auctoritate sua, etiam inconsulto senatu, quid pro lege futurum sit, edicere paullatim coepisse.

§. LVI.

An rescripta Ex eodem principio, quod principum constitutiones legis habeant vigorem,

vigorem, si princeps velit: (§. 51.) consequens est, 1. vt rescripta non faciant ius, si preces veritate haud nitantur, *L. fin. C. de diuers. princ. rescr.* vel si princeps non subscripserit, vel si dies et consul desideretur, *L. 3. et L. 4. C. eod.* vel si aut in reip. detrimentum, aut in praeiudicium iuris, tertio quaesiti, tendant. *L. 3. et L. 7. C. de precib. imp. off. L. 6. C. si contra ius vel vtil. publ.* *ius fecerint?*

§. LVII.

Ex eodem consequitur, 2. vt decreta ius tantum faciant inter partes, *L. 2. C. de leg. et constit.* nisi princeps iis vel ius obscurum et ambiguum interpretetur, *L. 12. §. 1. C. eod.* vel id decretum ad similes species proferri diserte iubeat. *L. 3. C. eod.* An decreta?

§. LVIII.

Denique inde fluit, 3. sola edicta * proprie ius facere, et pro lege esse. Vnde et LEGES EDICTALES PERPETVAE, vel IN PERPETVVM VALITVRAE dicuntur, *L. 6. C. de sec. nupt. L. 2. C. vbi quis de curial. vel cohort. L. 6. C. de diuers. pr. vrb.* itemque EPISTOLAE GENERALES, *L. 1. §. 2. D. de fugit.* SACRAE LEGES *Nou. XXXXVIII. fin.* An edicta?

* Ita res sese habet, si constitutiones in se considerentur. Nam quatenus rescripta et decreta veterum imperatorum aeque ac edicta in foro sensim auctoritatem obtinuerunt, et demum a Iustiniano Corpori iuris inserta sunt, eatenus et ipsa ius facere, et pro lege esse dicuntur.

§. LVIIII.

Constitutionibus *generalibus* opponuntur *speciales*, (§. 52.) quae et PRIVILEGIA, quasi *priuae leges*, adpellantur. GELL. *Lib. X. cap.* 20. Priuilegia.

§. LX.

PRIVILEGIA ergo sunt *constitutiones, quibus imperans vel ob meritum aliquid indulget, vel poenam irrogat extra ordinem, vt tamen ad exemplum non trahantur* *. (§. 52.) §. 6. *Inst. h. t.* Quid sint?

* Ab his ergo priuilegiis recte accuratiores distinguunt *beneficia legis*, cum *generalia*, veluti restitutionis in integrum, inuentarii, ordinis, diuisionis, tum *specialia*; quibusdam hominum generibus, vt mulieribus, studiosis, fisco, collegiis et corporibus data, quae et nonnumquam *iura singularia*, et improprie *priuilegia* adpellantur. CVIAC. *Obs. Lib. XV. cap.* 8.

§. LXI.

Proinde priuilegia vel ODIOSA sunt, *quibus poena extra ordinem maior, quam lege definita, infligitur* *, vel FAVORIBILIA, *quibus ob merita aliquid indulgetur*. (§. 60.) §. 6. *Inst. h. t.* Ea vel odiosa vel fauorabilia.

* Illa legibus XII. tabularum vetita. CIC. *pro domo cap.* 18. Saepe tamen irrogata sunt a tribunis turbulentis, CIC. *pro dom. cap.* 17. et postea a principibus. *L. 2. fin. D. de his, qui sui vel alieni iur. L. 28. §. 3. D. de poen. L. vlt. D. si quis a parente manum.* Quum vero ea bonus princeps vix irroget: multo minus iudicem vel mitiorem, vel seueriorem lege esse

decet

decet, quia priuilegia sunt constit vio- *priu*. Vnde non excusanda Galbae, nec solius princip.s, (§. 60.) *L.* 8. adhuc preconsulis, seueritas, de qua §. 2. *C. ad leg. Iul. de vi publ. vel* SVETON. in *Galba*, *cap.* 9.

§. LXII.

Nec non vel personae, vel caussae. Eadem priuilegia vel PERSONAE tribuuntur, vel CAVSSAE. Illa *personalia*, haec *realia* dicuntur doctoribus*. Illa cum persona exspirant, nisi quod moribus hodiernis nonnumquam et viduae, mortuo marito, conceduntur: haec ad heredes transeunt. *L.* 3. §. 1. *D. de cens. L.* 196. *D. de reg. iur.*

§. LXIII.

Priuilegia solus imperans concedit. Quum ergo priuilegia sint constitutiones: (§. 60.) consequens est, 1. vt ea solus imperans concedat. 2. Vt ea concedendi ius non sit magistratibus. (§. 61. *) 3. Vt eiusdem imperantis sit, statuere, quem modum esse velit sui beneficii. *L.* 191. *D. de reg. iur.* cui non opponenda *L.* 3. *D. de constit. princ.*

§. LXIIII.

Magistratuum edicta. Ad ius scriptum porro pertinent MAGISTRATVVM EDICTA. (§. 45.) Solebant enim praetores, procoss. aediles curules, immo et alii magistratus sub auspicium magistratus edicere, quo ordine, quaue ratione ius dicturi essent de rebus ad iurisdictionem suam pertinentibus. Vnde edicta *vrbana* vel *praetoria*, *prouincialia* vel *proconsularia*, et *aedilitia*, quae coniunctim IVRIS HONORARII nomine venire solent. §. 7. *Inst. h. t. L.* 7. §. 1. *D. de iust. et iur. L.* 52. §. 6. *D. de oblig. et act.*

§. LXV.

An ius facere potuerint. Quamuis enim magistratus non essent legislatores: (§. 44.) *L.* 12. §. 4. *D. de Public. in rem. act. L.* 12. §. 1. *D. de bon. possess.* sensim tamen sibi sumserant facultatem ius *adiuuandi*, *supplendi*, *corrigendi* propter vtilitatem publicam. *L.* 7. §. 1. *D. de iust. et iur.* Et ita intelligenda verba IVSTINIANI *Nou. XXV. praef. et Nou. XXVI. cap.* 1. §. 1. vbi praetores *legislatores* vocantur. Vnde tot actiones *praetoriae* et *aedilitiae*, interdicta, restitutiones in integrum, bonorum possessiones. Quae omnia initio vsu fori comprobata, denique iuris scripti auctoritatem propter vetustatem obtinuerunt, CIC. *de inuent. Lib. II. cap.* 22. maxime postquam compilata sunt *Edicta perpetua*.

§. LXVI.

Edicta perpetua. EDICTVM PERPETVVM *praetorium* vel vrbanum auspiciis Hadriani compilauit Salu. Iulianus. *Const. tanta* §. 18. *de confirm. Digest.* EVTROP. *Histor. Lib. VIII. cap.* 9. Edicti *prouincialis* perpetui auctor ac aetas ignorantur, nisi quod et illud DODWELL. *Praelect. Cambden. VIII.* §. 10. *pag.* 335. sub Hadriano; Ez. SPANHEM. sub Marco in lucem editum esse suspicatur in *Orb. Rom. Exerc. II.* §. 12. *pag.* 97. * Vtrumque periit, nisi quod ex iis multa in Digesta migrarunt, quemadmodum et tria edicta aedilitia in iis supersunt. *L.* 27. §. 28. *D. ad leg. Aquill. L.* 1. §. 1. *et L.* 38. *L.* 40. *seq. D. de aedil. ed ct.*

* Neu-

* Neutrum tamen satis expeditum est. Mihi proconsulare ac praetorium vnum idemque fuisse videtur, et vocabulis tantum discrepasse. Nam CAIVS in *Commentario ad Edictum prouinciale* eumdem ordinem seruat, quem seruarunt ICti, qui edictum praetoris illustrarunt, qui promiscue modo *praetorem*, modo *proconsulem* ait edicere, quoties verba edicti citat. Vid. *L.* 4. *D. quod quisque iur. L.* 1. *D. si quis caut. L.* 1. §. 2. *D. quod cuiusc. vniuers. nomi.*

§. LXVII.

Denique et RESPONSA PRVDENTVM ad ius scriptum referuntur, (§. 45.) id est, *sententiae eorum, quibus permissum erat * de iure respondere*. §. 8. *Inst. h. t.* Responsa prudentum.

* Permissum vero id erat initio omnibus, quibus studiorum esset fiducia: *L.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* postea Augustus certis tantum hominibus eam facultatem respondendi concessit, obstrinxitque iudices, ne ab eorum sententiis discederent. §. 8. *Inst. h. t.* Ab Hadriani temporibus denuo haec facultas non peti, sed praestari solebat. *d. L.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* Postremis tamen temporibus denuo principis beneficio indultam esse, exemplum Innocentii ICti docet apud EVNAP. in *vita Chrysanth. p.* 186.

§. LXVIII.

Ex ICtorum illis interpretamentis, responsis, disputationibus, multa nata sunt iuris capita, veluti legitima patronorum tutela, querela inofficiosi, actiones vtiles, legis actiones et actus legitimi, cet. *L.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* Iis varia iura inuecta.

§. LXVIIII.

* Dicebantur vero LEGIS ACTIONES, 1. (formulae et conceptiones verborum, quibus inter se homines disceptabant, *L.* 2. §. 6. *D. de orig. iur.* 2.) quilibet actus, tum contentiosae, tum voluntariae iurisdictionis, apud magistratum, apud quem legis actio erat *, sollemni ritu certisque formulis explicandi, veluti manumissio, adoptio, emancipatio, cessio in iure. *L.* 3. *D. de offic. procos. L.* 4. *D. de adopt. L.* 1. *D. de offic. iuridic.* Maxime actiones legis

* [Elegans est coniectura Guil. Marani, qui *ad l.* 77. *D. de reg. iur. Opp. Tom. II. pag.* 610. LEGIS ACTIONES dictas esse putat, quae non nisi lege lata, adeoque apud populum explicari potuerint. Id enim saltem de adrogatione tradit Gell. *Noct. Attic. Lib. V. cap.* 19. de testamentis Iustinianus *pr. Inst. de testament. ordinand.* Postea tamen certis magistratibus eam facultatem datam esse specialibus legibus, vt apud eos esset legis actio, eoque facto pristinum nomen nihilominus mansisse. Conf. Auct. *Histor. iur. Lib.* 1. *cap.* 3. §. 45. qui simul §. 46. eleganter de actibus legitimis, eorumque differentia ab actionibus legis eleganter disputat.]

§. LXX.

* ACTVS vero LEGITIMI erant *negotia, publice vel priuatim, sollemniter, nec tamen coram magistratu, apud quem legis actio erat, celebranda* *. Actiones legis omnes, legitimique actus ex parte, ** nec conditionem, nec diem, nec procuratorem admittebant, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, serui optio, tutoris datio: *L.* 77. *L.* 123. *pr. D. de reg. iur.* nec iterari poterant, *d. L.* 123. nec a pu- Et actus legitimi.

a pupillo explicari, ſine tutoris auctoritate, *L. 19. D. de auct. tut.* Addatur SCIP. GENTIL. *de iuriſdict. Lib. I. cap. 34. p. 144.*

* Sic legitimus actus erat tutoris datio: *d. L. 77. D. de reg. iur.* et tamen etiam legatus procoſ. apud quem non erat legis actio, (*L. 3. D. de offic. procoſ.*) tutores dabat. *L. 45. D. eod.* Conf. PETR. FABRI *Semeſtr. Lib. II. cap.* 22.

** Vulgo omnibus hanc qualitatem tribuunt doctores: ſed vide ſis IAC. GOTHOFR. *Comment. ad L. 77. D. de reg. iur.*

§. LXXI.

Ius non ſcriptum.

Hactenus de iure ſcripto. NON SCRIPTVM (§. 44.) ſeu conſuetudo, *eſt ius tacito populi ſuffragio*, (libera adhuc republica, vel tacito conſenſu principis, ſub ſtatu monarchico,) *introductum*. *L. 32. §. D. de legib.* Qui enim iuri ſcripto, idem et non ſcripto dat auctoritatem, id eſt, ſummus cuiuſque ciuitatis imperans, quem penes eſt poteſtas legislatoria.

§. LXXII.

Conſuetudinis vis et poteſtas.

Quum ergo conſuetudo ſit ius tacito conſenſu legislatoris introductum: (§. 71.) conſequens eſt, 1) vt quaeſtio facti ſit, an conſuetudo huiuſmodi in rep. inoleuerit? quod ex diuturnitate temporis, et actuum vniformium frequentia probandum. *L. 1. C. quae ſit long. conſu. L. 34. D. de legib.* 2) Vt introductae, eadem vis ſit, ac ipſius legis. *§. 9. Inſt. h. t. L. 32. §. 1. D. de legib.* 3) Vt et legibus anterioribus deroget, et eaſdem plane tollat. *L. 32. §. 1. D. de legib. §. 2. Inſt. h. t.* 4) Vt, ſi qua conſuetudo rectae rationi et bonis moribus repugnet, non praeſumatur a legislatore probari. *L. 39. D. de legib. cap. 1. 2. 3. 7. 10. 11. X. de conſuetud.*

§. LXXIII.

An hodie totidem iuris ſcripti ſpecies ſint?

Quum vero tot ſpecies iuris ſcripti ex mutata ſubinde reip. Romanae forma natae ſint: (§. 45.) facile patet, 5) eas hodie fere extra vſum eſſe. Hodie itaque LEX eſt *praeceptum commune ſummi imperantis, obligans ciues, vt ad eius normam actiones ſuas componant.*

§. LXXIIII.

Obiecta iuris perſonae, res, actiones.

Ceterum omne ius vel ad PERSONAS, vel ad RES, vel ad ACTIONES pertinet: *§. vlt. Inſt. h. t.* Vnde iam hoc libro primo *de iure perſonarum*; libro ſecundo, tertio, et initio quarti *de iure rerum*; libri quarti capite ſexto et ſequentibus *de iure actionum* agitur.

TIT

T I T. III.

DE IVRE PERSONARVM.

§. LXXV.

HOMO et PERSONA in iure maxime differunt. HOMO est, *cuicumque mens ratione praedita in corpore humano contigit*. PERSONA est *homo, cum statu quodam consideratus*. Quid homo? quid persona?

§. LXXVI.

STATVS est *qualitas, cuius ratione homines diuerso iure vtuntur:* isque est vel NATVRALIS, vel CIVILIS, qui iterum in statum LIBERTATIS, CIVITATIS, et FAMILIAE dispescitur. *L. vlt. D. de cap. minut.* Certissimum ergo iuris axioma est: *quicunque nullo statu gaudet, iure Romano non persona, sed res habetur.* (§. 75.) Quid status et quotuplex?

§. LXXVII.

Seruus itaque est *homo*: (§. 75.) est etiam *persona*, quatenus cum statu naturali consideratur: *L. 22. pr. D. de reg. iur.* sed ratione status ciuilis est *ἀπρόσωπος*, THEOPHIL. *pr. Inst. de stipul. seru. personam legibus non habens*, CASSIODOR. *Var. Lib. VI. cap. 8. res mancipi*, VLPIAN. *Fragm. tit. 19. §. 1. inter res, quae in fundo sunt*, comprehensus, *L. 32. §. 2. D. de legat. 2. sine capite*, *§. 4. Inst. de cap. demin.* immo *pro nullo et mortuo* habendus. *L. 32. et 209. D. de reg. iur.* quia nec statu familiae, nec ciuitatis, nec libertatis gaudet. (§. 76.) An seruus sit persona?

§. LXXVIII.

Ad priorem ergo personae notionem et statum libertatis (§. 76.) pertinet prima personarum partitio in LIBEROS et SERVOS, et illorum subdiuisio in INGENVOS et LIBERTINOS. *pr. et* §. 5. *Inst. h. t.* Prima personarum diuisio.

§. LXXVIIII.

Liberi a LIBERTATE, *serui* a SERVITVTE dicuntur. Illa est *naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut iure prohibeatur*. §. 1. *Inst. h. t.* Haec contra *constitutio iuris gentium*, (secundarii, §. 39.) *qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur*. * §. 2. *Inst. h. t.* Quid libertas, et seruitus?

* Vtraque haec definitio et antiqua, et Stoica est: (§. 18. *) Quemadmodum enim Stoicis omnes homines natura liberi erant, adeoque seruitus naturae repugnare videbatur: MERILL. *Obseru. Lib. I. cap. 15.* ita et idem sentiebant ICti. *L. 4. D. de iust. et iur. L. 32. D. de reg. iur.* Seruitutis vero definitio totidem paene verbis apud Stoicos legitur. Vid. ARRIAN. *Diss. Epictet. Lib. II. cap. 1. et Lib. IIII. cap. 1.* SIMPLIC. *Comment. ad* EPICTET. *Enchir. cap. 2.*, PERS. *Sat. V. et ibi* CASAVB.

§. LXXX.

Seruitus cur contra naturam?

Et sane apud Romanos seruitus ideo quoque contra naturam esse videbatur, quod esset conditio, qua homo persona esse desinebat, et in classem rerum redigebatur. (§. 76. 77.)

§. LXXXI.

Serui vel nascuntur ex ancillis

Serui vero aut *nascuntur*, aut *fiunt*. NASCVNTVR ex ancillis nostris: §. 4. *Inst. h. t.* quia serui sunt res, (§. 77.) et ex iuris principiis foetus, tamquam accessio ventris, ad dominum ventris pertinet. §. 19. *Inst. de rer. diu. L. 6. D. de adquir. rer. dom.* (Vid. infra §. 356.)

§. LXXXII.

Vel fiunt iure gentium captiuitate.

FIVNT serui vel ex *iure gentium*, vel ex *iure ciuili*. EX IVRE GENTIVM per captiuitatem, vnde *serui* dicti, quasi seruati, * *mancipia*, quasi manucapta §. 3. *Inst. h. t.*

* Etymologia vere Stoica. Solebant enim Stoici, eorumque exemplo ICti, loco etymologiarum grammaticarum, allusiones quasdam, satis aliquando contortas, dare. Talis est etymologia testamenti, *pr. Inst. de testam. ordin.* mutui, *L. 2. §. 2. D. de reb. cred.* peculii, *L. 5. §. 3. D. de pecul.* redhibitionis, *L. 21. pr. D. de aedil. edict.* diuortii, *L. 2. pr. D. de diuort.* Conf. de iureconsultorum etymologiis SCIP. GENTIL. *Origines*, MENAG. *Amoen. iur. ciu. cap.* 39. et CAR. ANDR. DVKERVS *de Latinit. vet. ICtorum p.* 23. 27. 462.

§. LXXXIII.

Iure ciuili in poenam.

Ex IVRE CIVILI Iustinianeo * in poenam serui fiunt, (1 maiores xx. annis, qui se pretii participandi caussa venumdari passi sunt: §. 4. *Inst. h. t.* (2 liberti ingrati aduersus patronum. §. 1. *Inst. de cap. dem. L. vn. C. de ingrat. lib.*

* Antiquo enim iure etiam serui fiebant, (3 qui censum vel militiam subterfugerant: CIC. *pro Caecin. cap.* 34. (4 ad supplicium capitale damnati, vel serui poenae §. 3. *Inst. quib. mod. ius patr. potest. solu.* (5 mulieres liberae, seruorum alienorum amore bacchantes ex SC. Claudiano: (6 qui ab alio adserti, praestitaque cautione per edictum citati, intra annum se haud stiterant. Sed census et militia lecta tempore Iustiniani pridem ab vsu recesserant: seruitutem poenae, quod ad fauorem et successionem cognatorum attinet, ipse sustulit Iustinianus *Nou. XXII. cap.* 8. nec non SC. Claudianum. *L. vn. C. de SC. Claud. toll.* Adsertionem idem admodum restrinxit. *L. 1. et L. 2. C. de adsert. toll.* Vid. CVIAC. *Paratitl. C. eod.*

§. LXXXIIII.

An aliqua in seruorum statu differentia?

Quia serui e personis res fiebant: (§. 80.) recte sane dicitur, nullam eatenus in eorum statu esse differentiam, §. 5. *Inst. h. t.* quamuis negari nequeat, varia eorum officia variosque ordines occurrere, et alium seruum altero liberalius habitum, immo et paullo tolerabiliorem fuisse conditionem STATV LIBERORVM, *qui statutam in tempus aut conditionem libertatem habebant*, *L. 9. D. de statu lib.* et ADSCRIPTITIORVM, COLONORVMQVE, *L. 2. L. 4. C. de agric. et cens. et ibi* CVIAC. *Nou. CLXII. cap.* 3.

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Ceterum Germanicae originis gentes semper haec principia ignorarunt. TACIT. *de mor. Germ. cap.* 25. Seruos quidem habebant, et hodienum passim habent *homines proprios*: sed eos non res esse, iudicant, verum personas, gaudentes iure connubii, contractuum, et testamenti factionis. Attamen glebae vel fundo adscripti, cum fundo venduntur, dominisque operas et censum debent, nec non quibusdam locis certam pecuniam pro libertate matrimonii, et praecipuum ex hereditate, veluti optimum caput, optimas exuuias cet. Vid. HARPRECHTI *Tract. de iure mortuarii*, et POTGIESSERI *Tract. de statu et cond. seru. in Germania*. Et hactenus seruiunt: reliqua sibi adquirunt. An seruitus hodie abolita?

§. LXXXVI.

Hi quoque vel *nascuntur*, vel *fiunt*. NASCVNTVR ex ancillis, FIVNT non quidem per captiuitatem, sed alibi per *addictionem voluntariam*, alibi per *nuptias* cum aliena ancilla, alibi per *solam habitationem*, domiciliumque iis locis constitutum, vbi valet adagium: *Aër seruos reddit, die Luft macht eigen*, veluti in Algouia, Sueuiae tractu. Vid. HERT. et THOMAS. *Diss. de homin. propr.* POTGIESS. *Tr. cit.* [Conf. quoque *Elem.* nostr. *iur. Germ. Lib. I. tit.* 1.] Serui in Germania nascuntur, et fiunt.

§. LXXXVII.

Haec *de seruis*. His oppositi LIBERI quum in *ingenuos* et *libertinos* distinguantur: (§. 78.) de illis titulo IIII. de his titulo V. agitur. Liberi homines vel ingenui, vel libertini.

TIT. IIII.

DE INGENVIS.

§. LXXXVIII.

INGENVI, (qui et κατ' ἐξοχὴν *liberi* dicuntur, *) a *gignendo* nomen habent, quasi quibus ingenita est libertas, vel, vt ISIDOR. *Orig. Lib. VIIII. cap.* 4. *quasi qui in genere habent libertatem, non in facto*. Ingenui vnde dicti?

* Exemplum est in *L.* 4. *D. de inst. et iur.* vbi VLPIANVS inuicem opponit *liberos*, *seruos*, et tertium genus *libertos*. Quae obseruatio prodest ad textus aliquot paullo difficiliores explicandos, e. g. *L.* 2. *pr. C. Th. de liberali caussa*.

§. LXXXVIIII.

Ingenuus itaque est, *qui statim, vt natus est, liber est. pr. Inst. h. t.* Quinam sint?

§. LXXXX.

Quum vero ad natales hic respiciatur: fauore ingenuitatis inualuit axioma Axioma de ingenuitate.

axioma: *ingenuus est, quicumque est natus e matre, quae tempore vel conceptionis, vel partus, vel intermedio, dum vterum gessit, saltim per momentum libera fuit. d. pr. Inst. h. t.*

§. LXXXXI.

Consectaria de ingenuis natiuitate. Ex quo consequitur, 1) vt ingenuus nascatur ex parentibus libertinis, 2) nec non ex libera et seruo, 3) item vulgo quaesitus, si mater sit mulier libera. * 4). Vt non officiat ingenuitati manumissio, si quis ingenuus natus iniuste in seruitutem detrusus fuerit, §. 1. *Inst. h. t.* e. g. a latronibus captus. *L. 13. pr. D. qui testam. fac. poss.* 5). Vt liberi, olim permittente iure vetere a patre venumdati, vel noxae dediti, nec non obaerati, addicti creditoribus, posteaque manumissi, non libertini essent, sed ingenui. QVINCTILIAN. *Inst. orat. Lib. V. cap. 10. et Lib. VII. cap. 3. Declam. 311. 340. et 342.*

* Quamuis enim alias liberi sequantur conditionem patris: id tamen non procedit extra nuptias, quia sine iis pater non intelligitur. Vnde extra matrimonium conditio matris spectatur. *L. 19. D. de stat. homin.*

§. LXXXXII.

De ingenuis ob iusiurandum, vel rem iudicatam. An quis statim, vt natus est, liber fuerit, facti quaestio est: super quibus facti quaestionibus quum iusiurandum et res iudicata pro veritate habeantur: *L. 207. D. de reg. iur. L. 8. C. de reb. cred.* consequens est, 6) vt et libertinus habeatur ingenuus, qui sententia iudicis ingenuus pronunciatus, *L. 25. D. de stat. hom.* nec non 7) qui deferente patrono iurauit, se ingenuum esse. *L. 30. §. 4. D. de iureiur.* [Quod ad statum ingenuorum attinet, ea de re plura diximus in *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit. 3.*]

TIT. V.

DE LIBERTINIS.

§. LXXXXIII.

Quinam libertini? HActenus de *ingenuis*. LIBERTINI, * his oppositi, sunt, *qui ex iusta seruitute* (§. 91. 4.) *manumissi sunt. pr. Inst. h. t. L. 6. D. de stat. hom.*

* *Libertini* dicuntur ratione status; *liberti* in relatione ad patronos. Illi sunt ἀπελεύθεροι, hi ἐξελεύθεροι. Vid. LAVR. VALL. *Elegant. Lat. lingu. Lib. IIII. cap. 1.* Olim tamen libertus erat manumissus, libertinus e liberto natus. SVETON. *Claud. cap. 24.*

§. LXXXXIIII.

Manumissionis definitio. MANVMISSIO est *de manu datio. pr. Inst. h. t. Manus* autem potestatem denotat in iure nostro, vt et olim veteribus. Vid. LIV. *Lib. XXXIIII.*

XXXIIII. cap. 11. Quum enim ferui effent res: (§. 77.) dubium non erat, quin domini dominio fuo fe abdicare, adeoque feruis libertatem reddere poffent.

§. LXXXXV.

Modi manumittendi *veteres* et *follemnes* erant CENSVS, TESTAMENTVM, VINDICTA. CIC. *in Top. cap.* 2. VLPIAN, *Fragm. tit.* 1. §. 8. Sed quum *cenfus luftralis* iam a Vefpafiani temporibus ab vfu receffiffet, CENSORIN. *de die nat. cap.* 18. nifi quod eum longo interuallo interiecto repetierat Decius: TREBELL. POLL. *in Valerian.* Conftantinus M. in eius locum fubftituit manumiffionem IN SACROSANCTIS ECCLESIIS. *L.* 1. *et* 2. *C. de his, qui in SS. eccleſ.* quae folae reftant ex tribus conftitutionibus, quas eum in hanc rem ediDiffe tradit SOZOM. *Hift. Eccl. Lib. I. cap.* 9. Hinc, omiffo cenfu, hunc tantum modum reliquis accenfet Iuftinianus §. 1. *Inft. h. t.* Modi manumittendi veteres et follemnes.

§. LXXXXVI.

Modi *noui*, et *minus follemnes* erant plures* veluti PER EPISTOLAM, INTER AMICOS, §. 1. *Inft. h. t.* PER CONVIVIVM, CAI. *Inft. Lib. I. tit.* 1. §. 2. PER NOMINATIONEM FILII. §. 12. *Inft. de adopt.* Modi noui et minus follemnes.

* Caue enim exiftimes, hos folos fuiffe. Liberae enim v. c. fiebant ancillae, quas dominus matronali habitu ornauerat. Liberi credebantur ferui, qui volente domino tabulas fignauerant: QVINCTIL. *Declam.* 311. *et* 342. vel quos dominus domi dextra prehenfos circumegerat. APPIAN. *de bello ciu. Lib. I.* Sic puerum liberum iudicatum nouimus, cui bullam et praetextam togam impofuerant venalicii. SVETON. *de clar. rhet. cap.* 1. Conf. MERILL. *Obf. Lib. VII. cap.* 14.

§. LXXXXVII.

Per CENSVM LVSTRALEM liberabantur ferui, qui nomen fuum in cenfum, iuffu domini, conferebant, VLP. *Fragm. tit.* 1. §. 8. ac deinde intererant luftro. CIC. *de orat. Lib. I. cap.* 40. Fragm. e veteri ICto §. 17. apud SCHVLTING. *Iurifprud. antiqu. anteiuftin. pag.* 809. Sed hic modus iam Iuftiniani tempore pridem ab vfu recefferat (§. 95.) Manumiffio per cenfum luftralem.

§. LXXXXVIII.

In SACROSANCTIS ECCLESIIS liberabant feruos, qui die inprimis pafchali (GREG. NYSSEN. *Orat. II. de refurr. Chrifti L.* 7. *C. de fer.*) fub adfpectu plebis, adfiftentibus Chriftianorum antiftitibus, ita manumittebant, vt propter facti memoriam vice actorum recitaretur libellus follemnis, vel fcriptura, in qua ipfi vice teftium fignarent. *L.* 1. *C. de his, qui in SS. eccleſ.* Conf. IAC. GOTHOFR. *ad L. vn. C. Th. Lib. IIII. tit.* 7. *pag.* 355. *tom. I.* In facrofanctis ecclefiis.

§. LXXXXVIIII.

TESTAMENTO feruus manumittitur, quia ferui funt res, (§. 77.) et de rebus cuique legare permittit lex XII. tabularum. *L.* 120. *D. de verb. fign.* Fit hoc vel DIRECTE, vel *per* MODVM FIDEICOMMISSI. *Directe* ipfe teftator manumittit, vel EXPRESSE: *Stichus liber efto;* Per teftamentum.

vel

vel TACITE: *Stichus heres, vel tutor liberorum meorum esto*. Dum enim voluit seruum suum heredem, vel tutorem fieri, procul dubio et liberum fieri voluit. §. 2. *Inst. qui et ex quib. causs. man. L. penult. C. de necess. seru. her. Inst.* §. 1. *Inst. qui test. tut. dat. poss. L.* 32. §. 2. *D. de testam. tut.* Per *modum fideicommissi*, quum testator vel heredi vel legatario iniungit, vt seruum manumittat. §. 2. *Inst. de reb. sing. per fideic. rel.*

§. C.

Per vindictam. Manumissio PER VINDICTAM erat *actio legis*, (§. 69. 2.) et hinc coram eo magistratu, apud quem erat legis actio, sollemni ritu et formula explicanda. * Quia tamen simul erat actus iurisdictionis voluntariae: (§. 69. 2.) non opus erat, vt pro tribunali fieret, sed videbatur recte manumitti seruus, etiam quando praetor aut praeses in balneum, vel in theatrum ibat. §. 2. *Inst. h. t. L. 7. D. de manum. vind.*

* Qui ritus in eo consistit, quod dominus seruum in gyrum ageret, PERS. *Sat. V. v.* 75. colaphum eidem infligeret, et ita percussum e manu dimitteret, addita formula: HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO. Quo facto, lictor virgula, quae *vindicta* a Vindicio seruo, ita manumisso, dicebatur, (Liv. *Lib. II. cap.* 5. *L.* 2. §. 24. *D. de orig. iur.*) caput serui percutiebat. SIDON. *Carm. II. ad Anthim. v.* 545. CLAVDIAN. *Consul. Honor. v.* 613. *seqq.*

§. CI.

Per epistolam. Hi modi *sollemnes* sunt manumissionis. PER EPISTOLAM manumissio *sine sollemnitate* fiebat, (§. 96.) vnde et absens hoc modo manumittebatur. (§. 250. *) *L.* 38. *pr. D. de adquir. vel amitt. possess.* Postea Iustinianus primus requirebat quinque testium subscriptionem. *L. vn.* §. 1. *C. de Lat. libert. toll.*

§. CII.

Inter amicos. INTER AMICOS manumittebat dominus, quando seruum, quinque conuocatis testibus, liberum esse iubebat. *L. vn.* §. 2. *C. de Lat. libert. toll.*

§. CIII.

Per conuiuium. Quumque indecorum olim videretur, cum seruis accumbere dominum: (*Antiqu.* nostr. *Rom. h. t.* §. 8.) et is PER CONVIVIVM manumisisse censebatur, qui seruum adhibuerat mensae *. CAI. *Lib. I. Inst. tit.* 1. §. 2.

* Eo nonnulli, sed parum accurate, referunt verba Seruatoris. *Luc. XII,* 37.

§. CIIII.

Per nominationem filii. Denique, vti olim seruus, a domino adoptatus, liber fiebat: ita Iustinianus auctoritate Catonis aliorumque veterum statuerat, vt is seruus, quem dominus, actis interuenientibus, FILIVM SVVM ADPELLAVERAT, liber esset, licet hoc ei ad ius filii accipiendum non sufficeret. §. 12. *Inst. de adopt.*

§. CV.

§. CV.

Olim una libertas.

Omnes ita manumissi e seruis fiebant liberi, e rebus personae. (§. 76.) Et olim quidem ex instituto Seruii Tullii (Dionys. Halic. *Lib. IIII. cap.* 126.) una erat omnium libertinorum conditio, quoniam omnes non modo libertatem, sed et ciuitatis Romanae iura consequebantur. Cic. *pro Corn. Balb. cap.* 24.

§. CVI.

Ex lege Aelia Sentia quidam liberti dedititii.

Posteaquam autem domini scelestissimos seruos ob varias caussas manumittere coeperant, (Dionys. Halic. *ib. p.* 228.) et ciuitas pessimorum hominum colluuie adfluere videbatur: a. v. c. 755. *Sex. Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coss. lege Aelia Sentia cautum, vt serui sceleris aut noxae caussa publice caesi, vincti, torti, aut stigmate vsti, ad ferrum damnati, bestiisue obiecti, impetrata a dominis quocumque modo libertate, non melioris essent conditionis, ac dedititii: Dio Cass. *Lib. LV. p.* 556. Svet. *Aug. cap.* 40. Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 1. Cai. *Inst. Lib. I. tit.* 1. §. 3. id est, ii populi, qui se, diuina humanaque omnia Romanis dediderant. Car. Sigon. *de antiquo iure Ital. Lib. I. cap.* 1. *p.* 47.

§. CVII.

Ex lege Iunia Norbana quidem Latini facti.

Postea ob eandem caussam a. v. c. 771. *N. Iunio Silano* et *L. Iunio Norbano* Coss. lata lege Ivnia Norbana sancitum, vt modis minus sollemnibus (§. 96. §. 101. *vsque ad* §. 104.) manumissi, quosue lex Aelia Sentia in libertate morari passa erat, non ciuitatis, sed Latinorum coloniariorum, iura consequerentur. Vlpian. *Fragm. tit.* 1. §. 10. Cai. *Inst. ibid.* §. 11. Add. *Comm.* nostr. *ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 10.

§. CVIII.

Tria libertinorum genera.

Ex eo ergo tripartitus esse coepit libertinorum status. Alii enim iustam consequebantur libertatem, et fiebant cives Romani: (§. 105.) alii Latini Ivniani: (§. 107.) alii dedititii dicebantur. (§. 106.) §. 3. *Inst. h. t.*

§. CVIIII.

Ciuium Latinorum dedititiorum conditio.

Cives gaudebant iuribus connubii, contractuum et testamentifactionis, aliisque, quae ad ius publicum et priuatum Rom. pertinebant. Latini participes quidem quodammodo erant iuris commerciorum: (Vlpian. *Fragm. tit.* 19. §. 4. *tit.* 20. §. 8.) non autem testamentifactionis, neque iuris connubii, nisi hoc speciatim concessum esset. Vlpian. *tit.* 7. §. 1. *et tit.* 5. §. 4. Dedititii nullo horum iurium gaudebant, ac ne spes quidem illis supererat, ad meliorem conditionem iustamue libertatem adspirandi. Cai. *Inst. Lib. I. tit.* 1. §. 4.

§. CX.

Discrimen inter libertinos, immo et ingenuos et li-

At Iustinianus primo id discrimen sustulit: §. *vlt. Inst. h. t. L. vn. C. de Lat. lib. toll.* et *L. vn. C. de dedit. lib. toll.* deinde et ingenuitatem libertinis concessit, et ius aureorum annulorum dedit, adeoque

bertinos fublatum. que omne fere difcrimen ingenuorum et libertinorum aboleuit, faluo tamen IVRE PATRONATVS. *Nou. LXXVIII. cap.* 1.

§. CXI.

Patroni libertinorum veluti parentes vel agnati. Nimirum magna olim neceffitudo erat inter manumittentem et libertum. (§. 93. *) Libertus illi debebat, quod perfona effe coeperat, quum antea in claffe rerum effet. (§. 105.) Ex quo confequebatur, vt patronus illi veluti pater ac proximus agnatus effet, cuius et nomen adfumere folebat. LACTANT. *Inft. diuin. Lib. IIII. cap.* 3. *L.* 94. *D. de leg.* 3. *L.* 88. §. 6. *D. de leg.* 2. *L.* 108 *D. de condit. et dem.* VINN. *ad princ. Inft. de fucceff. libert.* et quae nos ibi notauimus *pag.* 566.

§. CXII.

Iura patronatus. Quum itaque manumiffores libertis effent inftar parentum: (§. 111.) confequens erat, (1 vt teftamento *directe* manumiffi patronum non haberent; *indirecte* libertatem ex fideicommiffo confequuti, heredi vel legatario iura patronatus deberent. Vnde illi liberti *orcini* dicuntur, quafi qui patronum in orco habent. CVIAC. *Obf. Lib. III. cap.* 23. (2 Vt liberti patronis deberent obfequium et reuerentiam. §. 9. *D. de obfequ. parent. et patr. praeft.* (3 Vt illis obftricti effent ad praeftandas operas officiales. *L.* 9. §. 1. *D. de oper. libert.* non autem ad fabriles, nifi fponfione vel iureiurando promiffas. *L.* 3. *pr. L.* 5. *L.* 7. §. 3. *D. eod.* (4 Vt patronus liberto, qui improles obierat, ab inteftato fuccederet. *pr. Inft. de fucc. libert.* (5 Vt libertus ἄπαις teftamento ei relinquere teneretur partem tertiam bonorum, fi effet centenario maior, alioquin patrono daretur tantae portionis bonorum poffeffio contra tabulas. §. 3. *Inft. de fucceff. libert.* (6 Vt iura patronatus, quod ad operas officiales attinet, capitis deminutione quacumque; reliqua maxima et media perimerentur. §. 1. *Inft. de adquifit. per arrogat.*

§. CXIII.

Vfus huius doctrinae hodiernus. Ceterum haec omnia hodie fere extra vfum funt. Manumittuntur homines proprii, vbi ea feruitus adhuc recepta: fed per folam fere epiftolam. Ceffant vero reliqui modi manumiffionis: ceffat ius aureorum annulorum: ceffant iura patronatus. In vniuerfum fere adhuc obtinet in Germania, quod iam obferuauerat TACIT. *de mor. Germ. cap.* 26. *Liberti non multum fupra feruos funt.* Vid. POTGIESS. *de ftatu et condit. feru. in Germ. Lib. III.* [ut et *Elem.* noftr. *iur. Germ. Lib. I. tit.* 2.]

TIT.

T I T. VI.

QVI ET EX QVIBVS CAVSSIS MANVMITTERE NON POSSVNT.

§. CXIIII.

QVum Romani saepe seruos imprudenter manumitterent: lege AELIA SENTIA hanc manumittendi licentiam quodammodo fuisse circumscriptam, iam supra monuimus. (§. 106.) DIO CASS. *Lib. LV. p.* 556.

Manumittendi libertas lege Aelia Sentia circumscripta.

§. CXV.

Eadem ergo lex AELIA SENTIA inter alia et bina haec capita * complectebatur, quorum *altero* cautum fuerat, *ne quis in fraudem creditorum manumitteret; pr. Inst. h. t. altero; ne domino minori viginti annis manumittere liceret, nisi certis conditionibus*. §. 4. *Inst. eod.*

Duo eius capita huc pertinentia.

* Non enim his duobus capitibus solis constabat lex Aelia Sentia, vt nonnullis visum: veluti VOET. *Elem. iur. h. t.* §. 1. sed plura alia passim memorantur. Vid. *Antiqu.* nostr. *Rom. h. t.* §. 3. *seqq.* Haec duo tantum recenset Iustinianus, quia ad hunc titulum sola pertinent. Totam legem ordini ac integritati suae restitutam reperies in editione tertia *Antiquitatum* nostrarum *Rom. h. t.*

§. CXVI.

PRIORE ergo capite cautum, vt *qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agat. pr. Inst. h. t. L.* 16. §. 2. *D. qui et a quib. manumiss. lib.* Manumissio igitur ita facta erat nulla, et manumissi serui manebant, * quia libertas semel data reuocari non potuisset actione Paulliana, qua alioquin creditores in fraudem suam alienata reuocant, ** L. 1. *D. de his, quae in fraud. cred.*

Caput prius

* Improprie ergo loquuntur veteres ICti, ipsique principes, dum libertates per legem Aeliam Sentiam dicunt RESCINDI, *L.* 5. §. 2. *D. qui et a quib. manumiss.* RETRAHI, *L.* 45. §. 3. *D. de iur. fisc.* imo et REVOCARI. *L.* 1. *C. qui manum. non poss.* Non ausim enim cum FR. FROOLO *ad h.* §. erroris Iustinianum arguere.

** Actio enim Paulliana dabatur tantum aduersus possessorem rei alienatae, fraudis conscium. *L.* 1. *pr. L.* 6. §. 8. et *L.* 9. *D. quae in fraud. cred.* Seruus vero manumissus rem alienatam, id est seruitutem, non possidebat. Libertas, quam seruus consequutus erat, a domino non fuerat alienata, nec seruus semper erat fraudis conscius.

§. CXVII.

FRAVS vero et *affectum* vel consilium defraudandi inuoluit, et *effectum*, vt datis libertatibus desinat manumittens soluendo esse. §. 3. *Inst. h. t. L.* 10. *D. qui et a quib. manumiss.*

Quid in fraudem creditorum manumittere?

§. CXVIII.

Non manumittit in fraudem qui se soluendo esse putat.

Ex quo consequitur, (I. vt ignoscendum sit ei, qui dum amplius de facultatibus suis, quam in iis est, sperat, seruos manumittit. *d.* §. 3. *Inst. h. t.* nisi libertas tantum fideicommissaria data sit, vbi solus effectus sine fraudandi consilio sufficit. *L.* 4. §. 19. *fin. D. de fideic. libert.*

§. CXVIIII.

Nec qui seruum necessarium heredem instituit.

Ex eodem sequitur, (2. vt non sit nulla manumissio, si dominus, qui soluendo non est, seruorum suorum vnum, cum libertate, vel sine ea, heredem instituit necessarium, dum ne alium heredem ex eo testamento habeat. §. I. 2. *Inst. h. t.* Non enim fraudandi, sed ignominiam, sibi mortuo imminentem, amoliendi, animo id fecisse videtur §. I. *Inst. eod.*

* Perquam enim ignominiosa erat bonorum possessio bonorum a creditoribus impetrata. CIC. *pro P. Quinct. cap.* 15. Herede vero necessario instituto, bona non defuncti, sed heredis nomine veniebant.

§. CXX.

Posterius legis caput.

Posteriore capite cautum fuerat, vt minor viginti annis non aliter manumitteret, quam I. vindicta, (§. 100.) II. ad consilium, quod Romae ex quinque senatoribus, totidemque equitibus, (i. e. ex decemuiris stlitibus iudicandis,) in prouinciis ex viginti quinque recuperatoribus ciuibus Rom. constabat, VLPIAN. *Fragm. tit.* I. §. 12. 13. GER. NOODT. *de iurisdict. Lib. I. cap.* 12. III. ex iusta caussa, §. 4. *Inst. h. t.* qua semel probata, libertas non retractabatur, licet falsa adpareret §. 6. *Inst. h. t.*

§. CXXI.

Iustae caussae, ex quibus minor xx. annis manumittebat.

Iusta vero caussa videbatur, si quis patrem aut matrem, filium filiamue, aut fratres sororesue naturales, aut paedagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum alumnamue, aut collactaneum manumitteret, aut seruum non minorem XVII. annis procuratoris habendi caussa *, aut ancillam matrimonii gratia, dum tamen intra sex menses vxor duceretur, ni iusta caussa (quales in *L.* 17. *D. de spons.* recensentur,) impediret **. §. 5. *Inst. h. t. L.* 9. *L.* 11. *sequ. D. de manumiss. vindict.*

* Procul dubio ad litem: quum ad id, vt quis alterius negotia extra iudicium procuret, nec libertate, nec septendecim annorum aetate opus sit. *Argum. L.* 7. §. 1. 2. *L.* 8. *D. de instit. act.* VOET. *Elem. iur. l.* I. §. 4.

** Nec tamen hae caussae omnes e lege Aelia Sentia sunt. Saltim eo tempore nondum licebat cuiuis libertinam ducere, quod lex demum Papia Poppaea concessit a. v. c. 762. DIO CASS. *Lib.* LIIII. *p.* 831. Senatusconsulto potius id ius adscribendum, teste VLPIANO *L.* 13. *D. de manumiss. vindict.*

§. CXXII.

Abrogatio capitis posterioris.

Verum id posterius caput eatenus sustulit Iustinianus, vt cuius post impletum XVII. annum manumittere liceret inter viuos: §. *vlt. Inst. h. t.* per testamentum autem cuiuis, qui ea aetate esset, vt posset testari. *Nou.* CXIX. *cap.* 2.

TIT.

T I T. VII.

DE LEGE FVSIA CANINIA TOLLENDA.

§. CXXIII.

QVum tam imprudenter Romani inter viuos manumitterent: (§. 106.) facile ad existimandum est, multo liberaliores eos fuisse moribundos. Tunc sane saepe tota seruitia libertate donabant, tantum vt liberalitatis laudem ferrent post mortem, et libertini isti pileati defunctorum patronorum lecticas magno agmine prosequerentur. DIONYS. HALICARN. *Lib. IIII. pag.* 228.

Romanorum moribundorum ambitio in manumittendis seruis.

§. CXXIIII.

Ne itaque dedecori reipublicae essent impurissimi illi pilei: manumissionum huiusmodi modum terminandum putabat Augustus, SVET. *Aug. cap.* 40. idque factum lege FVSIA CANINIA, lata a. v. c. 751. *Sex. Furio Camillo* et *C. Caninio Gallo* coss. Vid. *Antiqu. Rom. h. t.* §. 1.

Lex Fusia Caninia ei opposita.

§. CXXV.

Ea cautum erat, (1. vt qui plures quam decem seruos non haberet, plus parte dimidia ne manumitteret: qui ad xxx, ne plus tertia: qui ad c., ne plus quarta: qui ad 1Ↄ, non plus quinta, nec vnquam testator plures quam c libertate donaret, 2. Vt, si quis iusto plures manumiserit, ii tantum, qui priores nominati, libertatem consequerentur: 3. sin plures scripti, nemo nominatus, vel nomina διεξοδικῶς, seu in orbe tereti scripta essent *, nullus liberaretur. VLPIAN. *Fragm. tit.* 1. §. 24. PAVLL. *Sentent. recept. Lib. IIII. tit.* 15. CAI. *Inst. Lib. I. tit.* 2. §. 1.

Eius legis sanctio.

* Quid sit scribere διεξοδικῶς, in circulo, in orbe tereti, ἐν κύκλῳ, luculenter et erudite docet EM. MERILL. *Obs. Lib. VII. cap.* 40.

§. CXXVI.

Verum hanc quoque legem, vtut reip. antea vtilissimam, sustulit Iustinianus, interferens caussam parum idoneam; quod tantumdem licere debeat morientibus, quantum viuis. §. vn. *Inst. h. t.*

Eiusdem abrogatio.

TIT. VIII.

DE HIS, QVI SVI VEL ALIENI IVRIS SVNT.

§. CXXVII.

Secunda personarum diuisio.

HActenus de prima personarum diuisione in *liberos* et *seruos*: (§. 78.) Sequitur altera earundem partitio in eos, qui sunt SVI, vel ALIENI IVRIS, *pr. Inst. h. t.* quae ad statum familiae pertinet, (§. 76.) et omnino priore latius patet, quia omnes quidem homines sui iuris sunt liberi, omnes serui alieno iuri subiecti: sed non omnes liberi homines sui iuris, nec omnes alieno iuri subiecti serui sunt.

§. CXXVIII.

Quinam sui, quinam alieni iuris?

SVI IVRIS habentur, *qui nec dominicae, nec patriae potestati subsunt*. ALIENO IVRI subiecti, *qui alterutri subsunt*. Illi vocantur *patres matresue familias*; hi vel *filii filiaeue familias*, vel *serui ancillaeue*. *L. 4. D. h. t.* Hoc titulo de DOMINICA, sequente de PATRIA *potestate* agendum erit.

§. CXXVIIII.

Serui erant in dominio Quiritario.

Quum serui essent res mancipi: (§. 77.) consequens erat, vt essent in dominio Quiritario, VLPIAN. *Fragm. tit.* 1. §. 16. adeoque domino eadem iura in seruos competerent, quae ei competebant in res alias, dominio suo subiectas.

§. CXXX.

Iura domini in seruos.

Itaque (1. domino erat ius vitae ac necis in seruos. §. 1. *Inst. h. t.* *L.* 1. §. 1. *D. h. t.* (2. Serui erant in commercio, adeoque vendi, donari, legari, et quocunque titulo in alios transferri poterant. (3. Serui nihil habebant proprii, sed quidquid adquirebant quocumque modo, id omne adquirebant domino. Vid. infra *Lib. II. tit.* 9.

§. CXXXI.

Ius vitae et necis paullatim abolitum.

Sed quum hoc IVS VITAE ET NECIS paullatim in barbaram faciendi licentiam degeneraret, (SENEC. *de ira*, *Lib. III. cap.* 40. *de clement. cap.* 18. PLIN. *Hist. nat. Lib. VIIII. cap.* 23.) et expediret tamen videretur reip. ne quis re sua male vtatur: §. 2. *Inst. h. t.* iure nouo id ius ademtum est dominis, deportatione vel vltimo supplicio ex lege Cornelia adficiendis aeque, si suum, ac si seruum alienum occiderint, * §. 2. *Inst. h. t.* L. 1. §. 2. *D. ad leg. Corn. de sicar.* iunct. *L.* 16. *eod.* nisi iusta occidendi caussa subfuerit, veluti si dominus seruum, sibi insidiantem, vel in adulterio deprehensum, occiderit, *L.* 53. §. 3. *D. de leg.* 1. *L.* 96. *D. de verb. oblig.* iunct. §. 2. *Inst. de leg. Aquill. L.* 24. *pr. D. ad leg. Iul. de adult.*

* Quin quamuis ius castigandi dominis ademtum non sit, *L. vn. C. de*

de emend. seru. extra ordinem tamen succurritur seruis, iniuriam intolerabilem passis a domino. Exemplum elegans exstat in §. 2. *Inst. h. t. L.* 2. *D. eod.*

§. XXXII.

Et hoc iure vtuntur iis locis, vbi supersunt homines proprii, nisi quod passim haec dominica potestas veterum Germanorum formam IVRISDICTIONIS, quam PATRIMONIALEM vocant, induit, vi cuius et animaduertere licet in homines proprios facinorosos, sed non nisi caussa cognita. Diximus in dissertatione singulari *de origine atque indole iurisdictionis patrimonialis*, [quae recusa exstat in *Syllog. I. opusc. num. 6. pag.* 229. Edit. Geneu. Conf. quoque *Elem. iur. Germ. Lib.* §. *tit.* 1. §. 39. *seqq.*] Vsus hodiernus.

T I T. VIIII.

DE PATRIA POTESTATE.

§. XXXIII.

NOn solum serui, de quibus hactenus, alieno iuri subiecti sunt; verum etiam filii filiaeque familias, L. 4. *D. de his, qui sui*, quia subsunt PATRIAE POTESTATI: (§. 128.) de qua hoc titulo. Alieni iuris sunt etiam filii familias.

§. CXXXIIII.

Quamuis vero haec potestas in se sit iuris gentium: *L. 2. D. de iustit. et iur.* quod ad formam tamen proprium est ius ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui tali in liberos potestate vtantur, quali vtebantur Romani *. §. 2. *Inst. h. t.* Patria potestas propria ciuium Rom.

* Id quod et elegante comparatione, inter Romanos et Graecos instituta, ostendit DIONYS. HALICARN. *Lib. II. p.* 96.

§. CXXXV.

Nimirum filii familias erant quidem ingenui, erant ciues: sed non patres familias, et hinc personae quidem censebantur, sed ratione aliorum ingenuorum et ciuium, (quo ipso a seruis differunt,) non ratione patris, cuius respectu res mancipi *, aeque ac serui, habebantur. (§. 76.) Liberi respectu patris erant res.

* Poterant enim mancipari, tamquam res mancipi. CAI. *Inst. Lib. I. tit.* 6. §. 3 poterant vindicari: *L.* 1. §. 2. *D. de rei vind.* poterat. iis surreptis, actio furti institui. *L.* 14. §. 13. *et L.* 38. §. 1. *D. de furt.* Vid. RYNKERSHOEK, *de iure occid. liber. cap.* 1. *pag.* 145. Quae omnia non in personas, sed in res, cadunt.

§. CXXXVI.

Itaque nihil aliud est PATRIA POTESTAS, quam *dominium Quiritarium* Adeoque patria potestas

dominium *tarium*, *quod patri competit in liberos*. BYNKERSH. *ibid.* Matri vel ideo competere non poterat, quia ipsa iure veteri erat in manu mariti, tamquam filiafamilias. Vid. *Comm.* nostr. *ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap.* 12. *pag.* 138.

§. CXXXVII.

Idem ius patri in liberos, ac domino in res et seruos.

Ac proinde patri, (non matri, (§. 136.) eadem iura competebant in liberos, quae domino in res, dominio suo subiectas, (§. 129.) vel in suos cuique seruos *.

* Quin in quibusdam durior erat patria potestas, quam dominica, veluti quod ter venumdari possent liberi et bis manumissi reciderent in patriam potestatem. (§. *sequ.*) Conf. GER. NOODT. *Probabil. Lib. II. cap.* 9. *p.* 64.

§. CXXXVIII.

Effectus patriae potestatis.

Ex quo principio fluit prono alueo, (1. patri etiam Romano competiisse ius vitae et necis in liberos. *L.* 11. *D. de lib. et postum.* DIONYS. HALIC. *Lib. II. pag.* 96. * (2. Eumdem potuisse filium venumdare, et ter quidem, ex Romuli instituto, ita, vt bis venditus, et toties manumissus, semper recideret in patriam potestatem, et non nisi tertium manumissus sui iuris euaderet. Idem *Lib. II. p.* 97. (3. Potuisse filium filiamque a patre noxae dari aeque ac seruum, §. 7. *Inst. de noxal. act.* (4. Quidquid adquirerent liberi, patri fuisse adquisitum. (Vid. infra, *Lib. II. tit.* 9.) (5. Non solum filios filiasque familias in patris, sed et nepotes neptesque, pronepotes proneptesque ex filiis, in potestate aui vel proaui paterni fuisse. §. 3. *Inst. h. t.*

* Non quasi promiscue posset occidere liberos innocentes, sed quod in liberos ei liceret animaduertere, tamquam *iudici domestico*, vti vocat SENEC. *Controu. Lib. II. controu.* 3. tamquam *domestico magistratui*, SENEC. *de benef. Lib. III. cap.* 2. tamquam *censori filii*, SVETON. *Claud. cap.* 16. Exempla iudiciorum huiusmodi collegimus in *Antiqu. Rom. h. t.* §. 5.

§. CXXXVIIII.

Alii effectus.

Haec e dominio fluunt. (§. 137.) Quia vero filij ratione patris sunt ἀπρόσωποι, id est, res, non personae §: (. 135.) consequens est, (6. vt pater et filius in negotiis priuatis * habeantur pro vna persona. *L. vlt. C. de impub. et al. subst.* (7. Vt nulla inter eos sit actio: *L.* 4. *D. de iudic.* (8. nulla obligatio. §. 6. *Inst. de inutil. stipul.* (9. Vt pater possit liberis tutores dare, §. 3. *Inst. de tutel.* et (10. iisdem pupillariter substituere. *pr. Inst. de pupill. subst.* (11. Vt liberi nihil magni momenti sine patris consensu agere, et neque nuptias facere, *pr. Inst. de nupt.* neque mutuam accipere pecuniam possint, quae omnia ex hoc principio fluere, infra suis locis demonstrabimus.

* Non in negotiis publicis. Nam quum filius familias tantum ratione patris sit ἀπρόσωπος, alias vero et ingenuitate, et ciuitatis iure gaudeat: (§. 135.) in muneribus publicis pro patre familias habebatur. *L.* 9. *D. de his, qui sui vel al. iur.* Quin si magistratum gereret filius familias, patria

iura

iura cum filii potestate collata, interquiescere paullulum et conniuere videbantur, vti ait GELL. *Lib. II. cap.* 2. Huc etiam referendae *L.* 13. §. 5. *et L.* 14. *D. ad SC. Treb.* quas egregie illustrat BYNKERSHOEK. *Obs. Lib. I. cap.* 18. *p.* 75.

§. CXXXX.

Ius vitae et necis parentibus ademtum.

Sed hoc ius paullatim imminutum est. Nam (1. non amplius ius vitae et necis competit parentibus : sed facultas modice castigandi. *L.* 3. *C. de patr. potest. L. vn. C. de emend. propinqu. L. vn. C. de his, qui par. vel lib. occid.* et in atrocioribus delictis magistratui praescribendi sententiam : *L.* 3. *C. de patr. potest.* quamuis hoc iure hodie vix vtamur.

§. CXXXXI.

An hodie liceat venumdare liberos?

Deinde (2. iure nouo non licet parentibus vendere liberos, nisi vrgente extrema egestate sanguinolentos, *L.* 2. *C. de patr. qui fil. distr.* id est, e matre adhuc rubentes. VLR. HVBER. *Digress. Lib. II. cap.* 5. Quamuis et hoc ius vix hodie frequentetur.

§. CXXXXII.

Adquaestus per liberos hodiernus.

Porro (3. et ius adquirendi per liberos haud parum restrictum est distinctione variorum peculiorum, de quibus infra *Lib. II. tit.* 9.

§. CXXXXIII.

Liberi noxae dari nequeunt.

Denique (4. et noxae dationem filiorum filiarumque familias sublatam constat. §. 7. *Inst. de noxal. act.* Reliqua iura plerisque locis adhuc obtinent, praeterquam quod ea potestas, quia fere nuptiis separataque oeconomia liberorum soluitur, in nepotes vix competit. (§. 199.)

§. CXXXXIIII.

Modi adquirendi patriam potestatem.

Ceterum quemadmodum iure Romano parum differunt dominica et patria potestas : (§. 137.) ita et liberi aeque, ac serui, (§. 81. *seqq.*) NASCVNTVR aut FIVNT. *Nascuntur* EX IVSTIS NVPTIIS, modo iusto tempore procreentur, *L.* 6. *D. de his, qui sui vel al. iur. L.* 12. *D. de stat. hom. L.* 9. *C. de nupt. L.* 3. §. *pen. D. de suis et legit. hered. Fiunt* vel *per* LEGITIMATIONEM, vel per ADOPTIONEM. *pr. Inst. h. t.* §. 13. *Inst. de nupt. pr. Inst. de adopt.* Hinc de *nuptiis* et *legitimatione* titulo X. de *adoptione* tit. XI. agitur.

TIT. X.

DE NVPTIIS.

§. CXXXXV.

Nuptiarum conceptus

MAris et feminae coniunctio in se est *iuris naturae et gentium*: *L.* 1. §. 3. *D. de iust. et iur.* sed illi nouam veluti formam cir-

diuersi secundum diuersa iura. circumdederunt cum *leges Romanae*, tum *ius pontificium*, a quibus denique *iura ecclesiastica Protestantium* in multis capitibus discedunt. Vnde haec distincte consideranda.

§. CXXXXVI.

Definitiones earundem secundum ius Nat. Rom. Canon. et Protest. NVPTIAE I. secundum IVS NATVRAE considerataе sunt *viri et mulieris coniunctio, ad liberos procreandos comparata*. II. ROMANIS erant *coniunctio maris et feminae, consortium omnis vitae, diuini* * *et humani iuris communicatio*. *L.* 1. *D. de ritu nupt.* III. CANONISTIS *sunt sacramentum, laicis proprium, quo vir et mulier secundum praecepta ecclesiae coniunguntur*. *c. sicut* 2. *c.* 32. *qu.* 2. Denique IIII. PROTESTANTIBVS, *societas maris et feminae indissolubilis, et diuinitus instituta, ad generationem prolis et mutuum vitae adiutorium ineunda*.

* Vxor enim fiebat veluti filiafamilias per in manum conuentionem, (§. 136.) et hinc particeps sacrorum gentilium mariti. Vid. DVAREN. *ad tit. D. Solut. matr.* Vnde et pontifices auctores fieri oportebat in confarreationibus. Vid. *Antiqu. nostr. Rom. Lib. I. tit.* 2. §. 31. * Ex ea in manum conuentione talis nascebatur communio, qualis erat inter patrem et liberos in sacris eius constitutos: non communio bonorum, qualis hodie passim obtinet inter coniuges, quippe quam leges nostrae ignorant, *L.* 8. *C. de pact. conu.* nisi expresse talem societatem vniuersalem inierint coniuges. *L.* 16. §. *vlt. D. de alim. legat, L.* 17. §. 1. *D. sol. matr.*

§. CXXXXVII.

Fundamenta horum iurium diuersa. ROMANI in coniunctione hac non solum, quid liceret lege ciuili, sed et, quid honestum esset, considerabant. *L.* 42. *pr. D. de ritu nupt.* CANONISTAE, quid ecclesia sanxerit, expendunt. Vid. BVRNETI *Hist. Ref. Angl. Part. I. Lib. II. pag.* 145. PROTESTANTES potissimum ad ius diuinum doctrinas suas attemperant. Proponemus itaque ius Romanum, et, vbi ob diuersa illa principia reliqua iura diffideant, paucis notabimus.

§. CXXXXVIII.

Nuptiae fiunt consensu, accedente hodie ἱερολογίᾳ. Quum ergo nuptiae sint CONIVNCTIO: (§. 146.) consequens est, (1. vt consensum vtriusque accedere oporteat, *L.* 2. *D. de rit. nupt.* excluso furore, *L.* 16. §. 2. *D. h. t.* vi metuque. *L.* 21. *D. L.* 14. *C. h. t.* Isque (2. consensus solus iure Romano faciat nuptias, * *L.* 30. *D. de reg. iur. L.* 15. *D. de condit. et demonstr.* adeoque (3. concubitus domumque deductio ad implementum, instrumenta dotalia ad signum dumtaxat, non ad substantiam earumdem, pertineant. *L.* 22. *C. de nupt. L. penult. pr.* §. 1. *D. de donat. int. vir. et vxor.* Iure canonico tamen connubium non gaudet effectibus ecclesiasticis, priusquam accesserit ἱερολογία. Hinc distinctio inter matrimonium *legitimum et ratum*. *c.* 7. *et* 8. *X. de diuort.* Hinc clandestinum habetur matrimonium, in quo omissa ἱερολογία, *c.* 2. *et* 3. *X. de clandest. desp.* Immo Protestantes retinentes ἱερολογίαν, ne effectus quidem ciuiles relinquunt nuptiis, sine ritu sollemni cuiusque loci contractis. BOEHMER. *Iur. eccl. Protest. Lib. IIII. tit.* 3. §. 40. *seqq.*

* Neque tamen nuptiae sunt contractus, quippe qui circa res, quae in commercio sunt, versari solet. §. 18. *Inst. de inut. stip.*

§. CXXXXVIIII.

§. CXXXXVIIII.

Quia coniunguntur MAS et FEMINA, (§. 146.) et quidem ad procreandam sobolem: consequens est, (1 vt masculos oporteat esse puberes, feminas viri potentes. *pr. Inst. h. t. L. 4. D. eod.* id est, vt masculus XIIII, femina XII annum excesserit, *pr. Inst. quib. mod. tut. finit.* quamuis ius canonicum magis ad potentiam generandi attendat. *c. 3. X. de desponf. impub.* (2 Vt illicita sit πολυγαμία simultanea. *§. 6. Inst. h. t. L. 2. C. de incest. nupt. L. 18. C. ad Leg. Iul. de adulter.* Quo iure et nos vtimur, ob institutionem diuinam primaeuam. *Matth. XVIIII. 8.* iunct. *Genes. II. 18.*

Ineunt matrimonium puberes et nullo matrimonii vinculo adstricti.

§. LC.

Quum porro nuptiae Romanis sint *consortium omnis vitae, diuini et humani iuris communicatio* (§. 146.) sequitur, (1 vt nuptiae non consistant inter ciues et peregrinos, seruos et liberos, libertos et ancillas, multoque minus seruos et ancillas *, sed inter solos ciues Romanos. *pr. Inst. h. t. L. 56. D. Sol. matr.* At iure canonico et moribus hodiernis et seruorum consistunt matrimonia. *c. 1. X. de coniug. seru.* (2 Vt filii filiaeque familias contrahere non possint nuptias sine iussu, vel tacito saltim consensu patris praecedente. (§. 139. 11.) ** *pr. Inst. h. t.* Vnde mira dubitatio de casu, si pater sit furiosus, captiuus, absens, vel consentire nolit. De quibus vid. *L. 25. C. de episc. aud. L. 9. 10. 11. 19. D. h. t.* At ab hoc rigore eatenus discedunt canones et mores multorum locorum hodierni, vt consensum quidem et matris et propinquorum, immo et curatorum passim requirant, sed tamen haud temere rescindant contractas huiusmodi nuptias. LANCELLOT. *Instit. iur. can. Lib. II. tit. 11. §. 2.* Conf. VLP. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.*

Non serui, nec filii familias sine consensu parentum.

* Distinguebant ergo Romani *connubium* vel *nuptias*, quae inter solos ciues consistunt: *matrimonium*, quod etiam cum aliis personis liberis: *contubernium*, quod inter seruos et ancillas initur. Hinc vetus *Glossarium*: NVPTIAE *iustum matrimonium*, et SERVIVS: CONNVBIVM *est ius legitimi matrimonii*. Contra MATRIMONIVM pro coniunctione iure ciuili iniusta accipitur in *L. 13. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult.* et apud *Collat. legum Mos. et Rom. tit. 4. §. 5.* *Contubernium* seruorum passim occurrit apud VLP. *Fragm. tit. 5. L. 14. §. 3. D. de rit. nupt. L. 3. C. de incest. nupt.* Conf. SCHVLTING. *Iurisprud. anteiust. p. 32.*

** Nec excluditur tamen ratihabitio: quod contra VINNIVM luculenter demonstrauit VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t. §. 10.* et *ad Pand. tit. de rit. nupt. §. 5.* Saltim praxis id seruat procul dubio.

§. CLI.

Quumque Romani non solum, quid liceat, sed et, quid honestum sit, in nuptiis spectarint: (§. 147.) recte inde colligitur, non inter omnes personas consistere nuptias: easque aliquando tamquam INCESTAS, aliquando tamquam INDECORAS aliquando tamquam NOXIAS prohiberi.

Inter quasdam personas nuptiae *incestae*, inter alias *indecorae*, inter alias *noxiae*.

§. CLII.

INCESTAS nuptias contrahunt propiores *cognati* et *adfines*. COGNA-

Incestae in-

ter personas cognatas et adfines.

TI sunt, qui a communi stipite descendunt, siue ex iustis nuptiis ea cognatio sit; siue ex illegitimo coitu, *L.* 54. *D. de rit. nupt.* siue ex contubernio seruili. §. 10. *Inst. L.* 8. *L.* 14. §. 2. *D. h. t.* ADFINITAS est necessitudo inter coniugem vnum et alterius familiam. *L.* 4. §. 3. *D. de grad. et adfin.*

§. CLIII.

Cognationis gradus et lineae.

COGNATIO ex *gradibus* * et *lineis* iudicatur. GRADVS *est distantia cognatorum:* LINEA *est series personarum a communi stipite descendentium*, eaque vel RECTA, *quae genitores et genitos*; vel OBLIQVA, *quae a latere iunctos complectitur*.

* Sunt qui graduum computationem in doctrina de nuptiis a Romanis ICtis adhibitam, negant, existimantque, eam tantum ad successiones pertinuisse. Sed alia omnia patent ex *Collat. legg. Mos. et Rom. tit.* 6. §. 2.

§. CLIIII.

Regula iuris Rom. et can. de linea recta.

In linea recta ius ciuile et canonicum conspirant. *Tot enim* vtrumque *numerat gradus, quot sunt generationes*. Hinc pater et filia vno; auus et neptis duobus; proauia et pronepos tribus gradibus distant, cet.

§. CLV.

Regula vtriusque iuris de linea obliqua, aequali et inaequali.

In linea obliqua ius *ciuile* eamdem seruat regulam. *Canonicum* distinguit inter lineam obliquam AEQVALEM et INAEQVALEM, et de illa suppeditat axioma: *quot gradibus personae cognatae distant a communi stipite: tot gradibus inter se distant*. Hinc frater a sorore iure ciuili distat secundo; iure canonico primo gradu: consobrini iure ciuili quarto; iure canonico secundo gradu. De inaequali linea regulam habet: *quot gradibus persona remotior distat a communi stipite, tot gradibus personae distant inter se*. Hinc e. g. aui soror cognata mihi est gradu quarto iuris ciuilis, gradu tertio iuris canonici.

§. CLVI.

Regula de adfinitate.

ADFINITATIS nulli sunt gradus, quia nullae generationes. *L.* 4. §. 5. *D. de grad.* Κατ' ἀναλογίαν tamen recepta regula: *quota gradu mihi aliquis cognatus est, eodem gradu eiusdem coniux mihi adfinitate iuncta censetur*.

§. CLVII.

Respectus parentelae quid?

Denique ob adfinitatem aeque ac consanguinitatem PARENTVM LOCO nobis esse dicuntur, *qui immediate sub communi stipite sunt, quum nos ab eo simus remotiores*: e. g. Thius vel Thia nepotibus vel neptibus ex fratre vel sorore parentum loco sunt. §. 5. *Inst. h. t.* SIMPLIC. *ad Epictet. Enchirid. cap.* 37.

§. CLVIII.

Nuptiae incestae ob cognationem in linea recta.

Quibus praestructis, facile intelliguntur iuris ciuilis de nuptiis regulae. Prima est: *nuptiae inter adscendentes et descendentes in linea recta in infinitum prohibentur*. 1. *Inst. L.* 53. *D. h. t.* Quam regulam et canones, et ob *Leu. XVIII.* 7. *seqq.* mores hodierni sequuntur.

§. CLVIIII

§. CLVIIII.

Altera regula est: *in linea obliqua aequali iure ciuili secundus gradus semper est prohibitus, quartus permissus: in inaequali tertius semper prohibitus, quartus et reliqui tantum inter eas personas, quae sibi inuicem parentum ac liberorum loco sunt* *. (§. 157.). At ius canonicum prohibitionem ad gradum quartum suae computationis extendit, *cap. vlt. X. de consangu.* idque in linea aequali. Nam in inaequali respectus parentelae etiam vlterius impedit nuptias. Moribus nostris statuta cuiusque prouinciae obseruantur, ita tamen, vt praecipue ratio habeatur legum diuinarum, (§. 147.) *Leu. XVIII. et XX.* quibus quae non prohibentur matrimonia, ea facilius indulgentur a summo imperante. — Nec non in linea obliqua.

* Hinc prohibitae sunt nuptiae inter fratres et sorores, §. 2. *Inst. h. t.* cum amita et matertera, §. 4. 5. *Inst. eod.* non autem inter consobrinos. §. 4. *Inst. h. t.* Quamuis enim has nuptias prohibuerit Theodosius: *L. vn. C. Th. si nupt. ex rescr. petant.* easdem tamen denuo permiserunt Arcadius et Honorius Impp. *L. 19. C. de nupt.* quos sequutus Iustinianus. *d. §. 4.* Vnde negatio ea paragrapho in Graeca paraphrasi non est a Theophili manu. Vid. CAR. HANNIB. FABROTT. *Not. p. 68.* Mores hic non vbique iidem sunt.

§. CLX.

De ADFINITATE eadem fere obseruanda. Vltra secundum enim gradum lineae obliquae iure ciuili nullae obseruantur prohibitiones, nisi personae inter se parentum et liberorum loco sint *. At ius canonicum non modo magis extendit has prohibitiones, verum etiam tria fingit adfinitatis genera, quorum *primum* vnis, *alterum* binis, *tertium* ternis nuptiis contrahitur. *can. vlt. causs. 35. qu. 3.* De vsu hodierno idem repetendum, quod monuimus §. 159. — Et ob adfinitatem.

* Ergo non subsistunt nuptiae inter fratrem et fratris viduam. *L. 5. L. pen. L. vlt. C. de incest. nupt.* nec inter nepotem et defuncti patrui viduam: subsistunt autem inter consobrinum et consobrini viduam.

§. CLXI.

Fingunt praeterea I. canonistae *cognationem* SPIRITVALEM, per baptismum contractam *: quemadmodum II. et Romanis erat *cognatio* CIVILIS, per adoptionem contracta, §. 1. et 2. *Inst. h. t.* nec non QVASI ADFINITAS, ex sponsalibus nata, vel ex diuortio superstes, de qua §. 8. *Inst. h. t. L. 12. §. 1. 2. 3. D. de rit. nupt.* Sed primam, tamquam absonam, merito dudum explosimus. Posteriores facile admittunt indulgentiam. — Denique ob cognationem spiritualem et ciuilem, nec non quasi adfinitatem.

* Hanc canonistae diuidunt in PATERNITATEM, quae est inter baptizantem et baptizatum, item inter baptizatum et patrinum: COMPATERNITATEM, quae inter parentes baptizati et baptizantem vel patrinos: et CONFRATERNITATEM, quae inter liberos naturales baptizantis vel patrinorum et baptizatum intercedit. MART. AZPILCVET. *Tom. III. cap. 22. n. 36.* Similiter hic numerabant gradus, nuptiasque ob hanc spiritualem cognationem ad gradum septimum; postea decreto concilii Tridentini ad secundum vsque inhibebant.

§. CLXII.

Nuptiae indecorae.

Hactenus de nuptiis *incestis*. Tamquam INDECORAE (§. 151.) prohibitae erant nuptiae (1 inter senatores senatorumque liberos et libertinas, aliasque vilioris conditionis vel turpioris vitae personas. *L. 44. pr. D. h. t.* (2 Inter ingenuum et eam, quae artem ludicram, lenocinium, vel quaestum corpore fecerat, nec non a lenone manumissam, vel in adulterio deprehensam, vel iudicio publico damnatam. *L. 43. D. eod.* Vid. *Comment. nostr. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. 1. et 2.* (3 Inter adulterum et adulteram, raptorem et raptam. *L. 26. D. h. t. L. vn. §. 1. C. de rapt. virg. Nou. CXXXIIII. cap. 12.* (4 Inter vitricum et priuigni viduam, *L. 15. D. de rit. nupt.* (5 Cum ea, quam vxor post diuortium ex alio viro peperit. §. 9. *Inst. h. t.* Sed primam prohibitionem Iustinianus sustulit. *L. 23. L. vlt. C. h. t. Nou. LXXVII. cap. 3.* Secundam et tertiam euertit ius canonicum, quod et raptorem ducere patitur raptam, *c. fin. X. de rapt. virg.* et adulterum adulteram, dum ne adulterium factum sit sub spe futuri matrimonii, nec adulter vxoris, vel adultera mariti vitae struxerit insidias. *c. 6. X. de eo, qui dux. in matr. quam per adult. poll.* Quo iure multis locis vtuntur.

§. CLXIII.

Nuptiae noxiae.

Denique tamquam NOXIAE prohibentur nuptiae (1 Christiani cum Iudaea vel contra: *L. 7. C. de Iud.* (2 tutoris vel curatoris, filiiue eius, cum pupilla vel adulta, rationibus nondum redditis. *L. 59. sequ. D. de rit. nupt.* (3 Praesidis vel alius cuiuscumque, qui officio publico praeest in prouincia, cum muliere prouinciali. *L. 57. L. 63. D. de rit. nupt.* (4 Clericorum aliorumque, qui castitatis voto sese obstrinxerunt. L. 44. *C. de episc. et cler. Nou. VI. cap. 1. §. 7.* Sed tertia prohibitio hodie vbique; postrema, antiquiori ac puriori ecclesiae ignota, L. 2. §. 4. *C. de episc. et cler.* inter Protestantes exsulat ob *Hebr. XII. 4. 1. Tim. III. 2. et IIII. 3.*

§. CLXIIII.

Poena iniustarum nuptiarum.

Si qui aduersus leges coëunt: nec vir, nec vxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur, adeoque nec liberi, ex isto coitu nati, in potestate sunt. §. 12. *Inst. h. t.* ad quem locum multa habes in *Comm. nostro ad leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. cap. 6.* Quamuis canones et quorumdam locorum mores multa indulgere soleant in honorem matrimonii semel contracti.

DE LEGITIMATIONE.

§. CLXV.

Legitimationis origo.

ALtera patriae potestatis caussa est LEGITIMATIO, (§. 144.) ignota veteribus, et a Constantino et successoribus demum inuenta *. * Li-

* Libera republica senatus; sub initium status monarchici princeps aliquando legibus soluebat vel parentes, qui liberos extra iustum matrimonium procreauerant, vel ipsos liberos, ex iniusto matrimonio, immo ex incestis nuptiis natos. Liv. *Lib. XXXVIII. cap. 36. L. 57. D. de rit. nupt.* Sed id fiebat extra ordinem: neque tum proditus erat modus ordinarius, illegitimos in patriam potestatem redigendi.

§. CLXVI.

Est vero LEGITIMATIO actus, quo liberi illegitimi finguntur ex iusto matrimonio nati, et hinc instar legitimorum rediguntur in patriam potestatem. Luculenter de hac fictione egit iureconsultus eximius Io. STRAVCH. *Diss. Iust. IIII.* §. 3. Eius definitio.

§. CLXVII.

Quum ergo fundamentum legitimationis sit fictio, (§. *166.*) fictio vero omnis ponat personas habiles: facile patet, non pertinere legitimationem ad *spurios* vel vulgo *quaesitos*, nec ex *adulterio* vel *incestu* procreatos, quorum inter parentes fingi non potest matrimonium, *Nou. LXXXVIIII. cap.* 14. *Nou. LXXIIII. cap. 6.* sed ad *liberos naturales*, vel *nothos*, id est, e concubina susceptos. §. *vlt. Inst. h. t.* L. 10. *C. de nat. lib. Nou. CXVII. cap.* 2. Quinam possint legitimari?

§. CLXVIII.

Legitimandi modi tres referuntur: I. per *subsequens matrimonium*, a Constantino; II. per *dationem curiae*, a Theodosio iuniore, et III. per *rescriptum principis*, a Iustiniano inuentus *. Modi legitimandi.

* Non multum differt modus legitimandi per adrogationem, inuentus ab Anastasio, *L. 6. C. de nat. lib.* a Iustino adrogatus, *L. 7. C. eod.* et a Iustiniano ipso, *Nou. LXXVIIII. cap.* 7. sed ab eodem tamen inuento modo per rescriptum principis vere in vsum reuocatus. *Nou. LXXIIII. cap.* 3. et *Nou. LXXXVIIII. cap.* 10. Ab eo etiam reperta legitimatio per testamentum. *Nou. LXXIIII. cap.* 2.

§. CLXVIIII.

Per *subsequens* MATRIMONIVM legitimantur liberi naturales, quorum parentes concubinatum in nuptias commutant. Cuius rei signum olim erant instrumenta dotalia: §. *vlt. Inst. h. t.* hodie ἱερολογία ecclesiastica. (§. 148.) Legitimatio per subsequens matrimonium

§. CLXX.

Per CVRIAE *dationem* legitimabantur, qui a patre in album curialium * relati, quaeue in matrimonium collocatae fuerant curialibus. *L. 3. L. 4. L. 9. C. de natur. lib.* §. *vlt. Inst. h. t.* Per curiae dationem.

* Caue tamen erres cum vulgo, et curiae datos statim decuriones factos putes. Immo curiae fiebant obnoxii, eique seruiebant periculo suarum facultatum. *L. 4. C. de nat. lib. L. 50. L. 55. L. 60. L. 64. C. de decurionib.* Hinc nec militiae nomen dare, nec ruri extra municipium viuere poterant, curiae quippe, veluti glebae, adscripti. *L. 17. C. de decur. L. vn. C. si curial. relict. ciu.* Luculenter rem omnem explicauit FM. MERILL. *Obs. Lib. VII. cap. 26. p. 109.*

§. CLXXI.

§. CLXXI.

Per rescriptum principis.

Denique et RESCRIPTO *principis* legitimabantur, quorum pater, qui concubinam ducere non poterat, sacrum principis oraculum impetrauerat. *Nou. LXXIIII. cap.* 2. *Nou. LXXXVIIII. cap.* 9.

§. CLXXII.

Legitimatorum iura.

Quum ergo legitimatione liberi illegitimi in patriam potestatem redigantur: (§. 166.) consequens est, (1. vt id fieri nequeat sine liberorum consensu, L. 11. *D. de his, qui sui vel al. iur.* quippe qui in conditionem deteriorem hoc ipso rediguntur (§. 137.) (2. Vt legitimati patri succedant tamquam sui. Quod tamen de legitimatis per subsequens matrimonium intelligendum. §. *vlt. Inst. de nupt.* §. 2. *Inst. de hered. ab intest. L.* 10. *C. de nat. lib.* Legitimati enim per rescriptum admittuntur, si soli sint. *Nou. LXXXVIIII. cap.* 9. Si iam alii ex iusto matrimonio exstent, hi merito praecipuam habent legitimam: ad reliquam portionem et legitimati admittuntur, si id voluerit pater, et hoc diserte indultum sit rescripto principis. *Arg. auth. praeterea, auth. item, et auth. si quis, L.* 4. *C. de natur. lib.* GVDELIN. *Lib. I. cap.* 15.

§. CLXXIII.

Mores hodierni.

Ceternm hodie et oblatio curiae locum non habet, quia conditio curialium (§. 170.*) ignota est: et per rescriptum saepius legitimatio fit, vt macula natalium eluatur, quam vt illegitimi redigantur in patriam potestatem. Vnde et spuriis, immo et adulterinis et incestuosis, id beneficium denegari non solet. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 7. §. 154. *seqq.*]

TIT. XI.

DE ADOPTIONIBVS.

§. CLXXIIII.

Tertius modus adquirendi patriam potestatem adoptio.

Tertius modus adquirendi patriam potestatem est ADOPTIO *. (§. 144.)

* Ergo semper adoptio iure veteri et per testamentum, (TACIT. *Annal.*
redegit in patriam potestatem; adeo- *Lib. IIII. cap.* 1.) quamuis antiquis-
que adoptio minus plena, (§. 186.) sima, vix hoc nomen merentur.

§. CLXXV.

Eius definitio.

ADOPTIO latius accepta est actio sollemnis, qua in locum filii vel nepotis adsciscitur is, qui natura talis non est. *pr. Inst. h. t.* Ideoque adoptio imitatur naturam: §. 4. *Inst. h. t.* in solatium quippe eorum, qui liberos non habent, vel, vti eleganter Theophilus, *εἰς τὸ ἐκ τῆς φύσεως ἐλάττωμα ἢ δυστύχημα ἐπικουφίσαι, ad molliendum naturae defe-*

ctum

ctum vel infortunium, inuenta. THEOPHIL. *pr. h. t.*

§. CLXXVI.

Quum ergo adoptio imitetur naturam: (§. 175.) (1 illi adoptare tantum possunt, qui possunt et parentes esse, et liberos in potestate habere, adeoque (2 et spadones, non autem castrati, * §. 9. *Inst. h. t. L.* 2. §. 1. *L.* 40. §. 2. *D. h. t.* nec (3 impuberes, *arg.* §. 4. *Inst. h. t.* (4 feminae, nisi in solatium liberorum amissorum ex indulgentia principis, §. 10. *L.* 5. *C. h. t.* nec (5 natu minores maiores, sed qui eos, quos in filios adoptant, plena saltim pubertate, id est XVIII. annis; eos, quos in nepotes, XXXVI. annis praecedunt. §. 4. 5. *Inst. h. t. L.* 40. §. 1. *D. h. t.* Qui adoptare possint?

* Quamuis enim et his promiscue id ius tribuerit Leo in *Nou. XXVI.* ea tamen contra ius Iustinianeum vix obtinet, (§. 17. 8.)

§. CLXXVII.

Et quia in solatium eorum, qui liberos non habent, inuenta adoptio: (§. 175.) sequitur (6 vt adoptare ii ordinarie nequeant, qui per aetatem adhuc liberis procreandis studere possunt, quales sunt minores annis LX. L. 17. §. 2. *D. h. t.* (7 Vt nec ii facile * possint adoptare, quibus iam sunt liberi naturales. *d.* L. 17. §. 3. *D. eod.* CIC. *pro dom. cap.* 12. (8 vt, si quis in locum nepotis adoptare velit, filii consensus requiratur, ne ei inuitus heres agnascatur. L. 5. L. 6. *D. h. t.* An iuuenes etiam, et qui liberos habent, adoptent?

* Libera rep. id plane non videtur fuisse concessum. Principes aliquando adoptabant, quamuis iis essent naturales, vt domum regnatricem fulcris quam plurimis firmarent. Sed id ne in iis quidem reprehensione caruisse, ostendit IAC. PERIZON. *Animadu. hist. cap.* 3. *p.* 125. Quod ergo rarissime forsan indultum priuatis, non statim venditandum pro iure ordinario, id quod facere videtur REINOLD. *Var. cap.* 42. *p.* 307.

§. CLXXVIII.

Adoptatur autem vel pater familias, vel filius familias: ille per ARROGATIONEM; hic per ADOPTIONEM strictius dictam. L. 1. §. 1. *D. h. t.* a. 1. *Inst. h. t.* Adoptio quotuplex?

§. CLXXVIIII.

ARROGATIO est actus, quo homo sui iuris auctoritate summi imperantis, * in patriam alterius potestatem redigitur. §. 1. *Inst.* L. 1. §. 1. L. 2. *pr. D. h. t.* Quid arrogatio?

* Olim iussu populi, in comitiis curiatis legem de adoptione huiusmodi ferentis, et auctoritate pontificum, quia adoptiuus in sacra adoptantis transibat. CIC. *pro dom. cap.* 13. Rogationis sollemnis formula est apud GELLIVM *Lib. V. cap.* 19. eoque more vsi sunt et ipsi Imperatores, veluti Augustus, arrogans Agrippam et Tiberium, SVET. *Aug. cap.* 65. et Claudius, Neronem, TACIT. *Annal. Lib. XII. cap.* 25. priuati vero saltim ad Galbam vsque. TAC. *Hist. Lib. I. cap.* 14. Sed postquam principes paullatim omnia legum, magistratuum, pontificum munia ad se traxerant, nullo aduer-

aduersante: inualuit mos, per principis rescriptum arrogandi, iam tempore Caii: *L.* 21. *D. h. t.* (vbi sane interpolationis Triboniani nulla suspicio locum habet, quia femina particeps non erat comitiorum:) immo a temporibus Galbae, vt non abs re conicit SCHVLTING. *Iurispr. anteiust. p.* 589.

§. CLXXX.

Arrogandus fieri debet auctor.

Quum itaque arrogatione homo sui iuris in potestatem patriam redigatur: (§. 179.) aequissimum est, (1 illum, qui adrogatur, auctorem fieri. L. 11. *D. de his, qui sui vel alien. iur.* CIC. *pro dom. cap.* 28. GELL. *Lib.* 5. *cap.* 19. (2 Liberos etiam et bona arrogati simul cum illo in arrogatoris potestatem et familiam transire. §. 2. *et* 11. *Inst. h. t.* L. 40. *D. h. t. tit. Inst. de adquis. per arrog.* (3 Impuberem, qui auctor ipse fieri non potest, iure veteri arrogari non potuisse. GELL. *ibid.*

§. CLXXXI.

Arrogatio impuberum quomodo fiat?

At Antoninus tamen Pius adinuenit modum, quo et impuberes adrogari possent, modo id fieret (1 consensu propinquorum, (2 auctoritate tutorum, (3 caussa cognita, an arrogatio honesta sit, pupilloque expediat, (4 datis ab arrogante fideiussoribus, mortuo intra pubertatem pupillo, bona restitutum iri illis, ad quos illa perrinerent, si non facta fuisset arrogatio, (5 item, patrem sine caussae cognitione filium arrogatum non emancipaturum, et, si emancipauerit, eidem restituturum omnia bona, quae ad se attulerit, et relicturum insuper quartam suorum. * §. 3. *Inst. h. t.* L. 15. §. 2. 3. L. 17. §. 1. *sequ.* L. 18. *sequ.* L. 22. §. 1. *D. h. t.* L. 2. *C. eod.* L. 8. §. 15. *D. de inoffic. testam.*

* Vocatur haec quarta diui Pii, eamque alii interpretantur de quarta omnium bonorum, alii de quarta portionis ab intestato debitae, vel legitimae, ne melior sit adoptiui conditio, quam naturalis. Quamuis autem verior videatur prior sententia; tum ob verba: *quarta bonorum suorum*, §. 3. *Inst. h. t.* L. 2. *C. de adopt.* item: *ex bonis, quae mortis tempore illius, qui adoptauit, fuerunt, pars quarta ad eum pertineat, qui adoptatus est.* L. *vlt. D. si quid in fraud. patr.* tum quia illa quarta non petitur querela inofficiosi, vti legitima, sed iudicio familiae erciscundae: L. 8. §. 15. *D. de inoff. test.* L. 2. §. 1. *D. famil. ercisc.* vix tamen contingere potuisse arbitror, vt ea quaestio incideret. Nam quum nec ei facile daretur facultas adoptandi, qui iam liberos suscepisset, nec ei, qui eius aetatis esset, vt posset liberorum procreationi studere: (§. 177.) omnium minime id concessum videtur arrogaturis impuberes, ob accuratam, quae tunc praemittenda erat, caussae cognitionem. *L.* 17. §. 2 *sequ. D. h. t.*

§. CLXXXII.

Arrogationis effectus.

Quum porro arrogati redigantur in potestatem: (§. 179.) consequens est, (1. vt etiam participes fiant iurium agnationis, quippe quae sola ciuilia sunt, non cognationis, quae naturalia. L. 23. *D. h. t.* (2. Vt arrogati in nomen, sacra, gentem, nobilitatem patriciam et imaginum transeant, * L. 13. *D. h. t.* et patricii a plebeiis arrogati eam nobilitatem; non autem senatores senatorumque filii ordinem

nem fenatorium amittant. *d.* L. 13. L. 35. *D. h. t. et* L. 6. §. 1. *D. de fenator.* PERIZON. *ad conft. diu. Deut. XXV.* 5. 6. *p.* 83. (3. Vt arrogati patri adoptiuo et fratribus, in eiufdem poteftate conftitutis, aliifque agnatis, non autem patris adoptiui vxori, et cognatis, fuccedant ab inteftato. §. 2. *Inft. de legit. agn. fucc.*

* Id tamen hodie fecus fe habet, nifi fummus imperans arrogato fimul iura nobilitatis conferat. Quod ordinarie non poffunt principes et ordines Germaniae, quum tamen eorum auctoritate fieri poffit arrogatio.

§. CLXXXIII.

Haftenus de *arrogatione*: fequitur iam ADOPTIO, ftrictius dicta, (§. 178.) quae eft *actio legis*, (§. 69. 2.) *qua liberos, qui in parentum poteftate funt, adoptamus imperio magiftratus.* * *L.* 2. *pr. D. L.* 1. *C. h. t.* Adoptio quid?

* Olim adoptio fiebat per aes et libram, intercedente trina venditione et mancipatione imaginaria, et duabus manumiffionibus, ob ius vetus patrium, de quo fupra. (§. 138. 2.) L. *vlt. C. h. t.* GELL. *Lib. V. cap.* 19. VLP. *Fragm. tit.* 8. §. 1. Poft a fola magiftratus confirmatio, actis interuenientibus facta, fuffecit. *L. vlt. C. h. t.*

§. CLXXXIIII.

Quum ergo liberi, qui in parentum poteftate funt, adoptentur: (§. 183. et 178.) fequitur, (1 vt patris naturalis confenfus fufficiat. L. 5. *D. h. t.* (2 Vt et infantes in adoptionem dari adoptarique poffint. L. 42. *D. h. t.* (3 Vt hoc modo adoptari nequeant liberi ex concubinis nati, quippe in nullius poteftate conftituti. L. 7. *C. de nat. lib.* Qui adoptentur?

§. CLXXXV.

Et quia haec adoptio erat actio legis: (§. 183.) ideo (4 adoptari non poterat, nifi imperio eius magiftratus, apud quem plena erat legis actio. L. 3. L. 4. *D.* L. 1. *C. h. t.* (5 Nec eadem ad tempus, L. 34. *D. h. t.* (6 nec per tabulas, fed follemni iuris ordine fiebat. L. 4. *C. h. t.* At hodie cuiufque magiftratus auctoritas fufficit. Quomodo facta adoptio?

§. CLXXXVI.

Quia denique adoptio eft cauffa patriae poteftatis (§. 442.) etiam huius ftricte dictae effectus olim indiftincte erat patria poteftas *pr.* §. 2. §. 8. *Inft. de adopt.* Sed Iuftinianus patriam poteftatem tantum dedit adfcendentibus, qui adoptant defcendentes, non adoptantibus extraneos, L. *penult. C. h. t.* §. 2. *Inft. h. t.* ita tamen, vt hi non minus patri adoptiuo ab inteftato fuccederent, ac illi. §. 2. *Inft. h. t.* * Vnde eft, quod adoptio ftricte dicta in PERFECTAM vel PLENAM, et IMPERFECTAM vel MINVS PLENAM a doctoribus diftinguitur. Eius effectus et difio in plenam et minus plenam.

* Mouit Iuftinianum, quod aliquando contingeret, vt filius, extraneo in adoptionem datus, et poftea emancipatus, nec patri naturali nec adoptiuo fuccederet. Sane inter Papinianum, Paullum, Marcianum difputabatur, an haberet tunc filius, a patre naturali praeteritus, querelam inofficiofi teftamenti.

menti. Nec leges in adoptionem datis quidquam adiudicant ex hereditate patris naturalis, nisi quod SC. Sabinianum iis relinqui iubebat quartam hereditatis, qui essent adoptati EX TRIBVS MARIBVS, iique illam sibi non relictam actione familiae ercifcundae petere possent. L. 10. §. 3. C. *de adopt.* §. 14. *Inst. de hered. quae ab intest.* et ibi THEOPHILVS. Eum locum dum emendant ALCIAT. *Parerg. VI.* 3. RAEVARD. *de auctor. prud. cap.* 6. eum plane peruertunt. Res clara. Quia lex Iulia et Papia et SC. Tertullianum tot priuilegia concesserant trium liberorum parentibus: aequum visum est senatui, vt tres isti liberi, qui parentibus tam multum prodessent, etiam in hereditate patris naturalis beneficio quodam fruerentur, id est, vt ii, qui ex tribus maribus in adoptionem dati essent, non exsortes essent hereditatis patris naturalis.

§. CLXXXVII.

Vsus adoptionum hodiernus.

Ceterum, quamuis hodie paullo rariores sint et adrogationes et adoptiones: neque tamen cum Gudelino, Vinnio, aliisque existimandum, eas plane esse abolitas, nec arrogatos hodie fieri filios familias, sed alumnos. Aliud docent exempla, quae obseruarunt KVLPIS. *de adoption. et emancip. principum*, STRYKIVS *in Vsu Dig. hoc tit. et tit. de capite minut.* Quibus aliud ad ipsam Frisiam pertinens, addi potest ex VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t.* §. 14. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 7. §. 160.]

§. CLXXXVIII.

Vnio prolium in Germania.

Vulgo etiam huc referunt vnionem prolium, Germanis non ignotam, quae est actus, quo parentes ad secunda transeuntes vota, praeuia caussae cognitione, et adhibito curatorum ad hunc actum constitutorum consensu, impetrant decretum competentis iudicis, vt liberi, ex priore vtriusque vel alterutrius matrimonio geniti, cum liberis communibus vtrique parenti aequaliter succedant. GAIL. *obs. Lib. II. cap.* 125. Sed ea vnio nihil est, quam pactum successorium, qualia plura Germanis in vsu sunt. Hinc illa quoque patriam potestatem, vti arrogatio, non tribuit, nec quidquam fere cum adoptione commune habet. [Conf. quae diximus in *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 7. §. 161.]

TIT. XII.

QVIB. MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLVITVR.

§. CLXXXVIIII.

Ratio connexionis.

QVot modis patria potestas adquiratur, hactenus dictum est pluribus: iam, quomodo eadem finiatur, dispiciendum.

§. CLXXXX.

Axioma de modis, quibus patria potestas soluitur.

Quia nihil aliud est potestas patria, quam dominium Quiritarium: (§. 136.) certissimi iuris axioma est: *quibuscunque modis dominium Quiritarium desinit: iisdem soluitur ius patriae potestatis.*

§. CLXXXXI.

§. CLXXXXI.

Itaque soluitur I. morte, ita tamen, vt primi tantum gradus liberi post patris discessum sui iuris fiant, vlteriorum graduum non item, si superstites sint, quorum in potestatem possint recidere. *pr. Inst. h. t.* II. Capitis deminutione maxima et media, e. g. captiuitate, seruitute poenae, deportatione vel patris vel filii, quippe qua ius Quiritium eripitur. §. 1. *et* 3. *Inst. h. t.* III. Adoptione plena, quamuis ea filius non fiat sui iuris, sed patria potestas tantum in alium transferibatur. §. 8. *Inst. h. t.* IIII. Emancipatione, de qua paullo post. Soluitur ea morte naturali et ciuili, adoptione plena, et emancipatione.

§. CLXXXXII.

Ex eodem principio sequitur, (1. vt patriam potestatem non soluat relegatio, quippe quae non tollit ius Quiritium. (§. 227. 3.) §. 2. *Inst. h. t. L.* 4. *L.* 7. §. 3. *D. de interd. et releg.* (2 Vt nec dignitas eamdem soluat *. DIONYS. HAL. *Lib. II. pag.* 96. immo (3 nec exheredatio. L. 20. *D. de bon. poss. contr. tabb.* Non relegatione, dignitate, exheredatione.

* Equidem virgines Vestales et Flamines Diales patria potestate olim eximebant: sed non ob dignitatem, verum quia a pontifice maximo manu capiebantur. GELL. *Lib. I. cap.* 12. VLPIAN. *Fragm. tit.* 10. §. *vlt.* Captiuitate autem patria potestas finiebatur. (§. 191. 2.)

§. CLXXXXIII.

Iustinianus tamen sanxit, vt patria potestas solueretur V. dignitate patriciatus *: *L. fin. C. de consul. Lib. XII.* §. 4. *Inst. h. t.* item sacerdotio episcopali; *Nou. LXXXI. cap.* 3. dignitate consulari, praefectura praetoriana, praefectura vrbis, magisterio militum, patrocinio fisci: *Nou.* LXXXI. *cap.* 1. iunct. L. *fin. C. de decurion.* ita tamen, vt hi omnes iura familiae intacta retinerent. *d. Nou.* LXXXI. *cap.* 2. Iustinianus tamen patricios et alios patria potestate liberauit.

* Iustinianum frustra sibi huius iuris originem tribuere, contendunt BACHOVIVS *ad* TREVTL. *Vol. I. disp.* 2. *th. vlt.* et VINN. *Comment. ad* §. 4. *Inst. h. t.* idque ideo, quod iam CASSIODORVS *Var. Lib. VI. cap.* 2. eius priuilegii, patriciis concessi, meminerit. Sed Cassiodorum et videre hanc Iustiniani constitutionem, et haec post illam scribere potuisse, chronologicis rationibus docet REINOLD. *Var. cap.* 19.

§. CLXXXXIIII.

Praecipue vero EMANCIPATIONE solui diximus ius patriae potestatis. (§. 191. 4.) Quidni enim pater emanciparet, id est, per aes et libram abalienaret liberos, qui erant res mancipi ratione patris, (§. 135.) et in eius dominio Quiritario constituti? (§. 136.) Ea vero *emancipatio* vel VETVS est, vel ANASTASIANA, vel IVSTINIANEA. Emancipatio quotuplex?

§. CLXXXXV.

VETVS erat *actio legis*, (§. 69. 2.). *qua liberi masculi, primi gradus, per tres venditiones et mancipationes, totidemque manumissiones *; filiae autem et nepotes una venditione et manumissione, patria potestate exibant.* CAI. *Inst. Lib. I. tit.* 8. §. 3. Conf. *Antiq. nostras Rom. h. t.* §. 6. Vendebat ergo pater filium per aes et libram: sed Emancipatio vetus.

 tertiae

tertiae tamen mancipationi plerumque addebat contractum fiduciae, vt emtor filium remanciparet, quo ipse potius eum manumitteret, quam emtor, qui ideo Caio *pater fiduciarius* adpellatur. Immo haec fiducia interposita semper praesumebatur. §. *vlt. Inst. de legit. agn. success.* L. *vlt.* C. *de emanc. lib.*

* Rationes huius ritus optime cohaerent. Liberi iure Rom. erant in dominio Quiritario. (§. 136.) Res, quae in hoc dominio erant, mancipari poterant: BYNKERSH. *de reb. mancipi pag.* 1. ergo et liberi. Semel iterumque mancipati et manumissi filii recidebant in patriam potestatem, non autem tertium venditi, tertiumque manumissi: (§. 138. 2.) hinc tribus mancipationibus, totidemque manumissionibus opus erat ad soluendum ius patriae potestatis. Q. e. d.

§. CLXXXXVI.

Anastasiana. Ex ANASTASII constitutione liberi patria potestate exibant per rescriptum principis ad acta insinuatum, eodem effectu, ac olim per emancipationes et manumissiones. *L. 5. C. de emancipat. liber.*

§. CLXXXXVII.

Iustinianea. Denique IVSTINIANVS non abrogata constitutione Anastasii, sed vetere et vana, quam vocat, obseruatione, auctoritatem magistratuum sufficere voluit; §. 6. *Inst. h. t. L. vlt. C. de emancip.* et quidem quorumcumque, quia est actus voluntariae iurisdictionis. (§. 69. 2.) L. 36. *D. de adopt. et emanc.* L. *vlt.* C. *h. t.*

§. CLXXXXVIII.

An pater cogi possit ad emancipandos liberos. Ceterum quemadmodum nemini inuito rerum suarum dominium eripi potest, nisi in poenam: ita nec pater vllo paene modo cogitur ad emancipandos liberos, §. *vlt. Inst. h. t. L. 31. D. h. t.* nisi quod in poenam ius patriae potestatis amittunt parentes, (1 prostituentes filias, L. 12. *C. de episc. aud. L. 6. C. de spectat.* (2 exponentes infantem, L. 2. *C. de infant. expos. Nou. CLIII. cap.* 1. (3 incestas nuptias contrahentes. *Nouell. XII. cap.* 2. *

* Addunt doctores alias caussas, veluti saeuitiam patris, ob *L. fin. D. si a parent. quis manum.* adrogationem in impuberis praeiudicium factam, *L. 32. D. de adopt. et emanc.* relictum legatum, vel nummos, acceptos ea conditione, vt filius emancipetur, ob *L. 92. D. de condit. et demonstr.* L. 1. §. 3. *D. si quis a par. manum.* Sed in *L. fin. D. si a par. quis manum.* memoratur poena extraordinaria, vel priuilegium, quod ad exemplum non trahitur. (§. 60.) Impubes, adrogatus per *L. 32. D. h. t.* potest quidem sui iuris fieri, si pubes factus arrogationem improbet: sed non ideo patrem ad emancipandum cogit, quia adrogationis effectus interea in suspenso fuit. Denique nec qui legatum vel nummos ea lege accipit, vt emancipet, cogitur ad emancipandum, sed accipiendo vltro se ad id obstringit, quum legatum vel pecuniam potuisset repudiare.

§. CLXXXXVIIII.

Vsus huius doctrinae hodiernus. Morte hodienum soluitur patria potestas. Capitis deminutio paene ignota est. Emancipatio vetus et Anastasiana dudum exoleuit. Iustinianea non quidem extra vsum, sed tamen vel ideo paullo rarior est, quia

quia liberi plerisque locis per nuptias separatamque oeconomiam e potestate patria exeunt, saluis ac intactis familiae iuribus. Quem modum, Germanicae originis gentibus proprium, vulgo, sed parum concinne, vocant *quasi emancipationem*, vel *emancipationem tacitam*. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 8. §. 162. *seqq.*]

§. CC.

Separatio liberorum secundum ius Lubecense.

Quibusdam locis, maxime vbi ius Lubecense viget, nec non in Westphalia, parens, ad secunda vota transiturus, liberis e priore susceptis matrimonio partem bonorum adsignat, interuenientibus actis. Ii liberi tunc sub tutela sunt, et vocantur *separati*, et cum reliquis nondum separatis, in bonis postea adquisitis non succedunt. *Ius Lubec. Part. II. tit.* 2. *art.* 33. et ibi MEVIVS *Stat. Hamb. Part. III. tit.* 3. §. 2. [Conf. *Elem. iur. Germ. cit. loc.* §. 167. 174.]

TIT. XIII.

DE TVTELIS.

§. CCI.

Hominum sui iuris noua diuisio.

DIximus, homines vel *sui iuris*, esse, vel *alieno iuri subiectos*, et hos vel sub *patria*, vel sub *dominica* potestate viuere, vnde alii *filii familias*, alii *serui* dicantur. (§. 128.) Quemadmodum igitur hactenus de partitione hominum *alieno subiectorum iuri* actum: ita iam sequitur diuisio noua personarum SVI IVRIS, quorum *alii* IN TVTELA *vel* IN CVRATIONE *sunt*, *alii* NEVTRO IVRE *tenentur*. *pr. Inst. h. t.*

§. CCII.

Tutelae olim et impuberes, et feminae suberanl.

Alterius tutela regi, aequissimum videbatur, eos easque, qui quaeve vel propter imperfectam aetatem, vel propter lubricitatem sexus sponte se defendere non possent. Hinc *pupilli* vsque ad pubertatem; feminae, quae in manum haud conuenerant, in perpetua erant tutela. Vid. *Antiqu. nostr. Rom. h. t.* §. 16. *sequ. Puberes* vel ob aetatem, vel ob alias caussas, rebus suis administrandis impares, non quidem *tutelae*, sed *curationi* tamen suberant. Sed feminarum tutela iam Iustiniani temporibus plane ab vsu recesserat.

§. CCIII.

Tutelae definitio.

TVTELA ergo pupillaris, de qua sola agendum, vt SERVIVS definit, *est vis et potestas in capite libero**, *ad tuendum eum, qui propter aetatem suam se sponte defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.* §. 1. *Inst.* [illegible] *t. L.* 1. *pr. D. eod.*

* *Caput liberum* est homo sui iuris. *tit.* 11. §. 5. Et videtur Seruius vocabulum hoc adhibuisse, quia tur[illegible] GELL. *Lib. V. cap.* 19. VLP. *Fragm.*

gene-

generatim, non in specie pupillarem, definiebat, vt illo vocabulo generali ei pupillos complecteretur, et feminas, quas apud Romanos in perpetua tutela vixisse diximus. (§. 202.) *Vis* et *potestas* differunt, vt maius et minus. Plus enim in *vi* est, quam in *potestate*. *Illa* actum secundum, quem vocant philosophi, *haec* primum tantum notat. Hinc apud TACITVM vis opponitur imagini potestatis vel imperii, *Annal. Lib. XV. cap.* 14. nudo nomini, *ibid. Lib. III. cap.* 37. speciei, *Lib. III. cap.* 30. nudo honori, *Hist. Lib. II. cap.* 29. manibus, *Annal. Lib. XV. cap.* 31. *Vim* ergo tutor exercet in infantem, cuius vice omnia agit: *potestatem* in eum, qui fari potest, quique ipse agit, auctore tutore. L. 1. §. 2. *D. de administr. tut.* §. 9. *Inst. de inutil. stipul.* L. 5. §. 5. *D. de reg. iur.* Quod et de tutela feminarum obseruandum est, in quas tutores non vim, sed potestatem exercebant.

§. CCIIII.

Tutela est munus publicum. Quum ergo tutela sit *vis et potestas iure ciuili data vel permissa*: (§. 203.) collegerunt inde Romani *, *tutelam esse munus publicum*. *pr. Inst. de excus. tut.*

* Munus enim dicitur, *quod necessario obimus lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet potestatem*. L. 214. *pr. D. de verb. sign.* L. 18. *D. eod.* et ibi IO. GOEDD. *in Comm. p.* 175. *sequ.*

§. CCV.

Quis tutor esse possit? Ex quo sequitur, (1. vt et filii familias tutelas recte suscipiant. (§. 139. *) *pr. Inst. qui testam. tut. dari poss.* (2 Vt contra nec serui, L. 22. *D. de test. tut.* nec peregrini, nec mulieres tutores esse possint. L. *vlt. D. h. t. L.* 2. *D. de reg. iur.* Excipiuntur tamen per *Nou. CXVIII. cap.* 5. mater et auia, quas reliquis etiam agnatis praeferri iussit Iustinianus.

§. CCVI.

Quando tutoris administratio impediatur vel suspendatur? Quumque tutoris sit, pupillum, qui per aetatem sponte se defendere nequit, TVERI: (§. 203.) sequitur, vt tutela legitima et datiua impediatur, et testamentaria saltim suspendatur, (1 per minorennitatem, §. 13. *Inst. de excus. tut.* (2 per furorem et insaniam, L. *penult. D. h. t.* (3 per surditatem et impotentiam loquendi. L. 1. §. 2. 3. L. *penult. D. h. t.*

§. CCVII.

Quibusnam dentur tutores. Quia porro ei potestati subest *caput liberum*: (§. 203.) consequens est, (1. vt tutor primario personae, non rei, detur *. §. 4. *Inst. qui testam. tut.* L. 12. L. 14. *D. de testam. tut.* (2 Vt nec patrem habenti tutor detur, L. 239. *pr. D. de verb. sign. pr. Inst. h. t. L.* 6. §. *vlt. D. h. t.* (3 nec seruo. Neuter enim est sui iuris, (§. 128.) adeoque nec caput liberum. (§. 203. *) Immo (4 nec peregrino tutor ex iure Quiritium datur, quia is non gaudet libertate Quiritium, ob quam capita libera censebantur. CICERO *pro A. Caecin. cap.* 33.

* Secundario tamen tutor etiam rem pupilli administrat. Immo aliquando et ad certum actum datur, veluti ad hereditatis aditionem. L. 10. *pr. D. de test. tut.* L. 17. [illegible] t. *D. de adpellat.* L. 9. L. 13. *pr. D. de tut. vel cur. dat.* Immo si magnae sint pupilli facultates, et rei Africanae,

Sy-

Syriacae, cet. tutores dantur. *L.* 15. *D. de test. tut. L.* 27. *pr. D. de tut.* *dat.* At proprie ne tunc quidem tutor rei, sed personae datur.

§. CCVIII.

Ceterum quum lege XII. tabb. cautum esset: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA, PECVNIA TVTELAVE SVAE REI *, ITA IVS ESTO: VLPIAN. *Fragm. tit* 11. §. 14. ICti Romani tutelam considerabant, tamquam hereditatem. Quemadmodum ergo *testamento* scriptus heres excludit legitimum, qui alias ab intestato successisset: L. 39. *D. de acquir. hered.* ita *testamentaria* tutela reliquas omnes, id est, *legitimam* et *datiuam*, excludit. L. 11. *pr. D. de test. tut.* Et quemadmodum aliquando praetor bonorum possessionem dat secundum vel contra tabulas: ita et deficiente tutela testamentaria vel legitima tutorem dat praetor. Tutela hereditati comparata.

*Seruauimus verba TVTELAVE SVAE REI, quia et apud VLPIANVM, et in *pr. Inst. de leg. Falc.* et in L. 120. *D. de verb. sign.* et alibi passim habentur, et nihil habent absurdi. Filii enim familias erant res mancipi: (§. 135.) et hinc paterfamilias, dum tutorem illis dabat, legabat de tutela suae rei. Nihilominus tutor dabatur personae, (§. 207. 1.) quia eius munus mortuo demum patre incipiebat, postquam iam persona, vel caput liberum esse coeperat filius.

§. CCVIIII.

Triplex itaque est tutela: TESTAMENTARIA, de qua *titulo LIIII.* LEGITIMA, de qua *tit. LV. et sequ.* et denique ex lege Atilia et Iulia Titia inuecta in subsidium, DATIVA, de qua *tit. LL.* agitur. Tutela triplex.

T I T. XIIII.

QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT.

§. CCX.

QVia pater familias potest legare super tutela suae rei *: (§. 208.) explorati iuris est axioma: *pater liberis, in potestate sua constitutis, (§. 139. 9.) et in alterius potestatem non recasuris,* (§. 207. 2.) *tutores testamento, vel codicillis testamento confirmatis, dare potest.* L. 1. *pr.* L. 3. *pr. D. de testam. tut.* §. 3. *Inst. de tut.* L. 73. §. 1. *D. de reg. iur.* Tutelae testamentari ratio.

* Quamuis testamentaria tutela ex hac lege XII. tabularum liquido fluat: L. 120. *D. de verb. sign.* eam tamen iam ante decemuiros Romae receptam fuisse, patet exemplo L. Tarquinii Prisci, quem Ancus rex liberis suis tutorem testamento instituit, teste LIVIO *Lib. I. cap.* 34.

§. CCXI.

Eiusdem fundamentum.

Fundamentum ergo huius tutelae est *patria potestas*. (§. 139. 9.) *L.* 73. §. 1. *D. de reg. iur.*

§. CCXII.

Quibusnam tutor testamento detur.

Ex quo principio sequitur, (1. vt pater solus vel auus, qui liberos in potestate habet, tutores dare possit, non mater aut auia, nec alia extranea persona. *L.* 1. *pr. D. h. t.* (2. Vt idem tutores det liberis, * non emancipatis, sed in potestate sua constitutis, vtriusque sexus, *d. L.*1. *pr. D. h. t.* (3. etiam exheredatis, (§. 192.) *L.* 4. *D. h. t.* Conf. ZACH. HVB. *Dissert. Lib. II. diss. IIII.* §. 28. *p.* 331. immo (4. ex benigna iuris interpretatione etiam postumis **, dum in ea caussa sint, vt viuo patre nati, sui heredes, et in eius potestate fuissent futuri. §. 4. *Inst. de tut. L.*1. §.1. *L.* 6. *D. h. t.*

* *Liberorum* nomine etiam nepotes vtriusque sexus; *filiorum* nomine postumi et filiae, non vero nepotes, continentur. *L.* 6. *et L.* 16. *D. h. t.* §. *vlt. Inst. h. t.* Quamuis enim alias obtineat aliud: L. 84. *iunct.* L. 201. *D. de verb. sign.* nulla tamen hic subest ratio interpretationis extensiuae, quia nepotibus vel per legitimum, vel per datiuum tutorem satis prospicitur.

** Postumi enim, quoties de commodo eorum agitur, pro iam natis habentur. L. 7. *D. de stat. hom.*

§. CCXIII.

Quomodo et quinam tutores hoc modo dari possint?

Quumque haec tutela sit instar hereditatis : (§. 208.) sequitur, (1. vt tutor ordinarie dandus sit testamento. (2. Vt et codicillis testamento confirmatis vel ideo dari possit, quia tutela veluti fidei tutoris committitur. L. 3. *pr. D. h. t.* (3. Vt recte tutores dentur omnes, quibuscum est testamenti factio, dum habiles sint muneri publico obeundo, (§. 204. *sequ.*) *L.* 21. *D. h. t.* veluti serui cum libertate dati, (quae libertas data praesumitur in seruis propriis, §. 1. *Inst. h. t.*) filii familias, (§. 205. 1.) magistratus, L. 20. §. 1. *D. h. t.* furiosi et minores, quamuis, dum hi impediuntur, (§. 206. 1. 2.) interea tutor a magistratu detur. *L.* 10. §. 7. *D. de excus.* (4 Vt tutor dari nequeat persona incerta. * *L.* 20. *pr. et L.* 30. *D. h. t.* In eo tamen hic singulare quid occurrit, (5. quod tutor non solum pure et sub conditione, verum etiam a certo tempore, vel in certum tempus, testamento recte detur. *L.* 8. §. 2. *D. h. t.* §. 3. *Inst. h. t.* Quod in hereditate secus se habet. (§. 544.)

* Nam eodem iure et circa institutionem heredis olim vtebantur. (§.523. et 539.)

§. CCXIIII.

Quamdiu speratur tutela testamentaria, legitimae non est locus.

Ex eodem principio fluit, (6 etiam quod ad tutelam attinet, neminem posse pro parte testatum, pro parte intestatum decedere, L. 7. *D. de reg. iur.* §. 5. *Inst.de her. instit.* adeoque, (7 si vel semel ad testamentarium deuoluta sit, vel saltim adhuc speretur tutela testamentaria, locum tunc non habere tutelam legitimam. L. 11. *pr.* §. 1. *D. h. t.*

§. CCXV.

§. CCXV.

Quamuis ergo expediti iuris sit, nec (1. patrem emancipatis, vel naturalibus, (§. 212. 2.) nec (2. matrem vel personam extraneam liberis vel impuberibus heredibus, (§. 217. 1.) tutorem dare posse, nec (3. istam tutoris constitutionem recte fieri codicillis testamento haud confirmatis: (§. 213. 1.) tamen his casibus CONFIRMATIO solet accedere magistratus, quae est actus, quo id, quod tutoris dationi testamentariae deest, a magistratu suppletur. L. 1. §. 1. *D. de conf. tut.* §. *vlt. Inst. de tut.* L. 32. *D. de excus.* Vnde et pro testamentariis habentur tutores sine inquisitione confirmati, L. 3. *D. de conf. tut.*

Confirmatione tutoris test. mento dati quando opus?

§. CCXVI.

Eaque confirmatio fit vel *sine inquisitione*, quando pater non recte tutorem dedit, * veluti filio emancipato, vel naturali instituto, vel per codicillos testamento non confirmatos: §. *vlt. Inst. de tutel.* L. 1. §. 1. L. 3. L. 6. *De conf. tut.* vel *cum inquisitione*, aut, si minor magistratus confirmet, *cum satisdatione*, L. 5. *D. h. t.* si mater, vel extraneus impuberi instituto, vel pater naturali, non instituto, tutorem dederit. L. 4. *D. de test. tut.* L. 1. §. 2. L. 2. L. 7. *D. de conf. tut.* Si mater non instituto tutorem dedit, non debet quidem, sed solet tamen, tutor confirmari cum inquisitione. L. 4. *C. de test. tut.* vbi euoluendus BYNKERSH. *Obs. Lib. II. cap.* 17. Ceterum quum hi tutores non tam ob testatoris iudicium, quam ob inquisitionem confirmentur, pro *datiuis* habentur. L. 5. *D. de conf. tut.*

Quomodo fiat?

* Attamen et hic disquirendum, an durauerit patris voluntas? quae durasse non creditur, si in tutore emerserit celata morum improbitas, aut inimicitia cum patre, aut damnosus cum filio contractus. L. 8. 9. 10. *D. de conf. tut.* L. 4. *D. de test. tut.*

§. CCXVII.

Ceterum hodie omnes in vniuersum tutores, siue legitimi, siue testamentarii, in Germania confirmantur ob *Rec. Imp. anni* 1548. *tit.* 31. et *anni* 1577. *tit.* 32. Quod et moribus Frisiae obtinere, obseruat VLR. HVBERVS *Prael. ad Pand. lib. XXIIII. tit.* 4. §. 4. quamuis hic legitima parentum tutela excipiatur. *Id. ibid.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 15. §. 363.]

Vsus confirmationis hodiernus.

TIT. XV.

DE LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

§. CCXVIII.

Tutelae legitimae quando locus sit?

QVemadmodum, vbi intestatus quis decessit, ex lege succedunt propinqui, et quidem iure vetere agnati: ita et tutela lege XII. tabularum defertur proximis agnatis, si patet vel omnino, vel certe, quod ad tutelam, intestatus decessit. * (§. 208.) §. 2. *Instit. h. t.*

* Secus, si tutor testamento datus vel excusetur, vel remoueatur, finita nondum tutela, vel si impediatur denique tutela per aetatem, furorem, diem vel conditionem testamento adscriptam. His omnibus enim casibus non legitima, sed datiua tutela locum habet, ob principium, explicatum (§. 214. 7.) L. 11. *D. de testam. tut.*

§. CCXVIIII.

Tutelae legitimae fundamentum, et diuisio.

Hinc axioma: *vbi successionis est emolumentum: ibi et tutelae onus esse debet*, dummodo persona sit habilis obeundo muneri publico. (§. 204.) §. *vn. Inst. de legit. patr. tut.* L. 73. *pr. D. de reg. iur.* Ex quo axiomate fluit tutela *legitima* AGNATORVM, PATRONORVM, PARENTVM, et FIDVCIARIA.

§. CCXX.

Quinam ad legitimam tutelam vocentur?

Quum nimirum lex XII. tabularum post liberos vocet agnatos et gentiles: * VLP. *Fragm. tit.* 26. §. 1. consequens est, (1. vt iure vetere hi soli etiam fuerint tutores legitimi. *pr. et* §. 1. *Inst. h. t.* (2. Vt proximi agnati excludant remotiores, et (3. si plures eodem gradu sint, omnes ii tutelam nanciscantur. §. *vlt. Inst. de cap. dem.* L. 9. *D. h. t.*

* Sunt vero AGNATI et GENTILES *per virilis sexus personas cognatione iuncti*. L. 7. *D. h. t.* §. 1. *Inst. h. t.* COGNATI, qui per feminini sexus personas cognatione iunguntur. §. 1. *Inst. h. t.* L. 10. §. 2. *D. de grad. et adfin. Agnati* vero et *gentiles* ita differunt, vt illi sint eiusdem cognominis et familiae; hi eiusdem nominis et gentis, e. g. C. *Iulio Caesari* agnati erant omnes *Caesares*: gentiles omnes *Iulii*, quorum maiorum nemo seruitutem seruierat. Nam id addendum ideo, quod et liberti patronorum nomen adsumere solebant. (§. 111.) Vid. CIC. *Topic. cap.* 6.

§. CCXXI.

Iure nouo et cognati sunt tutores legitimi, immo et mater, et auia.

Quia vero agnatorum et gentilium discrimen Praetor: agnatorum et cognatorum differentiam Iustinianus *Nou. CXVIII. cap.* 4. sustulit, hosque cum illis promiscue ad successionem admisit: (4 iure nouo cognati, modo idonei sint, vna cum agnatis ad tutelam legitimam vocantur. *Nou. CXVIII. cap.* 5. Quin idem Iustinianus (5. et matrem ac auiam admisit, easque omnibus a latere cognatis, ipsique auo paterno

terno praetulit, dum renuncient secundis nuptiis et SC. Velleiano. *Nouell. CXVIII. cap.* 5. Quo iure vtimur, nisi quod renunciatio iureiurando fieri non soleat. (Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 15. §. 351.)

§. CCXXII.

Ceterum inter *agnationem* et *cognationem* etiam hoc intercedit discrimen, quod haec, tamquam *naturalis qualitas*, minima capitis deminutione tolli nequeat: illa tamquam ciuilis, omni capitis deminutione perimatur. §. *vlt. Inst. h. t.* §. 6. *Inst. de cap. dem.* Vnde hic, loco licet non satis idoneo, inseritur titulus de CAPITIS DEMINVTIONE. Agnationis et cognationis iura quomodo tollantur?

T I T. XVI.

DE CAPITIS DEMINVTIONE.

§. CCXXIII.

Caput nimirum Romanis vocabatur status ille triplex, LIBERTATIS, CIVITATIS, FAMILIAE, (§. 76.) quia secundum illos status capita referebantur in tabulas censuales. * *Antiqu. Rom. h. t.* §. 2. *sequ.* Quid caput?

* Vnde *capita libera*, homines sui iuris, (§. 203. *) *capite censi*, quorum solum nomen, sine re et prole in tabulas censuales referebatur, GELL. *Lib. XVI. cap.* 10. *capite diminuti*, serui, §. 4. *Inst. h. t. capitalis poena*, et iudicium publicum *capitale*, non solum, quo vita, sed et quo libertas vel ciuitas adimebatur. L. 2. *pr.* L. 6. §. *vlt. D. de poen.* Inde ergo et phrases: *caput de ciuitate eximere*, L. 2. *D. de publ. iud.* nec non *capite deminui*.

§. CCXXIIII.

Est itaque CAPITIS DEMINVTIO *status prioris mutatio* *. *pr. Inst.* et *L.* 1. *D. h. t.* Definitio capitis deminutionis.

* Addunt multi *in deterius*, vti et THEOPHILVS *h. t.* et ATTALIOT. *Synops. tit.* 3. ἐπὶ τὸ χεῖρον. Sed non opus videtur ista lacinia. Qui enim libertatis, ciuitatis, vel iurium familiae non est particeps, iste nec caput habet, (§. 223.) adeoque mutato statu nec capite deminuitur. Sic seruus manumissus capite non minuitur. §. 4. *Inst. h. t.* Immo ne deportatus quidem, vel ab hoste captus, si ciuitatem vel libertatem recuperat, quia in eo statu caput, quod amittere possit, non habet.

§. CCXXV.

Quumque *caput* vel *status* sit triplex, *libertatis*, *ciuitatis*, *familiae*: (§. 223.) triplicem etiam esse oportet capitis deminutionem, MAXIMAM, *qua libertas, adeoque et iura ciuitatis et familiae*; MEDIAM, *qua, salua libertate, status ciuitatis*; et MINIMAM *qua, salua* Eiusdem diuisio.

salua libertate et ciuitate, iura familiae perimuntur. pr. Inst. L. vlt. D. h. t. Maxima et media, quia eam passi personae esse desinunt, (§. 76.) morti comparantur, et hine *mors ciuilis* vocari solent. L. 209. *D. de reg. iur. §. 1. Inst. quib. mod. ius patr. potest. solu.*

§. CCXXVI.

Capitis deminutio maxima.

Itaque MAXIMAM capitis deminutionem patiebantur 1) detrusi in seruitutem; siue per captiuitatem, siue per modum poenae in hanc calamitatem inciderint: (§. 82. 83.) (2 serui poenae, (§. 83.*) quamuis haec seruitus poenae in fauorem cognatorum a Iustiniano sublata sit. *Nou. XXII. cap.* 8.

§. CCXXVII.

Media.

MEDIAM contra patiebantur (1 ii, quibus aqua et igni interdictum *, et (2 deportati, qui et EXSVLES dicebantur: L. 5. *pr. D.* §. 2. *Inst. h. t.* L. 2. §. 1. *D. de poen.* (3 transfugae, vel (4 hostes iudicati, L. 5. §. 1. *D. h. t.* non vero (5 RELEGATI, quippe qui, saluis ciuitatis iuribus; vrbe tantum vel prouincia excesse iubebantur. §. 2. *Inst. h. t.* et §. 2. *Inst. quib. mod. ius patr. pot. solu.*

* Nemini ciuium Rom. iura ciuitatis adimi inuito poterant, nisi ipse auctor fieret. CIC. *pro dom. cap.* 72. Quia tamen statim ea amittebantur, simul ac quis alii ciuitati adscribi se passus erat, *Idem ibid. cap.* 81. siquidem nemo iure Romano duarum ciuitatum ciuis esse poterat: CORN. NEP. *vit. Attic. cap.* 3. hinc aqua et igni interdicebatur reis, quos ciuitate priuatos volebant. Nam simul ac illi, hac adacti necessitate, solum verterant, et in aliam ciuitatem se receperant: Romanam ipso iure amisisse censebantur. CIC. *pro dom. cap.* 30.

§. CCXXVIII.

Minima.

MINIMAM denique capitis deminutionem patiuntur (1 arrogati, quia ex patribus familias fiunt filii familias. (§. 179.) §. 3. *Inst.* L. 3. §. 1. *D. h. t.* (2 arrogatorum liberi, qui patrem sequuti, familiam mutant. (§. 180. 2.) *L.* 40. *D. de adopt.* (3 legitimati, inprimis per subsequens matrimonium, quia sui iuris esse desinunt, (§. 172. 1.) et (4 iure veteri * etiam emancipati. §. 3. *Inst. h. t.*

* Quia emancipari nemo poterat, quin in imaginariam seruilem caussam deduceretur. (§. 195.) L. 3. §. 1. *D. h. t.* Quod cessat iure nouo, maxime, quum ob *Nou. CXVIII. cap.* 4. et 5. etiam emancipatis iura successionis et familiae salua sint.

§. CCXXVIIII.

Vsus doctrinae hodiernus.

Capitis deminutionem maximam hodie obsoleuisse, omnes fatentur. Mediae in Germania comparant proscriptionem, vel bannum imperii, et relegationem cum ictu fustium. HERM. STAMM. *de seruit. person. Lib. I. tit. 4. num. 16. sequ.* In aliis prouinciis exsilium vel condemnationem ad triremes perpetuam, et cum publicatione bonorum coniunctam, eidem similia statuunt. VINN. *ad h. t.* Sed dum similia haec aiunt capitis deminutioni mediae, simul agnoscere videntur, quod omne simile quodammodo dissimile, et saltim non idem sit.

TIT.

T I T. XVII.

DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

§. CCXXX.

Altera species tutelae legitimae est tutela PATRONORVM (§. 219.) PATRONVS est, *qui seruum*, siue proprium, siue alienum, *manumisit. L. 3. §. 1. seq. D. de suis et legit. her. L. 3. D. de iure patr.* Legitima patronorum tutela.

§. CCXXXI.

Quia ergo huic libertus debet, quod persona esse coeperit, quum antea esset in classe rerum, (§. 77.) et hinc olim liberti pater et proximus agnatus credebatur: (§. 111.) legibus XII. tabularum patronus eiusque liberi, tamquam proximi agnati, vocabantur ad successionem, si non exstarent sui heredes. VLPIAN. *Fragm. tit. 29. §. 1. L. 23. §. 1. D. de bon. libert. pr. Inst. de success. lib.* Patroni tamquam agnati succedebant libertis.

§. CDXXII.

Qvia vero, vbi successionis commodum, ibi et onus tutelae esse oportet: (§. 219.) inferebant inde prudentes, libertorum impuberum, vel liberorum eorum tutelam deferendam esse patronis, patronorumque liberis, huic muneri suscipiendo idoneis. *L. 3. pr. D. de legit. tutor. §. vn. Inst. h. t.* Quod hodie extra vsum est. Et hinc etiam ad tutelam legitimam vocabantur.

T I T. XVIII.

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

§. CCXXXIII.

Tertia tutelae legitimae species est, quae PARENTIBVS defertur, (§. 219.) quippe qui aetatem liberorum impuberum emancipatorum, tamquam patroni, regunt. *L. 3. §. vlt. D. de legit. tut. §. vn. Inst. h. t.* Legitima parentum tutela.

§. CCXXXIIII.

Nimirum pater filium emancipabat per tres venditiones et manumissiones imaginarias, (§. 195.) adeoque hic quodammodo in seruilem caussam deducebatur: (§. 228. *) *L. 3. §. 1. D. de cap. min.* et hinc manumissus, non quidem ratione status, (§. 91. 4. 5.) sed tamen ratione iurium patronatus quasi libertus erat manumissoris. Hinc manumissor ei, tamquam patronus, succedebat, (§. 231.) adeoque idem et tutor erat emancipati impuberis. (§. 232.) Eius fundamentum.

§. CCXXXV.

§. CCXXV.

Cur ea patri ac non potius filii emtori deferatur?

Quum vero pater, emancipans interposita fiducia, sibi stipulari soleret, vt filius tertium venditus ab emtore sibi remanciparetur, quo ipse potius, quam ille, eum manumitteret, iuribusque patronatus frueretur, (§. 195.) eaque fiducia ex constitutione Iustiniani semper interposita fingeretur; §. *vlt. Inst. de legit. agn. succ. L. vlt. C. de emanc. lib.* consequens erat, vt pater tamquam patronus, filio filiaeue emancipato emancipataeue succederet, (§. 231.) et hinc etiam eorum susciperet tutelam legitimam, si essent impuberes. (§. 232.) §. *vn. Inst. h. t. L.* 3. §. *vlt. D. de legit. tut.*

§. CCXXXVI.

Vsus hodiernus.

Sed haec legitima parentum tutela, cessante emancipatione vetere, et iuribus patronatus plane exstinctis, hodie, fatentibus omnibus, extra vsum est. Moribus Germanorum pater curator est filiorum etiam non emancipatorum, ratione bonorum aduentitiorum maternorum. *Ius prou. Sax. Lib. I. art.* 11. Quod et alibi obtinet, et non ex *L. vlt. C. de bon. quae lib.* sed ex iuris patrii reliquiis, repetendum. Confer [*Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 6. §. 138. 139.] De tutela matris et auiae iam diximus (§. 221.)

TIT. XVIIII.

DE FIDVCIARIA TVTELA.

§. CCXXXVII.

Tutela fiduciaria.

Legitimam hanc parentum tutelam, de qua superiore titulo actum, olim ab interposita illa fiducia, (§. 195. et 235.) dictam esse FIDVCIARIAM, patet ex VLPIAN. *Fragm. tit.* 11. §. 5. Sed Iustinianus quartam speciem tutelae legitimae *fiduciariam* vocat §. *vn. Inst. h. t. L.* 4. *D. de legit. tut.*

§. CCXXXVIII.

Eius definitio.

Itaque FIDVCIARIA TVTELA Iustiniano est, quae post *mortem patris emancipatoris liberis eius masculis perfectae aetatis defertur in emancipatum impuberem. d. L.* 4. *D. de legit. tut.* §. *vn. Inst. h. t.* Quia enim pater emancipator per interpositam fiduciam iura patronatus consequebatur, et hinc legitimus tutor erat filii emancipati adhuc impuberis; (§. 235.) consequi videbatur, vt, eo mortuo, liberi eius nondum emancipati hanc tutelam consequerentur, tamquam patroni filii, quos lex XII. tabularum aeque ad successionem vocabat, ac patronos. (§. 231.) *d.* §. *vn. Inst. h. t.* Quod ipsum quoque hodie extra vsum est.

TIT.

T I T. XX.

DE ATILIANO TVTORE, ET EO, QVI EX LEGE IVLIA ET TITIA DATVR.

§. CCXXVIIII.

Actum hactenus de tutela *testamentaria*, (*tit. XIIII.*) et *legitima*: (*tit. XV. sequ.*) iam tertia sequitur tutelae species, quam DATIVAM vocant, quia haec tutoris datio est *actus legitimus*, (§. 70.) *quo deficientibus testamentariis et legitimis, tutores a magistratu ex lege dantur. pr. Inst. h. t.* Tutelae datiuae definitio.

§. CCXXX.

Ex quo tria fluunt axiomata: I. Tutor hic ex lege a magistratu datur. *L. 6. §. 2. h. t.* II. Datur in subsidium, deficientibus testamentario et legitimo. III. Tutoris datio est actus legitimus. L. 77. *D. de reg. iur.* De eius indole axiomata.

§. CCXXXI.

Datur, inquam, tutor ex lege, (§. 240. 1.) et in vrbe quidem ex lege ATILIA, lata ante a. v. c. 557. vti patet ex Liuio, *Histor. Lib. XXXVIIII. cap.* 9. procul dubio a *L. Atilio Regulo*, tribuno plebis, a. v. c. 443. Liv. *Histor. Lib. VIIII. cap.* 30. * In prouinciis, (excepta Sicilia, de qua vid. *Excerpt. Peirescian. pag.* 397.) ex lege IVLIA et TITIA, lata a. v. c. 722. *Caesare Augusto III.* et ex Kalendis Maiis *M. Titio Rufo* coss. ** Henric. Valesius *ad Excerpt. Peirescian. pag.* 61. Eius origo ex lege *Atilia* et *Iulia Titia*.

* [Auctor *Histor. iur. Lib. I. cap.* 3. §. 88.]

** [Deseruit nuper Henrici Valesii sententiam Aug. Christ. Marchius, edita singulari dissertatione *de tutoribus ex lege Iulia & Titia datis*, *Lipsiae* 1736. Potius non vnam esse legem statuit, sed duas, quarum *Titia* antiquior, lata sit anno ab vrbe condita vel 488. vel 526. siue a *G. Titio*, siue a *Q. Titio* tribunis plebis: *Iulia* contra a *Caesare Augusto* anno 726. Et sunt sane eius argumenta non nullius momenti. Vrget enim testimonium Theophili *Paraphr. pr. Inst. de Atilian. tutor.* vbi diserte memorat β. νόμους, Ἰούλιον καὶ *Τίτιον*, duas leges, *Iuliam et Titiam*. Vrget copulam *et*, quae interiici non soleat inter collegarum nomina, a quibus lex aliqua cognominetur. Enimuero quemadmodum non adeo classicum videtur Theophili de re tam antiqua testimonium: ita exemplo non caret copulatiua *et*, etiam vnius legis auctorum nominibus interiecta. Quod vt vno probem exemplo notissima est lex *Licinia et Mucia*, constanter ita vocata a Cicerone, *Orat. pro Balb. cap.* 21. in *Brut. cap.* 16. et in *fragmentis orationis pro C. Cornelio, perduellionis reo.* Auct. *Histor. iur. Lib. I. cap.* 4. §. 164.]

§. CCXXXII.

Quum ergo ex lege tutor detur: (§. 240. *sequ.*) sequitur (1. vt nullus possit tutorem dare iure magistratus, sed ex speciali concessione Quinam possint tutores dare?

ne populi vel principis. *L. 6. §. 2. D. de tut. dat. L. 1. pr. D. de offic. eius, cui mand. est iur. dict.* Specialiter autem id ius concessum erat *lege Atilia* praetori vrbano, cui adhibenda in consilium maior pars tribunorum plebis: * *pr. Inst. h. t.* Liv. *Lib. XXXVIIII. cap.* 9. in prouinciis *lege Iulia et Titia* praesidibus. *pr. Inst. h. t.* Postea in vrbe coss. iussu Claudii ex inquisitione; Svet. *Claud. cap.* 23. et paullo post praetores tutelares ex constitutione Marci Antonini; Ivl. Capitolin. *vit. Marc. cap.* 10. hinc et praefectus vrbi et praetor, secundum suam iurisdictionem, in prouinciis praesides, et ex eiusdem Marci oratione legati procoss. vel, si non magnae essent pupillorum facultates, magistratus municipales, iussu praesidum, tutores dabant. ** §. 3. 4. *Inst. h. t. L. 1. pr. §. 1. D. de tutor. dat.* Denique et municipalibus magistratibus, sine iussu praesidum, cum episcopo loci, si pupillus vltra D. solidos non haberet, et Iuridico Alexandriae, ea facultas data est. *L. 30. C. de episc. aud. §. 5. Inst. h. t.*

* Itaque quum alias vel vnus tribunus reliquorum consilia intercedendo turbare posset. LIV. *Lib. IIII. cap.* 40. *Lib. VI. cap.* 35. DIONYS. HAL. *Lib. X. pag.* 658. id ius intercedendi in tutoris datione sublatum erat lege Atilia, quae pauciorum sententiam a pluribus superari iusserat. VINN. *h. t.*

** *Praetor intra vrbem: praefectus vrbi intra centesimum ab vrbe lapidem, vel in prouinciis suburbicariis. L. 1. pr. et L. vlt. D. de off. praef. vrb.* Conf. IAC. GOTHOFR. *Dissertationes de prouinciis suburbicariis.*

§. CCXXXXIII.

An tutoris datio mandari possit? Ex eodem axiomate fluit, (2 tutoris dationem non posse mandari *. L. 8. *pr. D. de tut. et cur. dat. L. 1. pr. D. de off. eius, cui mand. est iurisdict.*

* Tutores quidem dabant etiam legati procos. (§. 242.) *L. 15. D. de offic. procos.* qui non propriam, sed mandatam iurisdictionem exercebant. L. 13. *D. eod.* Sed ea facultas iis non competebat ob mandatam iurisdictionem, verum ex oratione D. Marci, ex qua legati eam facultatem accipiebant, simul ac ipsis iurisdictio a procos. mandata esset. L. 1. §. 1. *D. h. t.* Eodem modo et duumuiri, praesidum auctoritate, tutores cum satisdatione dabant, si modicae essent pupillorum facultates. (§. 242.) *L. 3. D. de tut. dat.*

§. CCXXXXIIII.

Quando locus sit tutelae datiuae? Quum porro tutores dentur in subsidium: (§. 240. 2.) tutela datiua locum habet, (1. si nec testamentarius, nec legitimus tutor est. *pr. Inst. h. t.* (2. Si tutela testamentaria vel impeditur et adhuc speratur, vel finitur morte, excusatione, vel remotione tutoris testamentarii. (§. 214. 5.) *L. 11. D. de test. tut. §. 1. et 2. Inst. h. t.*

§. CCXXXXV.

Quomodo tutor dari possit? Denique quum tutoris datio sit actus legitimus: (§. 240. 3.) sequitur, (3. vt pure tantum, non sub conditione, nec in diem vel ex die tutor dari possit. *L. 6. D. de tutel.* (§. 70.) Quod secus se habet in tutela testamentaria (§. 213. 4.)

§. CCXXXXVI.

§. CCXXXXVI.

Hodie tutoris datio ad ordinariam pertinet iurisdictionem, omnibusque ea facultas competit, quibus est aliqua, saltim ciuilis, iurisdictio. Immo magistratibus nostris ius est praetereundi testamentarios et legitimos, aliosque magis idoneos constituendi, si e re pupilli videatur. SCHILT. *Exerc. XXXVII. th. 46. sequ.* ZYPAEVS *Not. Belg. tit. de tut. Statuta Fris. Lib. I. tit. 7. art. 1.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit. 15.* §. 370.] Vsus hodiernus.

TIT. XXI.

DE AVCTORITATE TVTORVM.

§. CCXXXXVII.

PVpilli imperfecta est aetas, (§. 201.) §. 6. *Inst. de Atil. tut.* imperfectior tamen *infantis*, qui fari non potest, quam vel *infantiae* vel *pubertati proximi* *. Hinc in infantem VI; in *infantiae* vel *pubertati propiorem* POTESTATE pollere tutorem diximus, (§. 203. *) Tutoris vis et potestas.

* Infantia iure nostro vsque ad annum aetatis septimum completum porrigitur. *L. 14. D. de sponsal. L. 18. C. de iur. delib. L. 1. §. 2. D. de administr. tut.* Septenni maior, sed qui decimum cum dimidio, vel quae nonum cum dimidio nondum attigit, *infantiae*; qui decimum, vel quae nonum cum dimidio excessit, sed nondum pubes est, *pubertati proximus* vel *proxima* esse dicitur.

§. CCXXXXVIII.

INFANS ergo nihil, sed pro illo tutor omnia agit: *L. 1. §. 2. D. de adm. tut. L. 9. D. de adquir. hered.* at MAIOR INFANTIA ipse, si tutor velit, agit, auctore tutore, *d. L. 9. D. de adqu. her.* §. 9. *Inst. de inutil. stipul. L. 3. C. de adquir. possess.* qui veluti supplet, quod pupilli personae ob lubricum aetatis deesse videtur. *L. 32. §. 2. D. de adquir. vel amitt. possess.* Vnde *auctoritas* ab augendo dicta videtur veteribus. CHARIS. Grammat. *Lib. I.* Infans nihil agit, infantia maior agit, auctore tutore.

§. CCXXXXVIIII.

Est vero AVCTORITAS *actus legitimus* *, (§. 70.) *quo tutor id, quod pupillus infantia maior gerit*, (§. 248.) *et ex quo deterior eius conditio fieri posset, sollemniter adprobat*, vt, quod personae eius deest, suppleatur. (§. 248.) Quid auctoritas?

* Non solent hoc alii obseruare. Sed quum in *L. 77. D. de reg. iur.* non omnes actus legitimi recenseantur, (§. 70. *) et in auctoritate omnia actuum legitimorum requisita concurrant, vix est, quod illam esse actum legitimum dubitemus.

§. CCL.

Quomodo ea interponenda?

Quùm ergo auctoritas sit *actus legitimus*: [§. 249.] (1. ea interponenda erat statim in ipso negotio *, (2. a tutore praesente: nec (3. quidquam valebat, post tempus, vel (4. per epistolam, vel per nuncium interposita. §. 2. *Inst. h. t. L. 9. §. 5. D. eod.* (5. Interponi eam etiam oportebat pure, non sub conditione. *L. 8. D. h. t.*

* Turbare videtur *L. 25. §. 4. D. de adquir. hered.* in qua *iussus praecedere; auctoritas* PERFECTO NEGOTIO *interponi dicitur*, vbi IAC.GOTHOFR. *ad L. 29. D. de reg. iur.* legendum putat: *prouecto negotio*. Sed nihil emendatione opus. Non enim ea lex ait, dudum perfecto negotio auctorem fieri posse tutorem, sed *perfecto negotio*, id est, simul ac iste actus explicatus erat, a quo negotium perfectionem capiebat et substantiam. Sic e. g. in stipulatione pupillus interrogatus, congrue respondebat, eoque perfecto actu, tutor praesens statim interponebat auctoritatem. Hinc eleganter a veteribus disputatum, si mulier, quae in tutela olim perpetua viuebat, (§. 20.) per epistolam manumitteret seruum absentem, (§. 101.) vtrum a tutore auctoritas interponenda sit, postquam mulier scripserit epistolam, an postquam eam acceperit seruus? Dubium enim videbatur, scriptane epistola, an postquam seruus dominae voluntatem cognorit, actus perfectus sit, et *libertas peragatur*, (*ἀπαρτίζεται*) Vid. *Fragm. e vet. ICto* §. 15. apud SCHVLTING. *Iurisprud. anteiust. p.* 807. et add. *L. 38. pr. D. de adqu. vel amitt. poss.*

§. CCLI.

Quando auctoritate opus sit?

Auctoritas tutoris necessaria est, quoties pupillus quid gerit, quo deterior posset fieri eius conditio. (§. 249.) Ex quo fluit axioma iuris notissimum: *meliorem facere conditionem pupillo licet, etiam sine tutoris auctoritate; deteriorem non aliter quam auctore tutore. pr. Inst. L. 9. pr. D. h. t. L. 28. pr. D. de pact. L. 11. D. de adquir. rer. dom.*

§. CCLII.

Pupillus sine auctoritate tutoris alios sibi obligat, sed non obligatur.

Ex quo consequitur, (1. vt pupillus sine tutoris auctoritate sibi stipulari, (*L. 9. pr. D. h. t.*) donationem vel remissionem acceptare, (*L. 2. D. de acceptil.*) immo ex quocumque titulo lucratiuo adquirere, (*L. 11. D. de adquir. rer. dom.*) non autem promittere, donare, remittere, tradere, alienare possit *. (2. Vt contractus cum pupillo, inscio tutore, initi non obligent pupillum, sed hic tamen ex iisdem alios habeat obligatos. *L. 13. §. 29. D. de act. emt. pr. Inst. h. t.* Vnde et claudicare hi contractus dicuntur doctoribus.

* Nisi pupillus factus locupletior, aut ex re nascatur obligatio. Vtroque enim casu et ciuiliter eum obligari, aequissimum est. L. 1. *pr.* L. 5. §. 1 *D. h. t. L. 46. D. de oblig. et act. L. 13. §. 1. D. de condict. indeb.*

§. CCLIII.

An hereditatem recte adeat sine auctoritate tutoris.

Ex eodem principio recte colligitur, (3. pupillum sine auctoritate tutoris hereditatem adire non posse, quamuis lucrosa sit. *L. 9. §. 3. D. h. t. §. 1. Inst. h. t. iuncta Paraphrasi* THEOPHILI. Idque partim, quia hereditas nos creditoribus et legatariis obligat, *L. 8. pr. D. de adquir. her.* pupillus autem ex facto suo, sine tutoris auctoritate, ciuiliter obligari nequit. (§. 252. 1.) *L. 46. D. de oblig. et act.* partim, quia olim aditio hereditatis ob cretionem cum ea coniunctam erat

erat actus sollemnis, Vid. *Antiqu. Rom. Lib. II. tit.* 17. *sequ.* §. 15. *sequ.* ad ea vero, quae sollemnitatem iuris desiderant, explicanda tutore auctore opus erat. (§. 70.) *L.* 19. *D. de auct. tut.*

§. CCLIIII.

Denique quia tutor, auctoritate interposita, pupilli iudicium supplet, (§. 249.) adeoque pupillus et tutor veluti pro vna persona agente habentur: expediti iuris est axioma: *tutor auctor fieri in rem suam non potest*. §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. *pr. L.* 7. *pr. et* §. 2. *D. h. t.* Tutor auctor fieri non potest in rem suam.

§. CCLV.

Ex quo infertur, (1. tutorem emere non posse res pupilli, *L.* 3. 4. §. 7. *D. de contr. emt.* nisi palam et bona fide veluti auctione publica, *L.* 5. *C. eod.* (2. Si lis intercedat inter tutorem et pupillum, dandum huic esse curatorem in litem *. §. 3. *Inst. h. t.* non, vti olim, tutorem praetorium. VLP. *Fragm. tit.* 11. §. 24. Quid si tutor cum pupillo contrahere vel litigare velit?

* Quod tamen raro hodie continget, quum nec creditor nec debitor pupilli eiusdem tutelam suscipere possit. *Nou. LXXII. cap.* 1. 2. 4. *Nou. LXXXXIIII. praef.* Si tamen iis superueniat, curator adiungitur. *Nou. LXXII. cap.* 1. 2.

§. CCLVI.

Ceterum hodie nec actus legitimus est auctoritas tutoris, adeoque doctrinae, §. 250. expositae, fere extra vsum sunt: nec iam amplius obseruatur discrimen inter pupillum, infantem, et maiorem infantia. (§. 248.) Plerumque enim tutores, immo et curatores, res maioris momenti ipsi expediunt, et raro interesse patiuntur pupillum vel minorem, nisi fere maiorennitati sit proximus. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 16. §. 385.] Vsus hodiernus.

T I T. XXII.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

§. CCLVII.

TVtela ideo inuenta est, vt defendantur ii, qui per aetatem suam sponte se defendere nequeunt (§. 203.). Ea ergo cessante caussa, et tutelam finiri aequum est. Tutela quomodo finiatur?

§. CCLVIII.

Finitur itaque (1. MORTE tum tutoris, quia mortuus viuum defendere nequit, tum pupilli, cui exstincto defensione non opus est. §. 3. *Inst. h. t. L.* 4. *D. de tut. et rat. distr.* Vnde nec tutela ad heredes transit, siquidem et in legitimam non tamquam heredes, sed Finitur morte.

tamquam proximi agnati, succedant tutoris, qui obiit, et pupilli propinqui. *L. 16. §. 1. D. de tut. L. 46. D. famil. ercisc.*

§. CCLVIIII.

Capitis deminutione. Finitur (2. CAPITIS DEMINVTIONE, et quidem pupilli quacumque, tutoris tantum maxima et media *. §. 1. §. 4. *Inst. h. t. L. 14. pr. §. 1. 2. D. de tut.*

* Pupillo capitis deminutionem quamcumque passo, tutela finitur. Nam siue maximam, siue mediam, siue minimam patitur, non est caput liberum. (§. 207.) Tutor autem capite minutus tutor esse definit, si vel libertatem, vel ciuitatem amisit, quia tutela est *munus publicum*, quod seruus, vel peregrinus obire nequit. (§. 203. 2.) Capitis deminutione minima tutoris tutela in se non finitur, quia et filiusfamilias tutor esse potest: (§. 205. 2.) finiebatur tamen olim tutela legitima, quia minima capitis deminutio iura agnationis tollit. (§. 222.) Quum vero hodie agnatorum et cognatorum discrimen *Nou. CXVIII. cap. 4.* sublatum sit, et cognati non minus, quam agnati, ad tutelam legitimam vocentur, (§. 221.) cognationis autem iura minima capitis deminutione non perimantur: (§. 222.) hodie capitis deminutione tutoris minima tutela non amplius finitur.

§. CCLX.

Pubertate. Finitur (3. PVBERTATE, de qua quum lis esset inter Proculeianos et Cassianos, hique eam ex corporis habitu, illi ex annis aestimarent; Priscus vero vtrumque indicium pubertatis coniungendum putaret: VLPIAN. *Fragm. tit. 11. §. 28.* Iustinianus Proculeianorum sententiam probauit, et masculorum pubertatem expleto anno XIIII. puellarum anno XII. finiuit. * *L. fin. C. quando tut. esse desin. pr. Inst. h. t.*

* Quamuis vero pubertate ipso iure finiatur tutela: rerum tamen suarum administrationem, ex constitutione diui Marci, non recipiunt adolescentes, nisi constitutis curatoribus. Et ita intelligendae, *L. 33. §. 1. D. de administr. et peric. tut. et L. 5. §. 5. D. eod.* immo et *L. 28. §. 1. L. 31. D. eod.*

§. CCLXI.

Exsistente die vel conditione. Porro quum tutor testamento et pure, et sub certa conditione, et in diem dari possit: (§. 213. 5.) consequens est, vt (4. et VENIENTE DIE, vel EXSISTENTE CONDITIONE haec testamentaria tutela finiatur. §. 2. *et* §. 5. *Inst. h. t.* L. 14. §. 3. 5. *D. de tut.*

§. CCLXII.

Excusatione et remotione. Denique et (5. EXCVSATIONE, et (6. REMOTIONE tutelam finiri ait Imperator, §. *vlt. Inst. h. t.* de quibus *tit.* XXV. et XXVI. erit dicendi locus.

§. CCLXIII.

Finita tutela quaenam actiones competant pupillo? Iam id addimus, quia tutor primario quidem personae, secundario tamen etiam rei datur, (§. 207. *) eumdem, tamquam rei alienae administratorem, finita tutela, teneri ad rationes reddendas. §. 7. *Inst. de Atilian. tut.* Qui non reddit, TVTELAE *iudicio*; qui impro-

be

be compositas reddidit, et aliquid subtraxit, *actione* DE RATIONIBVS DISTRAHENDIS quae in duplum datur, in ordinem cogitur. *Tit. Dig. de tutel. et rat. distrah.* De actione tutelae vid. infra *Lib. III. tit.* 28. §. 976. *sequ.*

§. CCLXIIII.

Ceterum hodie pubertate vix quidquam mutatur circa tutelam. Plerumque enim tutores qui fuerunt, eodem fere iure minores regunt vsque ad maiorennitatem. Cuius rei rationem explicabimus titulo insequente. (§. 278.) Rationes reddendae quotannis, et hinc quouis tempore, quando in mora est, tutor ad eas reddendas adigi potest, non tam a pupillo iudicio tutelae, quam a iudice tutelari, vel ex officio, vel ad implorationem cognatorum. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 16. §. 387.] Vsus hodiernus.

T I T. XXIII.

DE CVRATORIBVS.

§. CCLXV.

CVrator et procurator promiscue fere accipiuntur, vti ex *L.* 1. *C. si tut. vel curat. interu.* patet, pluribusque exemplis demonstratum est a BYNKERSHOEKIO *Obs. Lib. II. cap.* 20. Curator quasi procurator.

§. CCLXVI.

Ergo vti procuratio, ita CVRATIO nihil aliud est, quam *potestas administrandi bona et rem familiarem eorum, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt*. *L.* 20. *D. de rit. nupt.* et *L.* 8. *C. de nupt.* Curationis definitio.

§. CCLXVII.

Ex quo fluit axioma: *curator primario rebus, personae tantum per consequentiam datur*. §. 2. *Inst. h. t. L.* 20. *D. de rit. nupt. L.* 8. *C. de nupt. L.* 12. §. *penult. D. de admin. tut.* Et inde consequitur, (1. vt curatores non, vti tutores, *auctoritatem* interponant, quia in minorum persona defectus non est, qui supplendus sit: (§. 248.) sed tantum *consensum* iis, aliquid acturis, impertiantur. (2. Vt et tutorem habenti dari possit curator. §. 5. *Inst. h. t.* Curatorum et tutorum differentia.

§. CCLXVIII.

Quumque curatores dentur puberibus, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt: (§. 266.) sequitur, vt curatores accipiant (1 FVRIOSI, de quibus iam legibus XII. tabularum cautum fuerat, vt agnatis gentilibusque in eorum pecuniam et facultates potestas esset. * CIC. *Tusc. quaest. Lib. III. cap.* 11. *de inuent. Lib. II. cap.* 50. §. 3. *Inst. h. t.* Hos accipiunt furiosi.

* Quam-

* Quamuis vero id eatenus mutatum sit iure nouo, vt magistratus furiosis curatores, caussa cognita, constituant: *L. 6. L. 13. D. de curat. furios.* tamen non facile is praeteribit propinquos, si qui eorum habiles sunt. *L. 13. D. L. 5. C. eod.*

§. CCLXVIIII.

Prodigi. Quumque a furiosis parum discrepent (2. PRODIGI, quippe furiosum facturi rerum suarum exitum: *L. 12. §. 2. D. de tut. dat.* et hi exemplo furiosorum in curatione propinquorum sunt, simul ac a praetore illis bonis est interdictum. HORAT. *Serm. Lib. I. sat. 3.* PAVLL. *Sent. rec. Lib. III. tit. 4. §. 7. L. 10. pr. L. 15. pr. D. de curat. furios. L. 6. D. de verb. obl.*

§. CCLXX.

Hinc curatio quodammodo ignominiosa. Quandoquidem ergo soli furiosi et prodigi iure vetustissimo XII. tabularum curatores accipiebant: ignominiosum quodammodo videbatur, homini ingenuo sanae mentis obtrudi curatorem, eique liberam rerum suarum administrationem et alienationem non permitti. *L. 2. D. si a parente quis manumiss.*

§. CCLXXI.

Quando minores curatores accipere coeperint? Primum ergo ex lege Laetoria ADOLESCENTIBVS, (non tantum lasciuis et dementibus, vti ex male intellecto loco IVLII CAPITOLINI *vit. M. Ant. cap. 10.* vulgo colligunt *,) sed omnibus, qui petebant, curatores dari coeperunt caussa cognita. *Inuito enim adolescenti curatorem dari non posse*, expediti iuris videbatur, partim ob rationem, §. 270. redditam, §. 2. *Inst. h. t.* partim quod curator procuratoris loco est; (§. 265.) procurator autem nisi volente domino fieri nemo potest. *L. 1. D. de procur.* Tandem M. Aurelius Antoninus imp. omnibus adolescentibus, etiam caussa non cognita, curatores dari iussit. IVL. CAPITOL. *ibid.*

* Locus IVLII CAPITOLINI talis est: *de curatoribus vero, quum ante non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent non redditis caussis.* Inde plerique colligunt, ex lege Laetoria tantum lasciuis et dementibus adolescentibus datos esse curatores. Sed sensus alius est. Ait enim auctor, ante M. Antonini tempora triplicem fuisse curationem, vnam *minorum* ex lege Laetoria, alteram *prodigorum*, quos ipse *lasciuos* vocat, tertiam *furiosorum*. qui illi sunt *dementes*. Quum vero lege Laetoria non satis prospectum videretur minoribus, quod tantum petentibus curatores dari iusserit caussa cognita: M. Antoninum cauisse primum, (1 vt omnes adolescentes curatores acciperent: quum ex lege Laetoria tantum quidam, qui peterent, accipere solerent. (2 Vt ii curatores darentur caussis etiam non redditis, quum ex lege Laetoria, si minorennis curatorem peteret, prius inquirendum esset, an honesta caussa subsit? num forte ob aes alienum contrahendum curator petatur? cet. [Conf. *Antiquit. Rom. h. t.*]

§. CCLXXII.

An iure nouo omnes et inuiti curatores accipiunt. Ab eo ergo tempore saluum fuit vetus principium, *curatorem adolescentes non accipere inuitos*, §. 2. *inst. de curat.* sed desiderantes, L. 13. §. 2. *D. de tut. et cur. dat.* et consentientes, L. 2. §. *penult.* et

et vlt. D. qui petant. tut. et curat. Attamen quia tutoris administratio non prius finitur, quam constituto curatore: (§. 260. *) petere iam adolescentes tenentur omnes, adeoque verum est, omnes post hanc Antonini constitutionem curatorum auxilio regi, nec eis rerum suarum administrationem committi, quamuis bene rem gerentibus *. L. 1. §. *vlt. D. de minor.*

* Vnde non est, quod RAEVARDVS, *Varior. Lib. I. cap.* 12. inaduertentiae accuset Tribonianum, quasi ius suorum temporum ignorans, adolescentibus inuitis curatores dari negauerit. Omnino enim curatores non inuitis dabantur etiam post Antonini tempora, sed petentibus. Verum Antoninus rationem inuenerat, qua adolescentes omnes adigerentur, vt peterent, quia nimirum alias rerum suarum administrationem a tutore non recipiebant. (§. 260. *)

§. CCLXXIII.

Curatio vel LEGITIMA est, vel DATIVA. *Legitima* est furiosorum et prodigorum: (§. 268. 269.) *datiua* minorum, aliorumque, qui vel corporis vitium, vel ob absentiam, rebus suis superesse nequeunt. §. 4. *Inst. h. t. L.* 65. §. 3. *D. ad SC. Trebell. Testamentaria* non datur, quia paterfamilias ex lege XII. tabularum legare potest de tutela, non autem de curatione, suae rei. (§. 208.) Datus tamen testamento curator confirmatur. (215.) §. 1. *Inst. h. t.* **Curatores quotuplices?**

§. CCLXXIIII.

Dantur curatores ab iisdem magistratibus, a quibus tutores. §. 1. *Inst. h. t.* Dantur omnes, qui tutores esse possunt, non ipsi, qui tutelam gesserant, si se excusent. §. 18. *Inst. de excus. tut.* **A quibusnam dentur**

§. CCLXXV.

Vt tutela pubertate, ita curatio minorum maiorennitate, id est, expleto xxv. aetatis anno *, terminatur, L. 1. §. *vlt. D. de min.* nisi minor veniam aetatis impetrauerit. L. 2. *C. de his, qui ven. aet.* Furiosorum et morbo impeditorum curatio, recepta valetudine; L. 1. *pr. D. de curat. furios.* prodigorum denique receptis sanis moribus, et sublata a praetore interdictione bonorum, finitur. *L.* 1. *pr. D. eod.* **Quomodo finiatur curatio?**

* Inuectum id est lege Laetoria, L. 2. C. *Th. de donat.* quae ideo *quinauicennaria* vocatur PLAVTO, *Pseud. act. I. scen.* 3. *v.* 68. Et videtur Laetorius cum aliis existimasse, saeculum esse terminum vitae humanae longissimum, et hinc primum eius quadrantem iuuentuti accensuisse. Ita censet Gundling. *ad tit. D. de minor. XXV. ann.* §. 4. *et* 6.

§. CCLXXVI.

Quemadmodum vero tutor *actione tutelae directa*; (§. 263.) ita curator *vtili tutelae iudicio*, etiam durante curatione, ad reddendas rationes adigitur. *L.* 3. *C. arb. tut. L.* 16. §. 11. *L.* 20. *D. de tut. et rat. distrah.* Quae enim actiones per interpretationem extensiuam ob rationem eamdem ad similes casus producuntur, verbis legis vel edicti non expressos, eae vocari solent VTILES. §. *vlt. Inst. de leg. Aquil.* **Quae actio aduersus curatorem competat?**

§. CCLXXVII.

§. CCLXXVII.

Quis actor? Denique quum curator veluti procurator sit, (§. 265.) procurator vero non nisi a domino constitui possit: L. 1. *D. de procur.* is, quem tutor vel curator, morbo vel alia necessitate coarctatus, suo periculo et ex decreto magistratus ante litis contestationem constituit, non procurator vel curator vocatur, sed ab his ACTORIS nomine distinguitur*. §. *ult. Inst. h. t.*

* Sed potest tamen pupillus, infantia maior; quia dominus est, procuratorem, auctore tutore, constituere. Potest et ipse tutor et curator procuratorem constituere in iudicio, dummodo litem sit contestatus. *L. 11. C. de procur.* Rationem, quae ex domino litis fluit, reddemus infra, *Lib. IIII. tit. 10.*

§. CCLXXVIII.

Vsus hodiernus. Apud Germanos, gentesque alias originis Germanicae, nullum fuit inter tutores et curatores discrimen: sed tutores, constituti impuberibus, administrationem olim ad maiorennitatem vsque solebant continuare, eadem auctoritate. Et hoc iure hodienum fere vtimur. Rem egregie exposuit GE. BEYER. *Dissert. sing. de hodierna tutorum ac curatorum differentia.* Praeterea non vbique expleto demum anno XXV. maiorennes censentur iuuenes: sed in Saxonia iis anni XXI; Electorum et Principum quorundam filiis anni XVIII; alibi adolescentibus anni XX. ad res suas administrandas sufficiunt. Mores diuersarum gentium egregie et cum adparatu exposuit IO PETR. *de* LVDEWIG *in Diss. de aetate puberum et maiorum.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit. 16.*]

TIT. XXIIII.

DE SATISDATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

§. CCLXXVIIII.

Satisdatio quid et quotuplex? SATISDATIO vocatur *cautio praestita datis fideiussoribus. L. 1. D. qui satisdar. cog.* Quamuis enim alioquin haud ignota sit cautio etiam PIGNORATITIA, L. 1. §. 9. *D. de collat. bon.* IVRATORIA, *L. 17. C. de dignit.* et NVDE PROMISSORIA: §. 2. *Inst. de satisdat.* satisdatio tamen semper a praetore exigitur, in primis, quando incerta est damni imminentis aestimatio. *L. 7. D. de praetor. stipul.*

§. CCLXXX.

Tutores cui teneantur satisdare. Quum ergo tutores aeque ac curatores res alienas administrent, (§. 263.) et ideo ad rationes reddendas obstricti sint: (§. 263. 276.) aequissimum est, vt vtrique satisdent, *rem pupillo vel adolescenti saluam*

nam fore, si vel vlla in eos cadat suspicio. *pr. Inst. h. t. L. 1. sequ. D. rem pup. salu. fore.*

§. CCLXXXI.

Quumque ii tantum satisdent, in quos suspicio cadit: (§. 280.) consequens est, vt a satisdatione immunes sint (1. tutores testamento dati, quia paterno iudicio electi idonei creduntur *; *L. 7. §. 5. C. de curat. furios.* (2. A maioribus magistratibus ex inquisitione dati, quia inquisitio pro paterno iudicio est, et pro vinculo cedit cautionis. L. 13. §. *vlt. D. de tut. dat.* L. 3. L. 4. *C. de tut. qui satis non ded. pr. Inst. h. t.* Quinam non satisdent?

* Vnde neque ii, qui non iure a parentibus dati, a magistratu confirmantur, tenentur satisdare, quia pro testamentariis habentur. (§. 215.) Tenentur autem ab extraneo testamento dati, et confirmati post inquisitionem, quia hi pro datiuis habentur. (§. 216.)

§. CCLXXXII.

Contra ex hoc principio merito satisdant (3. legitimi omnes, praeter patronos patronorumque liberos. L. 5. §. 1. *D. de legit. tut.* (4. Dati sine inquisitione a magistratibus minoribus. *(5. Tutores testamentarii, legitimi et datiui, qui ex pluribus se administrationi offerunt. §. 1. *Inst. h. t.* Ne enim per plures tutela spargatur: quoties vnus sufficit, is praefertur, qui se offert: nullo se offerente, is, qui a testatore designatus est: nemine designato, qui a maiore parte tutorum eligitur: nec his denique eligentibus, praetor interponit officium, vnumque ex reliquis designat, satisdaturum collegis, tamquam tutoribus honorariis. L. 3. §. 1. *sequ. D. de administr. tut.* Quinam satisdare cogantur?

§. CCLXXXIII.

Ex quo porro inferendum, (6. satisdationem exigere magistratus minores, qui tutores dant sine inquisitione. (§. 281. 2.) L. *vlt. C. de magistr. conuen.* Et quum caueatur datis fideiussoribus, (§. 279.) fideiussio vero iure Rom. per stipulationem contrahatur: L. 8. *pr. D. de fideiuss.* consequens est, (7. vt pupillus, qui fari iam coepit, ipse sibi possit stipulari, rem suam saluam fore, (§. 252. 1.) infantis vero loco seruus vel proprius, vel publicus * stipuletur. L. 2. *D. rem pup. salu. for.* Quinam magistratus satisdari iubeant?

* Seruus proprius stipulatione sua adquirebat domino. (§. 130. 3.) §. 2. *Inst. de stipul. seru.* Seruus vero publicus recte stipulabatur pupillo, quia erat in dominio reip. Publico vero nomine et alteri stipulari licebat. L. 3. *D. de praetor. stipul.* L. 1. §. 4. *D. vt legator.* Conf. IAC. GOTHOFR. *ad* L. 73. §. *vlt. D. de reg. iur. pag.* 322. Dicitur huiusmodi satisdatio facta τῷ τάξει ἀκεῖῳ, THEOPHILO *in* §. 3. *Inst. de adopt.* Quam institutionem accurate explicat AMAYA *ad* L. 3. *C. de tab. scrib. logograph.*

§. CCLXXXIIII.

Hi dati fideiussores pro tutore tenentur: et contra illos finita tutela actio ex stipulatu datur, si tutor vel conueniri non possit, vel, actio- Fideiussorum obligatio.

actione tutelae pulsatus, non sit soluendo. *Tot. tit. de fideiuss. et nomin.*

§. CCLXXXV.

Actio subsidiaria aduersus magistratus. Si ne sic quidem rem suam consequitur pupillus; etiam magistratus minor, qui parum idoneos fideiussores admisit, heredesue eius, cuius dolo vel culpa lata id praetermissum fuit, in subsidium possunt conueniri. L. 1. *D. de magistr. conu.*

§. CCLXXXVI.

Vsus hodiernus. Moribus hodiernis satisdationes alibi indistincte exiguntur; alibi extra vsum sunt, quia vel iusiurandum, quod a tutoribus exigitur, vel possessio bonorum immobilium, pupillo tacite oppignoratorum, eum satis securum praestare creditur. Nec actionis subsidiariae aduersus magistratum frequentem adeo vsum esse, facile est ad intelligendum.

TIT. XXV.

DE EXCVSATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

§. CCLXXXVII.

Quaenam caussae a tutela excusent? QVum tutela sit munus publicum: (§. 204.) eaedem fere caussae, quae a munere publico personali excusant, etiam excusant a tutela et curatione *.

* Aliud de immunitate dicendum. Immunitas enim a reliquis muneribus publicis ad tutelam non porrigitur. L. 17. §. 3. L. 15. §. 12. *D. h. t.*

§. CCLXXXVIII.

Excusatio quid, et quotuplex? EXCVSATIO in sensu iuridico *, *est exceptio vel caussa, ob quam quis munus publicum, adeoque et tutelam, suscipere vel non cogitur, vel prohibetur*. Adeoque excusatio alia VOLVNTARIA, alia NECESSARIA est. Illa opposita prodest; haec etiam non opposita prohibet. Illa liberat a tutela suscipienda; hac et suscepta finitur. Vtraeque ad omnes tutores pertinent, etiam legitimos. VLR. HVBER. *Prael. Inst. h. t.* §. 20.

* Alia ergo notione ICti hoc vocabulum accipiunt, ac grammatici. His *excusare* est allegare caussam, cur onus suscipi non debeat. Illis *excusari* etiam dicuntur, qui non admittuntur. L. 1. §. 3. *D. de postul.* L. 11. *D. de decurion.* Vbi non est, quod pro *excusare*, rescribamus *excuriare* cum CVIACIO *Obs. Lib. XXVI. cap.* quum verba παραιτεῖσθαι, ἀπολογεῖσθαι προφασίζεσθαι, huic notioni haud quadrare viderent, vocabulum ἐξκουσατεύειν adoptare maluerunt. HARMENOP. *Lib. II. tit.* 5. §. 6. *et Lib. I. tit.* 3. §. 80. Idemque nomen ἐξκουσατεῖον, THEOPHIL. *pr. Inst. h. t.* Conf. BYNKERS. *Lib. IIII. cap.* 11. *p.* 305.

§. CCLXXXVIIII.

§. CCLXXXVIIII.

Voluntaria ob numerum liberorum.

VOLVNTARIAE vel *priuilegio* nituntur, *L. 12. C. h. t.* vel ob *impotentiam* conceduntur, vel ob imminens *existimationi periculum* admittuntur. PRIVILEGIO gaudent, (1. qui Romae tres, in Italia quatuor, in prouinciis quinque liberos naturales et legitimos habent superstites *. L. 1. §. 2. *sequ. D. de excus. pr. Inst. h. t.* Qui enim adhuc in ventre sunt, liberi non magis prosunt, quam adoptiui, illegitimi, et mortui, nisi quod bello amissi in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. *pr. Inst. h. t. L. 76. D. de condit. et demonstr. L. vlt. D. de vacat. et excus. mun.*

* Priuilegium hoc [illegible] ex lege Papia Poppaea est, a. v. c. 762. (DIO CASS. *Lib. LVI. p. 662.*) sobolis procreandae caussa lata. L. 64. §. 1. D. *de condit. et dem.* Conf. IAC. GOTHOFRED. *de Lege Pap. Popp. cap. VIII. p. 285.* et *Comm nostr. ad h. t. Lib. II. cap. 9.* [nec non *Histor.* nostr. *iur. ciuil. Lib. I. §. 166.* *.]

§. CCLXXXX.

Ob administrationem rei fiscalis.

Simili priuilegio ex constitutione Marci imp. excusantur, (2. qui rem fiscalem, rem dominicam, vel patrimonium principis, tributa item et vectigalia administrant, immo et conductores fundi principalis *. §. 1. *Inst. h. t.* L. 41. *pr. D. eod. L. vlt. C. qui dar. tut. poss.*

* An etiam administratores, et conductores rerum ciuitatis? Diserte id negatur, L. 1. §. 7. et 10. *D. h. t.* L. 10. *D. de iur. fisc.* L. 2. *de iur. reip.* quia ciuitatibus ius fisci haud competit. Et eo iure in Frisia vtimur. VLR. HVBER. *Prael. ad D. tit. de iur. fisc.* §. 2. Sed ob hanc ipsam rationem pluribus Germ. locis, vbi ius Saxonicum et Lubecense viget, etiam administratores ciuitatum excusantur, quia iuribus fisci ibi etiam ciuitates, immo et nobiles, qui mero imperio gaudent, perfruuntur. MEV. *ad ius Lubec. Par. II. tit. 2. art. 14. num. 64.* Ceterum haec excusandi caussa hodie fere necessaria est, quia omnia horum administratorum bona iam fisco vel ciuitati oppignorata sunt. (§. 286.)

§. CCLXXXXI.

Ob absentiam rei publicae caussa.

Eodem modo ob priuilegium excusantur (3. absentes reip. caussa non modo a suscepta et suscipienda tutela, dum absunt, verum etiam a suscipienda intra annum, ex quo reuerterunt. §. 2. *Inst. h. t.* L. 10. *pr. et* §. 2. *D. eod.* Iis, qui trans mare absunt reip. caussa, vel qui domicilium principis iussu mutarunt, et susceptam tutelam deponere licet. L. 11. §. 2. *D. de min.* L. 12. §. 1. *D. h. t.*

§. CCLXXXXII.

Ob Magistratus, et professiones.

Excusantur porro ob priuilegium (4. magistratus, qui cum potestate sunt. §. 3. *Inst. h. t.* id est, qui coërcere, vel iubere in carcerem duci, vel prehendere poterant. GELL. *XIII.* 15. Vnde non excusat aedilitas. *L. 17. §. 4. D. h. t.* simile tamen quodammodo priuilegium datum senatoribus. *L. 6. §. 16. D. h. t.* et *τοῖς ἄρχουσι τῶν πόλεων*, id est, duumuiris. *L. 6. . 16. D. h. t.* Denique et (5. literatores, rhetores, sophistae, medici, iureconsulti, omnesque artium liberalium professores, qui intra numerum sunt, excusantur * : *L. 6.*

C. de profess. et med. modo in patria doceant sedulo. *L. 6. §. 6. et 9. D. h. t.*

Ob impotentiam.

* Sunt et alia priuilegia huius generis, veluti ob victoriam athleticam, *L. 6. §. 13. D. h. t. L. vn. C. de athlet.* ob collegium fabrorum et pistorum, *L. 17. §. 2. 3. L. 4. §. vlt. D. h. t.* ob officium mensorum frumenti. *L. 28. D. h. t.* Sed haec nostris temporibus vix quadrant.

§. CCLXXXXIII.

Ob IMPOTENTIAM (§. 289.) excusant (6. tria onera tutelae in vna domo, modo nec affectatae sint, nec tenues. §. 5. *Inst. h. t. L. 5. L. 15. §. 15. D. h. t.* Ponderandas enim magis esse tutelas, quam numerandas, vel hoc indicio est, quod et vna tutela diffusior excusat. *L. 31. §. 5. D. h. t.* (7. Paupertas. §. 6. *Inst. h. t.* (8. Morbus, ob quem quis rebus superesse non potest. §. 7. *Inst. eod.* (9. Imperitia litterarum, §. 7. *Inst. eod.* modo tutela non ita tenuis sit, vt et *ἀγράμματος*, ad negotia alioquin paullo sollertior, ei administrandae sufficere videatur. *L. 6. §. fin. D. h. t.* (10. Senectus septuagenaria, * *L. 3. D. de iur. immun.* §. 15. *Inst. h. t.* cui ne dies quidem desit. *L. 2. pr. D. h. t.*

Ob inimicitias cum patre pupilli.

* In mendo ergo cubat L. 3. *C. qui aetate vel prof.* dicuntur. Vid. CVIAC. ad illam lectionem vbi anni LV. excusare gem.

§. CCLXXXXIIII.

Denique ab imminens EXISTIMATIONI periculum excusantur, (11. qui cum patre pupilli inimicitias capitales exercuerunt. §. 9. et 11. *Inst. h. t.* non, quod indulgendum sit odiis eorum, quos ne mors quidem inimicorum placat, sed quod, vt eleganter notat VINNIVS, ignoscendum videatur eis, qui suspicionem sinistram hoc obtentu vitare, et anteuenire remotionem cupiunt.

Necessariae excusationes.

§. CCLXXXXV.

Hae sunt excusationes *voluntariae*. NECESSARIIS, vel *prohibitoriis*, accensentur (1. furor, dementia, surdities, caecitas. L. 1. §. 2. *et* 3. *D. de tut. L. 3. C. qui dar. tut. L. vn. C. qui morb. se excus.* (2. Minorennitas. §. 13. *Inst. L. 10. §. 7. D. h. t.* (3. Militia. §. 14. *Inst. h. t. L. 4. C. qui dar. tut.* (4. Lis cum pupillo super omnibus bonis, vel maxima eorum parte. §. 4. *Inst. h. t.* immo hodie quaeuis lis imminens, ob *Nou. LXXII. cap.* 1. 2. 4. *Nou. LXXXXIIII. praef.* (5. Sacerdotium et monachatus, *Nou. CXXIII. cap.* 5. excepta tutela legitima, quae presbyteris tantum et diaconis permittitur. (6. Matrimonium, quod non permittit, vt vir vxoris curam suscipiat, L. 2. *C. qui dari tut. L. 14. C. de cur. furios.* [ne sponsus quidem. L. 1. §. *vlt. D. h. t.*]

§. CCLXXXXVI.

Tutor non cogitur curator fieri.

Speciatim a cura excusat tutela antea gesta. (§. 274.) §. 15. *Inst. h. t. L. 20. C. eod.* Liberto tamen, quem patronus liberorum suorum tuto-

tutorem et curatorem elegit, ea excusatio non prodest. L. 5. *C. h. t.* *L.* 14. §. 3. *et L.* 24. *D. eod.*

§. CCLXXXVII.

Excusationes allegandae.

Quum ergo prioris generis excusationes non nisi oppositae prosint: (§. 288.) consequens est, (1. vt antequam opponantur, is, qui datus est, ipso iure tutor sit. *L.* 31. *pr. D. h. t.* (2. Vt ad eum a tempore, quo datus est, omne periculum pertineat, si allegationes caussa cognita, tamquam falsae reiiciantur. *L.* 1. *C. si tut. vel cur. fals. alleg. excus. L.* 39. §. 6. *D. de administr. tut.* (3. Vt rectissime sibi consulat tutor, qui, simulac datus est, administrationem in se suscipit, interposita protestatione, id excusationibus fraudi non futurum.

§. CCLXXXXVIII.

Quomodo allegandae sint?

Quia denique excusatio est species exceptionis: (§. 288.) L. 5. L. 8. *D. de except. L.* 43. *D. de reg. iur.* consequens est, (1 vt tutor datus pluribus excusationibus vti possit: §. 16. *Inst. h. t.* (2 Vt tamen easdem vna et simul allegare teneatur: L. 13. §. 8. *D. h. t.* et quidem coram tribunali, L. 25. *D. eod.* intra quinquaginta dies continuos, si intra centesimum ab vrbe lapidem habitet. Alias enim xx. milliaria singulos dies dant tutori sese excusaturo, iisque adiiciuntur dies triginta, dum ne pauciores inde emergant, quam L. dies. §. 16. *Inst. h. t. L.* 13. §. 1. *D. h. t.* (4. Vt adpellatione prius vti non liceat, quam sequutum sit decretum reiectionis. * *d.* §. 16. *Inst. h. t. L.* 1. §. 2. *D. quando adpell.*

* Quod secus se habet in aliis muneribus publicis. L. 1. §. 2. *D. quando adpell.*

§. CCLXXXXVIIII.

Vsus hodiernus.

Excusationes necessariae hodienum fere omnes receptae sunt, non item omnes voluntariae vbique eodem modo admittuntur. Consulendae ergo singularum ciuitatum leges et statuta, quae si deficiant, ius Romanum seruatur. Maritus fere omnium locorum moribus est curator vxoris. In Saxonia tamen feminae etiam innuptae subsunt curatoribus. Quae de tempore circa excusationes obseruando (§. 298. 3.) dicta sunt, extra vsum sunt, quia raro tantum est magistratuum nostrorum tutelarium territorium, vt vltra centum lapides porrigatur. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. I. tit.* 16. §. 380. *seqq.*]

TIT.

T I T. XXVI.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS VEL CVRATORIBVS.

§. CCC.

Connexionis ratio.

QVum tutela et excusatione et *remotione* finiatur, (§. 262. 6.) et de illa hactenus dictum sit: de hac dicendum erit hoc titulo.

§. CCCI.

Quinam tutores suspecti?

Remouentur tutores SVSPECTI. Ita vero vocantur, *qui non ex fide gerunt*. §. 5. *Inst. h. t. Ex fide non gerere* censentur, qui vel dolo malo, vel culpa et negligentia, non satisfaciunt officio, licet alias soluendo sint. *d.* §. 5. Vnde nec paupertas quemquam suspectum facit, nec diuitiae a suspicione absoluunt. *L.* 8. *D. h. t.* §. *vlt. Inst. eod.*

§. CCCII.

Quid crimen suspecti?

Quum ergo intersit reip. res pupilli saluas esse: proditum est CRIMEN SVSPECTI, id est, *accusatio quasi publica tutoris vel curatoris, non ex fide gerentis, ad remotionem eius, & aliquando poenam arbitrariam infligendam comparata.*

§. CCCIII.

Cur dicatur quasi publicum?

Dicitur accusatio * *quasi publica*, §. 3. *Inst. L.* 1. §. 6. *D. h. t.* quia omnibus patet. Alioquin enim nec publica est, nec coram eo, cui merum imperium est, instituitur, sed coram praetore, praeside, aliisque, qui ordinariam exercent iurisdictionem, siue propriam, siue mandatam. *L.* 4. *pr. D. de off. eius, cui mand. iurisdict.*

* Solebant Stoici vti particula *ὡσανεί*, quoties aliquid non proprie sed *κατ' ἀναλογίαν* ita dici posse, innuebant. Sic animantia *οὐχ θυμοῦσθαι, ἀλλ' ὡσανεὶ θυμοῦσθαι, οὐχ φοβεῖσθαι, ἀλλ' ὡσανεὶ φοβεῖσθαι, οὐχ βλέπειν, ἀλλ' ὡσανεὶ βλέπειν, ἀκούειν, φωνεῖν, ζῆν, non irasci, sed quasi irasci: non metuere, sed quasi metuere: non videre, sed quasi videre, audire, sonum edere et viuere*, dicebant. PLVTARCH. *de sollert. animal.* Eodem exemplo ICti, Stoicis innutriti dogmatibus, (§. 18. *) non modo senatorum filios, sed et *quasi senatorum filios*, *L.* 6. §. 2. *et L.* 7. *pr. D. de senator.* non modo res consecratas, sed et *quasi consecratas*: CIC. *Epist. ad Attic. Lib. XII. epist.* 19. *et* 35. non tantum contractus, delicta, possessionem, traditiones, accusationes publicas, remedia possessoria; sed et *quasi contractus, quasi delicta, quasi possessionem, quasi traditionem*, accusationes *quasi publicas*, remedia *quasi possessoria* statuebant.

§. CCCIIII.

Quinam suspectos accusare possint?

Quum ergo haec accusatio sit quasi publica: (§. 303.) consequens est, vt omnes possint accusare, veluti contutores, *L.* 3. *pr. D. h. t.* liberti. L. 3. §. 1. *D. eod.* immo et mulieres, quae alias accusare ne-

nequeunt. L. 1. §. 7. *D. eod.* iuncta L. 1. L. 2. *D. de accusat.* et quidem non modo coniunctae, sed et aliae, sexus verecundiam non egredientes: §. 3. *Inst. eod.* non tamen ipse pupillus, quamuis pubes curatorem suum ex consilio necessariorum recte accuset. L. 7. *D. pr. et* §. 4. *Inst. eod.*

* Immo et ex officio magistratus suspectos persequitur, quippe qui in malos homines inquirere debet. L. 3. L. 13. *D. de offic. praes.* Et hinc ille tutorem suspectum, quem nemo accusat, remouere potest. L. 3. §. 4. *D. eod.* Quod et hodie frequentissime fieri solet.

§. CCCV.

Quinam suspecti postulentur?

Quumque reip. intersit, rem pupilli saluam esse: (§. 302.) consequens est, vt omnes tutores accusari possint, L. 1. §. 5. *D.* §. 2. *Inst. h. t.* etiam qui satis offerunt, L. 5. L. 6. *D. et* §. *vlt. Inst. h. t.* immo et legitimi; quamuis ob necessitudinem, qua pupillo iuncti sunt, plerumque eorum famae consulatur, et loco remotionis eis adiungatur curator, ne, si sanguini honor non haberetur, infamia in ipsum pupillum quodammodo redundet. L. 9. *D. eod.*

§. CCCVI.

Modus procedendi.

Quum porro ea accusatio tendat ad tutoris suspecti remotionem: (§. 302.) consequens est, (1. vt accusato statim interdicendum sit administratione, quoad finiatur cognitio. §. 7. *Inst. h. t.* (2. Vt condemnatus plane remoueatur, vel cum infamia, si vel doli, §. 6. *Inst. L. vlt. C. h. t.* vel culpae latae reus sit, *L.* 3. §. *vlt. D. L. vlt. C. h. t.* (3. Vt si tutor latitet, neque alimenta decerni patiatur, pupillus in tutoris bona mitti possit. * §. 9. *Inst. L.* 3. §. 14. *L.* 7. §. 2. *D. h. t.*

* Et quidem non solum custodiae caussa, sed et vt alimenta pupillo inde decernantur. Inde enim est, quod, quae mora deterior a fierent, distrahi a praetore iubentur. *d.* §. 9. *Inst. et dd. LL. D. h. t.*

§. CCCVII.

Tutor non numquam extra ordinem punitur.

Quum et ad poenam arbitrariam tutori infligendam agi possit: (§. 302.) sequitur, (4 vt, si factum atrocius in tutela vel cura admissum sit, tutor vel curator ad praefectum vrbi, (id est magistratum, cui merum imperium est,) remittatur, vt is extra ordinem pro modo delicti in hominem animaduertat. §. 10. *et* 11. *Inst. L.* 1. §. *vlt. D. h. t.*

§. CCCVIII.

Quando haec accusatio expiret?

Denique quia haec actio, quamuis in se ciuilis, publica tamen iudicia quodammodo imitatur: (§. 303.) id quoque inde sequitur, (5 vt, mortuo ante sententiam reo, vel tutela interea quocumque modo finita, id crimen exstinguatur. §. 8. *Inst. L. penult. D. L.* 1. *C. h. t.* Neque enim mortuus tutor remoueri potest, neque finita tutela

opus

opus est hoc remedio, quum per actionem tutelae pupillo satis prospectum sit. (§. 263.)

§. CCCVIIII.

Vsus hodiernus? Quia vero hodie quotannis rationes exiguntur, et hinc etiam ante tutelam finitam tutor ad eas reddendas adigi potest: (§. 264.) hinc non tam quotidianae sunt suspectorum accusationes, ac tempore VLpiani. *L. 1. pr. D. h. t.* Vid. MYNSING. *ad pr. Inst. h. t.*

LIB.

LIB. II.

TIT. I.

DE RERVM DIVISIONE, ET ADQVIRENDO EARVM DOMINIO.

§. CCCX.

HActenus de *personis*, tamquam de primo iuris obiecto, actum: (§. 74.) sequitur iam alterum, puta RES, in quarum iure explicando libri secundus et tertius cum initio quarti versantur. Ratio connexionis.

DE RERVM DIVISIONE.

§. CCCXI.

Quemadmodum ICti *hominem* et *personam* distinguere solent: (§. 75.) ita accurate discernunt *rem* et *pecuniam*, quarum illa hac latius patet, si quidem RES etiam ea, quae extra computationem patrimonii nostri sunt, continet; PECVNIAE significatio ad ea, quae in patrimonio nostro sunt, refertur. L. 5. *pr. D. de verb. sign.* AVGVSTIN. *de doctr. Christian. cap. 6. p.* 585. *Tom. VI. Opp.* Differentia rei & pecuniae.

§. CCCXII.

RES ergo ICtis vocantur, *quae eius sunt naturae, vt in bonis esse possint*. PECVNIA contra, *quidquid vere et actu est in patrimonio*. VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* §. 1. Vtriusque definitio.

§. CCCXIII.

Res, quod ad primam earum diuisionem attinet, vel DIVINI, vel HVMANI IVRIS esse dicuntur. *Illae* denuo vel SACRAE, vel RELIGIOSAE. SANCTAE etiam quodammodo diuini iuris habentur. L. 1. *pr. D. h. t.* * Quamuis hae partitiones paganam superstitionem redoleant. Rerum diuisio prima.

* Paullo aliter IVSTINIANVS *pr.* vel *singulorum*. Res *nullius*, vel *Inst. h. t.* Res vel sunt *communes*, vel *sacrae*, vel *religiosae*, vel *sanctae*. Sed *publicae*, vel *vniuersitatis*, vel *nullius*, nos Caium sequi maluimus.

§. CCCXIIII.

SACRAE erant *publice* * *consecratae* (DIs superis,) *a pontificibus*, *vel principe*, tamquam pontifice maximo.) §. 8. *Inst. h. t.* L. 6. §. 3. L. 9. *pr. et* §. t. 2. *D. h. t.* Res sacrae.

* Publice fieri debebat consecratio, id est, publica auctoritate, ne quid peregrinae religionis inueheretur, a qua maximopere abhorrebant Romani. BYNKERSHOEK. *de relig. peregr. cap.* 1. *et* 2. Hinc si quis priuatim sibi sacrum constitueret, sacrum id non erat, sed profanum: *L.* 6. §. 3. *D. h. t.* aeque ac apud Athenienses, quibus nefas videbatur, *domi facere mysteria.* CORN. NEP. *Alcib. cap.* 3. Caue tamen confundas *sacra priuatim constituta*, et *sacra priuata* deorum Penatium. Hæc enim non priuatim constituebantur, sed auctoritate pontificum. Vnde etiam hi in confarreationibus, arrogationibus, iuribus aedium, auctoritatem interponebant. (§. 146. *. 179) CICERO *pro dom. cap.* 13. MACROB. *Saturnal. Lib. I. cap.* 16.

§. CCCXV.

Ius circa illas. Ex quo inferebant Romani, (1 res sacras in nullius bonis esse, *L.* 1. *pr. L.* 6. §. 2. *D. h. t.* adeoque (2 nec aestimationem recipere, nec obligari alienarique posse. * *L.* 9. §. 5. *D. eod.* §. 8. *Inst. h. t.* quin potius (3 loca sacra manere, etiam diruto aedificio, *L.* 6. §. 3. *D. eod.* PLIN. *Epist. Lib. X. epist.* 76. nisi vel ab hostibus capta, *L.* 36. *D. de relig.* vel sacris euocatis religione liberata sint. *L.* 9. §. 2. *D. h. t.*

* Exceptiones quasdam addiderunt principes Christiani: veluti quod alienari possint ad redimendos captiuos, §. 8. *Inst. h. t. Nou. CXX. cap.* 10. alendos pauperes in fame publica, *L.* 21. *C. de SS. eccl.* et aes alienum ecclesiae dissoluendum. *Nou. CXX. cap.* 10.

§. CCCXVI.

Res religiosae. RES RELIGIOSAE erant sepulcra, dedicata Diis Manibus. GVTHER. *de iur. Man. Lib. III. cap.* 1. Locum vero religiosum vnusquisque faciebat, dum mortuum inferebat in locum suum, *L.* 6. §. 4. *D. eod.* et purum. *L.* 2. §. 4. *L.* 8. §. 3. *D. de religios.*

§. CCCXVII.

Iura earum. Ex quibus principiis inferebant, (1 cenotaphium, id est, sepulcrum honorarium, non esse religiosum, *L.* 42. *D. de religios.* siquidem ita contra Marciani sententiam, *L.* 6. §. *vlt. D. h. t.* diserte rescripserunt diui Fratres. *L.* 7. *D. eod.* Conf. BYNKERSHOEK, *Obs. Lib. I. cap.* 5. (2. Sepulcra commercio hominum eximi. * L. 12. §. 1. *D. de religios. L.* 14. *C. de legat.* (3. Quum in diuersis locis cadauer sepultum est, eum tantum locum, in quem membra principalia, veluti caput, illata fuerint, religione occupari. *L.* 44. *pr. D. de religios.* (4. Eum, qui in locum alienum vel publicum mortuum intulerit, actione in factum pulsari posse, ad tollendum cadauer, aut soluendum loci pretium. L. 7. *pr. L.* 8. §. 2. *D. de religios.* (4. Etiam sepulcra manere religiosa, nisi reliquiae auctoritate pontificum transferantur. L. 44. §. 1. *D. de religios.* PLIN. *Epist. Lib. X. epist.* 73. GRVTER. *Inscr. p.* 578. Quam religionem etiam Christianis haesisse, L. 14. *C. de relig.* merito mireris.

* Sepulcra ipsa nec in bonis erant, nec in commercio: ast ius inferendi mortuum omnino. Hinc et legari poterat, quum monimenta legari non possent. *L.* 14. *C. de legat.* Et ita intelligenda formula in marmoribus frequen-

quentissima : HOC MONIMENTVM HEREDES SEQVITVR. L. 5. L. 6. *pr.* *D. de religios.*

§. CCCXVIII.

Res sanctae.

SANCTAE denique RES dicebantur bifariam, vel quatenus sollemni ritu DIs medioxumis vel geniis tradebantur : GISB. CVPER. *Obs. Lib. III. cap. 16. p.* 332. vel quatenus sanctione poenali defenduntur, vt, qui ibi aliquid commiserit, capite puniatur. *L 8. pr. D. h. t.* Cuius sanctitatis signum credebantur *sagmina*, id est, herbae sacrae, in pomoeriis frondescentes, *L.* 8. §. 1. *D. eod.* quas et faeciales praeferebant, vt vnusquisque, eos esse sacrosanctos et inuiolabiles, perspiceret. LIV. *Lib. XXX. cap.* 43.

* Vnde facile patet, cur non solum muris, verum etiam portis, sanctitas tribuatur, §. 10. *Inst. h. t.* quum tamen portis illam diserte adimat PLVTARCH. *Quaest. Rom. cap.* 87. Priore sensu soli muri et pomoeria sancta sunt : posteriore non solum muri et pomoeria, sed et portae, vallum, et muri castrorum, L. 5. §. 17. *D. de re milit.* portae, *d.* §. 8. immo et personae, veluti parentes et patroni, *L. 9. D. de obsequ. par. et patr.* tribuni plebis, LIV. *Lib. II. cap.* 32. DIONYS. Hal. *Lib. VI. pag.* 410. legati *L. vlt. D. de legation.*

§. CCCXVIIII.

Earumque iura.

Vnde expediti iuris videbatur, (1. nihil immitti posse in muris et portis, L. 8. §. 2. *D. h. t.* (2. neque reficere eas cuiquam licere sine principis vel praesidis consensu, nec aliquid eis coniungere, vel superponere. L. 9. §. 4. *D. eod.* (3. Capite esse plectendos, qui muros transcenderint, vel violarint. *L. vlt. D. et* §. 10. *Inst. h. t.* Quale exemplum factum in Remo, veteres referunt *d.* L. *vlt. eod.* LIV. *Lib. I. cap.* 7.

§. CCCXX.

Principia de consecratione & Christiani perperam receperunt.

Quamuis vero haec omnia paganam superstitionem redoleant : (§. 313.) a Constantini tamen temporibus etiam inter Christianos creditum, res ita sacras fieri per consecrationem, vt dominium earum Deo offeratur, & religio quaedam res illas videatur occupare. Quare principium hoc cum conclusionibus, §. 315. explicatis, in titulo C. *de S. S. Ecclesiis*, nec non in vniuerso iure canonico regnant. BLONDELL. *Apolog. de episc. et presb. Sect. III. p.* 265. *sequ.* ZIEGLER. *de episc. Lib.III. cap.* 7. PICTETVS in *libello Gallice scripto de templis*.

§. CCCXXI.

Res ecclesiasticae a sacris distinguendae.

Distinguendae tamen a rebus *sacris* ECCLESIASTICAE, *quae non quidem ἀμέσως, sed mediate, cultui diuino sine consecratione inseruiunt.* Vnde et facilius vel ad tempus, vel in perpetuum, alienantur, quando id expedit ecclesiae, L. 14. §. 5. L. 17. §. 1. C. *de SS. eccles. Nou. CXX. cap.* 7. accedente tamen, vti in alienatione rerum minoris, caussae cognitione et decreto. STRYK. *Cautel. contr. sect. I. cap.* 3. §. 7.

§. CCCXXII.

Quaenam canonistis res religiosae?

Canonistae rebus *religiosis* accensent non solum sepulcra et coemeteria, verum etiam xenodochia, orphanotrophea, ptochotrophea. LANCELL. *Inst. iur. can. Lib. II. tit.* 17. Hinc et coemeteriis aqua benedicunt, & benedicta subiiciunt iurisdictioni ecclesiasticae, quin eorum communione priuant haereticos, paganos, excommunicatos.

§. CCCXIII.

Vsus doctrinae de rebus diuini iuris hodiernus.

Nobis templa et coemeteria vere sunt res vniuersitatis, simul tamen sanctae, quia inuiolabiles: muri et portae, ob ius praesidii principi vel reip. competens, res publicae. 4. *Feud. LVI.* Nullae ergo nobis res *sacrae*, praeter verbum et sacramenta, dum ea dispensantur. Nullae sepulturae *religiosae*, nullae res *sanctae*, nisi quatenus sanctione aduersus hominum iniurias munitae sunt. (§. 218.) Res tamen sacro cultui destinatas, et ecclesiasticas, non temere aliis adplicamus vsibus, neque eas facile alienamus, nisi vrgente necessitate, et suadente vtilitate ecclesiae. Sepulcra sunt in commercio vel vniuersitatis, vel ecclesiae, vel singulorum. Qui muros, vel portas, vel palatia principum violant, iis poena pro modo delicti statuitur arbitraria.

§. CCCXXIIII.

Res humani iuris quotuplices?

Hactenus de rebus *diuini iuris*: sequuntur, quae HVMANI IVRIS habentur, (§. 312.) quaeque vel COMMVNES sunt, vel PVBLICAE, vel VNIVERSITATIS, vel SINGVLORVM. *pr. Inst. L.* 2. *pr. D. h. t.*

§. CCCXXV.

Res communes publicae, vniuersitatis.

COMMVNES sunt, *quae, quod ad proprietatem, nullius; quod ad vsum, hominum sunt.* §. 1. *Inst.* L. 2. §. 1. *D. h. t.* PVBLICAE, *quae ratione proprietatis populi sunt, quod ad vsum singulorum ex populo.* RES VNIVERSITATIS, *quae quod ad proprietatem sunt vniuersitatis, quod ad vsum, singulorum ex ea vniuersitate* *. L. 6. §. 1. *D. h. t.* L. 14. *D. de adquir. rer. dom.*

* Etiam haec Stoam redolent. (§. 38.) Haec duplicem statuebat rempublicam, *maximam* alteram, qua dii et homines continentur; alteram *minorem*, cui quemque adscripserit conditio nascendi. SENEC. *de otio sap. cap.* 31. In minoribus illis, in quis populus quisque coaluit, denuo veluti *minimas* respublicas, quas vniuersitates vocamus, reperiri, res ipsa docet. Quum ergo singulis rebuspublicis sint sua patrimonia: hinc quae in *maximae* reip. patrimonio erant, RES COMMVNES; quae in *minore*, PVBLICAE; quae in minimae, VNIVERSITATIS dicebantur. Conf. GER. NOODT. *Probabil. Lib. I. cap.* 8. qui tamen, veteres aliquando res communes et publicas pro iisdem accepisse, docet.

§. CCCXXVI.

Earum exempla.

Communes ergo ex his principiis sunt aër, aqua profluens, mare, et per hoc littora maris. L. 2. §. 1. *D. h. t.* §. 1. *Inst. h. t. Publicae* flumina, portus, ripae, adeoque cuique permissa piscatio in flumine, nauis ad ripam adpulsus, exsiccatio retium, oneris in ripa expositio

positio. L. 5. *pr. D. h. t.* nisi quis ius piscandi in fluminis diuerticulo non interrupto longi temporis exercitio praescripserit, L. 7. *D. de diu. et temp. praescr.* Res *vniuersitatis* sunt theatra, stadia, curiae, senacula. L. *6.* §. 1. *D. eod.*

§. CCCXXVII.

Patrimonium vniuersitatis.

Bona, quae vniuersitas ita adquirit, ut vsus non pateat singulis ex ista vniuersitate, non res *vniuersitatis*, sed PATRIMONIVM VNIVERSITATIS vocantur, propter definitionem rerum vniuersitatis, supra datam (§. 325.) Vnde et seruus publicus non erat res vniuersitatis, sed in eius patrimonio. L. *6.* §. 1. *D. h. t.*

§. CCCXXVIII.

Vsus huius doctrinae hodiernus.

Sed haec principia hodie tantum non vbique deferunt, quum pleraque, quae publica dicuntur iure Romano, imperantes sibi vindicent, iique earum rerum vsui modum praescribere soleant. Quae de rebus communibus disputantur, commodius reseruabimus Pandectis. [Vide quae diximus in *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 1. §. 1. *seqq.*]

§. CCCXXVIIII.

Res singulorum.

RES PRIVATAE vel SINGVLORVM dicuntur, *quae sunt in singulorum patrimonio, siue vere, siue per fictionem*. Quamuis enim v. c. res hereditariae, ante aditionem hereditatis, nullius in bonis sint, L. 1. *pr. D. h. t.* in plerisque tamen hereditas iacens sustinet personam defuncti. *pr. Inst. de stipul. seru. L. 61. D. de adquir. rer. domin.*

§. CCCXXX.

Res mancipi et nec mancipi, corporales, et incorporales.

Altera rerum diuisio in *res mancipi* et *nec mancipi* * sublata est a Iustiniano *L. vn. C. de nud. iure Quirit. toll.* Tertia in CORPORALES et INCORPORALES sequente titulo explicatur. Hinc altera tituli parte potius *de adquirendo rerum dominio*, exemplo IVSTINIANI nostri, erit agendum.

* Res mancipi erant, quae veteribus pretiosissimae, BYNKERSHOEK. *de reb. mancipi et nec mancipi p.* 107. vt praedia Italica, iura praediorum rusticorum, serui, quadrupedes, quae dorso et collo domantur, hereditas, filii familias, (§. 136.) margaritae PLIN. *Hist. nat. Lib VIIII. cap.* 35. VLP. *Fragm. tit.* 19. §. 1. Ceterae nec mancipi. (Fusius haec explicauimus in *Antiquit.* nostr. *Rom.*)

DE ADQVIRENDO RERVM DOMINIO.

§. CCCXXXI.

Ius est vel in re, vel ad rem.

Quod circa res versatur ius, aut IN RE, aut ad REM esse dicitur. Vocabula ius canonicum suppeditat, *cap. 8. de concess. praeb. in 6. et cap. 40. de praebend. et dignit. in 6.* Distinctionem ipsam ius ciuile non ignorat. *L. 19. pr. et L. 13. §. 1. D. de damn. inf. L. 3. pr. et L. 25. D. de oblig. et action.*

§. CCCXXXII.

§. CCCXXXII.

Vtriusque definitio.

IVS IN RE, recte cum GROTIO definiente VLR. HVBERO, est *facultas homini in rem competens, sine respectu ad certam personam*. IVS AD REM *facultas, competens personae in personam, vt haec aliquid dare vel facere teneatur*. Quo pertinent obligationes, quae proinde personam non egrediuntur. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t.* §. 12. De illo sequentibus titulis; de hoc libri tertii titulis postremis, et libri quarti prioribus erit agendum.

§. CCCXXXIII.

Iuris in re natura et indoles.

Ex priore definitione fluit, (1. ius in re non esse momentaneum, nec, re licet surrepta vel deperdita, exspirare. Vnde regula: *quod meum est, amplius meum fieri nequit*. §. 10. *Inst. de legat.* §. 24. *Inst. de act.* (2. Idem ius producere actiones in rem aduersus quemcumque possidentem. *L.* 25. *D. de obl. et act.* §. 1. *Inst. de act.*

§. CCCXXXIIII.

Eiusdem species.

Ex quo porro sequitur, (3 vt species iuris in re sint quatuor, I. DOMINIVM, II. HEREDITAS, III. SERVITVS, et IIII. PIGNVS. (4. Vt *possessio*, quia et ius dumtaxat producit momentaneum, *L.* 15. *D. de adquir. possess. iuncta L.* 5. *D. de vsurp. L. vlt. C. qui legit. pers. standi in iud.* nec amissa actione in rem recuperatur, *L.* 7. *de vi et vi arm.* speciebus iuris in re accenseri nequeat. * VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. Lib. IIII. tit.* 15. §. 2. *et* ZACH. HVBER. *Lib. III. dissert.* 5. *cap.* 2. §. 17. *sequ.* Iure canonico tamen possessio quodammodo naturam iuris in re induit.

* Gaudet quidem possessor iure rem retinendi, at ex ipsa re ipsi non est ius possessionis, sed ex titulo, quo possidet, veluti pro suo, pro soluto, pro emtore, pro herede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote. Potest agere ad recuperandam possessionem amissam, verum non actione in rem, sed personali, interdicto vnde vi. *d. L.* 7. *D. de vi*. Nec interdicta retinendae possessionis sunt actiones in rem, quia, qui possidet, in rem agere nequit, nisi vnico et ab hoc diuerso casu. §. 2. *Inst. de act.* Habet quidem et possessor amissa possessione actionem ad exhibendum: *L.* 3. §. 12. *D. ad exhib.* sed ea non est actio in rem, verum personalis, quamuis in rem scripta, & competit non solum iis, qui ex iure in re experiri decreuerunt, verum etiam commodatariis, depositariis, conductoribus. *L.* 4. *D. eod.* Conf. laudatus ZACH. HVBER. *l. c.*

§. CCCXXXV.

Dominii definitio.

DOMINIVM, de quo hic agendum, *est ius in re corporali, ex quo facultas de ea disponendi, eamque vindicandi nascitur, nisi vel lex, vel conuentio, vel testatoris voluntas obsistat*. Ita fere MYNSINGERVS ad *pr. Inst. h. t.* immo et leges nostrae. *L.* 21. *C. mand. L. vlt. C. de reb. alien. non alienand.*

§. CCCXXXVI.

Dominium olim vel Quiritarium, vel bonitarium.

Dominium hoc olim vel QVIRITARIVM erat, vel BONITARIVM, quorum illud *a solis Romanis ciuibus adquirebatur modis ciuilibus*, vt hereditate, mancipatione, in iure cessione, vsucapione, sub corona

na emtione, auctione, adiudicatione, et lege. VARR. *de re rust. Lib. II. cap.* 10. VLPIAN. *Fragm. tit.* 19. §. 2. Conf. *Antiqu. nostr. Rom. h. t.* §. 19. *sequ.* Hoc autem, nempe bonitarium, *et ab aliis*, *modis quibuscumque naturalibus*, *adquiri poterat*. Vnde et illud ἔννομον, LEGITIMVM; hoc φυσικόν, seu NATVRALE *, adpellatur THEOPH. §. *vlt. Inst. de libertin.* Sed hanc distinctionem Iustinianus sustulit. *L. vn. C. de nud. iur. Quirit. toll. L. vn. C. de vsucap. transform.*

* Alio sensu hodie doctores dominium diuidunt in CIVILE, et NATVRALE, et illud tribuunt *marito* in rebus dotalibus, hoc *vxori*. Quamuis enim ille sit dominus, L. 23. C. *de iure dot.* et vi istius dominii rem vindicet: *L. 9. C. de rei vind.* non potest tamen alienare fundum dotalem, (§. 465.) et vxoris dominium, constante matrimonio veluti quiescens, soluto illo reuiuiscit. Sed quum haec diuisio non ad dominium generatim accepium, sed ad dominium dotis pertineat: ei non immoramur.

§. CCCXXXVII.

Hodie doctores dominium in PLENVM, et MINVS PLENVM partiuntur. In illo facultas de re disponendi, vtilitatemque omnem percipiendi, et facultas eamdem amissam vindicandi coniunctae; in hoc eaedem quodammodo diuisae sunt inter *dominum*, penes quem aliquid ex disponendi facultate remansit, quemque DIRECTVM vocant, et *eum*, cui ius vindicandi et vtilitatem omnem capiendi est, quem VTILEM DOMINVM adpellitant. Huius dominii minus pleni species feruntur FEVDVM, EMPHYTEVSIS, IVS SVPERFICIEI, in quibus dominium *directum* penes *dominum feudi*, *dominum emphyteuseos*, et *dominum superficiei*; dominium *vtile* penes *vasallum*, *emphyteutam*, et *superficiarium* esse dicitur. Res non absurda, quamuis vocabula ius nostrum ignoret.

Vel plenum, vel minus plenum.

§. CCCXXXVIII.

Sed *feuda* iure Romano ignota. De *emphyteusi* et *superficie* alibi erit dicendi locus. Ipsa vocabula, semel in artem recepta, nec in libris nostris occurrunt, nec admodum concinna videntur. Quum res ipsa tamen fundamento non destituatur: (§. 337.) licebit per nos elegantiae studiosioribus dominium vtile *ius dominio proximum*, vel *quasi dominium* adpellare.

Huius diuisionis fundamentum.

§. CCCXXXVIIII.

Potius ad caussam dominii progredimur, quae vel *remotior*, vel *proxima* est. Illa TITVLVS dicitur *ad transferendum dominium habilis*, veluti pro emto, pro legato, pro donato, pro soluto, pro dote, pro suo, pro derelicto, pro permutato, pro transacto, pro adiudicato *, qui omnes ἀμέσως ius ad rem tantum, non dominium operantur **. L. 20. C. *de pact.* Hae vocatur MODVS ADQVIRENDI, et ἀμέσως aliquem constituit dominum.

Modus adquirendi dominium cum titulo non confundendus.

* Habentur hi TITVLI plerique in Digestis, *Lib. XXXXI tit.* 4. *et sequ.* nec non in L. 17. *D. de vsurp. et vsucap.* vbi titulus *pro adiudicato* occurrit, qui tamen simul est modus adquirendi, vti scholio sequente ** n. 3. osten-

3. oſtendemus. Titulos *pro permutato* et *pro tranſacto* doctores adiiciunt. Omiſimus vero nos titulum *pro herede*, vel *pro poſſeſſore*, qui *Lib. XXXXI. Dig. tit. 6.* deſcribitur: quia heres tranſit in ius defuncti, adeoque rem hereditariam non nouo hereditatis titulo poſſidere incipit, ſed eodem, quo poſſederat defunctus. *L. 11. D. de diuerſ. temp. praeſcr. L. vlt. C. pro her. L. 4. C. de praeſcr. longi temp.* Quo ſenſu autem poſſit pro titulo haberi, ad Pandectas dicemus.

** Nec vllum aliud ius in re ſolus titulus dat, quippe quod a traditione demum vel quaſi traditione incipit. Excipiuntur tamen, (1. IVS HYPOTHECAE, quod ſolo pacto conſtituitur. *L. 1. pr. D. de pign. act.* (2 SERVITVTES NEGATIVAE, quae nec quaſi traditionem admittunt, (3 RES IVDICIO DVPLICI *comm. diuidundo*, *fam. erciſc.* vel *finium regundorum* ADIVDICATAE, *§. fin. Inſt. de offic. iud.* VLPIAN. *tit. 19. §. 16.* (4 ADQVISITA PER VLTIMAM VOLVNTATEM, quae ſtatim pleno iure adquiruntur, et nondum facta traditione vindicantur. *L. vlt. D. de ſeru. leg. L. 19. §. 1. D. quemadm. ſeru. amitt.*

§. CCCXXXX.

Modi adquirendi vel naturales, vel ciuiles.

MODI ADQVIRENDI duorum generum ſunt. Quarumdam enim rerum dominium IVRE NATVRALI vel GENTIVM; quarumdam vero IVRE CIVILI nanciſcimur. (§. 336.) §. 11. *Inſt. h. t.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 3. §. 49. ſequ.*]

§. CCCXXXXI.

Naturales vel originarii, vel deriuatiui.

Modi adquirendi IVRIS NATVRALIS recte a GROTIO *Lib. II. cap. 3. §. 1.* diuiduntur in *originarios*, et *deriuatiuos* ORIGINARIIS ab initio proprietas in rem nullius introducitur; DERIVATIVIS dominium iam conſtitutum ab vno in alium tranſit. Illos PVFENDORFFIVS *Lib. IIII. cap. 6. §. 1.* denuo vel *ſimpliciter tales* eſſe ait, quibus ipſum corpus adquirimus; vel *ſecundum quid*, quibus incrementum aliquod ad rem noſtram adiungitur. *Simpliciter originarius* modus eſt OCCVPATIO: *ſecundum quid* talis ACCESSIO: *deriuatiuus* TRADITIO. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. Lib. I. §. 239. ſequ.*]

§. CCCXXXXII.

Occupationis definitio.

OCCVPATIO eſt *adprehenſio rerum corporalium nullius, cum animo ſibi habendi*. NVLLIVS vero hic eſſe cenſentur, *quae vel natura non ſunt in dominio, vel pro derelictis habita, in dominio eſſe deſierunt*, id eſt, *eo animo abiecta a domino, vt ea in numero rerum ſuarum amplius eſſe nolit*. §. 46. *Inſt. h. t. L. 1. L. 2. §. 1. L. 5. §. 1. D. pro derel.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c. §. 241. ſeqq.*]

§. CCCXXXXIII.

Axiomata de occupatione.

Ex quo ſequitur, vt I. ea, quae nullius ſunt, cedant occupanti. *L. 3. pr. D. de adquir. rer. domin.* II. Vt occupatio fiat animo et actu corporali ſimul. *L. 3. §. 1. D. de adquir. vel amitt. poſſeſ.* III. Vt, quae cuſtodia coerceri nequeunt, nec occupari poſſint. *§. 12. Inſt. h. t. L. 3. §. 2. D. de adquir. rer. dom.*

§. CCCXXXXIIII.

Occupationis ſpecies.

Species occupationis feruntur VENATIO, quo et *aucupium et piſcatio* referuntur, OCCVPATIO BELLICA, et INVENTIO.

§. CCCXXXXV.

§. CCCXXXXV.

Venatio est *occupatio ferarum bestiarum* *, *siue terrestrium*, *siue volucrium*, *siue piscium*, *quippe quae nullius sunt*: (§. 342.) *L.* 1. §. 1. *D. de adquir. rer. dom.* §. 12. *Inst. h. t.* Non ergo venamur bestias mansuetas, L. 5. §. 6. *D. eod.* nec mansuefactas aliter, quam si animum reuertendi deposuerint. *L.* 4. *L.* 5. §. 5. *D. de adquir. rer. dom.* §. 15. *Inst. h. t.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 244. *seqq.*] Venatio.

* FERAE bestiae sunt, quae libere vacantur, nec sine vi occupantur, quo iura nostra et apes, columbas, pauones referunt, §. 14. 15. *Inst. h. t.* quamuis magis mansuefactis accenseri posse videantur. MANSVEFACTAE enim ferae sunt domi nostrae cicuratae, vti cerui, columbae, pauones, apes. MANSVETAE, animalia domestica, vt anseres, gallinae. §. 16. *Inst. h. t.*

§. CCCXXXXVI.

Quum ergo ferae bestiae veteribus iure gentium visae sint nullius: (§. 345.) §. 12. *Inst. h. t. L.* 3. *pr.* §. 2. *D. de adquir. rer. dom.* consequens est, (1. vt captae statim nostrae fiant, (§. 343. 1.) L. 1. §. 1. *D. eod.* adeoque (2. capi possint non modo in fundis nostris, sed et alienis, dum ne dominus ingredientes nos prohibeat. L. 3. §. 1. *D. de adquir. rer. dom.* (3. Vt capi non possint viuariis, alueariis, vel piscinis inclusae, quia non sunt nullius. (§. 313. 1.) *L.* 3. §. 14. *D. de adqu. vel amitt. possess.* (4. Vt, qui animalia mansueta aut mansuefacta intercipit, furtum committat, ob eamdem rationem. *L.* 5. §. 6. *L.* 44. *D. de adqu. rer. dom.* §. 16. *Inst. h. t.* (5 Vt vulneratio non sufficiat, nisi sequatur adprehensio, vel manu, vel laqueis, aliisque instrumentis facta. *L.* 5. §. 1. *L.* 55. *D. de adqu. rer. domin.* §. 13. *Inst. h. t.* Iura circa venationem.

§. CCCXXXXVII.

Illud singulare est, quod ferae, simul ac custodiam nostram euaserunt, nostrae non maneant, sed libertatem pristinam recuperare, atque hinc occupanti cedere dicantur, §. 12. *Inst. h. t.* quum alias res amissae nostrae maneant, et a quouis recte vindicentur. (§. 333. 1.) Vid. Grot. *Lib. II. cap.* 8. §. 3. Ex quo infertur, et examen apium eo vsque nostrum intelligi, dum in conspectu nostro sit, nec difficilis videatur eiusdem persequutio. §. 14. *Inst. h. t.* Ferae quando nostrae maneant?

§. CCCXXXXVIII.

Occvpatione bellica adquiruntur *personae* et *res hostium*, *quae capiuntur*, quippe ex principiis iuris Romani res nullius * L. 1. §. 1. *D. de adquir. vel amitt. possess.* Ex quo principio infertur, (1. ea, quae ab hostibus capimus, (non quae bello ciuili, *L.* 21. §. 1. *D. de capt. et postlim.*) iure gentium statim nostra fieri, *L.* 5. §. *vlt. D. de adquir. rer. domin.* §. 17. *Inst. h. t.* (2. quumque et nos hostes simus, ius esse et hostibus nostris, capta recuperandi, et erepta denuo eripiendi, Pvfendorff. *de iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 6. Occupationis bellicae fundamentum.

§. 14. adeoque (3. non prius res captas nostras intelligi, quam si intra praesidia nostra fuerint perlatae. *L.* 5. §. 1. *D. de capt. et postlim.* (4. Milites stipendiarios, qui res capiunt, esse in ministerio imperantium, adeoque eos res publico belli actu captas non sibi, sed reip. adquirere, et hinc peculatus reos esse, si quid sibi retineant. *I. penult. D. ad leg. Iul. peculat.* (5. Immobilia non cedere militibus, sed reipublicae, et hinc agrum hosticum publicari. *L.* 20. §. 1. *D. de capt. et postlim.* (6. Ex mobilibus ea relinqui militibus, quae permittente imperatore, praedam agentes ceperint. *L.* 36. §. 1. *C. de donat.*

* Apposite eam in rem PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 6. §. 14. *Sciendum est, per statum hostilem, uti cetera iura pacifica, ita et effectum dominii rumpi hactenus, ut non amplius quis teneatur ab istius rebus manus abstinere, nisi qua humanitas suaserit. In bello ergo res hostium in ordine ad alium hostem redduntur velut dominio vacuae: non quod hostes per bellum ipso iure rerum suarum domini esse desinant, sed quia illarum dominium non obstat hosti, quominus eas res auferre sibique habere possit. Prorsus uti ad rei vacuae dominium adquirendum sola adprehensio sufficit.* [Vide, quae diximus in *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 247.]

§. CCCXXXXVIIII.

Ius postliminii. Quumque hosti idem ius fit recuperandi, quod nobis eripiendi: (§. 348. 2.) consequens est, (7. vt si personae aeque ac res captae vel se subducant, vel recuperentur, illae libertatem recipiant, hae ad priores dominos reuertantur IVRE POSTLIMINII. *L.* 7. *L.* 19. *D. de capt. et postlim.* Quod ius in bello obtinet: in pace non aliter, quam si in pacis conditionibus de reddendis captiuis conuenerit, hique redierint *, *L.* 20. *pr. L.* 28. *D. eod.* vel si redimantur. *L.* 12. §. 11. *D. eod.*

* Nec obstat *L.* 12. *pr. D. de capt. et postlim.* Eam enim non de his, qui pace facta se subducunt, et furtum sui ipsius committunt, sed de iis, qui bello subito exorto, apud hostes deprehenduntur, loqui, praeclare docuit BYNKERSHOEK. *Obs. Lib. I. cap.* 20. *pag.* 81.

§. CCCL.

Inuentio. INVENTIONE adquiruntur *res, quae vel sua natura nullius, vel pro derelictis habitae,* (§. 342.) *adprehenduntur.* (§. 343. 1.) L. 1. §. 1. *L.* 3. §. 3. *D. de adqu. vel amitt. poss.* Quum ergo res sua natura nullius cedant occupanti: (§. 343. 1.) recte infertur, lapillos, gemmas, aliaque in littoribus inuenta, et ab aliis nondum occupata, iure gentium inuenientis fieri. §. 18. *Inst. h. t. L.* 3. *pr. D. eod. L.* 1. §. 1. *D. de adquir. vel amitt. possess.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 248. *sequ.*]

§. CCCLI.

Thesauri. Quumque et res pro derelictis habitae occupanti cedant: (§. 342.) sequitur, (1 vt et thesaurus, * cuius non exstat memoria, *L.* 31. §. 1. *D. de adquir. rer. dom. L. vn. C. de thesaur.* a nobis in loco nostro

nostro sine artibus magicis inuentus*, nobis adquiratur. §. 39. *Inst. h. t. L. 63. pr. D. de adqu. rer. domin. L. vn. C. de thesaur.* Nam (2 in loco alieno, siue priuato siue publico, fortuito inuentus, ex dimidia parte inuentori, ex dimidia domino vel reip. iure accessionis cedit: (3 data opera in fundo alieno quaesitus et inuentus totus domini est, et inuentor, tamquam qui rem alienam contrectauit, punitur: (4 artibus odiosis quaesitus atque inuentus a fisco eripitur. §. 39. *Inst. h. t. L. 63. D. de adquir. rer. domin. L. vn. C. de thesaur. L. 3. §. penult. D. de iur. fisc.*

* In iure haec adquisitio aliquando accessionibus accensetur, vt §. 39. *Inst. h. t.* aliquando inuentionibus, vt L. 31. §. 1. D. *de adquir. rer. domin.* Sed haec nec ἀντινομίαν, nec dissensum ICtorum arguunt. Fundi dominus partem suam adquirit iure accessionis, si alius fortuito inuenerit; iure occupationis et accessionis, si ipse inuenerit. Qui in alieno fundo inuenti partem accipit, eam capit solo iure occupationis. Potest ergo diuerso respectu ad vtramque referri.

§. CCCLII.

Res pro derelictis non habitae inuentione non adquiruntur.

Et quia nemo dereliquisse rem intelligitur, nisi qui eo abiecit animo, vt eam in rerum suarum numero esse nolit: (§. 342.) infertur inde, (1 occupanti non cedere res amissas, veluti de rheda currente cadentes. §. 47. *Inst. h. t.* (2. Ab alio vindicari non posse oues, aliaque pecora, nobis a lupis erepta. L. 8. §. *vlt. D. famil. ercisc.* (3. Bona quoque naufragorum, vel res leuandae nauis caussa eiectas, non posse ab alio occupari. L. 21. §. 1. *D. de adquir. possess.* L. 8. *D. ad leg. Rhod. de iact.* L. 9. §. *vlt. D. de adquir. rer. domin.* L. 43. §. 4. *sequ. D. et auth. Nauigia C. de furt.*

§. CCCLIII.

Vsus doctrinae de occupatione hodiernus.

Hactenus de OCCVPATIONE, eiusque speciebus; (§. 342. et 344.) Sed ab his principiis tantum non vbique hodie receditur. Venationes enim plerumque ad solos imperantes, eosque, quibus illae vel in feudum datae, vel priuilegio concessae sunt, pertinent. Militibus conductitiis raro pars praedae conceditur: saepius iis, qui sponte castra sequuntur, vt praedatum exeant, vel qui mandante rep. nauibus armatis hostilibus nauibus insidiantur, easque intercipiunt. Res in littore maris inuentas multis locis fiscus sibi vindicat. Nec ignotum, eumdem in Dania, aliisque quibusdam locis, occupare bona naufragorum. Aliud in Frisia nostra. *Statut. Lib. I. tit.* 24. §. 13. ZACH. HVBER. *Obseru. rer. iudicat. obs.* 10. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 2. §. 51. *seqq.*]

§. CCCLIIII.

Accessionis definitio et diuisio.

Alter modus originarius est ACCESSIO, id est, *ius adquirendi, quod rei nostrae adiungitur, incrementum:* (§. 341.) eaque recte a doctoribus in NATVRALEM, INDVSTRIALEM, et MIXTAM diuiditur. Quidquid enim vel naturae beneficio, vel arte atque industria rei nostrae accedit, nostrum fit. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 250. *seqq.*]

§. CCCLV.

Variae naturalis accessionis species.

NATVRALIS ACCESSIONIS modi sunt varii, veluti FOETVRA, *quae quidquid ex ventre in dominio nostro constituto nascitur, nostrum est* *. *L.* 4. *L.* 6. *D. de adquir. rer. domin. L.* 5. §. 2. *D. de rei vind.* INSVLA in flumine nata. *L.* 30. §. 2. *D. eod.* ALLVVIO, id est, *incrementum beneficio fluminis pedetentim et latenter adiectum*. §. 20. *Inst. h. t.* VIS FLVMINIS, *incrementum semel et simul adiectum*, §. 21. *Inst. eod.* et ALVEI MVTATIO. §. 13. *Inst. eod.*

* Generatim enim id principium cum Stoicis commune habebant veteres ICti, (§. 18. *) foetum in vtero non esse animal, sed partem ventris. Vti enim Stoici embryonem vocabant *μερος της γαστρὸς, οὐ ζῶον*, PLVTARCH. *de placit. phil. Lib. V. cap.* 15. *et* 26. SENEC. *Epist. vlt.* ita ICtis ille non erat homo, *L.* 9. *D. ad leg. Falcid.* sed mulieris vel viscerum portio, *L.* 1. §. 1. *D. de ventr. inspic.* non animal, sed spes animantis. *L.* 2. *D. de mort. infer.* MERILL. *Obs. Lib. I. cap.* 16.

§. CCCLVI.

Foetura animalium.

Ex his vero sequitur, (1. vt quidquid ex animalibus nascitur, sit domini ventris. §. 19. *Inst. h. t.* (2. Vt et vernae, ex ancillis nostris nati nostri sint. (§. 81.) §. *vlt. Inst. de iur. perf. L.* 7. *C. de rei vind.* (3. Vt liberi extra matrimonium nati conditionem matris sequantur. (§. 91. *) L. 19. *D. de stat. hom.*

§. CCCLVII.

Insula noua.

Ex eodem inferebant Romani, (4. insulam in medio flumine natam communem esse eorum, qui vtrimque prope ripam praedia possideant, pro modo latitudinis cuiusque praedii: (5. alteri ripae propiorem eis, qui ab illa parte ripae possident praedia, accedere. §. 22. *Inst. h. t. L.* 7. §. 3. L. 29. L. 30. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* (6. Id ius non pertinere ad nouas insulas, in mari natas, quae tamquam res nullius cedunt occupanti, *L.* 7. §. 3. *D. eod.* (7. nec ad agros, quos flumen superius diuergens et inferius vnitum in insulae formam redegit, qui manent prioris domini. *L.* 7. §. 4. *L.* 30. §. 2. *D. eod.* §. 2. *Inst. h. t.*

§. CCCLVIII.

Alluuio et vis fluminis.

Porro inde inferunt ICti, (8. quidquid per alluuionem agro nostro flumini proximo *, adiicitur, nostrum esse: §. 20. *Inst. h. t.* L. 7. §. 1. *D. h. t.* (9. quod vero per vim fluminis adiicitur, prioris domini manere, nisi is interea, dum pars adiecta coaluit, et arbores in fundum nostrum radices egerunt, illam praedii sui partem vindicare neglexerit. §. 21. *Inst. h. t.* L. 7. §. 2. *D. de adquir. rer. domin.*

* Id intelligendum de agris *arcifiniis*, qui non aliis inclusi sunt finibus, quam naturalibus, veluti montibus, vel flumine publico, adeoque, FRONTINO teste, nulla mensura continentur. Ab his differunt *agri limitati*, qui olim ex agro publico ad certam mensuram possidendi dabantur, et *adsignati*, qui per extremitatem mensurae comprehendebantur. His enim posterioribus quod accedebat, publicum erat, a illis si quid accresceret, id domino

mino agri cedere dicebatur : *L. 16. D. de adquir. rer. domin. L. 1. §. 6. D. de flum.* Qui agri *arcifinii* et *limitati* fuerint, ex AGGENIO et FRONTINO exposuerunt CONNAN. *Comm. Lib. III. cap.* 5. GIPHAN. ad *L. 16. D. de adquir. rer. domin.* Sed accuratius IO. FRIDER. GRONOVIVS *Not. ad* GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 3. §. 16. *num.* 1.

§. CCCLVIIII.

Aluei mutatio et inundatio.

Denique inde colligunt ICti, (10. alueum, quem flumen derelinquat, eorum similiter esse, qui vtrimque praedia possident pro modo praediorum. L. 7. §. 5. *D. de adquir. rer. domin.* (11. Inundationem autem speciem fundi non mutare, eumque, aqua recedente, eius manere, cuius et antea fuerit. L. 7. §. 6. *D. eod.* §. 24. *Inst. h. t.* L. 1. §. 9. *D. de flum.*

§. CCCLX.

Vsus doctrinae de accessione naturali.

Sed et haec non vbique eodem modo seruantur. Insulae sunt eiusdem, cuius est flumen, adeoque eas sibi princeps vel respublica vindicare solet. (§. 328) Idem alicubi circa alluuionem et alueum derelictum continuit, adeo, vt in Germania vasalli a principibus inuestiri soleant aluo fluminis derelicto. Immo et agris inundatis passim praescribitur decennio in vtilitatem principis. VOET. *ad* §. 23. *Inst. h. t.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 3. §. 62. *seqq.*]

§. CCCLXI.

Accessionis industrialis variae species.

Hactenus de *accessione naturali*: sequitur INDVSTRIALIS, (§. 354.) cuius species sunt ADIVNCTIO; SPECIFICATIO, COMMIXTIO. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. Lib. I.* §. 250. *et* §. 256. *seqq.*]

§. CCCLXII.

Adiunctio, eiusque species.

ADIVNCTIO est, *quando aliena res materiae nostrae adiungitur*, veluti per *inclusionem*, *adferruminationem*, *intexturam*, *inaedificationem*, *scripturam*, *picturam*. Vbi semper accessorium sequitur suum principale. *L.* 26. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* §. 26. *Inst. de rer. diuis.*

§. CCCLXIII.

Inclusio, adferruminatio, intextura, inaedificatio, scriptura, pictura.

Ex eo ergo generali principio (1. gemma aliena, auro meo inclusa mihi cedit. *L.* 19. §. 13. *sequ. D. de aur. arg. leg.* (2. Res per adferruminationem rei meae adiuncta, tamquam pars integralis, mea fit. *L.* 27. *pr. D. de adquir. rer. domin.* (3. Purpura, vesti nostrae intexta, accessionis vice cedit vestimento. §. 20. *Inst. h. t. L.* 7. §. 1. *D. ad exhib.* (4. Quod solo inaedificatur, solo cedit, siue nos materia nostra in alieno solo, siue aliena materia in nostro solo aedificemus. *L.* 7. §. 10 *et* 12. *D. de adquir. rer. domin.* §. 29. *Inst. h. t.* (5. Quod chartae inscriptum, chartae cedit, *L.* 9. §. 1. *D. eod.* §. 33. *Inst. h. t.* (6. et pictura etiam postremo ex subtiliorum sententia tabulae cedebat, *L.* 23. §. 3. *D. de rei vind.* Quamuis id ob artis dignitatem aliter visum sit CAIO. *L.* 9. §. 2. *D. de adquir. rer. domin.* cuius sententiae suffragatur IVSTINIANVS. §. 34. *Inst. h. t.*

§. CCCLXIIII.

§. CCCLXIIII.

Actiones aduerſus includentem, adferruminantem, et intexentem.

Quia tamen iniquum eſt, alterum cum alterius damno fieri locupletiorem: dominium non exſtinguitur, et hinc caſibus primo, ſecundo, et tertio domino gemmae, metalli, purpurae aduerſus bonae fidei poſſeſſorem datur actio ad exhibendum, *L.* 23. §. 5. *D. de rei vind.* et condictio ſine cauſſa; §. 26. *Inſt. h. t.* aduerſus malae fidei poſſeſſorem praeterea actio furti et condictio furtiua. *d.* §. 26. *Inſt. h. t.*

§. CCCLXV.

Aduerſus eum, qui aliena materia in ſuo aedificat.

Similiter is, cuius quis materiam alter ſolo ſuo inaedificauit, dominus quidem manet: §. 29. *Inſt. h. t. L.* 7. §. 10. *D. de adquir. rer. domin.* aſt eam ſtante aedificio ob legem XII. tabularum vindicare nequit, ne vrbs ruinis deformetur. *d.* L. 7. §. 10. *D. eod.* Datur tamen illi actio de tigno iuncto aduerſus poſſeſſorem in duplum. L. 7. §. 10. *D. eod.* Quin, diruto aedificio, ſi duplum a malae fidei poſſeſſore nondum conſequutus ſit, materiam vel vindicare, vel ad exhibendum agere poteſt. §. 29. *Inſt. h. t.*

§. CCCLXVI.

Aduerſus aedificantem in alieno ſolo.

Contra ſi quis in alieno ſolo ſua materia aedificauit, aedificator, in poſſeſſione bona fide conſtitutus, exceptione doli mali repellit dominum ſoli, pretio nondum ſoluto petentem aedificium: malae fidei poſſeſſor dominium materiae amittit. §. 30. *Inſt. h. t. L.* 7. §. 12. *D. de adquir. rer. domin.* Non poſſidenti nulla prodita eſt actio *. L. 33. *D. de condict. indeb.* L. 14. *D. de dol. mal. et met. except.* L. 48. *D. de rei vind.*

* Quia tamen aequitas pro aedificante militat; facile in foris noſtris ei dabitur actio in factum. Vid. VLR. HVBER. *Praelect.* ad *Inſt.* §. 40.

§. CCCLXVII.

Aduerſus eum, qui noſtram ſcripturam, vel tabulam, retinet.

Denique et ſcribenti contra dominum chartae, et domino tabulae contra pingentem, ſi in bona fide ſint, datur actio in factum: L. 23. §. 5. *D. de rei vind.* ſin in mala, actio furti et condictio furtiua, vel actio in rem vtilis. §. 34. *Inſt. h. t.* L. 9. §. 2. *D. de adquir. rer. domin.*

§. CCCLXVIII.

Specificatio.

Specificatio (§. 361.) eſt *modus adquirendi, quo quis, ex aliena materia ſuo nomine nouam ſpeciem faciens, eius ſpeciei dominium conſequitur.* Acceſſio ergo hic fit formae ad materiam. Quumque ambiguum veteribus videretur, formane materia, an materia forma ſit praeſtantior: de nouae ſpeciei dominio in diuerſa abiere diuerſarum ſectarum iureconſulti *. (§. 7. *)

* Sabiniani enim plus materiae tribuebant; Proculeiani formam, tamquam quae rei det eſſentiam, praeferebant, adeoque illi domino materiae; hi ſpecificanti nouam ſpeciem adiudicabant. *L.* 7. §. 7. *D. de adquir. rer. domin.* §. 25. *Inſt. h. t.* Mediam ſententiam elegere plerique, poſtquam

ſectae

fectae ftudium paullatim deferbuerat. *pr. D. de adquir. rer. domin.* Vid. ME-
L. 7. §. 7. L. 12. §. 1. L. 24. L. 26. RILL. *Obf. Lib. I. cap.* 21.

§. CCCLXVIIII.

Sed IVSTINIANVS decifione fua (§. 7.) ita finiuit litem, vt, fi res reduci poffet ad priorem formam, dominus materiae; fin reduci haud poffet, fpecificans nouam fpeciem retineret, §. 25. *Inft. h. t.* et hic domino materiae, fi in mala fide fit, ad aeftimationem: fin in bona fide, in tantum teneretur, quantum factus effet locupletior. L. 23. §. 5. *D. de rei vind.* Quid circa eam iuftum.

§. CCCLXX.

COMMIXTIONE (§. 361.) *aut res aridae duorum vel plurium commifcentur*, §. 28. *Inft. h. t. aut res liquidae*. Prior COMMIXTIO, pofterior CONFVSIO adpellatur. §. 27. *Inft. h. t.* Priore cafu fingulae res fuam fubftantiam et corpora difcreta retinent; pofteriore non aeque. Commixtio, et confufio.

§. CCCLXXI.

Quum vero res liquidae non maneant in priore fubftantia; aridae maneant: (§. 370.) confequens eft, (1. vt vtraeque quidem materiae, fiue confufae, fiue commixtae, communes fint, fi voluntate vtriufque facta fit confufio, vel commixtio. L. 7. §. 8. *D. de adquir. rer. domin.* fed (2 fi voluntate vnius facta, res confufae fiant confundentis; *L.* 5. §. 1. *D. de rei vind.* ex commixtis vnusquisque fuam poffit vindicare materiam. §. 28. *Inft. h. t. L.* 5. *pr. D. de rei vind.* (3. Vt denique res fortuito confufae itidem fint communes, *L.* 7. §. 9. *D. de adquir. rer. domin.* §. 27. *Inft. h. t.* res fortuito commixtae a fuo quaeque domino vindicentur. §. 28. *Inft. h. t.* Quid circa vtramque iuftum?

§. CCCLXXII.

Haec de acceffione *naturali* et *induftriali*: reliqua eft MIXTA, (§. 354.) quando et naturae beneficio, et induftria hominum rei noftrae aliquid accedit, quo PLANTATIO, SATIO, et FRVCTVVM PERCEPTIO referuntur. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 264. *fequ.*] Acceffio mixta.

§. CCCLXXIII.

De PLANTATIONE et SATIONE obferuanda axiomata: (1. Quidquid folo implantatur, vel inferitur folo cedit. *L.* 9. *pr. D. de adquir. rer. domin.* §. 32. *Inft. h. t.* (2. Arboris dominium iure Romano ex radice aeftimatur. §. 31. *Inft. h. t.* Axiomata de plantatione et fatione.

§. CCCLXXIIII.

Ex priore axiomate infertur, (1. frumenta, fiue aliena in meo agro, fiue mea in alieno agro fata fint, agri domino cedere, deductis impenfis. *L.* 9. *pr. D. de adquir. rer. domin.* §. 32. *Inft. h. t.* Ex pofteriore: (2. arborem, in confinio pofitam, eius effe, cuius in fundum radices egerit, et (3. fi in vtriufque fundum radices egerit, Quid iuftum circa plantationem et fationem.

com-

communem pro indiuiso haberi, quoad infixa manet solo: erutam communem pro diuiso fieri. *L.* 7. §. *vlt.* L. 8. *pr* §. 1. *D. eod.* §. 31. *Inst. h. t. L.* 19. *D. comm. diu.* Ex vtroque: (4. plantam nostram in alieno solo, vel alienam in nostro solo positam, solo cedere, si radices egerit: (5. antea vero posse a domino vindicari. *d. L.* 7. §. *vlt. D. eod. et d.* §. 31. *Inst. h. t.*

§. CCCLXXV.

Vsus hodiernus.

Sed, quod ad arbores attinet, hodie tam subtiliter plerisque locis non philosophantur, sed earum dominium ex stipite potius et ramis, in fundum nostrum vel alienum propendentibus, quam ex radicibus iudicant. Ita Saxones, ita Germani, et Belgae plerique. VLR. HVBER. *praelect. Inst. h. t.* §. 51. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 3. §. 65. *seqq.*]

§. CCCLXXVI.

Fructuum perceptio a bonae fidei possessore.

FRVCTVVM PERCEPTIO est *species accessionis, qua is, qui rem alienam bona fide non interrupta, et iusto titulo possidet, loco domini est, et hinc fructus percipiendo suos facit*. L. 48. pr. L. 23. §. 1. D. de adquir. rer. dom. §. 35. *Inst. h. t.* BONA FIDE possidere videtur, *qui ignorat, rem alienam esse, putatque, eum, a quo caussam habet, tamquam dominum, procuratorem, vel tutorem ius alienandi habuisse*. L. 109. *D. de verb. sign.* IVSTO TITVLO possidet, *qui ex caussa ad transferendum dominium habili possidet*. (§. 339.) POSSIDERE denique non est rem detinere, sed *detinere animo dominii, vel rem sibi habendi*, quae possessio stricte CIVILIS dicitur, et NATVRALI opponitur in iure nostro. *L.* 1. §. 9. *D. de vi et vi arm. L.* 2. §. 1. *D. pro hered. L.* 38. §. 7. *D. de verb. obl.*

§. CCCLXXVII.

Quos fructus bonae fidei possessor lucretur?

Quum ergo bona fides et iusta caussa efficiant, vt loco domini sit possessor: (§. 376.) sequitur, (1. vt fructus percipiendo suos faciat, id est, simul ac a solo vel arbore separati sunt. *d. L.* 48. *D. de adquir. rer. domin.* (2. Vt et industriales, et naturales percipiat, *d. L.* 48. * (vti oleum, quod teste PLIN. *Hist. nat. Lib. XV. cap.* 1. sine omni cultura prouenit, et foenum. *L.* 13. *D. quib. mod. vsusfr. amitt.* Conf. VINN. *ad* §. 35. *Inst. h. t.*) (3. Vt malae fidei possessor nihil lucretur, et non modo perceptos, sed et percipiendos fructus restituere teneatur. L. 33. *L.* 62. §. 1. *D. de rei vind.* §. 35. *Inst. h. t.*

* Confirmatur hoc luculenter L. 25. IVSTINIANI: *pro cultura et cura*, §. 1. *D. de vsur. et* L. 136. *D. de reg.* nec pro synonymis accipienda. Caussam iam alii perorasse videntur. Vnde captanda non sunt verba

§. CCCLXXVIII.

Quos restituat?

Quum tamen b. f. non faciat verum dominum: consequens est, (4 vt hoc superueniente, bonae fidei possessor fructus non quidem consumtos restituat, licet iis locupletior factus, §. 25. *Inst. h. t. L.* 4. §. 2.

4. §. 2. *D. fin. regund.* sed tamen exstantes. L. 22. *C. de rei vind.*

§. CCCLXXVIIII.

Postquam de modis adquirendi iuris gentium originariis actum: sequitur deriuatiuus, qualis vnus est, puta TRADITIO. (§. 341.) — Modus adquirendi deriuatiuus.

§. CCCLXXX.

TRADITIO est *modus adquirendi deriuatiuus, quo dominus, qui ius et animum alienandi habet, rem corporalem ex iusta caussa in accipientem transfert.* §. 40. 42. *Inst. h. t.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 266. *et* §. 275. *seqq.*] — Traditionis definitio.

§. CCCLXXXI.

Ex qua definitione fluunt axiomata: I. Tradi posse res corporales. II. Tradi eas debere a domino, ius alienandi habente. III. Non transferri dominium, nisi traditio fiat animo alienandi. IIII. Nec ea adquiri dominium, nisi caussa ad transferendum dominium habilis (§. 339.) praecedat. VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t.* §. 52. — Axiomata de traditione.

§. CCCLXXXII.

Quum ergo traditio sit rerum corporalium: (§. 381. 1.) sequitur, (1. vt rerum incorporalium nulla sit traditio, L. 43. §. 1. *D. de adquir. rer. domin. L.* 4. §. 17. *D. de vsurp. et vsuc.* sed quasi traditio, cuius loco est ex parte concedentis patientia, ex parte accipientis vsus, vel exercitium. *L.* 1. §. *vlt. D. de seru. rust. praed. L. vlt. D. de seru.* (2. Vt ea fieri debeat vel translatione rei naturali, veluti datione rei mobilis e manu in manum, L. 8. *D. de pecul.* aut exhibitione immobilis praesentis, L. 3. §. 1. *D. de adquir. poss.* vel signo quodam, v. c. traditione clauium, instrumentorum, cet. quae traditio alias dicitur SYMBOLICA: *d.* L. 1. §. *penult. D. de adquir. possess.* L. 9. §. 6. *D. de adquir. rer. domin.* §. 44. *Inst. h. t.* L. 74. *D. de contr. emt.* vel demonstratione e longinquo, L. 18. §. 2. *D. de adquir. possess.* quae traditio dicitur LONGA MANV facta; L. 79. *D. de solut.* vel denique fictione, rem tradi, quam iam accipiens ex alia caussa possidet, §. 43. *Inst. h. t.* L. 9. §. 5. L. 21. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* quam traditionem BREVI MANV factam adpellant. L. 43. §. 1. *D. de iur. dot.* — Traditio quomodo fiat?

§. CCCLXXXIII.

Quumque traditio fieri debeat a domino, ius alienandi habente: (§. 381. 2.) sequitur, (3. vt traditio a non domino facta in eum, qui a domino se accipere putat, non transferat dominium, quamuis bonae fidei possessorem faciat accipientem. L. 20. *pr. D. h. t.* (4. Vt nec pupillus recte tradat, sine auctoritate tutoris. (§. 252. 2.) §. 2. *Inst. quib. alien. lic. vel non.* — Quis tradere possit?

§. CCCLXXXIIII.

Quando traditione transferatur dominium? Quia etiam in tradente requiruntur animus alienandi, et iusta caussa, ex qua fiat traditio: (§. 381. 3. 4.) consequens est, (5. vt non transferatur dominium, si eiusmodi caussa desit. *L.* 31. *pr. D. de adquir. rer. domin.* Quin in emtione venditione ne sufficit quidem caussa, nisi vel pretium solutum sit, vel venditor fidem de eo habuerit. §. 41. *Inst. h. t. L.* 19. *D. de contr. emt.* (6. Vt traditio fieri possit et in personas incertas; modo indefinite certae sint. Quo pertinet *iactus missilium* *. §. 45. *Inst. h. t.* L. 9. §. 7. *D. de adquir. rer. domin.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 3. §. 72. *seqq.*]

* Potest tamen commodius etiam ad occupationem referri. Qui enim missilia actat, id facit animo ea sibi non amplius habendi, adeoque ea pro derelictis habet. (§. 342.) Res pro derelictis habitae sunt nullius, (§. eod.) adeoque cedunt occupantibus, (§. 343. 1.) Missilium ab Imperatoribus sparsorum exempla sunt apud SVET. *Aug. cap.* 98. *Calig. cap.* 18. *Neron. cap.* 11. a magistratibus *d.* §. 45. *Inst. h. t.* L. 2. C. *de consul. et non sparg. pec. Lib. XII. Nov. CV. cap.* 2. §. 1.

TIT. II.

DE REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

§. CCCLXXXV.

Altera rerum diuisio. SVperest et altera diuisio rerum, in CORPORALES et INCORPORALES, (§. 330.) quam in hunc titulum reiecit Imperator.

§ CCCLXXXVI.

Corporalium et incorporalium definitio. CORPORALES res ICtis sunt, *quae tangi possunt*: INCORPORALES, *quae tangi non possunt*. * Cuius generis sunt ea, quae in iure consistunt, vt hereditas, vsusfructus, obligationes. *L.* 1. §. 1. *D. de rer. diuis.* §. *vn. Inst. h. t.*

* Haec quoque Stoica sunt. Hi enim philosophi, quum omnes sensus ad tactum reducerent, corpus definiebant, quod tangi possit. SENEC. *Epist.* 106. Iidem corpora sola *esse* adfirmabant: incorporales res non *esse*, sed *intelligi*. CIC. *Topic. cap.* 5. Illa *res* vocabant, has *iura*. QVINCTIL. *Inst. Lib. V. cap.* 10. Et inde verba PAVLLI: *seruitutes nec in bonis, nec extra bona esse*, interpretatur GER. NOODT. *Probab. Lib. II. cap.* 3.

§. CCCLXXXVII.

Incorporales in quantitatibus vel qualitatibus consistunt. Ergo pecunia, quatenus ex auro argentoque flata est, corporalis; §. *vn. Inst. h. t.* L. 1. §. 1. *D. de rer. diuis.* quatenus in quantitate consistit, incorporalis est. L. 46. *D. de condict. indeb.* L. 5. *pr. D. de impens. in rem dot. L. vlt. D. de alim. leg.* Quantitates enim non magis, quam qualitates, tanguntur: et hinc eleganter res incorporales

les in *quantitates* et *qualitates* diuidit H. VVLTEIVS in *Iurisprud. Rom. Lib. I. cap. 62. pag.* 345.

§. CCCLXXXVIII.

Quum itaque hae incorporales res tangi nequeant: (§. 386.) consequens est, (1. vt proprie nec possideantur, nec tradantur, (§. 382. 1.) nec in dominio sint: (§. 335.) sed tamen (2 quasi possideantur, quasi tradantur, (§. 303. *) et *in bonis esse* intelligantur. *L. 49. D. de verb. sign. L. vlt. D. de vsufr. leg.* Earundem indoles.

§. CCCLXXXVIIII.

Res *corporales* in MOBILES et IMMOBILES diuiduntur. MOBILES sunt, *quae vel se ipsae virtute interna mouent, vel saluae de loco in locum mouentur:* IMMOBILES, *quae citra corruptionem de loco in locum moueri nequeunt, vt res soli, vel quae immobilium partem constituunt, vel perpetui vsus caussa certo loco sunt destinatae. L.* 13. *§. fin. L.* 14. *L.* 15. *L.* 17. *pr. D. de act. emt. L.* 242. *§. vlt. D. de verb. sign.* Res corporales vel mobiles, vel immobiles.

§. CCCLXXXX.

Proinde obligationes, iura, et actiones rerum mobilium et immobilium vocabulo non continentur. *L.* 7. *§.* 4. *D. de pecul. L.* 15. *§.* 2. *D. de re ind.* L. *vn.* §. 7. *C. de rei vx. act.* L. 2. *C. de quadrienn. praescript.* Ea diuisio ad res incorporales non pertinet.

TIT. III.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIORVM.

§. CCCLXXXXI.

Vum res incorporales in iure consistant, (§. 386.) et talia iura etiam sint SERVITVTES, eaeque praeterea sint inter iura in re numerandae: (§. 334. 3.) de iis agitur titulis sequentibus. Connexio.

§. CCCLXXXXII.

SERVITVS est *ius in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati, vel non facere tenetur in alterius personae reiue vtilitatem.* L. 15. *pr.* §. 1. *D. h. t.* Ergo hic non seruit homo, vti supra, (§. 79.) sed res, et quidem vel praedio vicino, vel personae. Prior seruitus REALIS, vel PRAEDIALIS; posterior PERSONALIS dicitur, L. 1. *D. h. t.* L. 32. *D. de vsufr.* et huc pertinent VSVSFRVCTVS, VSVS, HABITATIO, OPERAE SERVORVM. *d. L.* 1. *D. h. t.* Iam de realibus agendum. Seruitutis definitio et diuisio.

§. 14. adeoque (3. non prius res captas nostras intelligi, quam si intra praesidia nostra fuerint perlatae. *L.* 5. §. 1. *D. de capt. et postlim.* (4. Milites stipendiarios, qui res capiunt, esse in ministerio imperantium, adeoque eos res publico belli actu captas non sibi, sed reip. adquirere, et hinc peculatus reos esse, si quid sibi retineant. *L. penult. D. ad leg. Iul. peculat.* (5. Immobilia non cedere militibus, sed reipublicae, et hinc agrum hosticum publicari. *L.* 20. §. 1. *D. de capt. et postlim.* (6. Ex mobilibus ea relinqui militibus, quae permittente imperatore, praedam agentes ceperint. *L.* 36. §. 1. *C. de donat.*

* Apposite eam in rem PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. Lib. IIII. cap.* 6. §. 14. *Sciendum est, per statum hostilem, vti cetera iura pacifica, ita et effectum dominii rumpi hactenus, vt non amplius quis teneatur ab istius rebus manus abstinere, nisi qua humanitas suaserit. In bello ergo res hostium in ordine ad alium hostem reddumur velut dominio vacuae: non quod hostes per bellum ipso iure rerum suarum domini esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quominus eas res auferre sibique habere possit. Prorsus vti ad rei vacuae dominium adquirendum sola adprehensio sufficit.* [Vide, quae diximus in *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 247.]

§. CCCXXXXVIIII.

Ius postliminii. Quumque hosti idem ius sit recuperandi, quod nobis eripiendi: (§. 348. 2.) consequens est, (7. vt si personae aeque ac res captae vel se subducant, vel recuperentur, illae libertatem recipiant, hae ad priores dominos reuertantur IVRE POSTLIMINII. *L.* 7. *L.* 19. *D. de capt. et postlim.* Quod ius in bello obtinet: in pace non aliter, quam si in pacis conditionibus de reddendis captiuis conuenerit, hique redierint *, *L.* 20. *pr. L.* 28. *D. eod.* vel si redimantur. *L.* 12. §. 11. *D. eod.*

* Nec obstat *L.* 12. *pr. D. de capt. et postlim.* Eam enim non de his, qui pace facta se subducunt, et furtum sui ipsius committunt, sed de iis, qui bello subito exorto, apud hostes deprehenduntur, loqui, praeclare docuit BYNKERSHOEK. *Obs. Lib. I. cap.* 20. *pag.* 81.

§. CCCL.

Inuentio. INVENTIONE adquiruntur *res, quae vel sua natura nullius, vel pro derelictis habitae,* (§. 342.) *adprehenduntur.* (§. 343. 1.) L. 1. §. 1. *L.* 3. §. 3. *D. de adqu. vel amitt. poss.* Quum ergo res sua natura nullius cedant occupanti: (§. 343. 1.) recte infertur, lapillos, gemmas, aliaque in littoribus inuenta, et ab aliis nondum occupata, iure gentium inuenientis fieri. §. 18. *Inst. h. t. L.* 3. *pr. D. eod. L.* 1. §. 1. *D. de adquir. vel amitt. possess.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 248. *sequ.*]

§. CCCLI.

Thesauri. Quumque et res pro derelictis habitae occupanti cedant: (§. 342.) sequitur, (1 vt et thesaurus, * cuius non exstat memoria, *L.* 31. §. 1. *D. de adquir. rer. dom. L. vn. C. de thesaur.* a nobis in loco nostro

nostro sine artibus magicis inuentus*, nobis adquiratur. §. 39. *Inst. h. t.* L. 63. *pr. D. de adqu. rer. domin. L. vn. C. de thesaur.* Nam (2 in loco alieno, siue priuato siue publico, fortuito inuentus, ex dimidia parte inuentori, ex dimidia domino vel reip. iure accessionis cedit: (3 data opera in fundo alieno quaesitus et inuentus totus domini est, et inuentor, tamquam qui rem alienam contrectauit, punitur: (4 artibus odiosis quaesitus atque inuentus a fisco eripitur. §. 39. *Inst. h. t.* L. 63. *D. de adquir. rer. domin. L. vn. C. de thesaur.* L. 3. §. *penult. D. de iur. fisc.*

* In iure haec adquisitio aliquando accessionibus accensetur, vt §. 39. *Inst. h. t.* aliquando inuentionibus, vt L. 31. §. 1. D. *de adquir. rer. domin.* Sed haec nec ἀντινομίαν, nec dissensum ICtorum arguunt. Fundi dominus partem suam adquirit iure accessionis, si alius fortuito inuenerit; iure occupationis et accessionis, si ipse inuenerit. Qui in alieno fundo inuenti partem accipit, eam capit solo iure occupationis. Potest ergo diuerso respectu ad vtramque referri.

§. CCCLII.

Et quia nemo dereliquisse rem intelligitur, nisi qui eo abiecit animo, vt eam in rerum suarum numero esse nolit: (§. 342.) infertur inde, (1 occupanti non cedere res amissas, veluti de rheda currente cadentes. §. 47. *Inst. h. t.* (2. Ab alio vindicari non posse oues, aliaque pecora, nobis a lupis erepta. L. 8. §. *vlt. D. famil. ercisc.* (3. Bona quoque naufragorum, vel res leuandae nauis caussa eiectas, non posse ab alio occupari. L. 21. §. 1. *D. de adquir. possess.* L. 8. *D. ad leg. Rhod. de iact.* L. 9. §. *vlt. D. de adquir. rer. domin.* L. 43. §. 4. *sequ. D. et auth. Nauigia C. de furt.* Res pro derelictis non habitae inuentione non adquiruntur.

§. CCCLIII.

Hactenus de OCCVPATIONE, eiusque speciebus. (§. 342. et 344.) Sed ab his principiis tantum non vbique hodie receditur. Venationes enim plerumque ad solos imperantes, eosque, quibus illae vel in feudum datae, vel priuilegio concessae sunt, pertinent. Militibus conducticiis raro pars praedae conceditur: saepius iis, qui sponte castra sequuntur, vt praedatum exeant, vel qui mandante rep. nauibus armatis hostilibus nauibus insidiantur, easque intercipiunt. Res in littore maris inuentas multis locis fiscus sibi vindicat. Nec ignotum, eumdem in Dania, aliisque quibusdam locis, occupare bona naufragorum. Aliud in Frisia nostra. *Statut. Lib. I. tit.* 24. §. 13. ZACH. HVBER. *Obseru. rer. iudicat. obs.* 10. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 2. §. 51. *seqq.*] Vsus doctrinae de occupatione hodiernus.

§. CCCLIIII.

Alter modus originarius est ACCESSIO, id est, *ius adquirendi, quod rei nostrae adiungitur, incrementum:* (§. 341.) eaque recte a doctoribus in NATVRALEM, INDVSTRIALEM, et MIXTAM diuiditur. Quidquid enim vel naturae beneficio, vel arte atque industria rei nostrae accedit, nostrum fit. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 250. *seqq.*] Accessionis definitio et diuisio.

§. CCCLV.

Variae naturalis accessionis species. NATVRALIS ACCESSIONIS modi sunt varii, veluti FOETVRA, *quae quidquid ex ventre in dominio nostro constituto nascitur, nostrum est* *. L. 4. L. 6. D. de adquir. rer. domin. L. 5. §. 2. D. de rei vind. INSVLA in flumine nata. L. 30. §. 2. D. eod. ALLVVIO, id est, *incrementum beneficio fluminis pedetentim et latenter adiectum*. §. 20. Inst. h. t. VIS FLVMINIS, *incrementum semel et simul adiectum*, §. 21. Inst. eod. et ALVEI MVTATIO. §. 13. Inst. eod.

* Generatim enim id principium cum Stoicis commune habebant veteres ICti, (§. 18. *) foetum in ventro non esse animal, sed partem ventris. Vti enim Stoici embryonem vocabant *μέρος τῆς γαστρὸς, οὐ ζῶον*, PLVTARCH. *de placit. phil. Lib. V. cap.* 15. *et* 26. SENEC. *Epist. vlt.* ita ICtis ille non erat homo, *L. 9. D. ad l. Falcid.* sed mulieris vel viscerum portio, *L. 1. §. 1. D. de ventr. inspic.* non animal, sed spes animantis. *L. 2. D. de mort. infer.* MERILL. *Obs. Lib. I. cap. 16.*

§. CCCLVI.

Foetura animalium. Ex his vero sequitur, (1. vt quidquid ex animalibus nascitur, sit domini ventris. §. 19. *Inst. h. t.* (2. Vt et vernae, ex ancillis nostris nati nostri sint. (§. 81.) §. *vlt. Inst. de iur. pers. L. 7. C. de rei vind.* (3. Vt liberi extra matrimonium nati conditionem matris sequantur. (§. 91. *) L. 19. *D. de stat. hom.*

§. CCCLVII.

Insula noua. Ex eodem inferebant Romani, (4. insulam in medio flumine natam communem esse eorum, qui vtrimque prope ripam praedia possideant, pro modo latitudinis cuiusque praedii: (5. alteri ripae propiorem eis, qui ab illa parte ripae possident praedia, accedere. §. 22. *Inst. h. t. L. 7. §. 3. L. 29. L. 30. §. 1. D. de adquir. rer. domin.* (6. Id ius non pertinere ad nouas insulas, in mari natas, quae tamquam res nullius cedunt occupanti, *L. 7. §. 3. D. eod.* (7. nec ad agros, quos flumen superius diuergens et inferius vnitum in insulae formam redegit, qui manent prioris domini. *L. 7. §. 4. L. 30. §. 2. D. eod. §. 2. Inst. h. t.*

§. CCCLVIII.

Alluuio et vis fluminis. Porro inde inferunt ICti, (8. quidquid per alluuionem agro nostro flumini proximo *, adiicitur, nostrum esse: §. 20. *Inst. h. t. L. 7. §. 1. D. h. t.* (9. quod vero per vim fluminis adiicitur, prioris domini manere, nisi is interea, dum pars adiecta coaluit, et arbores in fundum nostrum radices egerunt, illam praedii sui partem vindicare neglexerit. §. 21. *Inst. h. t. L. 7. §. 2. D. de adquir. rer. domin.*

* Id intelligendum de agris *arcifiniis*, qui non aliis inclusi sunt finibus, quam naturalibus, veluti montibus, vel flumine publico, adeoque, FRONTINO teste, nulla mensura continentur. Ab his differunt *agri limitati*, qui olim ex agro publico ad certam mensuram possidendi dabantur, et *adsignati*, qui per extremitatem mensurae comprehendebantur. His enim posterioribus quod accedebat, publicum erat: illis si quid accresceret, id domino

minô agri cedere dicebatur : *L. 16. D. de adquir. rer. domin. L. 1. §. 6. D de flum.* Qui agri *arcifinii* et *limitati* fuerint, ex AGGENIO et FRONTINO exposuerunt CONNAN. *Comm. Lib. III. cap. 5.* GIPHAN. ad *L. 16. D. de adquir. rer. domin.* Sed accuratius IO. FRIDER. GRONOVIVS *Not. ad* GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap. 3. §. 16. num. 1.*

§. CCCLVIIII.

Denique inde colligunt ICti, (10. alueum, quem flumen derelinquat, eorum similiter esse, qui vtrimque praedia possident pro modo praediorum. *L. 7. §. 5. D. de adquir. rer. domin.* (11. Inundationem autem speciem fundi non mutare, eumque, aqua recedente, eius manere, cuius et antea fuerit. *L. 7. §. 6. D. eod. §. 24. Inst. h. t.* L. 1. §. 9. *D. de flum.* — Aluei mutatio et inundatio.

§. CCCLX.

Sed et haec non vbique eodem modo seruantur. Insulae sunt eiusdem, cuius est flumen, adeoque eas sibi princeps vel respublica vindicare solet. (§. 328) Idem alicubi circa alluuionem et alueum derelictum contingit, adeo, vt in Germania vasalli a principibus inuestiri soleant alueo fluminis derelicto. Immo et agris inundatis passim praescribitur decennio in vtilitatem principis. VOET. *ad* §. 23. *Inst. h. t.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 3. §. 62. *seqq.*] — Vsus doctrinae de accessione naturali.

§. CCCLXI.

Hactenus de *accessione naturali*: sequitur INDVSTRIALIS, (§. 354.) cuius species sunt ADIVNCTIO; SPECIFICATIO, COMMIXTIO. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. Lib. I.* §. 250. *et* §. 256. *seqq.*] — Accessionis industrialis variae species.

§. CCCLXII.

ADIVNCTIO est, *quando aliena res materiae nostrae adiungitur*, veluti per *inclusionem*, *adferruminationem*, *intexturam*, *inaedificationem*, *scripturam*, *picturam*. Vbi semper accessorium sequitur suum principale. *L. 26.* §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* §. 26. *Inst. de rer. diuis.* — Adiunctio, eiusque species.

§. CCCLXIII.

Ex eo ergo generali principio (1. gemma aliena, auro meo inclusa mihi cedit. *L. 19. §. 13. sequ. D. de aur. arg. leg.* (2. Res per adferruminationem rei meae adiuncta, tamquam pars integralis, mea fit. *L. 27. pr. D. de adquir. rer. domin.* (3. Purpura, vesti nostrae intexta, accessionis vice cedit vestimento. §. 20. *Inst. h. t. L.* 7. §. 1. *D. ad exhib.* (4. Quod solo inaedificatur, solo cedit, siue nos materia nostra in alieno solo, siue aliena materia in nostro solo aedificemus. *L. 7. §. 10. et 12. D. de adquir. rer. domin.* §. 29. *Inst. h. t.* (5. Quod chartae inscriptum, chartae cedit, *L. 9. §. 1. D. eod.* §. 33. *Inst. h. t.* (6. et pictura etiam postremo ex subtiliorum sententia tabulae cedebat, *L. 23. §. 3. D. de rei vind.* Quamuis id ob artis dignitatem aliter visum sit CAIO. *L. 9. §. 2. D. de adquir. rer. domin.* cuius sententiae suffragatur IVSTINIANVS. §. 34. *Inst. h. t.* — Inclusio, adferruminatio, intextura, inaedificatio, scriptura, pictura.

§. CCCLXIIII.

§. CCCLXIIII.

Actiones aduersus includentem, adferruminantem, et intexentem.

Quia tamen iniquum est, alterum cum alterius damno fieri locupletiorem: dominium non exstinguitur, et hinc casibus primo, secundo, et tertio domino gemmae, metalli, purpurae aduersus bonae fidei possessorem datur actio ad exhibendum, *L.* 23. §. 5. *D. de rei vind.* et condictio sine caussa; §. 26. *Inst. h. t.* aduersus malae fidei possessorem praeterea actio furti et condictio furtiua. *d.* §. 26. *Inst. h. t.*

§. CCCLXV.

Aduersus eum, qui aliena materia in suo aedificat.

Similiter is, cuius quis materiam alter solo suo inaedificauit, dominus quidem manet: §. 29. *Inst. h. t. L.* 7. §. 10. *D. de adquir. rer. domin.* ast eam stante aedificio ob legem XII. tabularum vindicare nequit, ne vrbs ruinis deformetur. *d.* L. 7. §. 10. *D. eod.* Datur tamen illi actio de tigno iuncto aduersus possessorem in duplum. L. 7. §. 10. *D. eod.* Quin, diruto aedificio, si duplum a malae fidei possessore nondum consequutus sit, materiam vel vindicare, vel ad exhibendum agere potest. §. 29. *Inst. h. t.*

§. CCCLXVI.

Aduersus aedificantem in alieno solo.

Contra si quis in alieno solo sua materia aedificauit, aedificator, in possessione bona fide constitutus, exceptione doli mali repellit dominum soli, pretio nondum soluto petentem aedificium: malae fidei possessor dominium materiae amittit. §. 30. *Inst. h. t. L.* 7. §. 12. *D. de adquir. rer. domin.* Non possidenti nulla prodita est actio *. L. 33. *D. de condict. indeb.* L. 14. *D. de dol. mal. et met. except.* L. 48. *D. de rei vind.*

* Quia tamen aequitas pro aedificante militat; facile in foris nostris ei dabitur actio in factum. Vid. VLR. HVBER. *Praelect.* ad *Inst.* §. 40.

§. CCCLXVII.

Aduersus eum, qui nostram scripturam, vel tabulam, retinet.

Denique et scribenti contra dominum chartae, et domino tabulae contra pingentem, si in bona fide sint, datur actio in factum: L. 23. §. 5. *D. de rei vind.* sin in mala, actio furti et condictio furtiua, vel actio in rem vtilis. §. 34. *Inst. h. t.* L. 9. §. 2. *D. de adquir. rer. domin.*

§. CCCLXVIII.

Specificatio.

SPECIFICATIO (§. 361.) est *modus adquirendi, quo quis, ex aliena materia suo nomine nouam speciem faciens, eius speciei dominium consequitur*. Accessio ergo hic fit formae ad materiam. Quumque ambiguum veteribus videretur, formane materia, an materia forma sit praestantior: de nouae speciei dominio in diuersa abiere diuersarum sectarum iureconsulti *. (§. 7. *)

* Sabiniani enim plus materiae tribuebant; Proculeiani formam, tamquam quae rei det essentiam, praeferebant, adeoque illi domino materiae; hi specificanti nouam speciem adiudicabant. *L.* 7. §. 7. *D. de adquir. rer. domin.* §. 25. *Inst. h. t.* Mediam sententiam elegere plerique, postquam sectae

fectae ftudium paullatim deferbuerat. *pr. D. de adquir. rer. domin.* Vid. MEL. 7. §. 7. L. 12. §. [1. L. 24. L. 26. RILL. *Obf. Lib. I. cap.* 21.

§. CCCLXVIIII.

Sed IVSTINIANVS decifione fua (§. 7.) ita finiuit litem, vt, fi res reduci poffet ad priorem formam, dominus materiae; fin reduci haud poffet, fpecificans nouam fpeciem retineret, §. 25. *Inft. h. t.* et hic domino materiae, fi in mala fide fit, ad aeftimationem: fin in bona fide, in tantum teneretur, quantum factus effet locupletior. L. 23. §. 5. *D. de rei vind.* — Quid circa cam iuftum.

§. CCCLXX.

COMMIXTIONE (§. 361.) *aut res aridae duorum vel plurium commifcentur*, §. 28. *Inft. h. t. aut res liquidae*. Prior COMMIXTIO, pofterior CONFVSIO adpellatur. §. 27. *Inft. h. t.* Priore cafu fingulae res fuam fubftantiam et corpora difcreta retinent; pofteriore non aeque. — Commixtio, et confufio.

§. CCCLXXI.

Quum vero res liquidae non maneant in priore fubftantia; aridae maneant: (§. 370.) confequens eft, (1. vt vtraeque quidem materiae, fiue confufae, fiue commixtae, communes fint, fi voluntate vtriusque facta fit confufio, vel commixtio. *L.* 7. §. 8. *D. de adquir. rer. domin.* fed (2 fi voluntate vnius facta, res confufae fiant confundentis; *L.* 5. §. 1. *D. de rei vind.* ex commixtis vnusquifque fuam poffit vindicare materiam. §. 28. *Inft. h. t. L.* 5. *pr. D. de rei vind.* (3. Vt denique res fortuito confufae itidem fint communes, *L.* 7. §. 9. *D. de adquir. rer. domin.* §. 27. *Inft. h. t.* res fortuito commixtae a fuo quaeque domino vindicentur. §. 28. *Inft. h. t.* — Quid circa vtramque iuftum?

§. CCCLXXII.

Haec de acceffione *naturali* et *induftriali*: reliqua eft MIXTA, (§. 354.) quando et naturae beneficio, et induftria hominum rei noftrae aliquid accedit, quo PLANTATIO, SATIO, et FRVCTVVM PERCEPTIO referuntur. [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 264. *fequ.*] — Acceffio mixta.

§. CCCLXXIII.

De PLANTATIONE et SATIONE obferuanda axiomata: (1. Quidquid folo implantatur, vel inferitur folo cedit. *L.* 9. *pr. D. de adquir. rer. domin.* §. 32. *Inft. h. t.* (2. Arboris dominium iure Romano ex radice aeftimatur. §. 31. *Inft. h. t.* — Axiomata de plantatione et fatione.

§. CCCLXXIIII.

Ex priore axiomate infertur, (1. frumenta, fiue aliena in meo agro, fiue mea in alieno agro fata fint, agri domino cedere, deductis impenfis. *L.* 9. *pr. D. de adquir. rer. domin.* §. 32. *Inft. h. t.* Ex pofteriore: (2. arborem, in confinio pofitam, eius effe, cuius in fundum radices egerit, et (3. fi in vtriusque fundum radices egerit, — Quid iuftum circa plantationem et fationem.

com-

communem pro indiuiso haberi, quoad infixa manet solo: erutam communem pro diuiso fieri. *L.* 7. §. *vlt. L.* 8. *pr* §. 1. *D. eod.* §. 31. *Inst. h. t. L.* 19. *D. comm. diu.* Ex vtroque: (4. plantam nostram in alieno solo, vel alienam in nostro solo positam, solo cedere, si radices egerit: (5. antea vero posse a domino vindicari. *d. L.* 7. §. *vlt. D. eod. et d.* §. 31. *Inst. h. t.*

§. CCCLXXV.

Vsus hodiernus.

Sed, quod ad arbores attinet, hodie tam subtiliter plerisque locis non philosophantur, sed earum dominium ex stipite potius et ramis, in fundum nostrum vel alienum propendentibus, quam ex radicibus iudicant. Ita Saxones, ita Germani, et Belgae plerique. VLR. HVBER. *praelect. Inst. h. t.* §. 51. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 3. §. 65. *seqq.*]

§. CCCLXXVI.

Fructuum perceptio a bonae fidei possessore.

FRVCTVVM PERCEPTIO est *species accessionis, qua is, qui rem alienam bona fide non interrupta, et iusto titulo possidet, loco domini est, et hinc fructus percipiendo suos facit.* L. 48. pr. L. 23. §. 1. D. de adquir. rer. dom. §. 35. *Inst. h. t.* BONA FIDE possidere videtur, *qui ignorat, rem alienam esse, putatque, eum, a quo caussam habet, tamquam dominum, procuratorem, vel tutorem ius alienandi habuisse.* L. 109. *D. de verb. sign.* IVSTO TITVLO possidet, *qui ex caussa ad transferendum dominium habili possidet.* (§. 339.) POSSIDERE denique non est rem detinere, sed *detinere animo dominii, vel rem sibi habendi*, quae possessio stricte CIVILIS dicitur, et NATVRALI opponitur in iure nostro. *L.* 1. §. 9. *D. de vi et vi arm. L.* 2. §. 1. *D. pro hered. L.* 38. §. 7. *D. de verb. obl.*

§. CCCLXXVII.

Quos fructus bonae fidei possessor lucretur?

Quum ergo bona fides et iusta caussa efficiant, vt loco domini sit possessor: (§. 376.) sequitur, (1. vt fructus percipiendo suos faciat, id est, simul ac a solo vel arbore separati sunt. *d. L.* 48. *D. de adquir. rer. domin.* (2. Vt et industriales, et naturales percipiat, *d. L.* 48. * (vti oleum, quod teste PLIN. *Hist. nat. Lib. XV. cap.* 1. sine omni cultura prouenit, et foenum. *L.* 13. *D. quib. mod. vsusfr. amitt.* Conf. VINN. *ad* §. 35. *Inst. h. t.*) (3. Vt malae fidei possessor nihil lucretur, et non modo perceptos, sed et percipiendos fructus restituere teneatur. L. 33. *L.* 62. §. 1. *D. de rei vind.* §. 35. *Inst. h. t.*

* Confirmatur hoc luculenter L. 25. IVSTINIANI: *pro cultura et cura*, §. 1. *D. de vsur. et* L. 136. *D. de reg.* nec pro synonymis accipienda. Caussur. Vnde captanda non sunt verba sam iam alii perorasse videntur.

§. CCCLXXVIII.

Quos restituat?

Quum tamen b. f. non faciat verum dominum: consequens est, (4 vt hoc superueniente, bonae fidei possessor fructus non quidem consumtos restituat, licet iis locupletior factus, §. 25. *Inst. h. t. L.* 4. §. 2.

4. §. 2. *D. fin. regund.* sed tamen exstantes. L. 22. *C. de rei vind.*

§. CCCLXXVIIII.

Postquam de modis adquirendi iuris gentium originariis actum: sequitur deriuatiuus, qualis vnus est, puta TRADITIO. (§. 341.) Modus adquirendi deriuatiuus.

§. CCCLXXX.

TRADITIO est *modus adquirendi deriuatiuus, quo dominus, qui ius et animum alienandi habet, rem corporalem ex iusta caussa in accipientem transfert.* §. 40. 42. *Inst. h. t.* [Conf. *Elem. iur. nat. et gent. l. c.* §. 266. *et* §. 275. *seqq.*] Traditionis definitio.

§. CCCLXXXI.

Ex qua definitione fluunt axiomata: I. Tradi posse res corporales. II. Tradi eas debere a domino, ius alienandi habente. III. Non transferri dominium, nisi traditio fiat animo alienandi. IIII. Nec ea adquiri dominium, nisi caussa ad transferendum dominium habilis (§. 339.) praecedat. VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t.* §. 52. Axiomata de traditione.

§. CCCLXXXII.

Quum ergo traditio sit rerum corporalium: (§. 381. 1.) sequitur, (1. vt rerum incorporalium nulla sit traditio, *L.* 43. §. 1. *D. de adquir. rer. domin. L.* 4. §. 17. *D. de vsurp. et vsuc.* sed quasi traditio, cuius loco est ex parte concedentis patientia, ex parte accipientis vsus, vel exercitium. *L.* 1. §. *vlt. D. de seru. rust. praed. L. vlt. D. de seru.* (2. Vt ea fieri debeat vel translatione rei naturali, veluti datione rei mobilis e manu in manum, L. 8. *D. de pecul.* aut exhibitione immobilis praesentis, L. 3. §. 1. *D. de adquir. poss.* vel signo quodam, v. c. traditione clauium, instrumentorum, cet. quae traditio alias dicitur SYMBOLICA: *d.* L. 1. §. *penult. D. de adquir. possess.* L. 9. §. 6. *D. de adquir. rer. domin.* §. 44. *Inst. h. t.* L. 74. *D. de contr. emt.* vel demonstratione e longinquo, L. 18. §. 2. *D. de adquir. possess.* quae traditio dicitur LONGA MANV facta; L. 79. *D. de solut.* vel denique fictione, rem tradi, quam iam accipiens ex alia caussa possidet, §. 43. *Inst. h. t.* L. 9. §. 5. L. 21. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* quam traditionem BREVI MANV factam adpellant. L. 43. §. 1. *D. de iur. dot.* Traditio quomodo fiat?

§. CCCLXXXIII.

Quumque traditio fieri debeat a domino, ius alienandi habente: (§. 381. 2.) sequitur, (3. vt traditio a non domino facta in eum, qui a domino se accipere putat, non transferat dominium, quamuis bonae fidei possessorem faciat accipientem. L. 20. *pr. D. h. t.* (4. Vt nec pupillus recte tradat, sine auctoritate tutoris. (§. 252. 2.) §. 2. *Inst. quib. alien. lic. vel non.* Quis tradere possit?

§. CCCLXXXIIII.

Quando traditione transferatur dominium? Quia etiam in tradente requiruntur animus alienandi, et iusta caussa, ex qua fiat traditio: (§. 381. 3. 4.) consequens est, (5. vt non transferatur dominium, si eiusmodi caussa desit. *L. 31. pr. D. de adquir. rer. domin.* Quin in emtione venditione ne sufficit quidem caussa, nisi vel pretium solutum sit, vel venditor fidem de eo habuerit. §. 41. *Inst. h. t. L. 19. D. de contr. emt.* (6. Vt traditio fieri possit et in personas incertas; modo indefinite certae sint. Quo pertinet *iactus missilium* *. §. 45. *Inst. h. t.* L. 9. §. 7. *D. de adquir. rer. domin.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 3.* §. 72. *seqq.*]

* Potest tamen commodius etiam ad occupationem referri. Qui enim missilia actat, id facit animo ea sibi non amplius habendi, adeoque ea pro derelictis habere. (§. 342.) Res pro derelictis habitae sunt nullius, (§. eod.) adeoque cedunt occupantibus, (§. 343. 1.) Missilium ab Imperatoribus sparsorum exempla sunt apud SVET. *Aug. cap.* 98. *Calig. cap.* 18. *Neron. cap.* 11. a magistratibus *d.* §. 45. *Inst. h. t.* L. 2. C. *de consul. et non sparg. pec. Lib. XII. Nou. CV. cap.* 2. §. 1.

TIT. II.

DE REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

§. CCCLXXXV.

Altera rerum diuisio. SVperest et altera diuisio rerum, in CORPORALES et INCORPORALES, (§. 330.) quam in hunc titulum reiecit Imperator.

§ CCCLXXXVI.

Corporalium et incorporalium definitio. CORPORALES res ICtis sunt, *quae tangi possunt*: INCORPORALES, *quae tangi non possunt*. * Cuius generis sunt ea, quae in iure consistunt, vt hereditas, vsusfructus, obligationes. *L. 1. §. 1. D. de rer. diuis. §. vn. Inst. h. t.*

* Haec quoque Stoica sunt. Hi enim philosophi, quum omnes sensus ad tactum reducerent, corpus definiebant, quod tangi possit. SENEC. *Epist.* 106. Iidem corpora sola esse adfirmabant: incorporales res non esse, sed intelligi. CIC. *Topic. cap.* 5. Illa res vocabant, has *iura*. QVINCTIL. *Inst. Lib. V. cap.* 10. Et inde verba PAVLLI: *seruitutes nec in bonis, nec extra bona esse*, interpretatur GER. NOODT. *Probab. Lib. II. cap.* 3.

§. CCCLXXXVII.

Incorporales in quantitatibus vel qualitatibus consistunt. Ergo pecunia, quatenus ex auro argentoque flata est, corporalis; §. *vn. Inst. h. t.* L. 1. §. 1. *D. de rer. diuis.* quatenus in quantitate consistit, incorporalis est. L. 46. *D. de condict. indeb.* L. 5. *pr. D. de impens. in rem dot. L. vlt. D. de alim. leg.* Quantitates enim non magis, quam qualitates, tanguntur: et hinc eleganter res incorporales

les in *quantitates* et *qualitates* diuidit H. VVLTEIVS in *Iurisprud. Rom. Lib. I. cap. 62. pag.* 345.

§. CCCLXXXVIII.

Quum itaque hae incorporales res tangi nequeant: (§. 386.) consequens est, (1. vt proprie nec possideantur, nec tradantur, (§. 382. 1.) nec in dominio sint: (§. 335.) sed tamen (2 quasi possideantur, quasi tradantur, (§. 303. *) et *in bonis esse* intelligantur. *L.* 49. *D. de verb. sign. L. vlt. D. de vsufr. leg.* Earundem indoles.

§. CCCLXXXVIIII.

Res *corporales* in MOBILES et IMMOBILES diuiduntur. MOBILES sunt, *quae vel se ipsae virtute interna mouent, vel saluae de loco in locum mouentur:* IMMOBILES, *quae citra corruptionem de loco in locum moueri nequeunt, vt res soli, vel quae immobilium partem constituunt, vel perpetui vsus caussa certo loco sunt destinatae. L.* 13. *§. fin. L.* 14. *L.* 15. *L.* 17. *pr. D. de act. emt. L.* 242. *§. vlt. D. de verb. sign.* Res corporales vel mobiles, vel immobiles.

§. CCCLXXXX.

Proinde obligationes, iura, et actiones rerum mobilium et immobilium vocabulo non continentur. *L.* 7. *§.* 4. *D. de pecul. L.* 15. *§.* 2. *D. de re iud.* L. *vn.* §. 7. *C. de rei ux. act.* L. 2. *C. de quadrienn. praescript.* Ea diuisio ad res incorporales non pertinet.

T I T. III.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIORVM.

§. CCCLXXXXI.

QVum res incorporales in iure consistant, (§. 386.) et talia iura etiam sint SERVITVTES, eaeque praeterea sint inter iura in re numerandae: (§. 334. 3.) de iis agitur titulis sequentibus. Connexio.

§. CCCLXXXXII.

SERVITVS est *ius in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati, vel non facere tenetur in alterius personae reiue vtilitatem.* L. 15. *pr.* §. 1. *D. h. t.* Ergo hic non seruit homo, vti supra, (§. 79.) sed res, et quidem vel praedio vicino, vel personae. Prior seruitus REALIS, vel PRAEDIALIS; posterior PERSONALIS dicitur, L. 1. *D. h. t.* L. 32. *D. de vsufr.* et huc pertinent VSVSFRVCTVS, VSVS, HABITATIO, OPERAE SERVORVM. *d. L.* 1. *D. h. t.* Iam de realibus agendum. Seruitutis definitio et diuisio.

§. CCCLXXXXIII.

Seruitutes praediales. Seruitus REALIS est, *quando praedium seruit praedio*. §. 3. *Inst. h. t.* L. 1. §. 1. *D. commun. praed.* Vnde sine praedio seruitus non intelligitur. *L.* 1. §. 1. *D. comm. praed. tam vrban. quam rust.*

§. CCCLXXXXIIII.

Eaeque vel rusticorum, vel vrbanorum praediorum. Quum vero praedia vel *soli habitationi*, vel *vsui oeconomico* destinata sint: illa, siue ruri, siue in vrbe sita, VRBANA; haec itidem sine situs discrimine RVSTICA a ICtis vocantur. §. 1. *Inst. h. t. L.* 1. *pr. D. comm. praed.* Nec interest, aedificia sint, an areae. Nam et horti aedificiis adiecti vrbana praedia vocantur, si non plurimum eorum in reditu sit, L. 198. *D. de verb. sign.* et villae dicuntur praedia rustica, *L.* 211. *D. eod.* Vnde seruitutes a dominante praedio vel *vrbanorum*, vel *rusticorum* praediorum dicuntur.

* Magna olim inter has seruitutes differentia, quia, quae rusticis praediis haerebant, res mancipi; quae vrbanis, nec mancipi erant: (§. 330.*) sed abolita hac distinctione, ipsum quoque seruitutum harum discrimen hodie perquam est exiguum.

§. CCCLXXXXV.

Axiomata de seruitutibus. De omnibus seruitutibus obseruanda axiomata: I. Omnem seruitutem esse in re aliena: (§. 392.) neque rem suam cuiquam seruire. L. 5. *pr. D. si vsusfr. pet.* II. Nullam seruitutem in faciendo, sed vel in *patiendo*, vel *in non faciendo* consistere. * *L.* 15. §. 1. *D. de seru.* III. Omnes seruitutes esse indiuiduas. L. 2. §. 2. L. 72. *pr. D. de verb. obl.* IIII. *Seruitutum caussam esse debere perpetuam*. *L.* 28. *de seru. praed. vrb.* L. vn. §. 4. *D. de font.* L. 1. §. 5. 8. *D. de aqu. quotid.*

* Quae in *patiendo* consistunt, ADFIRMATIVAE; quae in *non faciendo*, NEGATIVAE adpellantur. Illae *quasi traduntur*; hae *nec trasi*, *nec quasi tradi* possunt. (§. 339. **.)

§. CCCLXXXXVI.

Quomodo seruitutes constituantur? Consolidationis effectus. Quum ergo seruitus sit ius in re, et quidem in re aliena: (§. 395. 1.) sequitur, (1. vt constituatur quidem pactionibus, vel stipulationibus, §. 4. *Inst. h. t.* (2. vltimis voluntatibus, §. *vlt. Inst. h. t.* L. 16. *D. comm. praed.* (3. praescriptione decem annorum inter praesentes; viginti inter absentes, L *vlt. in fin. C. de praescr. longi temporis:* (§. 1225.) (4. ipsum tamen ius in re non ex pactione, sed ex quasi traditione *quiowe* nascatur, si seruitus sit adfirmatiua *. (§. 339. **) L. *vlt. D. de seruit.* L. 1. *fin. D. de seruit. praed. rust.* L. 11. §. 1. *D. de Public. in rem. act.* (5. Vt, si praedium seruiens a dominantis domino, vel dominans a seruientis domino adquiritur, seruitus extinguatur. L. 1. *D. quemadm. seru. amitt.*

* Ergo seruitus promissa petitur tantum actione ex stipulatu, legata autem vel actione personali ex testamento, vel reali confessoria: iam constituta sola actione reali confessoria. Ratio, cur et reali actione peti possit ser-

feruitus teftamento relicta, iam fupra occupata eft, (§. 329. **) quia videlicet legata et fine traditione pleno iure adquiruntur. *L. vlt. D. de feru. leg.*

§. CCCLXXXXVII.

Quumque vel in patiendo vel in non faciendo confiftat: (§. 395. 2.) infertur, (6. feruientis praedii dominum non teneri ad reficiendum id, quo praedium fuum idoneum fit praeftandae feruituti. L. 15. §. 1. *D. de feruit.* **Quis teneatur ad reficiendum?**

§. CCCLXXXXVII.

Denique quum omnes feruitutes fint indiuiduae: (§. 395. 3.) confequens eft, vt nec per partes conftitui, nec adquiri poffint: L. 8. §. 1. L. 9. L. 11. §. 1. L. 17. *D. de feruit.* Quamuis haec non impediant, quo minus modus feruituti adiici queat. L. 4. §. 1. *D. eod.* **An pro parte conftitui poffint?**

§. CCCLXXXXVIIIII.

Servitvtes praediorvm vrbanorvm (§. 394.) variae funt, veluti *oneris ferendi*, *tigni immittendi*, *proiiciendi*, *protegendi*, *ftillicidii vel fluminis recipiendi*, *vel non recipiendi*, *altius tollendi*, *vel non tollendi*, *luminum*, *et ne luminibus officiatur*, *profpectus*, *et ne profpectui officiatur*. L. 2. L. 3. L. 4. *D. de feruit. vrb. praed.* §. 1. *Inft. de feruit.* **Seruitutes vrbanorum praediorum.**

§. CCCC.

Oneris ferendi feruitus in eo confiftit, *quod columna vicini vel eiufdem paries onus aedium noftrarum fuftinere tenetur*. §. 1. *Inft. h. t.* L. 23. *D. de feruit. vrb. praed.* **Oneris ferendi.**

§. CCCCI.

Quum ergo feruitus in faciendo non confiftat, (§. 395. 2.) nec feruiens ad refectionem ordinarie teneatur: (§. 397. 6.) facile patet, dominantem et hic ordinarie parietem vel columnam vicini, cui aedes fuae incumbunt, reficere debere, L. 6. §. 2. *D. fi feru. vind.* adeoque non effe, cur hic ftatuamus feruitutem anomalam *. **An fit anomala?**

* Equidem lis fuit inter veteres, fed non de quaeftione, an praedii feruientis dominus columnam reficere teneatur? fed an eiufmodi pactum iniri poffit, vt reficiat? Negabat id AQVILLIVS GALLVS, quia id contra naturam feruitutum effe videbatur: fed adfirmabat SERVIVS, cuius fententia praeualuit, ita explicata a LABEONE, vt, quia non homo, fed res feruiat, licere dixerit domino columnam derelinquere. L. 6. §. 2. *D. fi feruit. vind.* Et de eiufmodi pactione manifefte loquitur PAVLLVS, L. 33. *D. de feruit. praed. vrban.* quia alter ab altero fuerat ftipulatus: *parietem oneri ferundo, vti nunc eft, ita fit*. Si quis fibi itaque hoc modo non fuiffet ftipulatus: non feruientis, fed dominantis praedii dominus reficere parietem procul dubio tenebatur.

§. CCCCII.

§. CCCCII.

Tigni immittendi.

TIGNI IMMITTENDI seruitus *est ius*, *quo vicinus pati cogitur*, *vt vicini tignum*, *suo parieti immissum*, *in eo requiescat*. L. 20. *D. de seruit. praed. vrb.* L. 242. §. 1. *D. de verb. sign.*

§. CCCCIII.

Proiiciendi, et protegendi.

PROIICIENDI seruitus est *ius in praedio vicini*, *vt tignum nostrum super fundum suum proueht patiatur*, *quamquam in nulla parte fundi requiescat*. * *L.* 242. §. 1. *D. de verb. sign.* PROTEGENDI seruitus *ius*, *protectum super alienum solum habendi*. L. 2. *D. de seruit. praed. vrb.*

* Tala *meniana* et *suggrundia*. *Meniana* erant protecti, spectandi caussa facti, in quibus insisterent spectatores. Quae vtrum a Maenio censore, an a iuuene eius nominis prodigo dicta sint, non adeo expeditum. Vid. FEST. *hac voce* et ISIDOR. *Orig. Lib. XV. cap.* 3. Reliqua proiecta, quae vel in tectis, vel in quacumque aedium parte, vel prospiciendi vel stillicidii auertendi caussa fiunt, a suggrediendo *suggrundia* vocantur. VITRVV. *Lib. II. cap. 9. Lib. IIII. cap.* 2.

§. CCCCIIII.

Stillicidii vel fluminis recipiendi, vel non recipiendi.

STILLICIDII vel FLVMINIS RECIPIENDI seruitus est ius, *quo vicinum praedium tenetur recipere stillicidium vel flumen nostrum in tectum vel aream suam*. L. 2. *D. eod.* NON RECIPIENDI, *ius*, *quo vicinus stillicidium vel flumen ex aedibus suis in aream vel tectum vicini auertere prohibetur*, *quum id per statutum liceat*. Ita rem exponunt VINN. *ad* §. 1. *Inst. h. t.* VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* §. 9. Quamuis et ita definiri possit, quod sit ius, quo quis stillicidium vel flumen suum in suam aream recipere non potest, sed in nostram auertere, et aquam pluuiam nostris vsibus relinquere tenetur. *Pand. Part. II.* §. 145.) Differunt vero FLVMEN et STILLICIDIVM, quod per illud aqua pluuia in canales collecta continuo ruit: per hoc stillatim ex tecto cadit. VARRO *de lingu. Lat. Lib. IIII. cap.* 5.

§. CCCCV.

Altius non tollendi, et tollendi.

Seruitus ALTIVS NON TOLLENDI est *ius*, *quo vicinus in commodum vicinarum aedium suas altius tollere prohibetur*. L. 2. *D. de seruit. praed. vrb.* §. 1. *Inst. h. t.* Seruitus ALTIVS TOLLENDI, *ius*, *quo quis pati cogitur*, *vt vicinus aedes suas altius tollat*, *quam per statutum licet*. * §. 2. *Inst. de act.* Vnde ponendum, exstare statutum, quo vicinus, inconsulto vicino, vltra modum lege definitum aedificare nequeat. *L.* 12. §. 1. C. *de aedific. priu.*

* Est equidem coniectura A. A. PAGENSTECHERI, in *Sicilim.* (*Manip. III. pag.* 70. seruitutem altius tollendi fuisse constitutam, quoties vicinus a vicino sibi stipularetur ius continuationem imponendi eius aedibus. Cuiusmodi quid aliquando factum esse, ex L. 2. *pr. D. de seruit. rust. praed.* et L. 24. *D. de seruit. vrb. praed.* colligit. Sed et hanc coniecturam, vt fere reliquas eorum explicationes, incommoda haud leuia premunt. Nam (1 dominus praedii dominantis tunc confessoriam actionem instituere non potuisset hac formula: *aio mihi ius esse aedes* MEAS *altius tollendi*. § 2. *Inst.*

Inst. de act. (2 Seruitus altius tollendi hoc modo non discreparet a seruitute oneris. Denique (3 ex *L. 1. pr. D. de seruit. vrb. praed.* constat, *si intercedat solum publicum, vel via publica, neque itineris, actusue, neque* ALTIVS TOLLENDI *seruitutes impediri*. Cui vsui vero quis alienis aedibus imponeret contignationem, ad quam ex suis aedibus accessus haud pateret? Fateor tamen, non multo minoribus incommodis hanc, quam nos sequuti sumus, Io. FABRI, DONELLI, DVARENI, CORASII, VINNII, aliorumque sententiam premi.

§. CCCCVI.

Luminum, et ne luminibus officiatur.

LVMINVM seruitus est *ius cogendi vicinum, vt fenestras nostras in suo vel communi pariete excipiat. L. 4. L. 40. D. de seruit. praed. vrb.* NE LVMINIBVS OFFICIATVR *seruitus est ius prohibendi vicinum, quo minus quidquam in suo ad minuenda vel obscuranda lumina nostra facere possit. L. 4. L. 15. L. 17. pr. §. 1. L. 23. D. eod.*

§. CCCCVII.

Prospectus, et ne prospectui officiatur.

Seruitus PROSPECTVS est *ius in praedium vicini prospiciendi*. L. 12. L. 16. *D. eod.* Seruitus NE PROSPECTVI OFFICIATVR * *ius prohibendi vicinum, quo minus quidquam ad impediendum hunc prospectum facere possit*. L. 3. L. 15. *D. eod.*

* Vnde, huiusmodi constituta seruitute, ne quidem viridarium supra aedes habere potest vicinus, quod tamen potest in seruitute altius non tollendi. *L. 12. D. eod.*

§. CCCCVIII.

Seruitutes rusticorum praediorum. Iter, actus, via.

RVSTICORVM PRAEDIORVM seruitutes denuo sunt variae, vti *iter, actus, via, aquaeductus*, et similes. ITER *est ius eundi, ambulandi homini, non etiam iumentum agendi vel vehiculum*. L. 1. *pr. D. de seruit. rust. praed. pr. Inst. h. t.* ACTVS *ius agendi iumentum, vel vehiculum*. * L. 1. *pr. D. eod. pr. Inst. h. t.* VIA *est ius vehundi, agendi et ambulandi*. *d.* L. 1. *pr.*

* Ast quale? Sic sine non differet actus a via. At rem expediuit BYNKERSHOEK. *Obs. Lib. IIII. cap. 7. p.* 364. ad totum hunc paragraphum intelligendum hic omnino conferendus.

§. CCCCVIIII.

Singularum spatium.

Sed quum paullo obscuriores viderentur hae definitiones: alios has seruitutes ex spatio aestimasse arbitror. L. 13. *D. de seruit. Via* nimirum ex legibus XII. tabularum erat ius ea agendi, vehundi, ferendique, quae intra spatium octo pedes in porrectum, sedecim in anfractum extensum fieri possent. L. 1. *D. de seruit. rust. praed.* Eodem modo *actus* quatuor pedum in latitudine esse solebat, VARRO *de ling. Lat. Lib. IIII. cap. 4. iter* forsan duorum.

§. CCCCX.

Quid circa eas iustum?

Inde vero facile intelligitur, cur (1. qui actum habet, et iter habeat, * curque (2. via actum et iter complecti videatur. *L. 1. pr. D. de seruit. rust. praed.*

* In

* In pactionibus tamen vtramque seruitutem distincte exprimi consueuisse, patet ex marmore apud GRVTER. *Inscr. p. 201. num. 3.*

§. CCCCXI.

Aquaeductus, aquae haustus, et alia.

Seruitus AQVAEDVCTVS est *ius aquam ducendi per fundum alienum.* Quumque eodem modo constitui possit ius aquam hauriendi ex fonte alieno, (non tamen ex cisterna ob axioma IIII. §. 395. *L.* 1. §. 4. *D. de font.*) pecus ad alterius riuum aquandi caussa adducendi, idue pascendi in alterius pascuis, lapides, arenas, cretam, pedamenta, ex alieno fundo sumendi: facile patet, esse etiam seruitutes AQVAE HAVSTVS, PECORIS AD AQVAM ADPVLSVS, IVS PASCENDI, CALCIS COQVENDAE, ARENAE FODIENDAE, CRETAE EXIMENDAE, et similes, quae tamen, si huiusmodi ius personae, non praedio, conceditur, etiam personales esse possunt. (§. 392.) L. 14. §. *vlt. D. de alim. legat.*

§. CCCCXII.

An omnium meminerit ius Romanum?

Quin et multae aliae seruitutes rusticorum praediorum, pro diuersa rei rusticae indole, et fingi et constitui possunt, quarum non meminit ius Romanum.

§. CCCCXIII.

Quomodo seruitutes finiantur?

Quia eodem fere modo, quo res constituitur, eadem solui et finiri solet: *L.* 35. *D. de reg. iur.* finitur seruitus I. consolidatione: (§. 396. 5.) L. 1. *D. quemadm. seru. amitt.* L. 8. §. 1. *D. h. t.* II. Remissione, L. 14. §. 1. *D. de seruit.* quia vti pactis et stipulationibus constituitur, (§. 396. 1.) ita iisdem soluitur. Quin sufficit remissio tacita, quando quid fieri conceditur, quod vsum seruitutis impedit. L. 8. *pr. D. quemadm. seruit. amitt.* III. Non vtendo per decem annos inter praesentes, vel viginti inter absentes. *. L. 18. §. 1. *D. quemadmod. seruit. amitt.* Eiusdem enim temporis praescriptione constituitur. (§. 396. 3.) IIII. Interitu praedii alterutrius, L. 14. *D. eod.* sine quo quippe ius praedii non intelligitur: (§. 393.) quamuis restituto praedio et seruitus reuiuiscat. *L.* 20. §. 2. *D. de seruit. praed. vrb.*

* In seruitutibus praediorum rusticorum solus ille non vsus ius domini praedii dominantis exstinguit. In vrbanorum praediorum seruitutibus ille non vsus non sufficit, nisi seruientis praedii dominus simul vsuceperit libertatem. *L. 6. 7. D. de seruit. praed. vrb.* id est, factum seruituti constitutae contrarium continuo exercuerit; veluti foramina, quibus immissa fuerant tigna, obturando, obturataque per legitimum tempus habendo. *d. L. 6.* Rationem iam reddidit VLR. HVBER. *Praelect. Pand. Lib. VIII. tit. 6. §. 6.*

T. I T. IIII.

DE VSVFRVCTV.

§. CCCCXIIII.

HActenus de seruitutibus *praedialibus*, in quibus praedium seruit praedio. His opponuntur PERSONALES, *quando praedium seruit personae:* (§. 392.) quarum prima est VSVSFRVCTVS. (§. eod.) Connexio et definitio seruitutum personalium.

§. CCCCXV.

VTI et FRVI ita differunt, vt *vsus* necessitate circumscribatur; *fruitio* non modo ad vtilitatem, verum etiam ad voluptatem pertineat. SENECA *de vit. beat. cap.* 10. VSVS vero et ABVSVS ita differunt, vt *vtamur* salua rei substantia, *abutamur*, disperdendo rem et fructum. DONAT. *ad* TERENT. *Andr. prol.* Vid. GER. NOODT. *de vsufructu Lib. I. cap.* 1. Quid vti, frui, abuti?

§. CCCCXVI.

Ex quibus intelligitur definitio PAVLLI: VSVSFRVCTVS est *ius*, *rebus alienis vtendi fruendi, salua earum substantia*. *L.* 1. *D. de vsufr.* *Ius* ille est ratione vsufructuarii: *seruitus* ratione proprietarii. Deinde est ius *in rebus alienis*, (§. 395, 1.) neque enim hic intelligitur ius, propriis rebus vtendi, quod vocant *vsumfructum caussalem*. L. 21. §. 3. *D. de except. rei iudic.* *Salua* vero *rerum* substantia vtendum fruendum est, quia alioquin non esset vsusfructus, sed abusus. (395.) Vsusfructus definitio.

§. CCCCXVII.

Ex ipsa ergo vocabuli notione (§. 395.) consequitur, (1. vt vsufructuarius omnes fructus, ciuiles et naturales, siue ad necessitatem, siue ad voluptatem pertinentes, percipiat, *L.* 7. *pr. L.* 9. *pr. et* §. 7. *L.* 10. *L.* 2. §. 1. L. 29. L. 59. §. 1. *D. h. t.* attamen (2. non nisi ordinarios. Vnde nec thesaurum capit, L. 7. §. 12. *D. solut. matrim.* nec partum ancillae: *L.* 68. *pr. D. de vsufr. L.* 28. §. 1. *D. de vsur.* quia absonum videbatur, hominem in fructu esse, cuius caussa natura omnes fructus compararit. * §. 37. *Inst. de rer. diuis.* (3. Vt rem fructuariam possit locare, immo et fructus, non autem ipsum ius suum vel vsumfr. ita vendere extraneo, vt cedat, et ius in re transferat. Eatenus enim nihil agitur. §. 3. *Inst. de vsufr.* Vnde non obstat L. 66. *D. de iur. dot.* L. 12. §. 2. *D. de vsufr.* §. 3. *Inst. h. t.* Quomodo quis vtatur fruatur?

* Ratio haec plane Stoica est. Ex hypothesi enim Stoicorum omnia hominum caussa comparauerat natura. CIC. *de offic. Lib. I. cap.* 6. *de nat. deor. Lib. II. cap.* 62. *sequ. de finib. Lib. III. cap.* 20. Sed propior ratio est in L. 27. *pr. D. de hered. petit.*

§. CCCCXVIII.

An vsufructuarius de re libere disponat?

Deinde, quia vtendum fruendum salua rerum substantia: (§. 416.) sequitur (4. vt vsufructuarius, rem ne in formam quidem meliorem transmutare possit. *L.* 13. §. *penult. L.* 44. *D. h. t.* (5. Vt eamdem reficere teneatur. *L.* 7. §. 2. 3. *L.* 64. *D. eod.* (6. Vt tamquam bonus pater familias vti frui, §. 38. *Inst. de rer. diuis.* (7 eoque nomine et de restitutione futura, nisi vsus fructus lege constitutus sit, cautionem praestare debeat, *L.* 1. *D. vsufr. quemadm. caueat. L. vlt.* §. 4. *C. de bon. quae lib.* quam cautionem heres, non ipse testator, remittere potest. *L.* 7. *ad leg. Falc. L.* 1. *C. h. t.*

§. CCCCXVIIII.

Quasi vsusfructus.

Ex eodem axiomate fluit, (8. vsumfructum consistere non posse in rebus fungibilibus, quae numero, pondere, et mensura constant, quia non abutendum, sed vtendum fruendum est. (§. 416.) At SCto sub Tiberio, vt videtur, cautum, vt et pecuniae, aliarumque quantitatum *, non quidem *verus* sed QVASI VSVSFRVCTVS esset, dum caueret quasi vsufructuarius, se mortuo vel capite minuto, rem eiusdem generis, quantitatis et qualitatis restitutum iri. §. 2. *Inst. de vsufr. L.* 7. *L.* 8. *D. de vsufr. earum rer. quae vsu.* GALVAN. *de vsufr. cap.* 3. GER. NOODT. *de vsufr. Lib. I. cap.* 20.

* An et vestium? Harum verus vsusfructus esse dicitur, *L.* 15. §. 4. *D. h. t.* quasi vsusfructus. §. 2. *Inst. h. t.* Sed videtur vtrumque verum, prout testator vestibus vel aestimatis vel non aestimatis vti voluit legatarium.

§. CCCCXX.

Onera quae subit vsufructuarius.

Quia denique vtitur fruitur rebus alienis: (§. 416.) consequens est, (9 vt eumdem et incommoda sequantur, qui percipit commoda, adeoque vsufructuarius onera et tributa, quae rei imponuntur, sustineat. *L.* 7. §. 2. *D. de vsufr.*

§. CCCCXXII.

Vsusfructus quomodo constituatur?

Constituitur autem vsusfructus, vel (1. *lege*, veluti patri in peculio aduentitio filii familias, * *L.* 6. *C. de bon. quae lib.* coniugi, ad secundas nuptias transeunti, in bonis ex liberalitate coniugis defuncti acceptis. *L.* 3. *L.* 5. *et Authent. sequ. C. de sec. nupt.* Vel (2 *a iudice* in iudiciis diuisoriis, quod tamen rarius fieri oportet. *L.* 6. §. 1. *D. h. t. L.* 6. §. 10. *D. comm. diu. L.* 16. §. 1. *D. famil. ercisc.* (3. Vel *a domino*, siue per vltimam voluntatem, siue per pactiones et stipulationes, accedente quasi traditione, (§. 339. **) *L.* 11. *D. de seruit. praed. rust.* siue per voluntatem tacitam, quae ex longi temporis praescriptione colligitur. *L. vlt., in fin. C. de long. temp. praescript.*

* Immo etiam in emancipati bonis pater dimidium vsusfructus, tamquam praemium emancipationis, capit. ex *L.* 6. §. 3. *C. de bon. quae lib.* §. 2. *Inst. per quas pers.* Sed id quidem hodie fit rarius, ob ea, quae diximus §. 199.

§. 199. Contra moribus hodie receptum, ut plurimis locis maritus gaudeat vsufructu in bonis paraphernalibus vxoris, secus ac iure Romano: quamuis id vulgo probare velint ex *L. 9. §. 3. D. de iur. dot.* et *L. 11. C. de pact. conuent.*

§. CCCCXXII.

Quum autem in vsufructu praedium seruiat personae: (§. 414.) sequitur, (1. vt illud ius exstinguatur morte vsufructuarii naturali, §. 3. *Inst. h. t.* vel, si ciuitati datum, elapsis centum annis. *L. 56. D. h. t.* (2. Vt, quia capitis deminutio maxima et media morti comparatur, (§. 225.) eadem et vsusfructus perimatur. * §. 3. *Inst. de vsufr. L. 16. pr. §. 1. sequ. C. de vsufr.* Idem exstinguitur morte naturali et ciuili.

* Olim etiam minima, vti auctor est PAVLL. *Sent. recept. Lib. III. tit. 6.* Sed id sustulit IVSTINIANVS, *d. L. penult. C. h. t.* Conf. §. 1. *Inst. de adquis. per arrog.* Ceterum ciuitas quoque capite minuta censetur, si aratrum passa. L. 21. *D. quib. mod. vsusfr. amitt.*

§. CCCCXXIII.

Et quia est ius in re aliena: (§. 416.) sequitur, (3. vt et consolidatione desinat vsusfructus, quia re propria nemo vti frui potest: (§. 396. 5.) nec non (4. totius rei interitu, adeo vt ne in area quidem duret, *L. 36. pr. D.* §. 3. *Inst. h. t. L. 30. L. 31. D. quib. mod. vsusfr. amitt.* immo et (5. non vsu decem annorum inter praesentes; viginti inter absentes. (§. 413. 3.) L. *pen.* §. 1. *C. de vsufr. L. 13. C. de seruit.* Item consolidatione, et interitu, et non vsu.

§. CCCCXXIIII.

Denique quia vsusfructus saepe pactionibus et stipulationibus constituitur: (§. 421. 3.) consequens est, vt (6. et soluto iure constituentis, *L. 16. L. 19. D. quib. mod. vsufr. amitt.* et (7. lapsu temporis, conuentione definiti, exspiret. *L. 5. C. de vsufr. L. 15. D. quib. mod. vsusfr. amitt.* Denique soluto iure constituentis et lapsu temporis.

TIT. V.

DE VSV ET HABITATIONE.

§. CCCCXXV.

HActenus de *vsufructu*: sequitur vsus, tamquam altera seruitutum personalium species. (§. 392.) Connexio.

§. CCCCXXVI.

Quemadmodum fructus latius patet, quam vsus, adeoque vsufructuarius non solum pro modo necessitatis, sed et omnes rei prouentus, Vsus definitio.

tus, ad voluptatem etiam pertinentes, capit, (§.415.) ita facile patet, VSVM esse *ius, alienis rebus tantum ad necessitatem vtendi, salua earum substantia*. §. 1. *Inst. h. t.*

§. CCCCXXVII.

Axiomata de vsu.

Inde ergo fluit: I. Minus esse in vsu, quam in vsufructu. §. 1. *Inst. h. t.* II. Vsum sola necessitate quotidiana definiri. L. 2. *pr. D. h. t.*

§. CCCCXXVIII.

Quomodo vtuntur?

Ex quibus axiomatibus sequitur, (1. vt, qui fundi vsum habet, is pro modo conditionis oleribus, pomis, floribus, foeno, stramentis, lignis vti, non vero reliquos fructus capere possit. §. 1. *Inst.* L. 10. §. 4. L. 11. *sequ. D. h. t.* (2. Vt aedium vsuarius, istas quidem pro necessitate inhabitare, sed non aliis locare, et vix hospitem recipere possit. §. 2. *Inst.* L. 2. §. 1. L. 3. *sequ. D. h. t.* (3. Vt pecorum vsuarius de lacte, lana, stercore, modicum, quo opus est, capiat, non autem foetum. §. 37. *Inst. de rer. diuis.* L. 12. §. 2. 3. *D.* §. 4. *Inst. h. t.* (4. Vt vsuarius ius suum ordinario aliis locare, aut gratis concedere nequeat. §. 1. *Inst.* L. 12. §. 4. L. *penult. pr. D. h. t.*

§. CCCCXXVIIII.

Habitationis definitio.

Tertia seruitutum personalium species, puta HABITATIO, (§. 392.) est *ius alienas aedes inhabitandi, salua earum substantia*. INHABITARE autem est, iis aedium partibus vti frui, quae habitationi sunt destinatae.

§. CCCCXXX.

Quale sit ius habitandi?

Proinde (1. qui ius habitandi habet, non, vti vsuarius, aedibus pro necessitatis modo vtitur, sed omnem fructum ex partibus habitationi destinatis percipit. L. 15. *C. de vsufr.* (2. Aedes potest alteri locare, puta ad inhabitandum. §. 5. *Inst. h. t.* L. 13. *C. de vsufr.* (3. Itaque vsumfructum percipit ex partibus aedium, habitationi destinatis, non ex cellis, hortis, tabernis, cet.

§. CCCCXXXI.

Quomodo illud finiatur?

Iisdem modis habitationis ius finitur, ac vsusfructus et vsus, (§. 422. *sequ.*) praeterquam quod capitis deminutione, et non vsu, non perimitur: cuius rei subtilem hanc rationem allegat MODESTINVS. L. 10. *D. de capit. minut.* quod habitatio *in facto potius, quam in iure, consistat.*

§. CCCCXXXII.

Seruorum operae.

Quarta species sunt OPERAE SERVORVM (§. 392.) quae sunt *ius, omnem vtilitatem ex operis serui alieni percipiendi*. L. 3. *D. de oper. seruor.*

§. CCCCXXXIII.

Quomodo

Quare (1. minus est in seruitute operarum, quam in vsufructu serui,

ferui, quia vfufructuarius omnem vtilitatem capit ex feruo, non folum quod feruus operis fuis, fed et quod e re eius adquirit: verum cui operae legatae, is tantum ex operis feruorum lucratur. §. 4. *Inft. per quas perf. cuiqu. adquir.* (2. Plus eft in operarum feruitute, quam in vfu, quia illa nec fola neceffitate circumfcribitur, et aliis locari poteft. L. 2. *D. de vfu legat.*

§. CCCCXXXIIII.

Sed has quidem fubtilitates hodie fere ignoramus, nec facile contingit, vt teftator vfumfructum, vfum, habitationem, operas feruorum, diftinguat. Si quis autem diftinguere: procul dubio fequenda effent iuris Romani principia. **Vfus hodiernus.**

TIT. VI.

DE VSVCAPIONIBVS, ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIONIBVS.

§. CCCCXXXV.

Actum fupra de modis adquirendi IVRIS GENTIVM: (341. *fequ.*) iam Imperator de CIVILIBVS dicere inftituit, qui vel VNIVERSALES funt, *quibus vniuerfum ius alterius in nos transfertur*, vel SINGVLARES, *quibus rei fingularis dominium adquirimus*. §. vlt. *Inft. per quas perf. cuique adquir.* **Connexio. Modi adquirendi ciuiles vel vniuerfales, vel fingulares.**

§. CCCCXXXVI.

VNIVERSALES memorantur fex, I. HEREDITATIS ADQVISITIO. II. BONORVM POSSESSIO. III. adquifitio per ADROGATIONEM, IIII. ADDICTIO BONORVM LIBERTATVM SERVANDARVM CAVSSA. V. adquifitio per SECTIONEM BONORVM, et VI. EX SC. CLAVDIANO. De prima a *tit. X. huius libri*, vfque ad *tit. XVIIII.* nec non initio *libri III.* de fecunda eiufdem *libri tertii tit. X.* de tertia *tit. XI.* de quarta *tit. XII.* de quinta et fexta *titulo XIII.* agetur. **Vniuerfales adquirendi modi.**

* Fuerunt tamen plures, veluti VIII. *ingreffus in monafterium. Nou. VII. fucceffio fifci in bona damnatorum, V. cap. 4.* VIIII. *Vxoris conuentio in manum.* CIC. *Topic. cap. 4.* et bona vacantia L. 1. D. *de iur. fifc.*

§. CCCCXXXVII.

Singulares quatuor habentur I. VSVCAPIO, de qua *hoc titulo*, II. DONATIO, de qua *titulo VII.* LEGATVM, de quo *tit. XX.* et IIII. FIDEICOMMISSVM SINGVLARE, de quo *tit. XXIIII.* **Singulares.**

§. CCCCXXXVIII.

§. CCCCXXXVIII.

Vſucapio et praeſcriptio.

VSVCAPIO eſt *adiectio* (vel, vti apud VLPIAN. *Fragm. tit.* 19. §. 8. et ISID. *Orig. Lib. V. cap.* 25. eſt, *adeptio*) *dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti* . *L.* 3. *D. h. t.* PRAESCRIPTIO contra longi temporis, illi adfinis, erat *exceptio* , *qua is* , *qui longo tempore rem poſſederat* , *ſeſe aduerſus dominum tuebatur* . Ergo ab vſucapione olim differebat praeſcriptio. Haec enim non dominium Quiritarium et ciuile adiiciebat, ſed exceptionem et dominium bonitarium tribuebat: et proinde etiam in rebus incorporalibus, et praedis prouincialibus, locum habebat, et imperatorum conſtitutionibus inducta videtur vſucapionis ſupplendae cauſſa. §. 2. *Inſt. h. t.* Illa requirebat in mobilibus annum, in immobilibus biennium; haec X. annos inter praeſentes, XX. inter abſentes. Sed Iuſtinianus, ſublato illo diſcrimine, vſucapionem et praeſcriptionem longi temporis veluti in vnum conflauit, *L. vn. C. de vſucap. transform.* ſimulque praeſcriptionem longiſſimi temporis quibuſdam caſibus retinuit.

§. CCCCXXXVIIII.

Vſucapionis fundamentum.

Quum ergo vſucapio ſit adiectio dominii: (§. 438.) eam (1. oportet fundamento aliquo niti: quod non aliud eſt, quam praeſumtio, rem pro derelicta eſſe habitam, quam dominus tanto tempore non vindicarit: GROT. *de iure belli. et pac. Lib. II. cap.* 4. adeoque illam cedere poſſeſſori. (§. 342. *ſequ.*)

§. CCCCXXXX.

Quaenam vſucapi queant?

Deinde ex eodem principio fluit, (2. vſucapi poſſe res, quae poſſunt adquiri, non exemtas hominum commercio, *L.* 9. *D. h. t.* nec vitio poſſeſſas. §. 2. 5. *Inſt. eod.* aliaſque quaſdam, quarum vſucapio ſpeciali lege inhibita, vt res dominicas, fiſci, eccleſiarum, pupillorum et minorum, et quarumcumque alienatio vel lege vel teſtamento prohibita. *tit. C. ne rei domin. L.* 23. *C. de SS. eccl.* L. 3. *C. quib. non obſt. long. temp. praeſcript.* L. 12. L. 24. *D. h. t.* (3. Vſucapionem locum tantum habere in rebus corporalibus *: (§. 325.) L. 14. *pr. D. de ſeruitut.* L. 43. §. 1. *D. de adquir. rer. dom.* ſiquidem res incorporales nec in dominio eſſe, nec proprie poſſideri poſſunt. L. 3. *pr. D. de adquir. poſſeſſ.* Attamen quia et hae quaſi poſſidentur, (§. 388. 2.) et in bonis ſunt: (§. 388.) conſequens eſt, vt *quaſi vſucapi* vel *praeſcribi* queant. L. *vlt. C. de long. temp. praeſcript.*

* Hinc lex Scribonia lata. Quum enim veteres iuris interpretes etiam ſeruitutum vſucapionem contra principia iuris ciuilis inueniſſent: CIC. *pro Caecin. cap.* 26. lex Scribonia eam ſeruitutum vſucapionem paullo poſt inhibuit. L. 4. §. *vlt. D. de vſucap.* Poſtea praetor eos, qui ſeruitutes nec vi, nec clam, nec precario longo tempore poſſederant, adiuuit. L. 10. *D. ſi ſeruit. vind.* Denique earum praeſcriptionem admiſit IVSTINIANVS, *d. L. vlt. C. de long. temp. praeſcript.* Ex quo ſimul adparet, nec bonam fidem, nec iuſtum titulum, nec ſcientiam domini, aduerſus quem praeſcribitur, hic requiri. ZACH. HVBER. *Obſ. rer. iud. obſ.* 13. Adde tamen PAGENSTECH. *Aphor. iur. p.* 119.

§. CCCCXXXXI.

§. CCCCXXXXI.

Qui possint vsucapere, et quo effectu?

Quumque vsucapio sit modus adquirendi iuris ciuilis: (§. 437.) sequebatur, (4. vt procederet inter solos ciues Romanos. *Aduersus hostem enim*, siue peregrinum, ex lege XII. tabularum *aeterna auctoritas erat*. MACROB. *Saturn. Lib. 1. cap. 16.* Sed hoc post communicatam cum omnibus ingenuis, in orbe Romano viuentibus, ciuitatem, fere extra vsum fuit. (5. Vt tribueret dominium iuris Quiritium. VLPIAN. *Fragm. tit. 19.* §. 7. adeoque (6. locum haberet tantum in rebus immobilibus Italici soli; (§. 330.*) in rebus mobilibus omnibus. *L. vn. C. de vsucap. transfor.* Verum et hoc mutatum, postquam differentia inter res mancipi et nec mancipi, dominiumque Quiritarium et bonitarium, sublata est a Iustiniano. (§. 336.) *L. vn. C. de nud. iur. Quir. toll.*

§. CCCCXXXXII.

Vsucapionis requisita. I. Bona fides.

Ceterum vsucapionis et praescriptionis longi temporis quae sint requisita, fere ex ipsa definitione adparet. Ea enim procedere non potest I. sine BONA FIDE, *quae est opinio possessoris, qua se dominum credit.* (§. 376.) *pr. Inst. h. t. L. 109. D. de verb. sign.* Et iure quidem nostro sufficit, bonam fidem ab initio adesse, * et mala fides superueniens possessori fraudi non est. L. 48. §. 1. *D. de adquir. rer. domin. L. vn. C. de vsucap. transfor.* Sed iure canonico bona fides continua exigitur. *cap. fin. X. de praescript.* Quo iure plerisque locis vtuntur.

* Aliud in perceptione fructuum, in qua non sufficit bona fides, nisi numquam interrupta. (§. 376.) L. 23. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.*

§. CCCCXXXXIII.

II. Iustus titulus.

Nec locum habet vsucapio, II. si desit IVSTVS TITVLVS, *seu caussa ad transferendum dominium habilis:* (§. 339.) §. 5. *Inst. per quas pers. cuiqu. adquir. L. 24. C. de rei vind.* Vnde non sufficit (1. opinio erronea iustae caussae. L. 27. *D. h. t.* §. 6. *Inst. h. t.* nisi error sit iustus, L. 11. 14. *D. pro emt.* (2. nec contractus simulatus et fictus, L. 1. *C. plus val. quod agit.* (3. nec titulus reuocabilis, veluti mortis caussa donatio. L. 13. *pr. D. de mort. causs. donat.*

* Quum enim ne domini quidem traditione sine iusto titulo dominium transferatur: (§. 381. 4.) multo minus dominium adquiret, qui a non domino, nulla praeuia iusta caussa, rem traditam accepit. *L. 31. D. de adquir. rer. domin.*

§. CCCCXXXXIIII.

III. Res capaces.

Neque porro vsucapione adquiruntur, III. nisi RES vsucapionis CAPACES. (§. 440.) Ex quo sequitur, vt res furtiuae et vi possessae propter vitium rei inhaerens, et possessores comitans, et res alienari prohibitae non possint vsucapi, nisi, illis ad priorem dominum scientem reuersis, vitium purgetur. §. 3. *Inst. h. t. L. 84. D. de furt. L. 4. §. 6. et 12. sequ. D. h. t. L. 6. C. pro emt.*

§. CCCCXXXXV.

§. CCCCXXXXV.

IIII. *Tempus lege definitum.* Accedat porro necesse est IIII. TEMPVS lege DEFINITVM, olim quidem annus in re mobili; biennium in immobili: *pr. Inst. h. t.* VLPIAN. *Fragm. tit.* 19. §. 8. iure nouo triennium in mobili; decennium in immobili inter praesentes; vicennium inter absentes *. L. *vn. C. de vsuc. transf. pr. Inst. h. t.* Plerisque tamen locis, vbi ius Germanicum antiquum adhuc viget, res mobiles anno et die; immobiles triginta annis, anno, et die praescribuntur. Vid. STRYK. *Vs. hodiern. Dig. h. t.* GROENEWEG. *ad pr. Inst. h. t.* Germanis enim antiquis triginta annos saeculum fuisse, obseruauit PLIN. *Hist. nat. Lib. XVI. cap.* 44. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 4. §. 100.]

* Ergo anni absentiae duplicantur, si quis aliquamdiu praesente, aliquamdiu absente domino, rem bona fide et ex iusta caussa possedit: vel, quod perinde est, alii tot anni super decennium adiiciuntur, quot ex ipso decennio absens fuit. *Nou. CXVIIII. cap.* 8.

§. CCCCXXXXVI.

V. *Continua possessio.* Denique etiam requiritur V. CONTINVA POSSESSIO, et quidem non *naturalis* tantum, sed *ciuilis*, id est cum animo dominii, vel sibi habendi coniuncta. (§. 376.) L. 25. *D. de vsucapion.* Successor continuat possessionem auctoris sui, et in vniuersali quidem (§. 436.) nil interest, siue ipse in bona, siue in mala fide sit, dum defunctus eam bona fide inceperit: (§. 442.) §. 7. *Inst. h. t.* singularis autem, si et ipse et auctor * in bona fide fuerit. L. 13. §. *vlt. D. de adquir. possess.*

* Si in bona fide sit successor singularis, ei fraudi non est mala fides auctoris, dum ipse a sua persona vsucapionem inchoet, *L.* 5. *D. de diuers. et temp. praescr. L.* 1. *C. de praescr. long. temp.* At vniuersali mala fides defuncti semper nocet, adeo vt ne a sua quidem persona inchoare possit praescriptionem. *L.* 11. *C. de adquir. possess.* Heres enim succedit in omnia iura defuncti, (§. 435.) adeoque etiam in eiusdem vitia. *L.* 11. *D. de diuers. et tempor. praescript.*

§. CCCCXXXXVII.

Vsucapionis interruptio. Ex quo sequitur, vt si vel naturaliter, vel ciuiliter interrumpatur vsucapio, (quod VSVRPATIONEM vocant iura, L. 2. *D. h. t.*) solus lapsus temporis non prosit. L. 2. *C. de long. tempor. praescript.* Fit autem *naturalis vsurpatio*, si quis e possessione deiicitur: L. 5. *D. h. t. L.* 15. *D. de adquir. vel amitt. possess. ciuilis* per actum iudicialem, hodie per citationem aduersarii, vel per oblationem libelli. * L. *penult. et vlt. C. de ann. except.*

* Quod si tamen sequuta sit sententia absolutoria, possessio etiam lite pendente continuatur, et ad vsucapionem adimplendam prodest. *L.* 2. *D. pro don. L.* 1. *L.* 9. *C. de praescr. long. temp.* Singulare etiam priuilegium est fisci et rerum dominicarum, quod qui a fisco emat, statim securus fiat: fiscus autem post quadriennium conueniri nequeat. *L.* 2. *et L. vlt. C. de quadrienn. praescript.* §. *vlt. Inst. h. t.*

§. CCCCXXXXVIII.

§. CCCCXXXXVIII.

Hactenus de *vsucapione*, quamque cum illa pari passu ambulare voluit Iustinianus, *longi temporis praescriptione*. Ab hac differunt praescriptio *longissimi temporis*, et *immemorialis praescriptio*, (§. 438.) veluti in subsidium admissae, si quando non procedat vsucapio, vel praescriptio ordinaria. Praescriptio longissimi temporis.

§. CCCCXXXXVIIII.

Praescriptio LONGISSIMI TEMPORIS vel XXX. vel XXXX. vel C. annorum est. Quotuplex?

§. CCCCL.

TRIGINTA ANNIS (1. praeter actiones personales, L. 3. C. *de praescr. 30. vel 40. annor.* praescribuntur, (2. quae antecessor ob rei vitium, (§.440.) malam fidem, vel defectum iusti tituli, praescribere non potuit, veluti (3. res vitiosae, bona fide possessae: L. 8. §. 1. C. *eod.* (4. res minorum: L. 3. C. *quib. long. temp. praescr. non obst.* (5. res aduentitiae filiorum familias; *Nou. CXXII. cap.* 24. (6. res a malae fidei possessore alienatae, modo ipse possessor in bona fide sit. *Nou. CXXXI. cap. 6.* Praescriptio 30.annorum.

§. CCCCLI.

QVADRAGINTA ANNIS praescribuntur (1. res fiscales, L. 4. C. *de praescr.* 30. *vel* 40. *annor.* et patrimoniales principis. L. *fin. C. de fund. patr* (2. res ecclesiarum immobiles: L. 24. C. *de SS. eccles. Nou. CXI. cap.* 1. *Nou. CXXXI. cap.* 6. et ex interpretatione doctorum (3. res immobiles ciuitatum, quippe quas iure ecclesiarum frui aiunt: (4. ius hypothecae, si ipse debitor rem oppignoratam possideat. (§. 1267.) L. 7. §. 1. C. *de praescr.* 30. *vel* 40. *annor.* L. 1. §. 1. C. *de ann. except.* Praescriptio 40.annorum.

§. CCCCLII.

CENTVM ANNIS praescribuntur res ecclesiae Romanae, quae sola hoc C. annorum spatio vel priuilegio gaudet. *Auth. Quas actiones C. de SS. eccles.* Praescriptio centum annorum.

§. CCCCLIII.

PRAESCRIPTIO IMMEMORIALIS dicitur, cuius in contrarium non exstat memoria. L. 2. §. 1. 7. *D. L.* 23. §. 2. *D. de aqu. et aqu. pluu. arc.* Eaque adquiri dicuntur regalia, immunitates a tributis, cet. quamuis id vix procedat contra principem, *L. 6. C. de praescr.* 30. *vel* 40. *annor.* et numquam in domanialibus. *cap.* 33. *X. de iureiur.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 4. §. 99. *seqq.*] Praescriptio immemorialis.

TIT. VII.

DE DONATIONIBVS.

§. CCCCLIIII.

Donatio an modus adquirendi ciuilis?

ALter modus adquirendi dominii iuris ciuilis dicitur DONATIO. (§. 337.) At ea hodie non est modus adquirendi dominii; sed titulus: (§. 339.) nec tam iure ciuili auctoritatem obtinuit, quam iure gentium, nisi forte donationes mortis caussa et propter nuptias huc referre velis. Vid. VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. h. t.* §. 1. Sequendus tamen ordo Imperatoris, qui Caium sequutus videtur.*

* CAII enim temporibus donatio omnino fuit modus adquirendi dominii, quia donatio tum sine traditione non intelligebatur, adeo, vt ex lege Cincia, etiam aes et libram intercedere oporteret. Quod sensim constitutionibus mutatum. Diximus *ad* VINN. *Comment. h. t.* et ante nos etiam luculenter exposuit IO. PETR. *a* LVDEWIG. *Dissert. de donatione, eiusque barbaro adnexu, acceptatione.*

§. CCCCLV.

Eius definitio.

DONATIO est *liberalitas in accipientem, nullo iure cogente, collata:* eaque fit vel MORTIS CAVSSA, vel INTER VIVOS, seu NON MORTIS CAVSSA. *pr. Inst. h. t.*

§. CCCCLVI.

Donatio inter viuos et mortis caussa.

NON MORTIS CAVSSA, vel INTER VIVOS, donatio est, *quae sine respectu ad casum mortis celebratur:* MORTIS CAVSSA DONATIO, *quae propter mortis fit suspicionem*, siue quod immineat periculum, siue quod donator de mortalitate cogitet. L. 2. *sequ. D. de donat. mort. causs.* Illa pactum est; haec inter pactum et vltimam voluntatem quodammodo fluctuat.

§. CCCCLVII.

Quis possit donare?

Ob hoc axioma (1. vtraque donatio fieri potest a domino, et inter viuos quidem ab eo, cui libera est administratio rerum suarum, §. 40. *Inst. de rer. diuis. L.* 21. *C. mand.* mortis caussa ab eo, qui potest testamentum facere, *L.* 15. *D. de mort. causs. don.* immo et a filiofamilias, si pater permiserit. *L.* 25. §. 1. *D. eod.*

§. CCCCLVIII.

Cui?

Ergo (2. donari potest inter viuos omnibus, qui donationem acceptant. CIC. *Topic. cap.* 8. modo non obstet vnitas personae. Ex quo principio donatio non valet inter patrem et liberos, L. 1. §. 1. *D. pro donat.* (§. 139.) nec inter coniuges *. (§. 146. *) *tit. D. de donat. inter vir. et vxor.* Mortis vero caussa donari potest omnibus, qui-

quibus legari potest. *L.* 35. *pr. D. de mort. causs. donat.* §. 24. *Inst. de legat.*

* Ratio ergo reddenda ex iure antiquo. Vxores olim in manum conueniebant, eodemque loco erant viris, quo heredes suae et filiaefamilias. (§. 146. *) Ergo non magis inter se donare poterant coniuges, ac pater et filiusfamilias. Postea, quum conuentio in manum fere obsoleuisset, et donationes tamen inter coniuges prohibitae manerent ob orationem Antonini Caracallae: L. 3. *pr. D. de donat. int. vir. et vxor.* alias rationes excogitarunt ICti, veluti, ne mutuato amore se inuicem spoliarent coniuges, vt potius esset studium educendi liberos, ne venalitia essent matrimonia, cet. *L.* 1. *L.* 2. *D. de donat. inter vir. et vxor.*

§. CCCCLVIIII.

Porro ob idem axioma (3. vtroque modo donari possunt res omnes, quae sunt in commercio, etiam incorporales: L. 9. *pr.* L. 27. L. 28. *D. h. t.* etiam alienae, eatenus, vt possint vsucapi: *L.* 9. *vlt. L.* 18. §. *vlt. D. pro donat.* §. 4. *Inst. de legat. L.* 13. *pr. D. de mort. causs. donat.* etiam omnia bona praesentia et futura. L. 35. §. 4. *C. h. t.* **Quaenam res donari queant?**

§. CCCCLX.

Sed hactenus tamen differunt inter viuos et mortis caussa donatio, (1. quod illa et remotis arbitris, haec non nisi coram quinque testibus fieri potest. *L. vlt.* §. *fin. C. de codicill.* (2. Quod illa actis interuenientibus insinuanda, si 500. solidos excedat, *L.* 36. §. *vlt. C.* §. 2. *Inst. h. t.* haec insinuatione non indiget. *L. vlt. C. de mort. causs. don.* (3. Quod illa sua natura irreuocabilis, haec reuocabilis est. §. 1. *Inst. h. t. L.* 2. L. 29. *D. de mort. causs. donat.* (4. Quod illa traditione demum transfert dominium; (§. 339. **) §. 40. *Inst. de rer. diuis.* haec etiam sine traditione, *L.* 2. *D. de Public. in rem act.* (§. 339. **) dummodo decesserit donator, neque eum donationis poenituerit. §. 1. *Inst. h. t. L.* 16. *L.* 30. *D. de mort. causs. donat.* (5. Quod in illa beneficio competentiae, *L.* 12. L. 33. *D. h. t.* in hac quartae Falcidiae locus est. L. 2. *C. de mort. causs. don.* **Differentia inter donationem inter viuos, et mortis caussa.**

§. CCCCLXI.

Ergo res donata inter viuos, nondum tradita, (§. 460. 4.) si stipulatio intercesserit, *petitur actione ex stipulatu*; *pr. Inst. de verb. obl.* sin pactum, *condictione ex lege* 35. §. 4. 5. *C. h. t.* Donatarius, cui mortis caussa donatum, easdem habet actiones, quas legatarius, (§. 356.) nempe rei vindicationem, actionem hypothecariam, et personalem ex testamento. L. 1. *D. comm. leg.* §. 2. *Inst. de legat.* **Qualis ex donatione detur actio?**

§. CCCCLXII.

Quamuis vero donatio inter viuos sua natura sit irreuocabilis: (§. 460. 3.) rescinditur tamen, (1. quatenus est inofficiosa. L. 5. L. 7. *C. de inoff. donat.* (2. quatenus modum vel summam excedens 500. solidorum non insinuata. *L.* 21. *fin. D. de donat. L.* 34 *pr. L.* 36. §. *vlt. C. de donat.* (3. ob insignem ingratitudinem. §. 2. *Inst. h. t.* **De rescindenda donatione.**

h. t. L. 10. *C. de reuoc. donat.* (4. ob superuenientiam liberorum. *L.* 8. *C. de reuoc. donat.* quae lex tamen soli patrono ius donationem reuocandi concedit *, quemadmodum ex caussa tertia, tamquam delictum vindicante, tantum donatori, non heredibus, actio nascitur. *L.* 10. *C. de reuoc. don.*

* Quamuis eam doctores et ad alios donatores porrigant. Arg. L. 30. C. de fideicomm. Vid. ANDR. TIRA- QVELL. *ad L. si vmquam C. de reuoc. donat.* Lugd. 1574. fol.

§. CCCCLXIII.

Donatio propter nuptias. Donationis inter viuos species etiam est *donatio propter nuptias*, seu *ἀντίφερν*, quam ob perpetuum diuortii metum maritus vxori, vel sponsus sponsae faciebat in securitatem dotis. §. 3. *Inst. h. t.* Quae donatio (1. doti, quoad quantitatem et pacta, fere similis. *L. vlt. C. de donat. ante nupt. Nou. LXXXXVII.* (2 vxori, constante matrimonio, nec dominium tribuit, nec ius capiendi fructus, sed tantum (3 pignus tacitum in bonis mariti. *L.* 29. *C. de iur. dot. Nou. LXI. cap.* 1. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 13. §. 354. *seqq.*]

T I T. VIII.

QVIBVS ALIENARE LICET, VEL NON.

§. CCCCLXIIII.

Dominii effectus ius alienandi. Dominii effectus est ius de re sua disponendi, adeoque et eamdem alienandi. (§. 335.) §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Contra non dominus, quod non habet, dominium in alterum transferre, adeoque et alienare nequit. (§. 383.) *L.* 54. *D. de reg. iur.* §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Quia tamen in definitione dominii (§. 335.) expressimus limitationem, *nisi vel lex, vel conuentio, vel testatoris voluntas obsistat* et praeter dominium aliae quoque sunt iuris in re species. (§. 334.) hinc aliquando euenit, I. vt dominus alienare nequeat : II. vt non dominus recte alienet. Quae παράδοξα θέματα, vti THEOPHILVS vocat, tractantur hoc titulo.

§. CCCCLXV.

Maritus non potest alienare fundum dotalem. I. *Nonnumquam dominus rem suam iure non alienat*. (§. 364.) Nam (1. maritus est dominus dotis. (§. 336. *) *pr. Inst. h. t.* L. 9. *C. de rei vind.* Est enim DOS *pecunia*, (§. 311.) *data marito ad sustinenda matrimonii onera* : *L.* 56. §. 1. *D. L.* 20. *C. de iur. dot.* Nec tamen per legem Iuliam de adulteriis alienare ei licebat fundum dotalem Italicum, inuita vxore, nec eumdem, consentiente ea, obli-

obligare. PAVLL. *Sent. recept. Lib. II. tit.* 24. Quin IVSTINIANVS, ne consentiente quidem vxore, alienationem vel oppignorationem fundi cuiuscumque permisit, L. *vn.* §. 15. *C. de rei vxor. act. pr Inst. h. t.* nisi alienatio vel sit necessaria, L. 1. *D. de fund. dot. L. vlt. C. eod.* vel in vtilitatem vxoris facta. L. 26. L. *vlt. D. de iur. dot.* Quae tamen prohibitio non pertinet ad res mobiles, L. 1. *C. de seru. pign. dat. man.* nec ad immobiles venditionis caussa aestimato datas, quarum dominium omnimodo nanciscitur maritus. L. 20. §. 4. *D.* L. 5. L. 10. *C. de iur. dot.*

§. CCCCLXVI.

Deinde (2. pupillus est dominus rerum suarum, et tamen eas non alienat, nec mutuum recte dat, adeo, vt, si dederit, nummi exstantes vindicentur, bona fide consumti condicantur, de mala fide consumtis ad exhibendum agatur, §. *vlt. Inst. h. t.* Immo pupillo, licet domino, non recte soluitur, nisi auctoritate tutoris, et interposito decreto. §. *vlt. Inst. h. t.* exceptis vsuris intra biennium debitis, et non excedentibus centum solidorum quantitatem. L. 25. *et* 27. *C. de administr. tutor.* Multo minus ergo pupillus recte soluit, et hinc, quod solutum, si exstat, vindicatur, sin consumtum, contingit liberatio. L. 14. §. *vlt. D. de solution.* Pupillus an alienet?

§. CCCCLXVII.

II. *Aliquando, qui dominus non est, recte tamen alienat.* Sic enim (1. creditor recte alienat pignus, nulla praemissa denunciatione, si ita conuenerit, vt liceret pignus distrahere. * L. 4. *D. de pign. act.* Nam (2. si conuenerit, ne vendatur, non nisi trina praemissa denunciatione recte distrahit creditor. *d. L.* 4. *D. de pign. act. L.* 4. *C. de distr. pign.* Denique (3. si nihil conuentum, post denunciationem, et biennium elapsum permittitur distractio, modo ea fiat bona fide et sollemniter. *L. vlt.* §. 1. *C. de iur. dom. imp.* (4. Si res emtorem non inuenerit pretio tolerabili; repetitur denunciatio, vel iudex debitori absenti praefigit diem, intra quem soluat: quod ni faciat, creditor a principe impetrat dominium, relicta debitori facultate, pignus luendi intra biennium. *L. vlt.* §. 2. 3. *C. eod.* Quando creditor pignus alienare queat?

* Caue vero hoc *pactum de distrahendo pignore* confundas cum *pact. commissorio*, quo conuenit, vt, debito iusto tempore non soluto, pignus pleno iure creditori cedat. Illud enim pactum licitum: L. 7. §. *vlt. D. de distr. pign.* hoc illicitum est. L. *vlt. C. de pact. pign.*

§. CCCCLXVIII.

Deinde (2. tutor non est dominus rerum pupilli, et tamen ei licet alienare res pupillares, vrgente necessitate, vel iussu parentum, vel alia iusta caussa suadente, et pretiosas quidem, maxime immobiles, cum decreto magistratus, reliquas et sine eo. *L.* 1. §. 2. *D. de reb. eor. qui sub tut. vel cur.* L. 22. *C. de adm. tut. et cur.* Tutor quando alienet?

TIT.

T I T. VIIII.

PER QVAS PERSONAS CVIQVE ADQVIRITVR.

§. CCCCLXVIIII.

Adquiritur nobis per res nostras.

Adquiritur nobis non solum per nos ipsos, sed et per res nostras. (§. 354.)

§. CCCCLXX.

Ergo et per seruos.

Quum ergo et filii familias, (§. 135. *sequ.*) et serui Romanorum, (§. 77.) tamquam res mancipi, essent in dominio Quiritario parentum et dominorum: consequens erat, (1. vt quidquid adquirerent serui, eius proprietatem adquirerent dominis, etiam ignorantibus et inuitis: §. 3. *Inst. h. t.* possessionem, extra peculium, scientibus et volentibus: *L.* 34. §. *vlt. L.* 44. §. 1. *D. de adquir. possess.* hereditatem tantum iubentibus: §. 3. *Inst. h. t.* et quidem, si domini essent plures, singulis pro rata dominii, nisi vni speciatim stipulatus esset seruus. **

* Quamuis enim et seruis concederetur peculium: id tamen profectitium erat indistincte, quia dominus omnia eripere potuisset. Itaque hoc peculium semper erat in dominio heri, qui vel liberiorem, vel adstrictiorem eius administrationem seruo permittebat pro lubitu. *L.* 7. §. 1. *D. de pecul. L.* 20. *D. de iureiur.* TERENT. *Phorm. Act. I. sc.* 1. *v.* 7. *sequ.*

** Quid hodie obtineat in hominibus propriis, supra occupauimus. (§. 85.)

§. CCCCLXXI.

An et per seruos fructuarios?

Quamuis vero serui fructuarii non sint nostri, (§. 416.) nec ingenui bona fide possessi serui sint: (§. 91. 4. 5.) tamen (2. et hi nobis adquirunt operis suis, et e re nostra*. Reliqua enim proprietario vel sibi adquirunt, nisi quaedam contemplatione fructuarii, aut bonae fidei possessoris relicta censeantur. §. 4. *Inst. h. t. L.* 21. 22. 23. *D. de vsufr.*

§. CCCCLXXII.

Per filios familias.

Ex statu porro liberorum (§. 135.) fluit, (3. quidquid a filio filiaue familias adquiritur, id omne adquiri patri. Et eo iure indistincte vtebantur veteres. SEXT. EMPIR. *Pyrrhon. hypot. III.* 24. SENECA, *de benef. VII.* 4. DIONYS. HALIC. *Antiquit. Rom. lib. VIII.*

§. CCCCLXXIII.

Qui adquaestus restringuntur peculiis.

Quemadmodum vero reliqua parentum iura sensim imminuta esse nouimus: (§. 140.) ita idem circa ius adquirendi per liberos contigit, introductis postea peculiis. PECVLIVM vero est *pusilla pecunia, quam filius familias vel seruus a rationibus paternis vel dominicis se-*

pa-

paratam habet. *L.* 5. §. 3. *et* 4. *D. de pecul.* idque in MILITARE et PAGANVM; illudque iterum in CASTRENSE et QVASI CASTRENSE; hoc in PROFECTITIVM et ADVENTITIVM diuiditur.

§. CCCCLXXIIII.

Peculium CASTRENSE, (cuius origo eadem videtur, ac testamenti militaris, *L.* 1. *pr. D. de testam. milit.*) complectitur *omnia, quae filius familias occasione militiae sagatae adquisiuit*. *L.* 11. *D. de castr. pecul.* eoque pertinet, quod pater filio in militiam eunti donat, hereditas a commilitone relicta, etiam a fratre in iisdem castris militante, quidquid porro captum ab hostibus, vel ex pecunia castrensi emtum *. *L.* 4. *pr. D. L.* 4. *C. eod.* Peculium castrense.

* Peculium enim est vniuersitas, L. 20. §. 10. *D. de hered. petit.* In vniuersitate vero res succedit in locum pretii.

§. CCCCLXXV.

QVASI CASTRENSE, prioris ad exemplum inuentum, * *quod filiusfamilias occasione militiae togatae adquirit*. *L.* 14. *C. de aduoc. diuers. iudicior. L.* 6. *D. de re iud. L. fin. C. de inoff. test.* Quo referuntur sumtus a patre in studia filii facti, adquisita ex aduocatione, vel aliarum artium liberalium exercitio, *d. L. vlt. C. de inoff. test.* itemque donata a principe vel Augusta. *L.* 7. *C. de bon. quae lib.* Quasi castrense.

* Et quidem haud paullo ante Iustinianum, vti ex *L.* 52. §. 8. D. *pro socio* colligit ANT. SCHVLTING. *Iurisprud. anteiust. p.* 470. Vnde merito refellit FRANC. BALDVINVM, qui in *Iustiniano Lib. III.* vbicumque mentio fit huius peculii, Triboniani manum sibi deprehendere visus est.

§. CCCCLXXVI.

Peculium PROFECTITIVM est, *quod e re patris proficiscitur, vel occasione et contemplatione patris filio obuenit*. §. 1. *Inst. h. t.* Profectitium.

§. CCCCLXXVII.

ADVENTITIVM denique est, *quod ex alia caussa, veluti liberalitate matris, aliorumue, vel proprio labore, vel prospera fortuna filio adquiritur*. §. 1. *Inst. h. t.* Aduentitium.

§. CCCCLXXVIII.

Peculium *castrense* et *quasi castrense* pleno iure est filii, *pr. Inst. quib. non est permiss. fac. testam.* L. 6. *C. de bon. quae lib.* adeoque (1. in eo pro patre familias habetur, *L.* 2. *D. de SC. Maced.* (et (2. de eo inter viuos et mortis caussa libere disponit, *L.* 3. *C. de castr. pecul.* immo id et ad heredes ab intestato transmittit *. *pr. Inst. quib. non est permiss.* Quid iuris filio in castrensi et quasi castrensi?

* Secus ac olim, quum pater bona filii mortui castrensia iure peculii occuparet. *L.* 2. *D. de castr. pecul.*

§. CCCCLXXVIIII.

§. CCCCLXXVIIII.

Quid in profectitio? *Profectitium* pleno iure patris est * §. 1. *Inst. h. t.* adeoque sola filio relinquitur administratio, qui tamen eo fruitur, idque retinet, (1. bonis paternis publicatis, *L.* 3. §. 4. *D. de min.* et (2. post emancipationem, si pater non ademerit. L. 31. §. 2. *D. de donat.*

* Ratio huius iuris arcessenda ex vnitate personae. Quum enim pater et filius vna persona habeantur: (§. 139. 5.) consequens est, vt pater filio donare nequeat. (§. 458.) Ideoque, quidquid a patre in filium proficiscitur, patris manet. §. 1. *Inst. h. t.*

§. CCCCLXXX.

Quid in aduentitio ordinario? Peculii denique *aduentitii* proprietas ordinarie est penes filium vsusfructus et administratio penes patrem, quoad viuit. §. 1. *Inst. h. t.* L. 6. *L. vlt.* §. 7. *C. de bon. quae lib.*

§. CCCCXXXI.

Quid in extraordinario? *Ordinarie*, inquam. Nam nonnumquam peculium aduentitium pleno iure fit filii, (1. si filius renuente patre hereditatem adierit: *L. vlt.* §. 1. *C. de bon. quae lib.* (2. Si filio ea conditione quid donatum relictumque sit, ne pater vsumfructum habeat. *Nou. CXVII. cap.* 1. (3. Si filius vna cum patre succedat fratri germano. *Nou. CXXVIII. cap.* 2. (4. Si pater in bonis filio restituendis dolose versatus sit. *L.* 50. *D. ad SC. Trebell.* Hinc id peculium aduentitium doctoribus IRREGVLARE, EXTRAORDINARIVM, PLENVM alterum, de quo §. 480. REGVLARE, ORDINARIVM, MINVS PLENVM adpellatur.

§. CCCCLXXXI.

An et per extraneos adquiramus? Quia ergo tantum per filios familias et seruos nostros nobis adquiritur: (§. 469. *sequ.*) de ceteris valet axioma: *alii per alium adquiri nequit*. Attamen ex mandato nostro per procuratorem nobis et dominium et possessio adquiri potest. §. 5. *Inst. h. t.*

T I T. X.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

§. CCCCLXXXIII.

Connexio. Reliquis modis adquirendi singularibus per legata et fideicommissa (§. 437.) ad finem libri huius secundi reiectis, Imperator transit ad ciuiles vniuersales, (§. 436.) quorum primus est HEREDITAS.

§. CCCCLXXXIIII.

§. CCCCLXXXIIII.

Hereditatum duplex conditio est. Nam ex iure ciuili Romano vel EX TESTAMENTO, vel AB INTESTATO ad nos pertinent, §. *6. Inst. per quas pers. cuiqu. adquir.* quarum illa hanc excludit. *L. 39. D. de adquir. hered.* Hereditas quotuplex?

§. CCCCLXXXV.

Quum vero praecipua sit successio testamentaria, et quamdiu successor ex testamento speratur, ab intestato heredibus locus non detur: (§. 484.) merito eius rei caussa ab origine arcessenda est, maxime quum alioquin expediti iuris sit, ius publicum priuatorum voluntate mutari non posse. *L. 38. D. de pact. L. vlt. D. de suis et legit. hered.* Testamentum mutat successionem legitimam.

§. CCCCLXXXVI.

Successio omnis iure Romano erat legitima: et hinc non nisi noua lege mutari poterat. Nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidvis dissolui, quo erat colligatum. L. 35. *D. de reg. iur.* Itaque et leges de successione intestatorum noua lege tollebantur, dum in comitiis calatis rogabatur populus, velitne iubeatne, vt Lucius Titius Lucio Valerio tam iure legeque heres sit, quam si filius eius proximusue heres esset? *Arg.* GELL. *Noct. Att. Lib. XV. cap. 27.* Et haec sunt TESTAMENTA IN COMITIIS CALATIS FACTA, de quibus §. 1. *Inst. h. t.* Vnde et postea semper mansit principium, *testamenti factionem esse iuris publici. L. 3. D. qui test. fac. poss.* Cur testamenta olim facta in comitiis?

§. CCCCLXXXVII.

Postea legibus XII. tabularum cautum fuerat: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. (§. 208.) Quum vero priuata voluntas leges de successione tollere non posset: fingebant ICti, qui actiones legis componebant, (§. 68.) hereditatem veluti inter viuos alienari. BYNKERSHOEK. *Obs. Lib. II. cap. 2.* Cur postea per aes et libram?

§. CCCCLXXXVIII.

Quum itaque hereditas esset res mancipi, (§. 330. *) res mancipi vero mancipatione transferrentur: (§. 336.) testamenta condi insuerunt PER AES ET LIBRAM. Constituebatur ergo *familiae emtor*, cui testator, praesentibus *quinque testibus*, ciuibus Romanis, *antestato* et *libripende*, familiam vel hereditatem venderet, GELL. *Lib. XV. cap. 26.* addita nuncupatione sollemni: *haec vti in his tabulis cerisue scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos, Quirites, testimonium praebitote.* VLPIAN. *Fragm. tit. 20. §. 9.* Ritus hic qualis?

§. CCCCLXXXVIIII.

Quemadmodum porro PRAETOR saepe ius ciuile sub aequitatis specie mutabat: (§. 65.) ita et secundum tabulas dabat bonorum possessionem, dum septem testes eas signassent. * §. 2. *Inst. h. t.* Testamentum praetorium.

* Quinque enim testes adhibebantur more in mancipationibus recepto, (§. 488.) reliqui duo libripendem et antestatum repraesentabant. Antiquum esse hoc testamentum, et Ciceronis temporibus anterius, patet ex CIC. in Verr. I. cap. 45.

§. CCCCLXXXX.

Ius circa testamenta nouissimum. Vsu demum et constitutionibus principum inualuit noua testandi ratio, quae tamen fere veteribus nititur principiis, adeoque TESTAMENTVM ex ritu antiquo, edicto praetoris, et constitutionibus principum conflatum, * iam nihil aliud est, quam *voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. L. 1. D. qui testam. fac. poss.*

* Et quidem temporibus Theodosii Iunioris. Vid. IAC. GOTHOFR. *ad L. 1. C. Th. de test. et codic. Tom. I. p. 334. sequ.*

§. CCCCLXXXXI.

Testamentum vel scriptum, vel nuncupatiuum. Quum ergo testamentum sit voluntatis nostrae sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit: (§. 490.) vel, vt Imperator, Stoicam allusionem (§. 82. *) pro etymologia sequutus, ait, *testatio mentis: pr. Inst. h. t.* sequitur, (1. vt quis vel scripto testari possit, vel per nuncupationem. Vnde distinctio testamenti in SCRIPTVM et NVNCVPATIVVM. (2. Vt de vniuersitate omnium bonorum testari, adeoque (3. nec pro parte testatus, pro parte intestatus, *L. 7. D. de reg. iur. §. 5. Inst. de her. inst.* nec (4 cum duobus pluribusue testamentis decedere: *L. 19. C. de test. mil.* et hinc (5. voluntatem suam semper mutare, et prius testamentum posteriore tollere possit. L. 4. *D. de adim. legat.* (6. Vt integritas mentis exigatur in eo, qui testamentum condit. L. 2. *D. et L. 3. C. qui test. fac. poss.*

§. CCCCLXXXXII.

Debet fieri sollemniter. Quumque deinde sit *iusta*, id est, sollemnis voluntatis nostrae sententia: (§. 490.) consequens est, (7. vt sollemnitates omnes obseruari oporteat, nullaque sine periculo nullitatis possit praetermitti. *L. 17. L. 23. C. de fideicomm.*

§. CCCCLXXXXIII.

Sollemnitas interna. Sollemnitates vel *internae* sunt, vel *externae*. Interna est heredis idonei legitima institutio. §. 34. *Inst. de leg. L. 1. §. 3. D. de hered. instit.* Eaque fiebat verbis directis vel imperatiuis, * veluti: *Titius heres esto;* precatiua enim vel obliqua plerisque improbata. VLPIAN. *Fragm. tit.* 21. §. 1. Sed hodie quaeuis verba sufficiunt. *L. 15. C. de testam.*

* Quia enim testamenta vetustissimis temporibus erant leges, in comitiis calatis latae: (§. 486.) hanc legum indolem testamenta etiam sequiore aeuo retinuerunt, nec nisi verbis imperatiuis facta sunt. CVIAC. *Obs. Lib. XI. cap. 35.* Hinc testamentum dicitur *νόμος*: *lex*: *Excerpt. de Legation.*

pag.

pag. 61. teſtari νομοθετεῖν, *legem ferre*: CHRYSOSTOM. *Serm. I. in Act. Apoſt. pag.* 615. *Nou. XXII. cap.* 2. Quin *legare* quo vocabulo decemuiri vſi, ab VLP. *Fragm. tit.* 24. §. 1. exponitur, *legis modo, id eſt, imperatiue, teſtamento relinquere.*

§. CCCCLXXXXIIII.

Externae, veluti vnitas contextus.

Sollemnitates *externae* exiguntur plures, veluti I. vt teſtamenta fiant *vno contextu*, * id eſt, actu teſtandi continuo et non interrupto, *L.* 28. *C. de teſt.* nec quoquam, quod ad teſtandi actum non pertinet, veluti contractu, intermixto. L. 20. *D. de verb. ſign.*

* Quia enim teſtamenta olim condita in comitiis calatis: (§. 486.) in comitiis autem interruptis nihil actum credebatur: CIC. *ad Quint. fratr. Libro III. epiſt.* 3. idem mos etiam in teſtamentis videbatur obſeruandus.

§. CCCCLXXXXV.

Septem teſtes.

II. Vt ſeptem adſint teſtes, (§. 489. *) ſpecialiter rogati *, *L.* 21. §. *penult. D. qui teſt. fac. poſſ.* teſtatorem videntes, L. 9. *C. de teſt.* quibuſcum eſt teſtamentifactio. ** §. 6. *Inſt. de teſtam.* Vnde nec mulier, (*d.* §. 6. GELL. *Lib.* 5. §. 19.) nec impubes, nec ſeruus, (*L.* 20. §. 6. 7. *D. qui teſt. fac.*) nec furioſus, nec mutus, nec ſurdus, nec coecus, nec prodigus, nec improbus et inteſtabilis, id eſt, ob carmen famoſum damnatus, *L.* 21. *D. de teſt. L.* 18. §. 1. *D. qui teſt. fac. poſſ.* teſtamento tamquam teſtes adeſſe poſſunt. *d.* §. 6. *Inſt. h. t.* Oportet etiam teſtes nec heredes, nec in poteſtate teſtatoris, nec in poteſtate heredis vel eidem coniunctos eſſe. §. 9. *et* 10. *Inſt. h. t.* L. 20. *pr. et* §. 1. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* Ipſorum teſtium inter ſe coniunctio non nocet. §. 8. *Inſt. h. t. L.* 17. *D. de teſt.*

* Quia et in comitiis calatis ſollemnis praemittebatur rogatio: VELITIS IVBEATIS QVIRITES. (§. 486.)

** Caue hic intelligas vel teſtamenti factionem *actiuam*, vel *paſſiuam*, vel vtramque ſimul. Non actiuam, quia filiusfamilias teſtis eſſe, nec tamen teſtari poteſt: non paſſiuam, quia impubes heres inſtitui, nec tamen teſtamento teſtis adeſſe poteſt: nec vtramque, quia mulier et teſtamentum condit, et heres recte inſtituitur, nec tamen hic recte teſtimonium perhibet. Tu dic, cui non liceret intereſſe comitiis calatis, cum eo non fuiſſe teſtamenti factionem, nec eum teſtem eſſe potuiſſe in teſtamento. Vnde male THEOPHILVS: οἵτινες ὑφ' ἡμῶν δύνανται κληρονόμοι γράφεσθαι, καὶ γράφειν ἡμᾶς: *qui et a nobis heredes inſtitui, et nos inſtituere poſſunt.*

§. CCCCLXXXXVI.

Subſcriptio teſtatoris.

Hae ſollemnitates teſtamento nuncupatiuo et ſcripto communes ſunt. In ſcripto praeterea requiritur, III. vt teſtator vel ipſe ſcribat tabulas, (quod teſtamentum *holographum* vocatur,) vel iiſdem ſubſcribat, * vel ſi ſcribere neſciat, octauum teſtem eum in finem adhibeat, pro teſtatore ſubſcripturum. L. 28. §. 1. *C. de teſtam.*

* Addiderat IVSTINIANVS, vt et teſtator vel teſtes nomen heredis ſua manu exprimerent. §. 4. *Inſt. h. t.* L. 20. *C. de teſtam.* ſed eam ſollemnitatem ipſe poſtea ſuſtulit. *Nou. CXVIIII. cap.* 9.

§. CCCCLXXXXVII.

Subscriptio testium.

Denique IIII. requiritur, vt et testes subscribant, et tabulis signacula, (§. 489.) siue suo, siue alieno annulo, alioue instrumento expressa * adponant. §. 3. *Inst. h. t. L.* 22. §. 2. 5. 7. *et L.* 30. *D. qui testam. fac. poss. L.* 12. *C. de testam.*

* Ita sane hodie. Signacula enim testium moribus hodiernis penitus vbique in desuetudinem abiisse, vti visum GVDELINO, *de iure nouiss. II.* 5. experientiae aduersatur. Perinde vero habetur in vniuersa Germania, siue quis annulo, siue typario signet, modo χαρακτῆρα expressum habeat: quamuis L. 22. §. 5. *D. qui test. fac. poss.* ex subtili iuris ratione annulum praecise exigat, nec ea emendatione mutanda videatur.

§. CCCCLXXXXVIII.

An et alia requirantur?

Parum vero interest, qua lingua, quibusue verbis quis testetur, L. 21. §. *vlt. D. L.* 15. *C. de testam.* quaue in materia, (cera, charta, an membrana,) scribat: §. 12. *Inst. de test. ord. L.* 1. L. 4. *D. de bon. poss. sec. tab.* dummodo litteris, non notis, testamentum perscribatur. *L.* 6. §. *vlt. D. de bon. poss.* nec charta deletitia *, vel ὀπισθόγραφος, cui alioquin vltima voluntas inscribi potest, (*L.* 4. *D. de bon. poss. sec. tabb.*) litteras confundat.

* Charta *deletitia* est, e qua, quod antea inscriptum, deinde erasum est. BRISSON. *de verb. sign. voce deletitia.* Ὀπισθόγραφος charta, cuius iam litteris impletae tergo aliud quid inscribitur, VOSS. *Etymol. h. v.* SAVARON. *ad SIDON. Lib. II. epist.* 9. non cuius vtraque pagina conscripta, vti GVIDO PANCIROL. *Lect. var. Lib. II. cap.* 109.

§. CCCCLXXXXVIIII.

Quid in testamento nuncupatiuo?

In *nuncupatiuo* testamento (§. 491.) requisita, §. 496. exposita, exsulant, sufficitque, si testator coram septem testibus idoneis et rogatis, testatoremque videntibus et intelligentibus, vltimam voluntatem viua voce eloquatur. §. 14. *Inst. h. t. L.* 11. *pr.* §. *penult. D. qui testam. fac. poss. L.* 21. §. 2. L. 26. *C. de test.* Nec mutatur testamentum nuncupatiuum in scriptum, si vel maxime ea nuncupatio postea in scripturam memoriae caussa redacta fuerit. SICHARD. *in L.* 21. §. 2. *C. de testam.* §. 2.

§. D.

Vsus hodiernus.

Testamenta sollemnia etiamnum in Germania, immo et in Frisia nostra, conduntur. Sed rarius tamen ea fiunt priuatim: saepius vel iudice cum scabinis et scriba, vel tabellione cum testibus adhibito. Saepissime testamenta domi scripta offeruntur principi vel magistratui. *L.* 19. *C. de test.* Alicubi etiam valent testamenta secundum ius canonicum condita coram parocho et duobus testibus. *cap.* 10. *X. de test.* Secundum consuetudinem ergo singulorum locorum rite facta testamenta, vbique valent, etiam vbi diuersae sollemnitates receptae sunt. SAND. *Lib. IIII. tit.* 1. *def.* 14. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 7. §. 174. *seqq.*]

TIT.

T I T. XI.

DE MILITARI TESTAMENTO.

§. DI.

SVpra obseruauimus, (§. 492. 6.) nullam sollemnitatem in testamento posse praetermitti sine periculo nullitatis. Sunt tamen quaedam testamenta, quibus vel omnes, vel quaedam sollemnitates remissae, quae ideo PRIVILEGIATA, vel MINVS SOLLEMNIA, dicuntur. Testamenta minus sollemnia, vel priuilegiata.

§. DII.

Omnes sollemnitates internae externaeque remissae sunt (1. MILITIBVS ob imminens vitae periculum. L. 1. L. 34. §. 2. L. 35. L. 40. *D. h. t. L.* 15. *C. pr. Inst. h. t.* Quemadmodum enim olim, etiam ante XII. tabulas, milites IN PROCINCTV testari poterant, ita vt imminente acie sagis, vel potius cinctu Gabino, induti, et scutis inferentes manus, tribus aut quatuor audientibus, heredem suum nuncuparent: PLVTARCH. *in Coriolan. pag.* 198. SERV. *ad* VIRG. *Aen. Lib. VII. v.* 612. VELLEI. PATERC. *Lib. II. cap.* 5. ita et postea liberam testamenti factionem militibus, non quidem in procinctu, sed tamen in periculo constitutis, reddidit * primum Iul. Caesar, deinde Titus, postea Domitianus, hinc Nerua, ac postremo Traianus. *L. 1. pr. D. h. t.* Vnde testamentum militare ex constitutionibus Principum deriuat VLPIAN. *Fragm. tit.* 23. §. 2. Quale est militum.

* Testamentum enim in procinctu ab vsu recesserat, teste Iustiniano. §. 1. *Inst. de test. ord.* et quidem iam tempore Ciceronis, quia iam tum bella auspicato geri desierant. CIC. *de nat. deor. Lib. II. cap.* 3. Postea ea priuilegia restitui militibus placuit, postquam et in bellis ciuilibus et ab Augusti temporibus mercenarium militem sibi placuit. Intererat enim principum, homines compluribus huiusmodi priuilegiis ad militiam inuitari.

§. DIII.

Quum ergo omnibus sollemnitatibus, (§. 502.) adeoque et internis, (§. 493.) soluti sint milites: consequens est, (1 Vt heredes instituere possint quoscumque, etiam quibuscum non est testamentifactio. *L.* 13. §. 2. *D. L.* 5. *C. h. t.* Vt possint et liberos exheredare, vel tacite praeterire, §. 6. *Inst. de exher. liber. L.* 9. *L.* 10. *C. h. t.* adeoque (3 nec agnatione suorum heredum eorum testamenta rumpantur, *L.* 7. 8. *D. h. t.* nec aduersus ea valeat querela inofficiosi. *L.* 10. §. *vlt. D. h. t.* (4 Vt possint pro parte testati pro parte intestati: L. 6. L. 15. §. 4. L. 37. *D. h. t.*) (5 et cum pluribus testamentis decedere, L. 19. *pr. D. h. t.* (6 et codicillis heredes instituere, *L.* 36. *pr. D. h. t.* (7 Vt quocumque modo substituere. (L. 5. L. 15. Soluti sunt milites sollemnitatibus internis.

15. §. 5. L. 28. *D. h. t.*) immo et (8 plus, quam lex Falcidia patitur, legare queant. L. 17. §. *vlt. D.* L. 12. *C. h. t.*

§. DIIII.

Itemque externis. Quumque et externae sollemnitates remissae sint: (§. 502.) sequitur, (1. vt, si testamentum militis sit scriptum, nulli testes requirantur, adeoque omnes sollemnitates, (de quibus a §. 495. ad §. 497. actum,) ab eo recte omittantur, L. 15. *C. h. t.* modo, militem scripsisse, satis constet. *L.* 40. *pr. D. h. t.* (2. Vt, si nuncupatiuum testamentum condat, etiam duo testes sufficiant, L. 12. *D. de test.* etiam non rogati. *L. vlt.* §. *vlt. D. de codicill.* (3. Vt vnicum sit huius testamenti essentiale requisitum, puta, vt constet, militem animo deliberato, non fortuito sermone, heredem sibi nuncupasse. §. 1. *Inst. et L.* 24. *D. h. t.*

§. DV.

Quinam hoc priuilegio gaudeant. Ita ergo iure testantur milites, non modo, qui intra numerum sunt, sed et reliqui in hostico deprehensi, iisdemque expositi periculis: (§. 502.) *L.* 44. *D. h. t.* etiam surdi et muti nondum missi, L. 4. *D. h. t.* vbi add. VINN. *ad* §. 1. *Inst. h. t.* et de statu suo dubitantes *L.* 11. §. 1. *D. h. t.*

§. DVI.

Quando? Sed quum caussa priuilegii sit periculum vitae imminens: (§. 502.) sequitur, (1. vt ita iure testentur milites in expeditione tantum et castris degentes, §. 3. *Inst.* L. 1. L. 15. L. *penult. C. h. t.* adeoque in hibernis iidem iure communi obstringantur. (2. Vt et testamentum, ante militiam non iure factum, vel verbis vel factis confirmare possint. L. 9. §. 1. L. 20. §. 1. L. 25. *D. h. t.* (3. Vt missione impetrata, et depulso veluti periculo, testamentum iure militari factum exspiret, quamuis veteranis, missionem honestam vel caussariam impetrantibus, id priuilegium concessum sit, vt eorum testamenta adhuc intra annum valeant, §. 3. *Inst. et L.* 26. *pr.* §. 1. *D. h. t.* et conditio, elapso illo anno existens, retrotrahatur. §. 3. *Inst. h. t. L.* 25. *D. de condit. inst.*

§. DVII.

Filius familias vt testetur de peculio castrensi? Quia etiam supra monuimus, de peculio castrensi vel quasi castrensi libere disponere filium familias: (§. 478. 2.) iam addendum, eum quidem idem de illis testandi ius habere, ac militem, sed ob periculum haud imminens extra militiam non eodem modo testari, sed requisita iuris ciuilis merito obseruare. §. 6. *Inst. h. t. L. vlt. C. de inoff. test.*

§. DVIII.

Vsus hodiernus. Et hoc iure hactenus explicato vtimur: praeterquam, quod leges Germanicae secus ac Romanae, (§. 506. 1.) inter militem in acie et in castris constitutum distinguunt, et illius testamentum quocumque modo conditum; huius, si duo testes adhibiti fuerint, ratum esse

se iubent. *Constit.* MAXIMIL. *ann.* 1512. *tit. de testam.* §. *und. sollen.* Quam sententiam glossae §. 1. *Inst. h. t.* originem debere, iam obseruauit VIGL. ZVICH. *ad d.* §. 1. *pag.* 83.

§. DVIIII.

Quaedam sollemnitates externae etiam remissae sunt II. PARENTIBVS testantibus inter liberos *. Nam si in scriptura testantur, tabulasque vel ipsi scribunt, vel subscribunt iisdem, anno, mense, die, vnciisque, in quibus liberos instituunt, perspicue expressis: testes non sunt necessarii. *L.* 21. §. 1. *C. de testam. Nou. CVII. cap.* 1. Sin per nuncupationem; duo testes sufficiunt. *Arg.* L. 12. *D. de test.* Testamentum parentum inter liberos.

* Eosque solos. Quod ad extraneam enim personam attinet, eius contemplatione restamentum non valet, nisi auctus adfuerit testium numerus, et reliquae adhibitae sint sollemnitates. Quamuis enim alia colligi posse videantur ex *authent. Quod sine C. de testam.* tamen, quia ab auctoritate sua, id est, *Nou. CVII. cap.* 1. recedit, ei nihil tribuendum. (§. 16.) STRYK. *Caut. testam. cap.* 10. §. 24.

§. DX.

Quodammodo etiam sollemnitatibus soluti III. TEMPORE PESTIS testantes, quibus sola vnitas contextus, id est simultanea testium praesentia, ob contagionis periculum remissa est L. 8. *C. de testam.* Testamentum tempore pestis factum.

§. DXI.

Simile quodammodo priuilegium tributum IIII. RVRI testantibus, quorum testamenta subsistunt, quinque testium subscriptione vel signaculis munita, (quamuis et alii pro aliis subscribere possint,) si vel plures, vel litterarum periti, vt fit in agris, haberi nequeant: L. *vlt. C. de test.* quod in dubio, donec probetur contrarium, praesumitur. Testamentum ruri factum.

§. DXII.

Eodem referunt V. testamenta PRINCIPI OBLATA, VI. vel ACTIS INSINVATA, quae nullas sollemnitates exigunt. L. 19. *C. de testam.* (§. 500.) VII. Testamentum POSTERIVS IMPERFECTVM, quo heredes ab intestato priore praeteriti ad successionem vocantur, in quo quinque testes sufficiunt. L. 21. §. *penult. C. de testam.* VIII. Testamenta, quibus PIAE CAVSSAE consulitur, quae omnibus sollemnitatibus soluit pontifex. *cap.* 11. *X. de testam.* Testamenta priuilegiata.

TIT.

T I T. XII.

QVIBVS NON EST PERMISSVM FACERE TESTAMENTVM.

§. DXIII.

Qui testari possint?

TEstamenta condere possunt omnes, qui non prohibentur. Qui vero prohibeantur, hoc titulo traditur, nimirum omnes, qui non participes erant iuris comitiorum. * (§. 486.)

* Vnde nec mulieres olim testamenta facere potuisse videntur. Postea his data testamentifactio, modo tutor fieret auctor.

§. DXIIII.

Non testantur, qui non sunt ciues.

Quum enim testamentifactio sit iuris publici Romani: (§. 486.) L. 3. *D. qui test. fac. poss.* consequens est, vt iure Romano testari non possint (1. serui, L. 19. *D. eod.* nec (2. qui apud hostes sunt, (§. 81. *sequ.*) quorum testamenta, in captiuitate facta, ne quidem, si redierint, rata sunt: * L. 8. *pr. D. eod.* §. *vlt. Inst. h. t.* nec (3. peregrini, aut deportati. (§. 227.) *L.* 8. §. 1. *D. eod.*

* Capti enim ab hoste in iusta seruitute sunt. (§. 82.) Contra testamentum recte condunt a latronibus capti. (§. 91. 4.) L. 13. *pr. D. qui testam. fac. poss.* Quum etiam ratio, cur testamentum in captiuitate factum non valeat, sit regula Catoniana: *L.* 1. *pr. D. de reg. Caton. L. penult. D. de reg. iur.* facile patet, testamentum in ciuitate ante captiuitatem factum iure postliminii valere, si redierit: (§. 348.) ex lege Cornelia, si ibidem decesserit. §. *vlt. Inst. h. t. L.* 12. *D. qui test. fac. poss. L.* 16. *L.* 18. *D. de capt. et postlim.*

§. DXV.

Nec filii familias.

Quia etiam testamentifactio concessa tantum patribus familias: (§. 487.) (4. nec filii familias testamentum vel codicillos de legatis et fideicommissis, (aliud enim de donatione mortis caussa dicendum, *L.* 25. §. 1. *D. de mort. causs. don.*) condunt, *L.* 6. *L.* 19. *D. qui test. fac. poss.* ne quidem permittente patre, *pr. Inst. h. t. d. L.* 6. *pr. D. eod.* nisi de bonis castrensibus et quasi castrensibus. (§. 88. 2.) Quod adeo verum est, vt et testamentum patris familias per arrogationem irritum fiat, nisi miles sit, §. 5. *Inst. de milit. test.* et testamentum a filio familias factum ne tunc quidem valeat, si sui iuris factus decesserit, *pr. Inst. h. t. L.* 19. *D. qui test. fac. poss.* (§. 514. *.)

§. DXVI.

Nec furiosi et prodigi.

Quia porro testamentum est iusta voluntatis sententia: (§. 390.) illud

illud condere nequeunt (5. furiosi, et mente capti, nisi dilucidum sit furoris vel dementiae interuallum. §. 1. *Inst. h. t.* (6. Prodigi, tamquam ciuiliter furiosi, iisque simillimi, (§. 269.) §. 2. *Inst. eod. L.* 18. *pr. D. qui test. fac. poss.* nisi vel ante interdictionem testamentum fecerint, *d.* §. 2. *et L.* 18. *pr. D. eod.* vel bene posteritati consulant. *Nou. Leon. XXXVIIII.* quae non vbique recepta. (7. Impuberes. §. 1. *Inst. h. t. L.* 5. *D. eod.*

§. DXVII.

Nec surdi et muti.

Quum praeterea vitium corporis saepe cum animi debilitate coniunctum sit: non possunt testari (8. surdi et muti simul, nec quibus alterutrum vitium haeret, nisi vel lingua, vel scriptura voluntatem exponere possint. *L.* 10. *C. qui test. fac. poss.* §. 3. *Inst. h. t.*

§. DXVIII.

An nec coeci?

Quod impedimentum quum non obstet coecis: ii testari possunt, dummodo heredem nuncupent, et vel tabellionem, qui nuncupationem excipiat, praeter septem testes adhibeant, vel octauum testem, omnesque subscribant et signent. *L.* 8. *C. eod.*

§. DXVIIII.

Quidam ob poenam sunt intestabiles.

Denique in poenam quibusdam non permittitur facere testamentum, veluti (9. reis laesae maiestatis. *L.* 5. *C. ad leg. Iul. maiest.* (10. Apostatis et haereticis improbis. *L.* 3. *C. de apostat. L.* 4. *C. de haeret.* (11. Incesto matrimonio pollutis, nisi legitimos instituant. *L.* 6. *et Auth. incestas C. de incest. nupt.* (12. ob carmen famosum, *L.* 18. §. 1. *L.* 26. *D. qui testam. fac. poss.* (vel 13. capitis damnatis.* *L.* 8. §. *vlt. L.* 13. §. *vlt. D. eod. L.* 6. §. 6. *D. de iniust. rupt. irr. test.*

* Quamuis enim capitis damnati non amplius fiant serui poenae, (§. 84.*) bonorum tamen publicatio non sublata, nisi in fauorem propinquorum. *Nou. CXXXIIII. cap. vlt.* Itaque si propinqui exstant, nulla est capitis damnato testandi facultas: sin desunt, bona publicantur. Vsus tamen, maxime in Germania, haec principia deserit, et damnatis etiam testamentifactionem permittit.

T I T. XIII.

DE LIBERIS EXHEREDANDIS.

§. DXX.

Exheredationis origo.

HActenus de sollemnitatibus et requisitis testamentorum *externis*: sequitur INTERNA sollemnitas, (. 493.) id est, heredis insti-

stitutio. Heredes ante omnes merito instituuntur liberi. Et quidem patria potestas olim tam late patuit, vt parer liberos nepotesque vel testamento praeterire, vel sine iusta caussa exheredes scribere posset. Liv. *Lib. I. cap.* 34. Cic. *de orat. Lib. I. cap.* 38. *L.* 11. *D. de liber. et postum.* Deinde, quum hoc iure abuterentur parentes, maligne circa sanguinem suum inferentes iudicium: *L.* 4. *D. de inoffic. test.* necessitatem leges imposuerunt parentibus liberos vel instituendi, vel exheredandi: ita tamen, vt magnum esset discrimen inter *suos* et *emancipatos*, inter *legitimos* et *illegitimos*, inter *naturales* et *adoptiuos*, inter *filios* et *filias*, inter *liberos primi* et *vlteriorum graduum*, ac denique, inter *natos* et *postumos*.

§. DXXI.

Circa filios suos naturales.

Sui, naturales, filii, primi gradus aut instituendi, aut nominatim exheredandi erant, alioquin testamentum ipso iure NVLLVM erat. *pr. Inst. de exhered. lib. L.* 30. *D. de lib.* et *postum.*

§. DXXII.

Circa filias suas naturales.

Suae, naturales, filiae, et liberi omnes *vlteriorum graduum*, exheredes scribi poterant inter ceteros, neque opus erat, vt nominatim exheredarentur. Praeteriti quoque testamentum non infirmabant, sed ACCRESCEBANT suis institutis ad portionem virilem, extraneis ad partem dimidiam. Vlp. *Fragm. tit.* 22. §. 17. *pr. Inst. h. t.*

§. DXXIII.

Circa postumos.

Postumi, tamquam personae incertae, ne heredes quidem institui poterant: §. 25. *Inst. de legat.* tantum abest, vt nominatim exheredari debuerint. Sufficiebat ergo, eos praeteritos esse. Postea tamen inualuit, vt hi vel instituerentur, vel exheredarentur *: *L.* 10. *D. de liber. et postum.* §. 1. *Inst. h. t.* et masculi quidem primi gradus nominatim, feminae et nepotes inter ceteros, dum his pater aliquid legasset; ne praeteritae viderentur. §. 1. *Inst. h. t.* Alias testamentum, in quo praeteriti, agnascendo rumpebant. §. 1. *Inst. eod.*

* Idque intelligendum non modo de postumis *veris*, qui patre defuncto nascuntur. *L.* 3. §. 1. *D. de iniust. rupt. irr. test.* verum etiam de *quasi postbumis*, quales sunt, (1. AQVILLIANI, id est nepotes, praemortuo filio, post mortem aui nati, instituendi vel exheredandi ex formula Aquillii Galli, *L.* 29. *D. de liber. et postum.* (2. VELLEIANI, id est nepotes, viuo testatore auo, praemortuo patre, nati, instituendi vel exheredandi ex legis Iuliae Velleiae capite 1. *L.* 29. §. 11. 12. *D. eod.* nec non nepotes, qui ante testamentum aui nati in locum patris mortui aui sui heredes agnascuntur, instituendi vel exheredandi ex legis Iuliae Velleiae *cap.* 2. *L.* 29. §. 13. 14. *D. eod.* (3. SALVIANI, id est nepotes, qui post testamentum aui nati, mox patre decedente in eius locum succedunt, instituendi vel exheredandi ex sententia Saluii Iuliani. *L.* 29. §. 15. *D. eod.* (4. CORNELIANI, qui ante captiuitatem patris concepti, eodem capto, in ciuitate nati sunt. *L.* 15. *D. de iniust. rupt. irr. test.*

§. DXXIIII.

§. DXXIIII.

Emancipatos nec institui nec exheredari oportebat, §. 3. *Inst. de exh. lib.* Praetor tamen (§. 65.) postea eis dedit bonorum possessionem contra tabulas, nisi vel instituti, vel masculi nominatim, feminae inter ceteros exheredati essent. *d.* §. 3. *Inst. h. t. L. 6. et L. 7. D. de bonor. poss. contra tab.*

Circa emancipatos.

§. DXXV.

Illegitimi iure praeteribantur a patre: *adoptiui* quamdiu in potestate patris adoptantis erant, eodem gaudebant iure, ac sui naturales: (§. 521.) §. 4. *Inst. h. t. L. 1. D. de adopt.* emancipatis ne Praetor quidem, nedum lex succurrebat. (§. 524.) *L. 4. D. si tab. test. null. exst.* minus plene adoptati sui manebant patris naturalis, et patri adoptiuo non nisi ab intestato succedebant. (§. 186.)

Quid circa illegitimos et adoptiuos?

§. DXXVI.

Sed iure nouo omnes liberi cuiuscumque sexus, siue nati, siue postumi, vel instituendi, vel nominatim exheredandi sunt. §. 5. *Inst. h. t. L. 4. C. de lib. praet.* Praeteriti enim a patre vel auo paterno, testamentum nullum reddunt: a matre vel auo materno idem possunt rescindere. *Nou. CXV. cap.* 3. Emancipati contra illud petunt bonorum possessionem. *L. 4. C. de lib. praeter.* Quod et de adrogatis et plene adoptatis intelligendum, non de adoptatis ab extraneo. (§. 186.) §. 5. *Inst. h. t.* L. *penult. C. de adopt.*

Ius nouum de exheredatione liberorum.

§. DXXVII.

Eodem modo et reliquae personae, quibus portio legitima debetur, vel instituendae, vel exheredandae. Siue enim praeteriti, siue exheredati iniuste, testamentum rescindunt adscendentes, aeque ac liberi. *L. 14. D. h. t.* Legitima autem *est portio hereditatis, ex praescripto legum* * *certis personis relinquenda*: eaque debetur praeter I. liberos, II. parentibus, et III. fratribus, sororibusque germanis et consanguineis, eo casu, si turpis iis persona praeferatur. *L. 27. C. de inoff. test. Nou. CXV. cap.* 3. 4. et iure veteri fuit quarta portionis ab intestato debitae: §. *vlt. Inst. de querel. inoff.* postea pro numero personarum modo triens, si quatuor vel pauciores; modo semis, si quinque vel plures essent. *Nou. XVIII. cap.* 1.

De exheredatione parentum, fratrum, et sororum.

* Vel saltim earum ratione. Verosimillimum enim est, hanc portionem legitimam introductam esse interpretatione legis Falcidiae. L. 8. §. 8. 9. D. *de inoff. test. L. 21. C. fam. erc.*

§. DXXVIII.

Exheredatio est *ab legitima hereditate exclusio*, eaque fieri debet I. nominatim, II. pure, non sub conditione, *L. 3. §. 1. D. de liber. et postum.* III. a tota hereditate, L. 19. *D. eod.* IIII. ab omnibus heredibus, et ab omni gradu. *L. 3. §. 2. 3. 6. D. eod.* V. ex iusta caussa, in testamento exprimenda: *Nou. CXV. cap. 3. pr.*

Exheredatio quid, et quomodo fieri debeat?

 Si

* Si liberi vel parentes exheredes scripti ex caussa iniusta, et Nou. CXV. non probata: testamentum fit nullum. Sin ex iusta quidem caussa, et testamento expressa, sed non vera: liberi et parentes exheredati illud rescindunt querela inofficiosi. Nou. CXV. cap. 3. §. vlt. cap. 4. §. vlt. Conf. VLR. HVBER. Prael. ad Inst. Lib. II. tit. 13. §. 13.

§. DXXVIIII.

Iustae caussae, ob quas liberi exheredes fiant.

Iustae caussae, ob quas LIBERI exheredes scribi possunt, sunt quatuordecim, puta (1. si pater graui iniuria lacessitus: (2. si manus ei illatae: (3. si insidiae vitae structae: (4. si ex delatione filii damnum illatum: (5. si filius cum maleficis (μετὰ φαρμακῶν,) versatus, ceu maleficus: (6. si patrem testari prohibuerit: (7. si patrem furiosum neglexerit, (8. si captum ab hoste non redemerit: (9. si filius factus haereticus talis, qui quatuor priores synodos oecumenicas reiiciat: (10. si patrem accuset capitalis criminis, excepto crimine maiestatis: (11. si cum nouerca vel patris concubina rem habuerit: (12. si mimos inuito patre sequatur: (13. si patrem carceri inclusum fideiussione liberare nolit *: (14. si filia minorennis, quam pater, dote oblata, elocare voluit, corpore quaestum faciat. *Nou. CXV. cap. 3.*

* Haec caussa, aeque ac decima, ad solos filios pertinet, quia filiae, tamquam mulieres, nec intercedere pro alio possunt, nec accusare. L. 2. §. 1. 2. D. ad SC. Velleian. L. 8. D. de accusat.

§. DXXX.

Iustae caussae exheredationis parentum.

Ita et PARENTES ex octo caussis iuste exheredantur: (1. si capitis accusarint liberos: (2. si insidiati sunt vitae liberorum: (3. ob stuprum nurui vel concubinae filii illatum: (4. si testari liberos prohibuerint: (5. si non redemerint captiuos: (6. si furiosos neglexerint: (7. ob haeresin: (8. si pater matri, vel haec patri venenum praebuerit. *Nou. CXV. cap. 4.*

§. DXXXI.

Iustae caussae exheredationis fratrum et sororum.

FRATER SORORVE fratres sororesue etiam germanos et consanguineos testamento praeterire potest, nisi turpem instituat personam. (§. 527.) Eo enim casu illos aut instituere, aut exheredare tenetur. Et exheredationis quidem tunc tres proditae sunt caussae, si frater vel soror aut (1. vitae insidias, aut (2. criminis accusationem, aut (3. bonis iacturam inferre sit ausus. *Nou. XXII. cap. 47.*

§. DXXXII.

An et aliae admittantur?

Quamuis vero hae caussae aliis diuersi generis augeri nequeant: *Nou. CXV. cap. 3.* non excluduntur tamen similes, vel atrociores in eodem genere. VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* §. 10. *sequ.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 8. §. 202. *seqq.*]

TIT.

TIT. XIIII.

DE HEREDIBVS INSTITVENDIS.

§. DXXXIII.

Heredis institutio est sollemnitas interna testamenti, sine qua illud subsistere nequit, (§. 493.) Quumque liberis, parentibus, fratribus, sororibusue non exstantibus, vel iuste exheredatis illis, aut praeteritis, vnusquisque possit heres scribi; hinc de ea heredis institutione agitur hoc titulo. Connexio.

§. DXXXIIII.

Heres est *successor in vniuersum ius, quod defunctus habuit*. *L.* 24. *D. de verb. sign. L.* 62. *D. de reg. iur.* Heres quid?

§. DXXXV.

Ex quo sequitur, vt qui tempore testamenti facti, mortis testatoris, et aditionis eius conditionis est, *L.*49. §. 1. *D. h. t.* §. 4. *Inst. de hered. qual. et differ.* vt in vniuersum ius ciuis Romani succedere possit, is et heres possit institui, adeoque cum eo sit testamentifactio. Axioma, quis heres esse possit?

§. DXXXVI.

Heredes ergo institui possunt (1. tam serui, quam liberi, et serui quidem alieni ex persona dominorum, etiam sine libertate, quia hereditatem adquirunt dominis iubentibus *: (§. 470. 1.) proprii cum libertate, quam tamen datam esse, ex ipsa institutione praesumitur. *pr. Inst. h.t. L. penult. C. de seru. necess. her. inst.* An et serui?

* Sed quid si seruus institutus hereditarius, nondum adita hereditate? Tunc hereditas iacens defuncti vicem sustinet. L. 31. §. 1. L. 52. *D.* et §. 2. *Inst. h. t.* (§. 329.)

§. DXXXVII.

Institui possunt (2. ciues, non peregrini, *L.* 6. §. 2. *D. h. t.* Cic. *pro Caecin. cap.* 35. adeoque nec maximam mediamue passi capitis deminutionem, L. 1. *C. h. t.* quamuis et peregrinos hoc beneficio ornasse dicitur Fridericus Imp. *Auth. omnes peregrini C. comm. success.* quae tamen de actiua tantum testamenti factione agere, et iuri albinagii opposita videtur. An et peregrini, et capiti?

§. DXXXVIII.

Institui etiam possunt (3. personae incertae, (quas iure antiquo non potuisse, iam §. 523. obseruauimus,) modo euentu vel alia ratione certae fieri possint. §. 26. 27. *Inst. de legat.* adeoque et (4. pauperes, An personae incertae, pauperes.

ecclesiae, ciuitates? peres, L. 24. *C. de episc. et cleric.* (5. ecclesiae, L. 1. *C. de SS. eccles.* (6. ciuitates. *L. 26. D. ad SC. Trebell.* L. 122. *D. de legat.* 1. (7. collegia corporaque licita. L. 12. C. *h. t.* L. 1. §. 15. *D. ad SC. Trebell.* Quae omnia contra rationes iuris antiqui sensim recepta *.

* Nimirum iure antiquo nec personae incertae, nec municipia, nec municipes, institui poterant; quia corpus videbatur incertum, vt nec cernere vniuersi, nec pro herede gerere possent: VLPIAN. *Fragm. tit.* 22. §. 4. *sequ.* Quae ratio et Diis heredibus instituitis, et collegiis quadrabat. ID. *ib.* §. 6. Postea SC. concessum, vt municipia a libertis institui possint, nec non vt fideicommissa caperent. VLPIAN. *ibid.* §. 5. *L. 26. D. ad* SC. Trebell. Diis quoque quibusdam ridiculo SC. ius trium librorum datum, vt heredes institui possent. DIO CASS. *Lib. XI? princ.* VLPIAN. *ibid.* §. 6. Denique et ciuitatibus et collegiis licitis ius capiendi hereditates datum. L. 12. C. *de her. inst.* et ipsis ecclesiis a Constantino M. EVSEB. *Hist. eccles. Lib. X. cap.* 5. L. 1. C. *de SS. eccles.* L. 4. C. *Th. de episc. eccl. Lib. XVI tit.* 2. vbi conf. GOTHOFR. *Comment. pag.* 24. *tom. VI.*

§. DXXXVIIII.

Incapaces simpliciter. In poenam tamen quibusdam ius hereditatem capiendi vel SIMPLICITER, vel SECVNDVM QVID denegatum. SIMPLICITER hereditatibus relictis excidunt (1. filii perduellium, *L.* 5. §. 1. *C. ad leg. Iul. maiest.* (2. apostatae, L. 3. *C. de apost.* (3. haeretici, L. 4. *L.* 5. *C. de haeret.* (4. Iudaeorum vniuersitas, L. 1. *C. de Iud.* (5. corpora illicita. *L.* 8. *C. h. t.*

§. DXXXX.

Incapaces secundum quid? SECVNDVM QVID nec heres scribi debet (1. princeps litis caussa institutus. §. *vlt. Inst. quib. mod. test. infirm.* (2. nec coniux, ad secunda vota transiens, plus relinquere potest secundae coniugi, quam vni ex liberis prioris matrimonii. *L. 6. C. de sec. nupt.* Praeterea (3. parentes et liberi incestuosi inter se nihil capiunt. *L. 6. de incest. nupt. Auth. ex complexu C. eod.* et (4. liberi naturales non nisi legitimis et parentibus deficientibus, solidum ex testamento patris capiunt. L. 1. 2. *C. de nat. lib. Nou. LXXXIX. cap.* 12.

§. DXXXXI.

As hereditarius in vncias suas diuisus. Hereditas vero, vt alia tota, AS vocatur ICtis, iisque distribuitur in XII. VNCIAS *. Vnde binae vnciae hereditatis, id est $\frac{2}{12}$ eiusdem, *sextans*; tres vnciae, *quadrans*; quatuor vnciae *triens*; quinque *quincunx*; sex *semis*; septem *septunx*; octo *bes*; nouem *dodrans*; decem *decunx* vel *dextans*; vndecim *deunx*, adpellantur. §. 5. *Inst. h. t.* Potest tamen testator vel naturalem diuisionem sequi, vel assem in quotcunque vncias diuidere. *L.* 47. §. 1. *L.* 81. *pr. D. de her. inst.* 5. *Inst. h. t.*

* Immo et vncia in suas partes diuiditur. Dimidia enim vncia est *semuncia*, pars eiusdem quarta *sicilicum*. L. 21. §. 2. *D. de ann. leg.* Glossa vetus: *sicilicum οὐγκίας τέταρτον*, pars sexta *sextula*, vicesima quarta *scriptulum*; huiusque dimidia pars *simplum* cet. Duplex as vocatur *dupondius*, tri-

triplex *tripondium*, *Glossa* vetus: *di-* est, *tripondium* XXXVI. vnciarum, *pondium* διπλοῦς χρυσίνος, δισσομαν. Vid. VOLVS. MAECIAN. et BALBI Vnde *dupondium* XXIIII. vnciarum *libellos de asse*.

§. DXXXXII.

Quum vero nemo possit pro parte testatus, pro parte intestatus decedere: (§. 491. 3.) consequens est, vt ita diuidenda sit hereditas, ne quid ex toto asse supersit. Quomodo diuidenda hereditas?

§. DXXXXIII.

Ex quo sequitur, (1. vt, si vnus heres, sine coherede *, in semisse vel in re certa institutus sit, is totum assem capiat. *L.* 1. §. 4. *D. de hered. inst.* (2. Vt, si pluribus institutis coheredibus nullae partes adscriptae sint, hereditas inter eos aequis partibus diuidatur: §. 6. *Inst. h. t. L.* 9. §. 12. *D. de her. inst.* ita tamen, vt personae plures coniunctae pro vna habeantur. *L.* 11. *L.* 13. *pr. D. h. t.* (3. Vt, si in asse aliquid supersit, id singulis pro rata accrescat: (4. sique plures vnciae factae, istae, quae assem excedunt, singulis pro rata decrescant. §. 7. *Inst. h. t.* (5. Vt, si partes in quorumdam personis expressae, in aliorum non expressae, hi, qui sine parte scripti sunt, vacantem portionem capiant; vel, si nihil superfit, ex asse fiat dupondium, vel si et dupondium exhaustum, *tripondium*, (§. 541.*) nisi testator addiderit; *ex reliqua parte Titius heres esto*. Eo enim casu, exhausto asse, Titius nihil capit. L. 17. §. 3. *D.* §. 6. 8. *Inst. h. t. et L.* 18. *D. h. t.* Casus varii de asse hereditario.

* Nam si coheredem habet, is, qui in re certa institutus est, legatarii loco habetur. L. 13. *C. h. t.* si plures in re certa instituti, singuli capiunt aequales portiones, licet eis testator res inaequalis pretii assignauerit, L. 9. §. 13. *D. h. t.* ita tamen, vt singuli rem certam tamquam praelegatum habeant. *L.* 35. *pr.* §. 1. *D. de hered. inst.*

§. DXXXXIIII.

Ex eodem principio fluit, (6. posse quidem heredem institui vel PVRE, vel sub CONDITIONE: at non in diem, vel ex die. Vnde dies adpositus pro non scripto habetur, nisi incertum, an exstiturus sit, quia tunc dies loco conditionis est * §. 9. *Inst. h. t. L.* 75. *D. de condit. et demonstr.* Heredis institutio quotuplex?

* Si incertum sit, an sit exstiturus: Sin eum exstiturum, certum est, incertum, quando, non nisi eo casu pro conditione est, si adscriptus sit extraneo, non si ipsi heredi. *L.* 9. *C. de her. inst. L.* 1. §. 2. *L.* 79. *pr.* §. 1. *D. de condit. et demonstr.*

§. DXXXXV.

CONDITIO est περίστασις, a qua actus suspenditur, tamquam ab incerto euentu *: eamque doctores, licet parum accurate, in POSSIBILEM et IMPOSSIBILEM **, et illam iterum in POTESTATIVAM, CASVALEM, et MIXTAM diuidunt. Quid conditio, et quotuplex?

* Ergo

* Ergo conditio in praeteritum vel praesens collata, proprie non est conditio. *L.* 10. §. 1. *D. de condit. inst. L.* 120. *D. et* §. 4. *Inst. de verb. oblig.* Vnde non hereditatem suspendit, sed vel infirmat vel statim defert, prout conditio vel exstitisse intelligitur, vel non intelligitur.

** Impossibili enim conditioni vix adplicari potest definitio conditionis, quia semper certum est, eam non extituram. Vnde VOET. in *Elem. iur. h. t.* §. 8. vocabulum conditionis hic paullo latius accipi obseruat.

§. DXXXXVI.

Conditio potestatiua, casualis, et mixta.

POTESTATIVAM vocant, *quae est in heredis potestate*, v. c. *si Romam ibit, vel non ibit* *. CASVALEM, *quae a fato pendet, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo feritur*: v. c. *si consul eligetur.* MIXTAM, *quae partim ab arbitrio heredis, partim a fato pendet*: veluti, *si Maeuio consule Romam iuerit*. *L.* 13. *D. de adquir. hered. L. vn.* §. 7. *C. de cad. toll.*

* Ea ergo in *affirmatiuam* et *negatiuam* diuiditur. At haec hereditatem non suspendit, sed statim illam adire potest heres, modo caueat, se contra conditionem non facturum. Quae est cautio Muciana, de qua *L.* 7. *pr. D. de condit. et demonstr.* (Vid. infra §. 637. *)

§. DXXXXVII.

Conditio impossibilis.

IMPOSSIBILIS est conditio vel NATVRA, v. c. *si flumen ebiberit*, vel LEGE, quae id fieri non patitur, v. c. *si Maeuium occiderit*: vel BONIS MORIBVS, quibus conditio repugnat, v. c. *si nudus in foro saltarit*; vel PERPLEXITATE VERBORVM, si verba inter se ita pugnant, vt conditio exitum inuenire nequeat, e. c. *si Seius heres erit, Titius heres esto: sin Titius, Seius heres esto.*

§. DXXXXVIII.

Regulae de conditionibus possibilibus.

De illis obseruandae regulae: I. Conditio heredi suo adscribi nequit, nisi potestatiua. *L. vlt. D. de condit. instit.* L. 4. *pr. L.* 5. *L.* 6. L. 86. *D. h. t.* II. Conditiones possibiles qualescumque extraneo adscriptae implendae sunt, et quidem omnes, si copulatiue; alterutra, si disiunctiue adscriptae sint, alias heredis institutio et legatum euanescit. L. 5. *D. de condit. instit.* III. Si simul in arbitrium alterius collata conditio, et per heredem non steterit, quo minus impleatur, ea pro impleta habetur. L. 3. L. 23. *D. eod. L.* 5. §. 5. *D. quand. dies legat. ced.* L. 161. *D. de reg. iur.*

§. DXXXXVIIII.

De impossibilibus.

De his similiter obseruandae regulae: IIII. Conditio impossibilis, siue natura, siue lege et moribus talis, pro non scripta habetur. * L. 1. L. 20. *pr. D. de condit. instit.* L. 45. *D. h. t.* V. Conditio perplexa institutionem reddit inutilem. L. 16. *D. de condit. instit.* L. 188. *D. de reg. iur.* non praepostera. L. 25. *C. de testam.* (§. 869.) VI. Heres, ante conditionem exsistentem defunctus, hereditatem ad heredes non transmittit: quod et de legatario obseruandum. L. 4. *pr. D. quand.*

D. quand. dies legat. ced. L. *vn.* §. 7. *C. de caduc. toll.* Aliud de contractibus infra obseruabimus. (§. 833. 4.)

* Aliud in contractibus, quos conditio impossibilis qualiscumque vitiat. §. 10. *Instit. de inut. stipul.* L. 31. *D. de oblig. et act.* Ratio discriminis non obscura est. Contrahentes enim, dum in conditionem impossibilem consentiunt, aut iocari videntur, aut insanire. Heres autem in conditionem huiusmodi non consensit: et tamen testator, dum testamentum condidit, voluisse censetur, vt voluntas exitum haberet.

TIT. XV.

DE VVLGARI SVBTITVTIONE.

§. DL.

QVum heres succederet in omne ius defuncti. (§. 534.) adeoque et omne aes alienum soluere teneretur: (1. facile contingebat, vt institutus heres adire nollet. Nec minus saepe eueniebat, vt heres vel ante testatorem mortuus, vel capitis deminutionem passus, adire non posset, et sic quoque testamentum fieret destitutum. (§. 577.) Denique saepe parentes, qui liberos impuberes vel dementes instituerant, verebantur, ne hi, intra pubertatem properante fato exstincti, vel furore non remittente, intestati decederent. Eum ergo in finem repertae sunt SVBSTITVTIONES, ne vel destitueretur testamentum, vel impubes demensue filius intestatus decederet. Origo et caussa substitutionum.

§. DLI.

SVBSTITVTIO vero est *institutio heredis secundi*, (tertii, quarti, cet.) *in locum deficientis primi*. L. 1. *pr.* L. 36. *pr.* L. 43. §. 2. *D. de vulg. et pupill. subst.* Substitutio quid?

§. DLII.

Quum ergo verba directa et imperatiua ad hereditatem, precatiua ad fideicommissa pertineant: (§. 493.) sequitur, vt si quis substituerit verbis directis, substitutio DIRECTA fit; sin obliquis, FIDEICOMMISSARIA. * L. 7. L. 15. *D.* L. 5. L. 7. *C. h. t.* L. 64. L. 77. *D. ad SC. Trebell.* Iam de directa loquimur. Substitutio directa, et fideicommissaria.

* Vnde facile patet, quid inter vtramque intersit. Directe enim substituitur in eum casum, si institutus heres non fuerit, vel si intra pubertatem decesserit. Fideicommissaria vero ponit, institutum heredem factum, eidemque iniungit, vt hereditatem restituat. Vnde hic detractioni quartae Trebellianicae locus est. Saepe tamen verborum compendio vtraque substitutio coniungitur. Exemplum elegans tractat ZACH. HVBER. *Obs. rer. iud. obs.* LXXXII.

§. DLIII.

Vulgaris et pupillaris. Ea, quum ob duplicem caussam fiat, (§. 550.) duplex est, vel VVLGARIS, vel PVPILLARIS, quarum altera alteri tacite inesse censetur. L. 4. *pr. D.* L. 4. *C. de vulg. et pupill. subst.* Vnde vtraque a doctoribus in EXPRESSAM et TACITAM diuidi solet. Reliquae enim species, quas addunt doctores, commode ad binas istas reducuntur. De vulgari hoc, de pupillari sequente titulo agendum.

§. DLIIII.

Quid vulgaris? VVLGARIS est, *quando quilibet testator heredi substituit in casum, si institutus heres non fuerit. pr. Inst. h. t.*

§. DLV.

In quem casum vulgariter substituatur? Quumque id duobus casibus contingere possit, si institutus vel NOLIT, vel NON POSSIT heres esse: (§. 550. 1.) sequitur, (1. vt ad vtrumque casum pertineant verba: *si heres non erit*. (2. Vt si alteruter tantum casus expressus sit, alter non expressus, expresso contineatur. L. 3. *C. de her. inst.* L. 4. *pr. D.* L. 4. *C. h. t.*

§. DLVI.

Quomodo fiat? Quia ergo substitutio est institutio heredis secundi (§. 551.) sequitur, (1. vt iidem substitui possint, qui institui. (536. *sequ.*) (2. Vt et plures in locum vnius, et vnus in locum plurium, et singuli in locum singulorum recte substituantur. §. 1. *Inst. L.* 36. §. 1. *D. h. t.* (3. Vt et coheredes sibi inuicem substitui queant, quam substitutionem vocamus RECIPROCAM vel MVTVAM. * *L.* 4. §. 1. *D. h. t. L.* 64. *D. de legat.* 2.

* Doctores barbare *breuiloquam* adpellant, et hinc fingunt tertiam speciem substitutionis, sed re vera ea *vulgaris*, et plerumque hodie frustranea est, quia coheredes inter se gaudent iure accrescendi, etiamsi sibi inuicem non sint substituti.

§. DLVII.

Quo effectu? Et quoniam secundus heres substituitur in locum deficientis primi: (§. 350.) (4. substitutus in dubio ad eamdem partem vocatus esse intelligitur, quam accepisset institutus. §. 2. *Inst. L.* 24. *D. h. t.* (5. Substituto ante institutum mortuo, *L. vn.* §. 5. *de. caduc. toll.* vel instituto hereditatem semel adeunte *, substitutio exspirat, quamuis qui hereditatem adiit, minor restitutus sit contra aditionem, *L.* 3. §. 4. *L.* 7. §. 10. *D. de minor. L.* 5. *C. h. t.*

* Excipitur casus in §. *vlt. Inst. h. t.* et L. 40. 41. *D. de hered. inst.* Nam si seruus alienus, quem testator patremfamilias esse arbitrabatur, heres scriptus, eique vulgariter substitutus est Maeuius: seruo iussu domini hereditatem adeunte, Maeuius nihilominus in partem admittitur. Sed in quantam? In *d.* §. *vlt.* & L. 41. de dimidia videtur sermo esse. In L. 40. contra legitur: *igitur in hoc casu semisses fient, ita vt alter semis inter eum, qui dominus instituti heredis fuerit, et substitutum diuidatur*. Vnde CVIACIVS acute pro *alter semis*, legit AS, quasi scribae inde sibi notas vel litteras singu-

gulares finxerint, easque interpretati sint *alter semis*. Sed salua res videtur. Lex enim 40. manifesto duas species tractat. Prior haec est: paterfamilias instituerat Titium, seruum, quem ingenuum putabat, eique substituebat Sempronium. Titio iussu domini adeunte hereditatem, quaerebatur, an Sempronius in partem admittendus sit? Respondet IVLIANVS *d. L.* 40. *potest dici, Sempronium in partem hereditatis* (scilicet dimidiam) *admitti*. Altera species haec est: paterfamilias instituerat Titium, tum ingenuum, sed postea deductum in seruitutem, eique substituerat Sempronium. Titio iussu domini adeunte, quaerebatur, an et in quem partem admittendus esset Sempronius: Respondet IVLIANVS: *quae adiectio ad* EOS *pertinet, qui patresfamilias heredes scripti, postea in seruitutem deducti fuerint. Igitur* IN HOC CASV *semisses fient, ita vt alter semis inter eum, qui dominus instituti heredis fuerit, et substitutum aequis portionibus diuidatur*, alter vero penes dominum maneat: cuius hoc casu vel ideo melior erat conditio, quod testator non, vti in priore, circa statum heredis instituti errauerat. Ita nec opus emendatione, nec caussa est, cur Iuliano *ἀκυρολογία* tribuatur. Simile quid in mentem venisse video MARCO LYKLAMA, *Membran. Lib. V. eclog.* 15. *p.* 187. et OSV. HILLIG. *Donell. enucl. Lib. VI. cap.* 24. *litt. L. p.* 422. *sequ.*

§. DLVIII.

Quia denique substitutiones inuentae, ne testamenta destituantur: (§. 550.) porro inde inferebant ICti, (*6.* substitutum substituto, substitutum etiam instituto videri. §. 3. *Inst. h. t.* **Substitutus substituto.**

T I T. XVI.

DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

§. DLVIIII.

HActenus de substitutione *vulgari*: sequitur PVPILLARIS: cuius quum is finis sit, vt ne liberi impuberes intestati moriantur: (§. 550.) facile intelligetur eius definitio, quod sit *substitutio facta liberis impuberibus, in potestate testatoris constitutis, et in alterius potestatem, eo mortuo, non recasuris, in eum casum, si intra pubertatem decesserint. pr. Inst. h. t. L.* 8. *C. de impub. et al. subst.* **Substitutio pupillaris.**

§. DLX.

Ex ea definitione fluunt axiomata: I. Fundamentum substitutionis pupillaris est patria potestas. (§. 139. 10.) II. Eius caussa est aetas immatura, intra quam testamentum condi nequit. (§. 516. 7.) III. Substitutio pupillaris non quidem ratione sollemnitatum externarum, sed tamen ratione institutionis, duplex testamentum complectitur. §. 2. *Inst. h. t. L.* 2. §. 4. *L.* 16. §. 1. *D. de vulg. & pupill. substit.* **Axiomata de hac substitutione.**

§. DLXII.

Quum ergo fundamentum substitutionis huius sit patria potestas; **A quibus et**

quibus substituatur? (§. 560. 1.) sequitur, (1. vt pater dumtaxat hoc modo substituat, quum mater tantum vulgariter substituere possit, quippe cuius in potestate liberi non sunt constituti. (§. 136.) *pr. Inst. L.* 33. *D. h. t.* (2. Vt pater substituat tantum suis, et postumis non emancipatis, (§. 190.) nec (3. nepotibus in patriam potestatem recasuris, nisi ex formula legis Iuniae Velleiae. *L.* 2. *pr. D. h. t.* (4. Vt substituere possit etiam exheredatis. (§. 192. 3.) *L.* 1. §. 2. *L.* 10. §. 5. *D. h. t.* tametsi ab iisdem vel eorum substitutis legata relinqui non possint * *L.* 41. §. 3. *D. h. t. et L.* 41. §. 3. *D. de testam. milit.* (5. Vt euanescat substitutio, si filius a testatore ante mortem emancipatus, vel post eius mortem arrogatus sit, quod tamen sine accurata caussae cognitione haud permittendum. (§. 181.) *L.* 17. §. 1. *de adopt.*

* Generalis enim ea regula est, *neminem esse magis onerandum, quam sit honoratus. L. 9. C. de fideic. L.* 114. §. 3. *L.* 122. §. *ult. D. de legat.* 3. §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideic. relict.*

§. DLXII.

Quamdiu duret substitutio? Quumque deinde huius substitutionis caussa sit aetas immatura, intra quam liberi testamentum condere nequeunt: (§. 559.) consequens est, (6. vt filio substitui non possit, nisi ad annos pubertatis, *L.* 14. *D. h. t.* quamuis ad breuius tempus id fieri queat *L.* 21. *D. h. t.* (7. Vt, si ad pubertatem peruenerit pupillus, substitutio euanescat. *L.* 14. *D. eod.* nec non, si tempus, ad quod substitutum, elapsum. *L.* 21. *D. eod.*

§. DLXIII.

Quomodo fiat, et quo effectu? Denique quum substitutio pupillaris duplex testamentum complectatur: (§. 559.) recte inde infertur, (8. patrem non substituere posse filio, nisi sibi prius testamentum faciat, et primo sibi, deinde filio heredem scribat. *L.* 2. §. 4. §. *ult. D. h. t.* §. 2. *Inst. h. t.* (9. Casu exsistente substitutum non modo bona a patre profecta, sed et reliqua omnia aduentitia (§. 491. 3.) accipere, adeoque omnes alios, ipsamque matrem excludere, *L.* 8. §. 5. *de inoff. testam.* quippe quae ne legitimam quidem petere potest *. *L.* 8. §. 15. *D. eod.* (10. Vnde et infirmato patris testamento **, substitutio, quae eius sequela est, corruit. §. 5. *Inst.* L. 2. *pr. D. h. t.*

* Aequitas tamen, et argumentum ex L. 30. *D.* et L. 32. C. *de inoff. test.* ductum, suadere videntur, vt matri salua esse iudicetur legitima ex bonis filii aduentitiis.

** Praeterquam si paternum testamentum rescindatur querela inofficiosi. Nam tunc capita omnia, praeter heredis institutionem, salua manent. *Nou.* CXV. *cap.* 3. §. *ult.*

§. DLXIIII.

Substitutio exemplaris. Ad exemplum pupillaris substitutionis et alia inuecta *Lege* 9. *C. de impub. et al. substit.* quam EXEMPLAREM, QVASI PVPILLAREM, itemque IVSTINIANEAM vocant. Quum enim nec furiosi, nec mente capti vel sensibus orbi, testari possint, (§. 516. 5.) eosque parentes intestatos mori nollent: (§. 550.) Iustinianus concessit parentibus, tam-

tamquam qui naturali στοργῇ inducti optime de sanguine suo iudicare censentur, vt eiusmodi liberis substituere possint, in eum casum, si in eo statu decesserint. §. 1. *Inst. h. t.*

§. DLXV.

Ergo huius substitutionis fundamentum non est patria potestas, (§. 560. 1.) sed στοργή. Ex eoque sequitur, (1. vt ita recte substituant parentes vtriusque sexus. 2. Vt substituant liberis dementibus, institutis saltim in legitima, non exheredatis. §. 1. *Inst. h. t. d. L. 9. C. de impub. et al. substit.* (3. Vt bene consulere teneantur posteritati suae, adeoque primo substituant furiosi vel mente capti liberos, deinde, his non exstantibus, eiusdem fratres et sorores, et his denique deficientibus, quem lubet. *d. L. 9.* Eius fundamentum.

§. DLXVI.

Quumque ob eam caussam inuenta sit haec substitutio, quod huiusmodi liberi testari ipsi nequeunt: (§. 564.) inde inferendum, (1. quod substitui possit non solum furiosis et mente captis, verum etiam (2. prodigis, (3. surdis et mutis, (§. 516.) etiam puberibus: et (4. quod ea substitutio euanescat, postquam furiosus resipuit; vel prodigo bonorum reddita administratio, vel surdus, et mutus sensibus vti coepit. *d. L. 9.* Quomodo fiat?

§. DLXVII.

Addi solet SVBSTITVTIO MILITARIS. Quum enim miles omnibus legibus circa testamentifactionem solutus sit: (§. 502.) nec eum obstringunt regulae de substitutione. Vnde et PRIVILEGIATA vocatur haec substitutio. Ex quo consequitur, (1. vt miles et liberis vltra pubertatem, et (2. extraneis in casum, quo heredes futuri sint, et (3. quandocunque, vel si intra certum tempus decesserint, substituere possit in iis bonis, quae ab eo ad heredem profecta sunt. *L. 15. D. de vulg. et pupill. substit. L. 6. C. de testam. mil. L. 8. C. de impub. et al. subst.* Substitutio militaris.

T I T. XVII.

QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTVR.

§. DLXVIII.

TEstamenta infirmantur variis modis, quos ICti, verborum curiosissimi, totidem vocabulis distinguere solent. Aliud enim testamentum I. NVLLVM est, aliud II. INIVSTVM, aliud III. RVPTVM, aliud Modi quibus testamentum infirmatur.

aliud IIII. IRRITVM, aliud V. DESTITVTVM, aliud VI. RESCISSVM vocatur.

§. DLXVIIII.

Testamentum nullum. I. NVLLVM est, quod ab initio non subsistit vel (1. ob defectum sollemnitatis internae, (§. 492. *sequ.*) id est, heredis institutionis. v. c. si liberi sui nati praeteriti *. (§. 526.) *L. 1. D. de iniust. rupt. irr.* vel (2. ob inhabilitatem testatoris: (§. 514. *sequ.*) *L. 1. D. h. t.*

* Nam emancipati et postumi praeteriti testamentum patris non nullum reddunt, siquidem id iure factum initio, L. 3. §. 4. *D. eod.* sed illi bonorum possessionem petunt, hi agnatione rumpunt. Idem dicendum de praeteritis a matre vel auo paterno, qui nec ipsi testamentum querela nullitatis, sed querela inofficiosi impugnant. Vid VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. Lib. II. tit. 13. §. 1. sequ.*

§. DLXX.

Iniustum. II. INIVSTVM dicitur, *quod itidem ab initio non subsistit, quia non rite et iure factum, atque omissae in eo sunt sollemnitates externae*, (§. 494. *sequ.*) *L. 1. D. de iniust. rupt. irr. test.*

§. DLXXI.

Nulla et iniusta plane corruunt. Et eiusmodi testamenta nulla et iniusta tota corruere, et ne legata quidem aliaque capita subsistere, satis adparet ex eo, quod *Nou. CXV. cap.* 3. non de querela nullitatis, sed inofficiosi agat. VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. Lib. II. tit.* 13. §. 2. Iniusta tamen aliquando sustinentur per clausulam codicillarem, de qua paullo post (§. 685. *sequ.*)

§. DLXXII.

Testamentum ruptum per agnationem postumi. III. RVMPITVR testamentum, *quum in eodem statu manente testatore ipsius testamenti ius vitiatur.* §. 1. *Inst. h. t.* Idque fit (1. per agnationem postumi, vel *naturalem*, si heres suus post testamentifactionem nascitur, vel *ciuilem*, si testator vel arrogat, vel descendentem adoptat, vel naturalem legitimat, vel nepos succedit in locum sui heredis. §. 1. 2. *Inst. de exhered. liber.* §. 1. *Inst. h. t.* §. 2. *Inst. de her. qui ab intest.*

§. DLXXIII.

Per testamentum posterius. Idem fit (2. mutata testatoris voluntate, siue ipse nouum testamentum iure perfecto condat: (§. 491. 5.) §. 2. *Inst. h. t.* *L. 1. et 2. D. de iniust. rupt. irr.* (licet ex posteriore heres non extiterit: *d.* §. 2. *Inst. h. t.* vel priori adiecta sit clausula derogatoria. * *L. 6.* §. 2. *D. de iur. codicill.*) siue prius testamentum coram tribus minimum testibus reuocarit, accesseritque lapsus decennii. L. 27. *C. de testam.* siue prius aboleuerit, deleuerit, induxerit, superscripserit. ** L. 1. *D. de his, quae in test. del.*

* Aliquando tamen prius testamentum subsistit, (1. si posterius ob filii praeteritionem nullum est L. 16. §. 1. *D. de vulg. et pupill. subst.* (2. Si poste-

posteriores tabulae vacuae sint. L. 11. D. *de iniust. rupt. irr.* (3. Si conditio de praesenti vel praeterito, inserta posteriori, non exsistat. L. 16. *D. eod.* Nonnumquam ex vtroque succeditur, tamquam ex vno, si non constet, vtrum sit posterius. L. 1. §. 6. *D. de bonor. possess. secund. tabb.* Denique si testator in posterioribus tabulis aliquem ex re certa instituerit et addiderit, etiam priores valere debere: heres in re certa scriptus rogatus censetur, vt reliqua heredi in prioribus tabulis scripto restituat. §. 3. *Inst. h. t.*

3 ** Testamentifactio enim est actus *μονοπλευρος*; cuius ea natura est vt nemo sibi ipsi legem dicere possit, a qua non liceat discedere. *L. 6. §. 2. D. de iur. codic.* Et haec vera est ratio regulae: *voluntas hominis est ambulatoria vsque ad mortem.* (§. 401. 5.) *L. 4. D. de adim. vel transfer. legat.*

§. DLXXIIII.

Et ruptum testamentum totum corruit, nisi sustineatur beneficio praetoris: qui bonorum possessionem etiam ex rupto testamento dare solet, (1. si postumus, qui rupit, (§. 572.) viuo testatore decessit. L. 12. *D. de iniust. rupt. irr.* (2 si testator tabulas posteriores incidit, vt priores supremas relinqueret. L. 11. §. 2. *D. de bonor. possess. sec. tabb.* Quatenus et id corruat?

§. DLXXV.

IIII. IRRITVM fit testamentum, *si status testatoris mutatur*, id est, si is vel maximam, vel mediam, vel minimam capitis deminutionem patitur. §. 4. *Inst. h. t. L. 6. §. 5. D. de iniust. rupt. irr.* Quum enim per capitis deminutionem maximam fiat seruus; per mediam peregrinus; per minimam filiusfamilias, (§. 225.) et nec seruus, (§. 514. 1.) nec peregrinus, (§. 514. 3.) nec filiusfamilias, (§. 515. 4.) testamentum condere possit: facile patet, testamentum ita incidere in casum, a quo incipere non possit. L. 98. *pr. D. de verb. oblig.* Testamentum irritum.

§. DLXXVI.

Et hoc tamen testamentum nonnumquam sustinet praetor, et scripto heredi dat bonorum possessionem secundum tabulas, dum testator tempore mortis ciuis Romanus et suae potestatis fuerit, §. 6. *Inst. h. t. L. 12. pr. D. de iniust. rupt. irr.* et, si minima capitis deminutio testamentum irritum fecit, noua voluntatis testario accesserit. L. 9. §. 2. *D. de bonor. possess. sec. tabb.* Quatenus id corruat?

§. DLXXVII.

V. DESTITVTVM dicitur testamentum, *ex quo heres non exsistit, siue nolit hereditatem adire, siue ob mortem vel deficientem conditionem non potuerit.* §. 7. *Inst. de hered. qui ab intest.* Ergo his casibus res ad caussam intestati redit. *pr. Inst. h. t.* L. 181. *D. de reg. iur.* Testamentum destitutum.

§. DLXXVIII.

Postremo VI. RESCINDITVR testamentum facto iudicis, post *querelam inofficiosi*, de qua titulo sequente. Rescissum per querelam inofficiosi.

TIT.

T I T. XVIII.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

§. DLXXVIIII.

Querelae inofficiosi occasio.

PArentes olim suo lubito liberos exheredes scribere potuisse, obseruatum est §. 520. Sed quum id saepe inique fieret: sensim eiusmodi testamenta impugnari coeperunt *querela inofficiosi*, quam nec ex constitutionibus principum, nec ex edicto praetoris, nec ex lege quadam Glicia, sed ex moribus et interpretatione prudentum esse, documus in *Antiqu. Rom. h. t.* §. 5. *edit. nouiss.*

§. DLXXX.

Eiusdem origo.

Quum enim iniuste exheredatis nec lex, nec praetor succurreret: callide ICti vti eos iubebant colore furoris, ac si pater integrae mentis non fuisset, qui tam maligne iudicasset de sanguine suo. BYNKERSH. *Obs. Lib. II. cap.* 12. Hanc ergo actionem vocabant QVERELAM, quia cognati proprie non accusare et litigare, sed *conqueri* inter se dicebantur: VOSS. *Inst. orat. Lib. I. cap.* 6. §. 2. Vocabant querelam INOFFICIOSI, quia quemadmodum *beneficia alienorum sunt:* ita *officia eorum, quos necessitudo suscitat, et opem ferre iubet.* SENEC. *de benef. Lib. III. cap.* 18.

§. DLXXXI.

Quid testamentum inofficiosum, et querela inofficiosi?

Quemadmodum ergo TESTAMENTVM INOFFICIOSVM est, *quod recte quidem, sed non ex officio pietatis factum*, L. 2. et 3. D. h. t. id est, in quo ii, quibus debetur portio hereditatis legitima, * sine iusta caussa vel exheredes scripti, vel praeteriti sunt: ita QVERELA INOFFICIOSI est *actio, qua ii, quibus, debetur portio legitima, iniuste exheredati, vel praeteriti, agunt contra heredes institutos, vt testamentum eo colore, quod testator non sanae mentis fuerit, rescindatur.*

* Olim quidem dabatur omnibus cognatis, immo etiam amicis extraneis. VALER. MAX. *Lib. VII. cap.* 7. Posteaquam autem legitima inuenta: id remedium ad eos, quibus illa portio debetur, restricta est. L. 1. *D. h. t.* Ex quo obiter colligimus, non eiusdem esse originis hanc querelam et portionem legitimam, sed hanc multo recentiorem esse, et proculdubio ex legis Falcidiae demum rationibus inductam. Conf. *Antiqu. nostr. Rom. h. t.* §. 7.

§. DLXXXII.

Quando ea opus sit querela?

Quum ergo detur iniuste exheredatis vel praeteritis: (§. 581.) sequitur, (1. ut ea opus non sit liberis praeteritis, vel exheredatis quidem, sed non nominatim, nec ex iusta caussa, in *Nou. CXV.* expressa. (§. 528.*) quippe qui *querela nullitatis* experiri possunt. (§. 509.) *L. 1. pr. D. de iniust. rupt. irr.* (2. Vt nec illi ea indigeant, qui vel in minima parte instituti, quia ipsis competit *condictio ex lege*, ad

ad explendum id, quod legitimae deest, quamque doctores *actionem expletoriam* vocare solent. §. 3. *Inst. et L.* 30. *pr. C. h. t.* (3. Vt ea solum locum habeat, I. si ob iustam quidem caussam, sed falsam, liberorum exheredatio facta, vel II. si parentes a liberis, liberi nepotesue a matre auoue materno, emancipati a patre, vel denique fratres a fratre, turpi persona praelata, praeteriti sint, quia in his praeteritio pro exheredatione est. §. 5. *Inst. de exh. lib.* (§. 526. 527.) III. Si caussa exheredationis iusta quidem, sed in testamento non expressa. (§. 528. 5.)

§. DLXXXIII.

Quumque detur iis, quibus legitima debetur; consequens est, (§. 527.) vt ea experiri possint (1. liberi sui legitimi, (non illegitimi nisi ratione matris, L. 29. §. 1. *D. h. t.*) (2. emancipati, et postumi, iniuste exheredati, vel a matre auoue materno praeteriti, (3. parentes vtriusque sexus, siue exheredati, siue praeteriti, L. 1. L. 30. *D. h. t.* (4. fratres et sorores germani et consanguinei, exheredati aut praeteriti, si ipsis persona infamis, vel leuis notae macula laborans praelata sit. L. 27. *C. h. t.* Proximis non vrgentibus, sequentes admittuntur secundum edictum successorium. *L. penult. pr. D. h. t.* **A quibus instituatur?**

§. DLXXXIIII.

Quum porro agi consueuerit eo colore, ac si testator emotae mentis fuisset: (§. 580.) haud parum odiosa habebatur haec querela. Et inde est, (1. quod non detur, nisi in subsidium, si aliud remedium desit. §. 2. *Inst. h. t.* (2. Quod non detur exheredati heredibus, nisi praeparata, *L. 6. §. fin. D. L.* 5. *C. h. t.* praeterquam quod filius interea, dum heres scriptus deliberat, mortuus, etiam non praeparatam hanc querelam transmittit. L. 34. *C. h. t.* (3. Quod non detur elapso quinquennio, L. 8. §. *vlt. D.* L. 34. *C. h. t.* (4. nec si exheredatio bona mente facta, L. 18. *D. de liber. et postum.* (5. nec si voluntas testatoris ab exheredato praeteritoue vel expresse, vel tacite agnita fuerit. L. 17. *pr. L.* 10. *D. h. t.* (6. Quod qui in hac querela succumbit, legata relicta amittat. L. 8. §. 14. *D. h. t.* (7. Quod heredis quidem institutio rescindatur, sed legata aliaque capita salua sint iure nouo. *Nou. CXV. cap.* 3. §. *vlt. et cap.* 4. §. *vlt.* **Quando cesset, et quis eius effectus?**

T I T. XVIIII.

DE HEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA.

§. DLXXXV.

An quis cogeretur esse heres?

QVia testamenta ex principiis Romanorum sunt veluti leges, (§. 493. *) leges autem non nisi subditos tenent : sequitur , vt huic vltimae voluntati simpliciter teneantur parere, qui sunt in testatoris potestate : extranei non , nisi si sua sponte se illi submittant.

§. DLXXXVI.

Heredum differentia.

Potestati testatoris dominicae subsunt SERVI ; patriae LIBERI ; reliqui omnes EXTRANEI sunt . *Seruos* ergo iura nostra vocant HEREDES NECESSARIOS ; *liberos* in potestate constitutos SVOS ET NECESSARIOS ; *extraneos* VOLVNTARIOS . *pr. Inst. h. t. L.* 15. *L.* 16. *D. de adquir. vel omitt. hered.*

§. DLXXXVII.

Heredes necessarii.

NECESSARII heredes sunt *serui proprii , siue cum libertate , siue sine ea* (§. 536.) *instituti : qui siue velint , siue nolint , a morte testatoris et liberi sunt , et ipso iure heredes .* §. 1. *Inst. h. t. L.* 57. §. 2. *D. de adquir. vel omitt. her.* Rationem huius iuris iam reddidimus supra (§. 119.)

§. DLXXXVIII.

Sui et necessarii.

SVI et NECESSARII *sunt liberi in potestate testatoris , tempore mortis , ita constituti , vt postea in alterius potestatem recasuri non sint* *. §. 2. *Inst. h. t. L.* 33. §. 1. *D. de testam. milit.* SVI ergo dicuntur partim, quia in potestate ac dominio parentis sunt , (§. 136.) partim, quod viuo patre quodammodo domini habentur ** , et hinc sibi ipsis veluti succedere et αὐτοκληρονόμοι esse censentur. §. 2. *Inst. h. t.* NECESSARII autem , quia et ipsi iure ciuili , siue velint , siue nolint , heredes parentum ex testamento [illegible] ab intestato fiunt . §. 2. *Inst. h. t.*

* Si enim recidunt in potestatem patris , adeunt hereditatem iussu patris: adeoque non sunt ipso iure heredes .

** Hinc et *heri minores* dicuntur . Eleganter apud PLAVTVM *Trinum. act. II. scen.* 2. *v.* 48. *Lysiteles* patri , quaerenti , an de suo benefacturus sit Lesbonico ? respondet : *De* MEO, *nam quod tuum est , meum est , omne meum autem tuum .*

§. DLXXXVIIII.

Beneficium abstinendi.

Quia tamen heres succedit in iura omnia defuncti testatoris , (§. 534.)

534.) adeoque filius omne aes alienum patris dissoluere, vel ignominiam illam, vt bona hereditaria suo nomine a creditoribus possideantur, subire tenetur: (§. 119.*) Praetor et *suis* dedit BENEFICIVM ABSTINENDI, impuberibus, etiamsi se immiscuerint; puberibus, si se non immiscuerint, nec per eos factum fuerit, quo quid ex ea hereditate amoueretur. §. 2. *Inst. h. t. L.* 57. *pr. L.* 11. *L.* 12. *L.* 71. §. 3. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Inde ergo fluit axioma: *heredes sui hereditatem ipso iure adquirunt*. §. 3. *Inst. de hered. quae ab intest.*

§. DLXXXX.

Ex quo consequitur, (1. vt non adeant hereditatem, sed statim a morte testatoris in eius ius succedant. *d.* §. 3. *Inst. de hered. quae ab intest.* (2. Vt non dicantur PRO HEREDE GERERE, sed SE IMMISCERE. (3. Vt hereditatem non REPVDIASSE dicantur, sed ab eadem ABSTINVISSE. (4. Vt hereditatem etiam non aditam ad heredes transmittant. L. 3. C. *de iur. delib.* Suitatis effecta.

§. DLXXXXI.

VOLVNTARII sunt *quiuis extranei*. Qui quum voluntati vltimae testatoris parere non teneantur, nisi se illi sua sponte submittant: (§. 585.) hereditatem testamento sibi delatam suo arbitrio et *adquirere*, et *omittere* possunt. Heredes voluntarii.

§. DLXXXXII.

ADQVIRVNT ergo hereditatem, *vel expresse hanc voluntatem suam, declarando: vel eamdem tacite factis et reipsa significando*. Prior modus stricte ADITIO: posterior PRO HEREDE GESTIO vocatur. §. 5. *Inst. h. t.* Prior est actus legitimus, (§. 70.) L. 77. *D. de reg. iur.* posterior nullam sollemnitatem exigit. PRO HEREDE *enim* GERERE dicitur, *qui aliquid quasi heres et animo heredis facit*, v. c. agros colens, pecuniam foenori locans, credita exigens: §. *vlt. Inst. h. t.* nisi vel ex testatione vel aliis argumentis adpareat, eum id non animo heredis, sed pietatis et custodiae caussa fecisse. L. 20. *pr.* §. 1. *D. de adqu. vel om. her.* Ii hereditatem adquirunt per aditionem vel pro herede gestionem.

§. DLXXXXIII.

Quum ergo vterque modus sit voluntatis significatio: (§. 592.) sequitur, (1. vt adire hereditatem non possint furiosi, mente capti, infantes, *L.* 93. *D. eod. L.* 40. *D. de reg. iur.* §. 9. *Inst. de inut. stipulat.* pro quibus parentes vel tutores curatoresue adeunt. *L.* 18. *pr.* §. 1. 2. *C. de iur. delib. L. vlt.* §. 3. *C. de curat. fur.* (2. Vt pupilli infantiae pubertatiue proximi et minores, non nisi auctore tutore vel consentiente curatore adeant. (§. 253.) *L.* 18. §. *fin. C. de iur. delib.* (3. Vt filiifamilias hereditatem adeant iussu patris, quamuis iure nouo filius iustae aetatis et inuito patre hereditatem adire possit, et eo casu plenam huius peculii aduentitii proprietatem sibi adquirat. (§. 481.) L. *vlt. pr.* §. 1. 2. *C. de bon. quae lib.* Qui adire possint?

S 2 §. DLXXXXIIII.

§. DLXXXXIIII.

Quomodo adeunda hereditas?

Ex eodem sequitur, (4. vt aditio vltro fieri, adeoque vis et coactio abesse debeant. L. 6. §. vlt. D. *de adquir. vel omitt. hered.* L. 16. C. *de iur. delib.* (5. Vt adiri debeat hereditas tota, non pars. (§. 491. 3.) L. 1. L. 2. L. 55. D. *h. t.* (6. Vt quidem ea declaratione institutus fiat heres, sed possessionem non adquirat, nisi naturaliter adprehensam. L. 23. pr. D. *de adquir. vel omitt. possess.*

§. DLXXXXV.

Cur adiri non possit per procuratorem, et sub conditione?

Quumque aditio sit actus legitimus: (§. 592.) porro inferendum. (7. hereditatem adiri non posse per procuratorem, L. 90. pr. D. *h. t.* L. 123. D. *de reg. iur.* (8. nec sub conditione. L. 51. §. vlt. D. *de adquir. vel omitt. hered.* L. 77. D. *de reg. iur.*

§. DLXXXXVI.

Aditionis effectus.

Postremo quum vtroque modo hereditas adquiratur: (§. 592.) consequens est, (9. vt hereditas non adita non transmittatur, L. vn. §. 5. C. *de caduc. toll.* nisi a liberis sui iuris, qui ad descendentes tantum eam transmittunt. L. vn. C. *qui ante apert. tab. hered. transmitt.* (10. Vt heres post aditam hereditatem in vniuersum ius defuncti succedat, adeoque et iure accrescendi gaudeat, (§. 491. 3.) L. 31. L. 53. §. 1. L. 80. D. *de adquir. vel omitt. hered.* et aes alienum quantumcumque soluere teneatur pro portione hereditaria: licet hereditas soluendo non sit. L. 10. C. *de iur. delib.* (11. Vt is, qui hereditatem adiit, cum legatariis et fideicommissariis quasi contraxisse censeatur, atque inde hi legata et fideicommissa actione personali ex testamento ab eo petere possint. §. 5. *Inst. de oblig. quae quasi ex contr.*

§. DLXXXXVII.

Beneficia heredi concessa.

Quia vero paullo durior haec est heredis conditio: hinc duplex proditum est beneficium, alterum a praetore, quod IVS DELIBERANDI; alterum a Iustiniano, quod BENEFICIVM INVENTARII dicitur.

§. DLXXXXVIII.

Ius deliberandi.

IVS DELIBERANDI est *spatium heredi instituto concessum ad deliberandum, vtrum adire hereditatem, an eamdem repudiare consultius sit.* §. 5. *Inst. h. t.* L. 9. C. *de iur. delib.* Idque spatium olim, instantibus creditoribus, erat arbitrarium: iure nouo a principe annus, a iudice nouem menses conceduntur, modo illud spatium intra annum a die scientiae petatur, L. vlt. §. 13. C. *eod.* Si nemo vrget, heres etiam intra triginta annos adire potest. L. 8. C. *de iur. delib.* L. 7. C. *de her. petit.*

§. DLXXXXVIIII.

Beneficium inuentarii.

BENEFICIVM INVENTARII est *ius, quo heres, rite confecto inuentario, post aditam hereditatem vltra vires hereditatis non tenetur.* §. 6. *Inst. h. t.* L vlt. §. 2. 3. 4. C. *de iur. delib.* Rite autem fit inuentarium, (1. si intra triginta dies a momento notitiae inchoetur, (2. si in-

ſi intra alios LX. dies, vel in locis diſſitis, vel abſentibus heredibus, intra annum perficiatur, (3. adhibitis tabellionibus, (4. citatis iis, quorum intereſt, veluti legatariis et creditoribus. (5. aut iſtis abſentibus, conuocatis tribus teſtibus. (6. Si repertorio perfecto, heres vel ipſe ſubſcribat, et rerum ſummam exprimat, vel ſcribendi imperitus tabellionem ſubſcribere iubeat. *d. L. vlt.* §. 2. 3. *C. de iur. delib. Nou. I. cap.* 2. §. 1.

§. DC.

Haec de adquirenda hereditate. Eamdem extraneus ſuo arbitrio poteſt REPVDIARE: (§. 591.) eamque in rem denuo vel expreſſis verbis ſignificat voluntatem, vel tacite re ipſa et factis *L.* 95. *L.* 77. *fin. D. de adquir. vel omitt. hered.* Vnde eadem hic obſeruanda, quae obſeruauimus §. 593. *ſequ.* Hereditatis repudiatio.

TIT. XX.

DE LEGATIS.

§. DCI.

HActenus de hereditate per teſtamentum delata. Quandoquidem vero et LEGATA teſtamentis relinqui ſolent: tractationem de his Iuſtinianus intermiſcet doctrinae de teſtamentis, quum tamen de illis, tamquam modo adquirendi ſingulari, ſtatim poſt titulum de donatione agi debuiſſet. (§. 483.) Connexio.

§. DCII.

Eſt vero LEGATVM *delibatio hereditatis, qua teſtator ex eo, quod vniuerſum heredis foret, alicui quid collatum vult, verbis directis* *. *L.* 116. *pr. D. de legat.* 1. Vnde magna erat inter *legata* et *fideicommiſſa particularia* differentia. Nam (1. illa verbis directis; haec obliquis: (2. illa teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis; haec codicillis etiam non confirmatis, immo nutu: VLPIAN. *Fragm. tit.* 25. §. 38. (3. illa non niſi Latine; haec et Graece relinquebantur; VLPIAN. *ibid.* §. 9. (4. illorum ſtrictior, horum benignior erat interpretatio. *L.* 16. *C. de fideic.* Legatum quid et quomodo differat a fideicommiſſo?

* Vnde eleganter VLPIAN. *tit.* 24. §. 1. *legatum eſt, quod LEGIS MODO, id eſt, imperatiue, teſtamento relinquitur.*

§. DCIII.

Legata erant quadruplicia. Alia enim I. *per* VINDICATIONEM relinquebantur, verbis: *do, lego, ſumito, capito, habeto*. Alia II. *per* DAMNATIONEM, verbis: *heres damnas eſto dare, dato, facito, eum dare facere iubeo*. Alia III. *per* PRAECEPTIONEM, verbis: *heres prae-* Legata quotuplicia?

praecipito, *praecipuam rem accipito*. Huiusmodi enim legatum tantum vni ex coheredibus relinquitur. Alia IIII. SINENDI MODO, verbis: *heres sinito legatarium sumere vel habere*. §. 2. *Inst. h. t.* VLPIAN. *Fragm. tit.* 24. §. 2. *sequ.*

§. DCIIII.

Differentia inter legata iure vetere.

Inter haec quoque magna olim erat differentia. Nam legatum per vindicationem legatarium dominum Quiritarium * faciebat a tempore aditae hereditatis, adeoque is legatum petebat actione in rem: legata per damnationem, et sinendi modo actione ex testamento; legata per praeceptionem iudicio familiae erciscundae petebantur. *Theoph. Paraphr.* §. 2. *Inst. h. t.*

* Nec etiam omnes res eodem modo legari poterant. Per *vindicationem* enim et *praeceptionem* legabantur res, quae tempore mortis et testamentifactionis testatoris erant ex iure Quiritium, praeterquam fungibiles, quas mortis tempore in eius dominio esse sufficiebat, *per damnationem* res quaelibet, etiam quae non erant testatoris: *sinendi modo* res propriae testatoris et heredis. VLPIAN. *ibid.* §. 7. *sequ.*

§. DCV.

Haec differentia sublata.

Sed iure nouo discrimen non modo legatorum et fideicommissorum, §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. *D. de legat.* 1. *L.* 2. *C. comm. de legat. et fideic.* sed et ipsorum legatorum per vindicationem, damnationem, praeceptionem et sinendi modo relictorum, quod ad effectum, prorsus sublatum est. §. 2. *Inst. h. t. L.* 15. *C. de test. L.* 1. *C. commun. de legat. et fideicommiss.*

§. DCVI.

Axiomata de legatis.

Vnde obseruanda axiomata. I. *Omnia legata et fideicommissa, quibuscumque relicta verbis et formulis, eiusdem hodie effectus sunt. d.* §. 2. *Inst. h. t. et L.* 1. *C. comm. de leg.* II. *Legata quoque et fideicommissa ita per omnia exaequata sunt, vt, quod deest legatis, repleatur ex natura fideicommissorum, et si quid amplius est in legato, per hoc fideicommissorum natura crescat.* §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. *D. de legat.* 1. *L.* 2. *C. comm. de leg. et fideic.* III. *Legatae speciei dominium sine traditione* (§. 339. **) *ad legatarium transit statim a morte testatoris, adeoque et dies legati pure relicti ab eodem tempore cedit. L.* 80. *D. de legat.* 2. *L.* 64. *D. de furt.* IIII. *Legata sine sollemnitate, adeoque etiam in codicillis, relinquuntur, L.* 8. §. 1. 5. 6. *D. de iur. codicill.* adhibitis modo quinque testibus. *L. vlt.* §. *vlt. C. de codicill.*

§. DCVII.

Quis possit legare?

Quum ergo legatum sit delibatio hereditatis, qua testator alicui quid collatum velit: (§. 602.) sequitur, (1. vt legare et fideicommittere possit, qui potest testari. L. 2. L. 114. *pr.* §. 1. *D. de legat.* 1. (2. Vt eo iure destituantur omnes, quos testamenta facere non posse diximus. (§. 514. *sequ.*)

§. DCVIII.

§. DCVIII.

Hinc et legata et fideicommiſſa relinqui poſſunt (3 omnibus, qui iure capiunt ex teſtamento. (§. 536. *ſequ.*) non incapacibus, excepto legato alimentorum. L. 11. *D. de alim. leg.* Ergo etiam recte relinquuntur (4 perſonis incertis, (§. 538.) §. 25. *Inſt. h. t.* (5. pauperibus, (§. *eod.*) L. 24. *C de epiſc.* (6 eccleſiis, (§. *eod.* *L.* 1. *eod. tit.* (7. ciuitatibus, (§. *eod.*) *L.* 117. *D. de leg.* 1. (8. collegiis licitis, (§. *eod.*) *L.* 1. §. 15. *D. ad SC. Trebell.* (9 poſtumo alieno, §. 26. *ſeq. Inſt. h. t.* Ergo (10 inutiliter legatur ſeruo heredis, * niſi ſub conditione. §. 32. *Inſt. h. t. arg. L.* 116. §. 1. *D. de legat.* 1. Quibus?

* Legatum eſt delibatio hereditatis, qua quid in alium voluntate teſtatoris conferendum. (§. 602.) Atqui ſi ſeruo heredis legatum praeſtaretur, illud ſeruus adquireret heredi, (§. 470.) adeoque nulla fieret hereditatis delibatio. Ergo ei legari nequit. Nec conualeſcit legatum, ſi ſeruus viuo teſtatore poteſtate heredis exierit, ob regulam Catonianam, in legatis et hereditatibus receptam, de qua ſupra (§. 514. *) Ad conditionales autem diſpoſitiones regula Catoniana non pertinet. L. 4. *D. de reg. Caton.*

§. DCVIIII.

Quia deinde omnium legatorum et fideicommiſſorum hodie eadem natura eſt: (§. 606. 1.) ſequitur, (1. vt legari poſſit ab omnibus, ad quos quidquam a teſtatore peruenit. L. 92. §. *vlt. D. de legat.* 1. adeoque non ſolum ab herede, ſed et a legatario et fideicommiſſario, eorumue heredibus, *pr. Inſt. de ſing. reb. per fideic. relict.* dum ne onerentur vltra quam honorati, §. 1. *Inſt. eod.* aut legatario res ſua legetur, quod legatum eſt inutile, niſi viuo teſtatore eam alienauerit, ob eamdem regulam Catonianam, (§. 514. *) et ſub eadem conditione rem legatario legauerit. *L.* 1. §. *vlt. D. de reg. Caton.* (§. 608. *) A quibus?

§. DCX.

Ex eodem axiomate ſequitur, (2 vt legari poſſint res omnes, quae in rerum natura exſiſtunt, vel exſiſtere poſſunt, tum corporales, tum incorporales, modo ſint in commercio ſaltim legatarii. L. 49. §. 2. 3. *D. de legat.* 2. *Arg. L.* 34. *D. de verb. obl.* Quaenam res?

§. DCXI.

Ergo legari poſſunt (3 res non ſolum praeſentes, verum etiam futurae, veluti fructus in fundo naſcituri. * §. 7. *Inſt. h. t. L.* 24. *pr. D. de legat.* 1. *et L.* 17. *pr. D. de leg.* 3. Etiam futurae?

* Tunc vero, ſi fundus adiectus *demonſtrationis* cauſſa, in diuerſa propoſitione, veluti: *amphoram vini do lego, quae ex vinea Tuſculana ſumetur*, legatum, etiamſi nihil naſcatur, debetur. *L.* 12. *D. de alim. legat.* L. 13. *D. de trit. vin. et ol. leg.* ſin *taxationis cauſſa* in vna eademque propoſitione, veluti: *amphoram vini ex vinea Tuſculana do lego*: ſi nihil natum, nihil debetur. L. 5. *D. de trit. vin. et ol. leg. L.* 8. §. 2. *D. de legat.* 2.

§. DCXII.

§. DCXII.

Et alienae. Legari possunt (4. non solum propriae testatoris res, sed et alienae, eo effectu * vt heres aut eas redimat, aut, si non possit, aestimationem praestet arbitrio iudicis, nisi testator eas alienas esse ignorauerit, §. 4. *Inst. h. t.* aut eaedem, viuo testatore, iam tum a legatario titulo lucratiuo sint adquisitae. *Duae* enim *lucratiuae caussae in eumdem hominem et eamdem rem concurrere non possunt*. §. 6. *Inst. eod. L.* 108. §. 4. *D. de legat.* 1.

* Satis itaque patet, pontificem gatum rei alienae veluti iniquum exignarum fuisse iuris Romani, dum le- gitauit *cap. vlt. X. de test.*

§. DCXIII.

Quid iuris, si legatarius iam rem sibi legatam habeat? Ex quo axiomate porro sequitur, (1. vt, si titulo oneroso rem sibi legatam adquisiuerit legatarius, pretium is ab herede iure repetat. §. 6. *Inst. h. t.* (2. Vt, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur, ac ex priore legatarius iam consequutus sit rem, ex altero aestimationem petere nequeat: sin ex priore aestimationem habeat, ex posteriore rem petere possit. *d.* §. 6. *Inst. h. t.* (3. Vt, si legatarius partem titulo oneroso, partem lucratiuo adquisiuerit, partis prioris tantum aestimationem petere possit. L. 82. *pr. sequ. D. de legat.* 1. (4. Vt, si rei proprietatem sine vsufructu titulo oneroso adquisiuerit legatarius, finito vsufructu, rem petens non nisi proprietatis aestimationem, deductis vsufructu, officio iudicis consequatur. §. 9. *Inst. h. t.*

§. DCXIIII.

Etiam res oppignoratae. Recte legantur (5. res oppignoratae, quas tunc heres luere tenetur, nisi testator ignorauerit, esse oppignoratas, aut expresserit, legatarium debere luere: §. 5. *Inst. h. t.* quod praesumitur, si vniuersitas, veluti dos, legata, eiusque res singularis oppignorata. L. 15. *D. de dot. praeleg.*

§. DCXV.

Nec non alienatae. Ergo et (6 non perit legatum rei, quam postea testator alienauit, modo id non fecerit consilio adimendi legatum, quod ex eo praesumitur, si alienatio non necessaria, sed voluntaria, fuerit. §. 12. *Inst. h. t. L.* 11. §. 12. *D. de leg.* 3. *L.* 18. *D. de adim. vel transfer. legat.*

§. DCXVI.

Immo et res incorporales. Legatum nominis et liberationis. Quumque et res incorporales recte legentur: (§. 610.) nemo dubitat, quin (7. et legatum NOMINIS et (8. LIBERATIONIS vtile sit. Illo enim testator in legatarium confert, quod sibi a tertio debetur, et heredem obstringit, vt legatario actiones cedat*: §. 21. *Inst. h. t. L.* 44. §. 6. *L.* 75. §. 2. *D. de legat.* 1. hoc heredem obligat ad reddendum chirographum, et quamuis actio heredis non exstinguatur, legatarius tamen exceptione doli tutus est. L. 3. §. 2. *D. de liberat. legat.* **

* No-

* Nomen ergo exigit legatarius iure sibi ab herede cesso, quia actio haec personalis soli heredi, defunctum repraesentanti, directe competit, non legatario, qui non succedit in iura testatoris. Sed hanc subtilitatem quodammodo sustulit ius nouum, quo et legatario huic immediate actiones vtiles aduersus debitorem dantur. *L.* 18. *C. h. t.*

** Quid vero, si testator debitum vel exegerit, vel sponte solutum acceperit? an haec legata nominis et liberationis exstinguuntur? Negatur vtroque casu, nisi consilio adimendi id fecerit: quod nec posteriore casu praesumitur, nec priore, si caussa exigendi fuerit necessaria. *L.* 11. §. 12. 13. *D. de legat.* 3.

§. DCXVII.

Vtile quoque est (9. legatum DEBITI, id est, quo testator creditori suo legat, quod ei debet, dummodo plus sit in legato, quam in debito: v. c. si pure legatum, quod sub conditione vel ex die debebatur. §. 14. *Inst. h. t.* Ita et creditor chirographarius hoc legato ius hypothecae consequitur: vel si ei probationes desint, rem ex testamento petere potest, et sic praeterea habet actionem bonae fidei. Legatum debiti.

§. DCXVIII.

Eiusdem naturae est (10. *praelegatum* DOTIS, partim quia sic vxor eam statim petere potest, quum alias annum exspectare teneatur, si dos sit mobilis. §. 15. *Inst. h. t. L. vn.* §. 7. *C. de rei vx. act.* partim quod non obstricta est vxor legataria ad probationem illatae dotis, dummodo maritus testator certam quantitatem expresserit. *d.* §. 15. *L.* 1. §. 7. *sequ. D. de dot. praeleg.* Praelegatum dotis.

§. DCXVIIII.

Recte etiam legatur (11. non solum *species*, sed et (12. *quantitas*, et (13. *genus*. SPECIES ICtis est indiuiduum, v. c. *Tusculanum*, *Stichus bucephalus*: GENVS iis est, quod philosophis species, vti *praedium*, *seruus*, *equus*. QVANTITAS genus numero definitum, vti *quadriga*, *centum aurei*. Speciei, quantitatis, generis.

§. DCXX.

Et legatum quidem SPECIEI id habet, (1. quod ea non heredi, sed legatario perit, (§. 606. 3.) nisi illius culpa vel leuissima intercedat. § 16. *Inst. h. t. L.* 47. § *penult. D. de legat.* 1. (2. Quod duabus speciebus legatis, si vtraque res principalis sit, vna, viuo testatore, exstincta, altera debeatur; sin altera principalis, altera sit accessoria, illa exstincta, haec non debeatur. §. 17. *Inst. h. t.* (3. Quod vniuersitate legata, et incrementum et decrementum legatario in lucrum et damnum cedat, (§. 606. 3.) adeoque, grege legato, et vna ouis superstes debeatur. * §. 18. 19. 20. *Inst. h. t. L.* 22. *D. de legat.* 1. Circa legatum speciei quid iuris?

* Quod secus in vsufructu gregis, non constat. *L. vlt. D. quib. mod. vsusfr. amitt.* siquidem vna oue superstite vsusfructus

§. DCXXI.

Quid circa legatum generis?

De legato GENERIS obseruandum, (1. illud vtile esse si genus non summum, sed infimum sit, et hoc certos ab ipsa natura terminos habeat, quum, contra, si ab arbitrio hominum pendet, et testator tale quid non reliquit, derisorium magis videatur. *L.* 24. §. 3. *L.* 71. *pr. D. de legat.* 1. (2. Electionem tunc esse penes legatarium, nisi aliud testator sanxerit, dummodo non optimum eligat. §. 22. *Inst. h. t. L.* 37. *pr. et* §. 1. *D. de legat.* 1.

§. DCXXII.

Et legatum optionis.

Vnde adparet, quid intersit inter legatum *generis*, et OPTIONIS, vel ELECTIONIS, quum testator legatarium aliquem ex seruis vel equis suis diserte eligere iubet: tunc enim eligit legatarius, (eiusue heres, *L. vlt. C. comm. de leg.*) etiam optimum, §. 23. *Inst. h. t. L.* 2. §. 1. *D. de opt. leg. L.* 9. §. 1. *D. de dol.* nec tamen, quod semel elegit repudiare, aliudque praeferre potest. *L.* 20. *D. de opt. leg.*

§. DCXXIII.

Quid legatum generis et quantitatis commune habeant?

Commune id est legatis *generis* et *quantitatis*, quod nec genus, nec quantitas perire intelligantur.

§. DCXXIIII.

An et facta legentur?

Denique et (14 FACTA recte legantur, in quorum praestationem heredem damnauit testator, modo sint honesta, quia alias euanidum esset legatum. *L.* 112. §. 3. *D. de leg.* 1.

§. DCXXV.

Ius accrescendi.

Vti inter heredes, ita et inter legatarios coniunctos valet IVS ACCRESCENDI. Quum enim legatum sit delibatio hereditatis: (§. 602.) praesumitur sane, testatorem noluisse, vt res legata pluribus penes heredem maneat, sed, vno legatario deficiente, illam totam collegatario relinqui maluisse.*

* Ergo diuersa huius iuris ratio est in hereditatibus et legatis. In hereditatibus illud obtinet ex iuris necessitate, quia nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest. (§. 542. *sequ.*) Vnde nec testator id ius prohibere potest. In legatis contra ex praesumta testatoris voluntate, qui deficientem partem creditur ad eum potius, cui rem eamdem legauit, quam ad heredem, a quo legauit, voluisse deuolui. VLR. HVBER. *Prael. h. t.* §. 23. *extr.*

§. DCXXVI.

Requisita, vt locum habeat.

Vt ergo locum habeat ius istud subtilissimum, requiritur, I. vt collegatarius deficiat, II. vt legatarii sint coniuncti, id est ad eamdem rem vocati. *L.* 1. *L.* 11. *D. de vsufr. accresc.* Alias enim deficientis personae legatum exstinguitur. *L. vn.* §. 2. *C. de caduc. toll.*

§. DCXXVII.

Quando pars dicatur deficere?

DEFICERE intelligitur collegatarius, si vel tempore conditi testamenti

menti non exfiſtat in rerum natura, vel ſpreuerit legatum, vel viuo teſtatore deceſſerit, aut conditio defecerit, vel alio modo factus ſit incapax. *L. vn.* §. 2. 3. 4. *C. de caduc. toll.* Nam, ſi vel momento teſtatorem ſuperuixit, legatum tranſmittit ad heredes, adeoque nihil accreſcit collegatariis. *L. vn.* §. 5. *C. de cad. toll. L.* 5. *pr. D. quand. dies leg. ced.*

§. DCXXVIII.

Coniuncti qui, et quotuplices ſi?

CONIVNCTI autem legatarii cenſentur tripliciter, vel I. RE TANTVM, *ſi ad eamdem rem, ſed diuerſis propoſitionibus, vocati ſunt*, vnde et DISIVNCTI ſolent vocari. §. 8. *Inſt. h. t.* v. c. *Titio aedes meas do lego: Sempronio eaſdem aedes do lego. L.* 89. *D. de legat.* 3. II. VERBIS TANTVM, *qui ad eamdem rem, eadem propoſitione, ſed adiectis partibus*, * *vocantur*. v. c. *Titio et Sempronio aedes meas do lego, aequis partibus. d. L.* 89. III. RE et VERBIS SIMVL, ſeu MIXTIM, *qui ad eamdem rem, eadem propoſitione, ſimpliciter et indiuiſim vocantur*. v. c. *Titio et Sempronio aedes meas do lego. d. L.* 89. *et L.* 142. *D. de verb. ſign.*

* Intellectualibus puta, et quae mente tantum concipiuntur. Nam ſi re ipſa legatam rem inter legatarios diuiſit teſtator: hi plane non ſunt coniuncti, adeoque et ius accreſcendi inter eos nullum eſt. *L.* 1. *pr. D. de vſufr. accreſc.* v. c. *Titio et Sempronio do lego fundum, illi cis, huic vltra flumen.*

§. DCXXVIIII.

Regulae de iure adcreſcendi.

Iam obſeruandae regulae: I. Si qui legatarii vel *verbis tantum*, vel *mixtim* coniuncti ſunt: portio alterius deficientis accreſcit collegatario. II. Si quis re tantum coniunctus deficit: eius portio accreſcit omnibus, ita tamen, vt verbis et mixtim coniuncti vnius vice fungantur. *L.* 34. *pr. D. de legat.* 1. *L. vn.* §. 10. *C. de caduc. toll.* III. Coniunctis mixtim et verbis tantum accreſcit volentibus, et cum onere; re tantum coniunctis et nolentibus, ſine onere. *d. L. vn.* §. 10. 11. *C. de cad. toll.* *

* Hinc ſi v. c. teſtator ſcripſerit: *primo fundum Tuſculanum do lego: ſecundo eumdem do lego: tertio et quarto eumdem do lego aequis partibus: quinto et ſexto eumdem do lego*: deficiente quinto, portio eius ſexto accreſcit volenti cum onere: deficientis quarti portio accreſcit tertio itidem volenti cum onere: deficiente primo portio eius omnibus accreſcit, etiam inuitis, ita tamen, vt trientem ſecundus: alterum trientem tertius et quartus; tertium quintus et ſextus ſine onere accipiant.

§. DCXXX.

Quotupliciter poſſit legari?

Poteſt porro legari vel PVRE, vel IN DIEM *ſeu* EX DIE, vel *ſub* CONDITIONE, vel ſub DEMONSTRATIONE, vel ſub CAVSA, vel ſub MODO. *L.* 1. *pr. D. de condit. et demonſtr. L.* 17. *pr.* §. *vlt. L.* 72. §. 6. *D. eod.*

§. DCXXXI.

Pure?

PVRE legatur, *quum a nullo euentu legatum ſuſpenditur*: et tunc

ſtatim a morte teſtatoris et cedit dies, et venit. (§. 606. 3.) * *L.* 5. §. 1. *D. quand. dies leg. ced.* excepto legato vſusfructus, vſus, habitationis, libertatis, (et olim optionis,) quorum dies a tempore aditae hereditatis cedit, quia huius generis legata ad heredes non tranſmittuntur. *L. vn.* §. 2. *D. quand. dies vſusfr. leg. ced. L.* 8. *D. quand. dies leg. ced. L.* 16. *D. de opt. leg.*

* *Cedere* dicitur dies, ex quo debe- ri incipit: *venire*, ex quo peti poteſt. L. 213. *D. de verb. ſignif.*

§. DCXXXII.

In diem et ex die.

Legatum relinquitur tum IN DIEM, v. c. *Maeuio lego aedes per decennium*: tum EX DIE, ſiue certo, ſiue incerto, v. c. *Sempronio lego hortum poſt decennium a morte mea, vel, a tempore, quo liberos ſuſceperit*. Priore caſu dies itidem et cedit ſtatim a morte teſtatoris, et venit: poſteriore, ſi dies certus, dies quidem cedit, ſed non venit, niſi exſiſtat: *L.* 5. §. 1. *L.* 21. *D. quand. dies leg. ced.* ſin incertus, nec cedit, nec venit, antequam exſiſtat, *L.* 21. *et* 22. *D. eod.* quia dies incertus pro conditione eſt. *L.* 75. *D. de condit. et demonſtrat.*

§. DCXXXIII.

Sub conditione.

De CONDITIONALI legato eadem obſeruanda, quae diximus ſupra. (§. 545. *ſequ.*) Iam addimus, diem in eiuſmodi legato nec cedere, nec venire, niſi exſtiterit conditio: *L.* 5. §. 2. *D. quand. dies leg. ced.* adeoque nec huiuſmodi legatum ad heredes tranſmitti, ſi legatarius ante exſiſtentem conditionem deceſſerit. (§. 549. 6.) (aliud de contractibus obſeruandum, (§. 833. 4.) nec legatum adquiri patri, ſi conditio, emancipato filio, exſtiterit, (quod iterum aliter ſe habet in contractibus, (§. 994. 2.) *L.* 18. *D. de reg. iur. L.* 5. §. 2. *D quando dies leg. ced.*

§. DCXXXIIII.

Sub demonſtratione.

SVB DEMONSTRATIONE legatur, *quoties vel perſonae vel rei legatae additur deſcriptio, qua ea tanto certius deſignetur*, v. c. *Stichum, quem a Maeuio emi, do lego*. *L.* 34. *pr. D. de condit. et demonſtr.* Et hinc conditio magis rem futuram; demonſtratio praeteritam deſignat. *d. L.* 34. §. 1. *D. eod.* De ea notandum, quod falſa demonſtratio non magis legatum perimat, (*L.* 17. *pr. L.* 34. *pr. L* 40. §. 4. *D. eod.*) quam error admiſſus in nomine, §. 30. *Inſt. h. t. L.* 4. *D. de legat.* 1. quippe cuius vice demonſtratio fungitur. L. 34. *pr. D. eod.*

§. DCXXXV.

Sub cauſſa.

SVB CAVSSA legatur, *quoties teſtator cauſſam impulſiuam adſcribit*, v. c. *Titio, quia negotia mea geſſit, do lego*. §. 31. *Inſt. h. t. L.* 72. §. 6. *D. de cond. et dem.* Etiam haec, tametſi falſa, non vitiat legatum: * *d.* §. 31. *Inſt. h. t.* niſi ab herede poſſit probari, teſtatorem, ſi cauſſam falſam ſciuiſſet, non fuiſſe legaturum, tunc enim doli exceptio locum habet. L. 72. §. 6. *D. de condit. et demonſtr.*

* Le-

* Legatum enim instar legis est: (§. 602. *) lex vero ideo non desinit obligare, quod caussa, quam legislator interserit, falsa adpareat. Ita in legatis. Et ita intelligendum, quod ait PAPINIANVS, rationem legandi legato non cohaerere. *L.* 72. §. 6. *D. de condit. et demonstr.*

§. DCXXXVI.

Sub modo. SVB MODO denique legatur, *quoties finis, ad quem legatum, exprimitur*, v. c. *Titio do lego, vt aedes suas reficiat.* *L.* 17. §. *vlt. D. eod.*

§. DCXXXVII.

Quid circa hoc legatum iuris? In hoc legato dies et cedit statim, et venit, dum caueat legatarius, se modum impleturum. * L. 40. §. *vlt.* L. 80. *D. eod.*

* Simile quid obtinet, si cui sub conditione negatiua vel hereditas relicta, vel legatum sit. Nam et haec hereditatem vel legatum non suspendit, dum caueat heres vel legatarius, se conditioni pariturum. Quae cautio ab inuentore vocatur Muciana. *L.* 7. *pr. D. de condit. et demonstr.* Aliud in stipulationibus sub conditione negatiua obtinet: siquidem conditio negatiua illas suspendit ad mortem vsque, ac si stipulatus quis esset, quum moreretur alter, sibi dari. §. 4. *Instit. de verb. oblig.* (§. 833.) Neque enim ad conuentiones pertinet haec cautio. CVIAC. *Obs. Lib. XIIII. cap.* 37.

§. DCXXXVIII.

Legata captatoria, et legata poenae nomine. Ita iure legatur. Non autem leges nostrae sustinent legata CAPTATORIA: v. c. *Titio, si mihi totidem legauerit, lego mille.* *L.* 64. *D. de legat.* 1. sustinent tamen legata, POENAE NOMINE relicta, nisi turpe quid heredi iniungatur, v. c. *Heres meus, nisi Seium occiderit, Maeuio mille dare damnas esto.* Nam alias ex Iustiniani voluntate tamquam conditionalia valent. §. *vlt. Inst. h. t.* Sed confer tu, sis, BYNKERSH. *Exerc. de legatis poenae nomine relict.* et *Antiqu. nostr. Rom. Lib. II. tit.* 20. §. 14.

§. DCXXXVIIII.

Quibus actionibus legata petantur? Quum denique legatorum pure relictorum dies statim cedat: (§. 606. 3.) consequens est, vt ea cum fructibus, accessionibus, et vsuris a tempore morae (*L.* 39. §. 1. *D. de legat.* 1. *L.* 42. *D de vsur.*) peti possint (1. rei vindicatione, si species testatoris propria legata: siquidem haec actio datur ex dominio, L. 23. *pr. D. de rei vind.* quod statim a morte testatoris ad legatarium transit. (§. 606. 3.) L. 80. *D. de legat.* 2. (2. Actione in personam ex testamento, quia heres adeundo hereditatem cum legatariis quasi contraxisse censetur: (§. 596. 11.) §. 5. *Inst. de oblig. quae quasi ex contr.* (3. Actione hypothecaria, quia bona hereditaria legatariis et fideicommissariis tacito obligantur pignore. L. 1. *C. comm. de legat.*

TIT.

T I T. XXI.

DE ADEMTIONE LEGATORVM.

§. DCXXXX.

Legata adimuntur et transferuntur.

QVia voluntas hominis ambulatoria est vsque ad mortem : (§. 573. **) facile patet, legata ac fideicommissa et adimi, et in alios transferri posse. Quumque legata et sine sollemnitate relinqui possint : (§. 606. 4.) sequitur, vt eadem sine sollemnitate et ADIMANTVR recte, et TRANSFERANTVR. *pr. Inst. h. t.*

§. DCXXXXI.

Adimuntur vel ipso iure.

ADIMVNTVR, *quoties testator legatario id, quod ei destinatum, conferri non vult*, eaque ademptio vel IPSO IVRE fit, vel OPE EXCEPTIONIS.

§. DCXXXXII.

Verbis et factis.

IPSO IVRE legata adimuntur vel VERBIS, *si vel testamento vel codicillis dicat, se, quod Titio dederit legauerit, iam non dare legare: pr. Inst. h. t.* vel FACTIS, veluti *si legatum induxerit*, *L.* 16. *D. h. t.*, *rem legatam corruperit*, *L.* 65. §. 2. *D. de legat.* 1. *in aliam formam redegerit, vt ad priorem speciem reduci nequeat*, *L.* 88. §. 2. *D. de legat.* 3. *praeter necessitatem distraxerit, donarit*, (§. 615.) *legatum nomen exegerit*. (§. 616. **) §. 12. *et* 21. *Inst. de legat.*

§. DCXXXXIII.

Per exceptionem.

OPE EXCEPTIONIS eadem adimuntur, *quoties mutatae voluntatis luculenta exstant indicia:* veluti, si capitales inimicitiae inter testatorem et legatarium intercesserint, nec reconciliatio sit sequuta: L. 3. §. *vlt. L.* 4. *D. h. t.* vel si testator coram duobus testibus vel in schedula contrariam voluntatem significarit. L. 13. *D. h. t. L.* 27. *C. de fideic.*

§. DCXXXXIIII.

Transferuntur.

TRANSFERVNTVR legata vel I. mutato legatario, v. c. *fundum, quem Titio * legaueram, Maeuio do lego:* vel II. mutata persona, a qua legatum, v. c. *fundum, quem Titio a Seio herede legaueram, iam a Sempronio do lego:* vel III. mutato ipso legato, v. c. *Titio pro fundo, quem legaueram, mille do lego:* vel IIII. mutato denique modo legandi, v. c. *Titio, cui fundum pure legauerum, iam ea lege eumdem do lego, si in hanc vrbem migrauerit*. §. 1. *Inst. L.* 6. *D. h. t.*

* Huius nomen necessario exprimendum est. Alioquin non erit translatio legati, sed Titius et Maeuius in eo pro coniunctis habebuntur. L. 33. *pr. D. de legat.* 1.

§. DCXXXXV.

§. DCXXXXV.

Quum vero translatio, quae fit mutata legatarii persona, simul sit ademptio, simul noui legati constitutio: L. 5. *D. h. t.* facile patet, ad eam non sufficere pauciores, quam quinque, testes: (§. 606. 4.) alias recte quidem ademtum esse legatum priori, sed non recte translatum in posteriorem, adeoque neutrum illud accipere. Quot tunc opus sit testibus?

§. DCXXXXVI.

Exstinguuntur etiam aliquando legata, praeter voluntatem testatoris, veluti (1. si legatarius, ante testatorem mortuus; collegatarium, quocum coniunctus fuerit, non habeat: (§. 627.) *L. vn. §. 2. C. de cad. toll.* (2. Si ante exsistentem conditionem decesserit. (§. 633.) L. 5. §. 2. *D. quand. dies leg. ced.* (3. Si res aliena legata, iam ante mortem testatoris ex caussa lucratiua ad legatarium peruenerit: (§. 612.) §. 6. *Inst. de legat.* (4. Si res legata perierit sine culpa heredis: (§. 620. 1.) §. 16. *Inst. eod.* (5. Si testamentum nullum, (§. 569.) ruptum, (§. 574.) irritum factum: (§. 575.) L. 17. *D. de iniust. rupt. irr.* non si rescissum. (§. 584. 7.) *Nou. CXV. cap. 3. §. vlt. cap. 4. §. vlt.* (6. Si conditio defecerit. (§. 548. 2.) L. 3. L. 27. *fin. D. de condit. instit.* Legata quomodo exstinguantur?

§. DCXXXXVII.

Aliquando etiam legata PRO NON SCRIPTIS HABENTVR. Aliquando legatariis, VT INDIGNIS, a fisco ERIPIVNTVR. De caussis ad *Digest. Lib. XXXIII. tit. VIII. et sequ.* erit agendum. Legata pro non scriptis habita, et erepta indignis.

TIT. XXII.

DE LEGE FALCIDIA.

§. DCXXXXVIII.

AD legata etiam pertinet LEX FALCIDIA, lata a P. Falcidio, tribuno plebis, a. v. c. 713. *Cn. Domitio M. F. Caluino* et *C. Asinio Pollione* coss. DIO CASS. *Lib. XXXXVIII. pag.* 430. qua cautum, vt nemini liceret vltra dodrantem legare, et, si vltra quid legatum, heredi tantum retinere liceret, vt quartam partem hereditatis habeat saluam. CAI. *Inst. Lib. II. tit.* 8. *L. 1. pr. D. h. t.* Legis Falcidiae historia, et materia.

§. DCXXXXVIIII.

Quum enim lege XII. tabularum patrifamilias ius esset, legandi pro lubitu: (§. 487.) et saepe testatores ita legatis onerarent heredes, vt iis vix quidquam lucri superesset, *pr. Inst. h. t.* variis quidem legibus Caussa huius legis.

gibus heredi prospectum *, quarum nulla tamen praeter Falcidiam sufficere visa est coërcendae testatorum licentiae. *d. pr. Inst. h. t. L.* 120. *D. de verb. sign.*

* Primum lata lex Furia, a C. *Furio*, trib. plebis, qua cautum, ne cui liceret vltra mille asses legare, praeterquam cognatis, aliisque quibusdam personis. VLP. *Fragm. tit.* 18. §. 7. Quum vero ita non quidem vni vltra mille asses, sed tamen eadem summa eo pluribus legaretur: a. v. c. 594. *Q. Voconius Saxa*, trib. pleb. nouam rogauit legem, qua cautum, ne quis censsus plus vlli legaret, quam ad heredem heredesue perueniret. Verum quum ita quoque minima saepe pars hereditatis ad heredem perueniret, et plerique instituti recusarent pro nullo aut minimo lucro hereditatem adire: fieri non potuit, quin plurima testamenta destituerentur, adeoque his legibus ad rei consummationem parum proficeretur. *pr. Inst. h. t.*

§. DCL.

Quid velit lex Falcidia? Axiomata.

Ex hac itaque lege I. oportet heredem quartam bonorum saluam habere, et II. si eam saluam non habeat, tantum cuique legatariorum pro rata detrahit, quantum tum quartae deest. (§. *649.*)

§. DCLI.

Quis quartam detrahat?

Ergo eam quartam deducit HERES grauatus, (§. *650.* 2.) et ex legis quidem intentione testamentarius, sed ex interpretatione diui Pii etiam legitimus. L. 18. *pr. D. h. t.* Ex quo consequitur, (1. vt si plures coheredes sint, in singulis heredibus Falcidiae ratio ponenda sit. §. 1. *Inst. h. t. L.* 77. *D. eod.* (2. Vt, si duobus institutis, quorum alterius portio legatis exhausta, altera non exhausta est, alter coheres deficiat, eiusque portio coheredi accrescat, quarta detrahi possit, si portio grauata accreuerit non grauatae: minime vero, si non grauata grauatae accesserit. L. 78. L. 87. §. 4. *D. h. t.* (3. Vt, si a legatario vel fideicommissario legatum; ii, quantumuis grauati, quartam detrahere nequeant. L. 47. §. 1. *D. h. t.*

§. DCLII.

Quomodo ea computanda?

Quumque quarta bonorum salua heredi esse debeat: (§. *650.* 1.) sequitur, vt in quantitate patrimonii exquirenda mortis tempus spectetur, §. 2. *Inst. h. t. L.* 56. *pr. D. eod.* adeoque (3. nec subsequens incrementum hereditatis legatariis prosit, nec decrementum iisdem obsit. L. 73. *pr. D. eod.* (3. Vt non ponatur quartae ratio, nisi deducto aere alieno, (sine cuius deductione bona non intelliguntur, L. 39. §. 1. *D. de verb. sign.*) deductisque funeris impensis, deductis pretiis seruorum manumissorum, et impensis in hereditatem suscipiendam factis. §. 3. *Inst. L.* 29. *C. h. t. L. vlt.* §. 9. *C. de iur. delib.* (4. Vt non imputetur in hanc quartam, nisi quod titulo institutionis ad heredem peruenit*. L. 74. L. 76. *D. h. t.*

* Secus ac in fideicommissis. In Trebellianicam enim omnia computantur. (§. *669.* 2.)

§. DCIII.

§. DCLIII.

Detrahitur quarta (1. legatariis: (§. 250.) adeoque, quum legata et fideicommissa per omnia exaequata sint, (§. 606. 2.) (2. etiam fideicommissariis particularibus: L. 18. *pr. D. h. t.* immo ex interpretatione (3. etiam donatariis, quibus quid mortis caussa destinatum, L. 5. *C. h. t.* non quibus inter viuos donatum, praeterquam coniugibus inter se donantibus. L. 12. *C. eod.* Quibus detrahitur?

§. DCLIIII.

Sed ea lex cessat (1. in dote mulieri relegata, quam ipsa lex excepit; L. 81. §. 1. *D. h. t.* (2. in testamento militis, (non veterani,) quippe plerisque legibus de testamenti factione soluto. (§. 502.) L. 17. L. 92. L. 40. *D. L. 7. C. h. t.* (3. in rebus per testatorem alienari prohibitis; *Auth. sed et in ea re C. h. t.* (4. in rebus ab herede subtractis dolose; L. 24. *D. h. t.* (5. in legatis ad pias caussas; *Nov. CXXXI. cap. 12.* (6. in libertate legata; L. 33. L. 34. L. 43. *D. h. t.* (7. si vel testator expresse prohibuerit quartam detrahi *, *Nov. I. cap. 2.* §. 2. vel (8. heres, mortuo testatore, spoponderit, se integra legata praestiturum, L. 46. L. 71. *D. L. vlt. C. h. t.* vel ea sciens vel ex ignorantia integra praestiterit; L. 9. *C. eod.* (9. si heres id egerit, vt fideicommissum intercideret; L. 59. *pr. L. 68.* §. 1. *D. h. t.* (10. si viuus testator iam heredi quartam, vel quod eidem aequiparari possit, dederit: L. 56. §. *vlt. L. 91. D. h. t.* (11. si heres inuentarium non confecerit. L. *vlt.* §. *penult. C. de iur. delib.* Quibus non detrahitur?

* Sed id contra iuris rationem inuexit Iustinianus. Lex Falcidia enim non modo in gratiam testatorum, ne eorum testamenta destituerentur, lata est: verum etiam in gratiam heredum, ne iis hereditas sine lucro obueniret. *L. 71. D. h. t.* Iustinianus vero heredum rationem non habuit, adeoque totam legem Falcidiam fere peruertit, dum testatoribus concessit, vt detractionem Falcidiae possint prohibere, quum antea id non liceret. *L. 15. §. vlt. D. h. t.*

TIT. XXIII.

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBVS, ET AD SC. TREBELLIANVM.

§. DCLV.

HActenus de *hereditatibus* et *legatis*, in quibus desiderantur verba directa et imperatiua: (§. 493. * 602. 1.) sequuntur FIDEICOMMISSA, *quae verbis obliquis seu precatiuis relinquuntur.* Connexio. Quid fideicommissum?

§. DCLVI.

Quotuplex? Ea vel VNIVERSALIA sunt, vel SINGVLARIA. De illis hoc, de his sequente titulo agitur. VNIVERSALIA ergo sunt, *quando hereditas eiusue pars ab instituto relinquitur verbis precatiuis tituloque vniuersali*. §. 2. *Inst. h. t.*

§. DCLVII.

Quot personae requirantur? Quum ergo haec fideicommissa verbis precatiuis relinquantur: (§. 656.) sequitur, vt adesse oporteat I. *fideicommittentem*, II. heredem *fiduciarium*, qui rogetur, vt restituat, quique stricto iure heres permanet, etiam facta restitutione: §. 3. *Inst. h. t. L.* 88. *D. de hered. inst.* III. *fideicommissarium*, cui hereditas e fideicommisso restituenda.

§. DCLVIII.

Fideicommissum expressum et tacitum. Restitutio vel EXPRESSE iniungitur fiduciario, v. c. *Titius heres esto, eumdem vero rogo, vt hereditatem Sempronio restituat*: vel TACITE iniuncta censetur, veluti si testator dixerit: *rogo heredem, ne hereditatem alienet, sed relinquat familiae*, *L.* 69. §. 3. *D. de leg.* 2. vel: *rogo, ne testamentum faciat, donec liberos susceperit*; *L.* 74. *pr. D. ad SC. Trebell.* vel: *rogo, vt testamento suo Seium heredem faciat*. *L.* 17. *pr. D. eod.* Vnde fideicommissa vel EXPRESSA, vel TACITA esse, patet.

§. DCLVIIII.

Quis possit fideicommittere? Quum vero hoc modo hereditas eiusue pars titulo vniuersali relinquatur: (§. 656.) sequitur, (1. vt fideicommittere possint, qui possunt testari. L. 2. *D. de legat.* 1. (2. Vt possit fideicommitti ab omnibus, qui heredes sunt, et ad quos hereditas eiusue pars peruenit, L. 1. §. 17. *D. ad SC. Trebell. L.* 9. *C. de fideic.* adeoque etiam a fideicommissariis. §. 11. *Inst. h. t.* Quamuis huiusmodi fideicommissarias substitutiones doctores ad quartum gradum restringant ob *Nou. CLIII.* vbi tamen casus specialis, si quis per medium impuberem heres extiterit. (3. Vt iis restitui queat, cum quibus est testamentifactio *. L. 67. §. 3. *D. ad SC. Trebell.*

* Ita iure nouo. Olim enim, qui ex testamentis capere non poterant, iis fideicommissa relinquebantur §. 1. *Inst. h. t.* VLP. *Fragm. tit.* 25. §. 16. Exempla sunt apud CIC. *de fin. Lib. II. cap.* 58. QVINCTIL. *Declam.* 324. VAL. MAX. *Lib. IIII. cap.* 2. §. 7.

§. DCLX.

A quibus? et qua forma? Ex positione II. antecedentis paragraphi denuo fluit, (4. fideicommitti posse non solum *in testamento*, verum etiam *ab intestato*, §. 10. *Inst. h. t.* (heredes enim legitimos testator satis honorauit, dum non exclusit, L. 1. §. 6. *D. de legat.* 3. *L.* 8. §. 1. *D. de iur. codicill.*) adeoque adhibitis quinque testibus, nisi moriens viua voce heredi fideicommiserit, quo casu & sine testibus fideicommissum ratum est, et fiduciario, praeuio iureiurando calumniae, iusiurandum deferri potest. Id si praestare recuset, soluere tenetur. §. *vlt. Inst. h. t.*

§. DCLI.

§. DCLXI.

Quomodo?

Quumque heredi fiduciario iniungatur restitutio: sequitur, (5. vt hereditas per fideicommissum non modo *pure* et *sub conditione*, verum etiam, quod in directa institutione non licet, (§. 544.) *ex certo die* relinqui queat: §. 2. *Inst. h. t.* quia sic testator non pro parte testatus, pro parte intestatus decedit. (§. 491. 3.)

§. DCLXII.

Ex fideicommissis heres olim non obligabatur.

Quandoquidem vero fideicommissa verbis precatiuis relinquuntur, (§. 655.) ea vero, nisi accedat promissio, obligationem haud producunt: inferebant veteres, fiduciarium nullo vinculo iuris, sed solo pudore, ad praestandum fideicommissum adstringi. §. 1. *Inst. h. t.* Vlp. *Fragm. tit.* 25. §. 1.

§. DCLXIII.

Augustus iis necessitatem iuris addidit.

Sed iisdem, inter exempla probitatis et perfidiae fluctuantibus, necessitatem iuris addidit Augustus, consulibusque id dedit negotii, vt fiduciarios heredes fideicommissa praestare cogerent. Quo consilio postea et duos praetores fideicommissarios constituit Claudius, (quamuis Titus vnum iterum detraxerit. L. 2. §. 31. *D. de orig. iur.*) §. 1. *Inst. h. t. pr. Inst. de codicill.* Svet. *Claud. cap.* 23.

§. DCLXIIII.

Hinc saepe fiduciarii hereditatem repudiabant

Quia vero heres fiduciarius stricto iure, restituta etiam hereditate, heres permanet, (§. 657. 2.) adeoque omne aes alienum soluere tenetur, (§. 596. 10.) et tamen saepe totam hereditatem cogebatur restituere: (§. 656.) eueniebat, quod in legatis accidisse diximus, (§. 649.*) vt recusarent heredes pro nullo aut minimo lucro hereditates, aliis restituendas, adire, et creditoribus obligari. L. 1. §. 3. *D. ad SC. Trebell.*

§. DCLXV.

SC. Trebellianum.

Hinc primo sub Nerone * conditum SC. Trebellianvm, eoque cautum, *vt, si hereditas ex caussa fideicommissi restituta sit, omnes actiones, quae iure ciuili heredi vel in heredem competerent, ei et in eum, cui ex fideicommisso restituta sit hereditas, darentur.* §. 4. *Inst. h. t.*

* A. v. c. 814. viii. Kal. Sept. L. *Annaeo Seneca* et *Trebellio Maximo* coss. suffectis. L. 1. *D. ad SC. Trebell.* Ceterum eo SC. non actiones directe ab herede fiduciario remouebantur, sed habebat tamen ex SC. Trebelliano exceptionem. *L. 1, §. 4. D. ad SC. Trebell. L. 1. §. 8. D. quand. de pecul. act. ann. est.*

§. DCLXVI.

SC. Pegasianum.

Quia vero ne sic quidem vllum lucrum ad heredem redibat, et hinc nihilominus fideicommissa plerumque exstinguebantur: (§. 664.) sub Vespasiano, *Pegaso* et *Pusione* coss. suffectis Pegasiano SCto cautum, *vt rogatus hereditatem restituere, perinde quartam retinere posset, ac ex legatis per legem Falcidiam,* (§. 5. *Inst. h. t.*) *et si quis,*

hoc

hoc lucrum adspernatus, adire nollet, is ad adeundum restituendumque cogeretur. §. 6. *Inst. eod.*

§. DCLXVII.

Quando alterutro opus esset?

Cui ergo quarta salua erat, is restituere solebat hereditatem ex SC. Trebelliano, et tunc in vtrumque dabantur actiones hereditariae pro rata portionis ad vtrumque peruenientis. Cui vero quarta salua non erat, is ex SC. Pegasiano, detracta quarta, hereditatem restituebat, et stipulationibus interpositis, quotam partem aeris alieni soluere teneretur, sibi cauebat. §. 6. *Inst. h. t.*

§. DCLXVIII.

SC. Trebellianum et Pegasianum in vnum conflata.

Sed Iustinianus, exploso Pegasiano, omnem SC. Trebelliano auctoritatem attribuit, §. 7. *Inst. h. t.* vel potius vtrumque ita in vnum conflauit, vt retento nomine SC. Trebelliani, vtriusque materia coniungeretur.

§. DCLXVIIII.

Quartae detractio.

Ex quo sequitur, (1. vt hodie fiduciario, * quartam partem hereditatis, quae olim Pegasiana, nunc Trebellianica vocatur, saluam non habenti, semper eam liceat retinere, vel errore facti solutam repetere, §. 7. *Inst. h. t.* imputatis tamen in hanc quartam omnibus quocumque titulo a defuncto acceptis, etiam fructibus ex bonis ante restitutionem perceptis: L. 18. §. 1. L. 22. §. 2. *D. ad SC. Trebell.* secus, ac in quarta Falcidia. (§. 652. 4.)

* Non vero detrahit fideicommissarius, rogatus vt hereditatem a fiduciario acceptam alii iterum restitueret. L. 22. §. *vlt.* L. 55. §. 2. *D. ad SC. Trebell.*

§. DCLXX.

Actionum inter fiduciarium et fideicommissarium diuisio.

Ex eodem fluit, (2. semper hodie obligationes tum actiuas, tum passiuas, inter heredem fiduciarium et fideicommissarium pro rata diuidi. §. 7. *Inst. h. t.* L. 1. *C. de SC. Trebell.*

§. DCLXXI.

Fiduciarius adire cogitur.

Denique et inde sequitur, (3. vt semper hodie heres fiduciarius ad adeundum restituendumque adigi possit. §. 7. *Inst. h. t.* L. 4. *D. ad SC. Trebell.*

§. DCLXXII.

Quando cesset quarta Trebellianica?

Quum denique ea quarta Trebellianica ad exemplum Falcidiae inuenta sit: (§. 666.) §. 5. *Inst. h. t.* iisdem fere casibus cessat, quibus Falcidia, (§. 654.) veluti (1. in testamento militis: §. 7. *C. ad leg. Falc.* (2. si testator quartam hanc detrahi expresse prohibuerit: *Nou. I. cap.* 2. §. 2. (3. si heres ex ignorantia iuris hereditatem vniuersam restituerit: L. 9. *C. ad leg. Falc.* (4. si inuentarium facere neglexerit: (5. si quartam iam saluam habeat iudicio testatori:

ris. §. 9. *Inst. h. t.* Quibus adde caussam fideicommissis propriam, puta, (6. si coactus adierit hereditatem. §. 7. *Inst. h. t.*

T I T. XXIIII.

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM RELICTIS.

§. DCLXXIII.

HAec de fideicommissis *vniuersalibus*: sequuntur SINGVLARIA, (§. 656.) *quibus quaeuis res singulae, titulo singulari, verbis precatiuis relinquuntur. pr. Inst. h. t.* Fideicommissa particularia.

§. DCLXXIIII.

Ergo verborum formulis etiamnum differunt legata et fideicommissa: re ipsa et effectu per omnia exaequata sunt: (§. 606. 2.) vt hic omnia repetenda sint, quae titulo de legatis diximus. Ea legatis exaequata.

§. DCLXXV.

Remansere tamen quaedam differentiae. Nam (1. legata libertas immediate seruo competit, et hinc ille nulla iura patronatus heredi debet: per fideicommissum relictam libertatem seruus ab herede accipit, eique debet iura patronatus. §. 2. *Inst. h. t.* (§. 99. 112.) (2. Legata relinqui non possunt, nisi adhibitis quinque testibus; (§. 606. 4.) fideicommissa etiam sine testibus relicta debentur, si probari, vel iusiurandum deferri possit, testatorem cui praesenti fideicommisisse. L. *vlt. C. de fideic.* (§. 660.) Differentiae quaedam.

T I T. XXV.

DE CODICILLIS.

§. DCLXXVI.

VTi hereditates non nisi testamento; ita fideicommissa vtriusque generis, (§. 660.) et legata, (§. 604.) etiam CODICILLIS relinquuntur, de quibus hoc titulo agendum. Connexio.

§. DCLXXVII.

§. DCLXXVII.

Codicilli quid veteribus?

CODICILLI veteribus nihil aliud erant, quam epistolae, CIC. *Lib. IV. ad diuers. epist.* 12. *Lib. VI. epist.* 18. *Lib. XII. ad Att. epist.* 8. maxime a praesentibus ad praesentes scriptae. LIPS. *Inst. epist. cap.* 2. Hinc SENECA *Epist.* 55. *Video te, mi Lucili, quum maxime, audio, adeo tecum sum, vt dubitem, an incipiam non epistolas, sed* CODICILLOS, *tibi scribere.*

§. DCLXXVIII.

Mos ad heredes scribendi.

Tales codicillos saepe et moribundi ad heredes suos scribebant, quibus, quid fieri ab illis vellent, significabant. Vnde plerumque formam epistolae prae se ferebant *. L. 56. *D. de fideic. libert.* L. 37. §. 2. *D. de legat.* 3. *L.* 30. §. 1. *D. de adim. vel transfer. legat.*

* Immo passim in iure nostro vocantur EPISTOLAE, L. 89. *pr. D. de legat.* 2. *L.* 41. §. 2. *D. de legat.* 3. et EPISTOLAE FIDEICOMMISSARIAE. L. 7. *C. qui testam. fac. poss.*

§. DCLXXVIIII.

Quid iuris ex codicillis.

Et epistolae quidem hae olim non magis heredibus imponebant legem, quam ipsa fideicommissa. (§. 662.) Sed occasione L. Lentuli *, cuius ex persona et fideicommissa coeperunt, etiam codicillis addita est iuris auctoritas. Augustus enim, consilio C. Trebatii Testae, statuit, vt si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quae tempora, quum et Labeo codicillos fecisset, nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur. *pr. Inst. h. t.*

* Est is *L. Cornelius Lentulus*, quem STEPH. VIN. PIGHIVS *Cossum*, SIGON. in *Fast. p.* 351. *Cnaeum* perperam vocant, quemque a. v. c. 751. cum *M. Valerio Messalino* consulem fuisse, vel ex REINESII *Inscr. class. X. n.* 3. *p.* 566. et postea Africae pro consule praefuisse, satis constat.

§. DCLXXX.

Codicilli quid?

CODICILLI ergo *sunt minus sollemnis testatorum intestatorumue voluntas*. §. *vlt. Inst. h. t.*

§. DCLXXXI.

Quotuplices?

Dicimus esse *voluntatem vltimam*. Vnde codicilli vel sunt SCRIPTI, vel NVNCVPATIVI. L. 13. *C. de SS. eccl. L. vlt. C. h. t.* itemque vel TESTATO, vel AB INTESTATO FACTI, §. 1. *Inst. h. t.* quorum hi viribus suis subsistunt; L. 3. *pr.* §. 2. *L.* 8. *pr.* §. 1. *D. h. t.* illi cum testamento subsistunt vel cadunt. L. 3. §. *vlt. L.* 16. *D. h. t.*

§. DCLXXXII.

An sollemnitatem requirant?

Addimus, esse voluntatem minus sollemnem. Vnde pleraque, quae ad sollemnitates internas et externas testamentorum pertinent, hic exsulant. Hinc codicillos quidem facit, qui et testamentum facere potest: L. 6. §. 3. L. 8. §. 2. *D. h. t.* sed (1.) non potest quis in codicillis heredem directe instituere, exheredem scribere, substituere,

§. 2.

§. 2. *Inst. L. 6. pr. L.* 10. *D. L.* 2. *C. h. t.* verum (2. fideicommittere, legare, mortis caussa donare, cet.

§. DCLXXXIII.

Inde etiam (3. codicillos quis facere potest plures, modo sibi inuicem non aduersentur: §. 3. *Inst. L. 6.* §. 1. *D. L.* 3. *C. h. t.* quum tamen nemo paganorum cum duobus testamentis decedere possit. (§. 491. 4.) — Et plures codicilli valent.

§. DCLXXXIIII.

Hinc et (4. nulla exigitur sollemnitas ordinationis. §. 3. *Inst. h. t.* Sufficit enim vnitas actus, L. *vlt. C. h. t.* et quinque testium, etiam quibuscum non omnino est testamentifactio, veluti mulierum, immo et non rogatorum *, praesentia. L. 20. §. 6. *D. qui test. fac. poss. L. vlt. C. h. t.* — An testes requirantur?

* Quod ad feminas attinet, dissentiunt ARN. VINN. *ad.* §. 6. *Inst. de testam. ord.* et HENR. BERN. REINOLD. *Var. cap.* 8. Sed quum olim in codicillis testibus non magis opus fuerit, quam in epistolis, vti ex L. 89. *pr. D. de legat.* 2. L. 77. §. 23. *D. eod.* colligitur, postea vero quinque testes non sollemnitatis vel ordinationis, sed probationis caussa, exigerentur: recte colligitur, et feminarum testimonium non esse reiiciendum: ar. L. 20. §. 6. D. *qui test. fac. poss.* L. 18. *D. de test.*

§. DCLXXXV.

Solent etiam codicilli iungi testamento sollemni, quando illi inseritur CLAVSVLA CODICILLARIS: *si testamentum non valebit tamquam testamentum, volo vt valeat iure codicillorum. L.* 41. §. 3. *D. de vulg. et pup. substit. L.* 3. *fin. D. de test. mil.* — Quid clausula codicillaris?

§. DCLXXXVI.

Et tunc huiusmodi testamentum, ratione sollemnitatum externarum inualidum, in vim fideicommissi sustinetur, L. 29. §. 1. *D qui testam. fac. poss.* dum quinque testes subscripserint. Non vero haec clausula supplet (1. defectum sollemnitatum internarum, e. g. praeteritionem liberorum, nec (2. defectum in statu, vel voluntate testatoris, nec (3. defectum non aditae hereditatis. L. 3. *D. de vulg. et pupill. substit. L.* 25. *D. qui test. fac. poss.* — Quid operetur?

§. DCLXXXVII.

In foro tamen multo maiorem huic clausulae effectum tribuere solent, adeo, vt eam testamentum sustinere dicant, in quo praeteritus pater vel filius. STRYK. *Caut. testam. cap.* 23. §. 39. *seqq.* Item testamentum ruptum a postumo, dum testator sciuerit, se postumum habiturum: GAIL. *Obs. Lib. II. cap.* 114. nec non testamentum destitutum, eatenus, vt fideicommissum ab heredibus etiam legitimis peti possit. GAIL. *Obs. Lib. II. cap.* 234. *n.* 3. Quin et clausulam codicillarem non adiectam subintelligi, tradunt scriptores pragmatici. SANDE *Lib. IIII. tit.* 1. *des.* 12. — Vsus hodiernus.

LIB.

LIB. III.

TIT. I.

DE HEREDITATIBVS, QVAE AB INTESTATO DEFERVNTVR.

§. DCLXXXVIII.

Connexio.

SVpra de hereditatibus, quae *testamento* deferuntur. Nullo existente testamento, vel, eo infirmato, locum habet SVCCESSIO LEGITIMA AB INTESTATO, (§. 484.) de qua iam agitur prioribus titulis libri tertii.

§. DCLXXXVIIII.

Successio intestatorum antiqua et noua.

Eius alia ratio fuit iure *veteri*, quod in Institutionibus exponit Iustinianus: alia est iure *nouo* per *Nou. CXVIII.* Nos praemissa paucis veteris iuris historia, de noua succedendi ratione plenius agemus.

§. DCLXXXX.

Veteris successionis fundamentum.

Fundamentum successionis veteris erat conseruatio familiarum. Familia enim vniuersitas quaedam videbatur, cuius princeps est paterfamilias, liberi et agnati veluti *συνδιοποιίας* iure gaudent. BYNKERSH. *Obs. Lib. II. cap.* 1. Ergo ii tantum succedebant, qui erant pars familiae: non emancipati et cognati.

§. DCLXXXXI.

Succedebant primo sui.

Quum ergo proximi in familia essent vel SVI HEREDES, tamquam viuo patre quodammodo domini, et *αὐτοκληρονόμοι*: (§. 588.) legibus XII. tabularum cautum fuerat: SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. L. 9. §. 2. *D. de lib. et postum.* VLPIAN. *Fragm. tit.* 26. §. 1.

§. DCLXXXXII.

Quomodo, et qui liberi succederint?

Idcirco primo heredes erant LIBERI SVI *, (§. 588.) cum naturales, tum adoptiui, §. 2. 7. *Inst. h. t.* et proximi quidem gradu in capita, remotiores in stirpes. §. 6. *Inst. h. t.* Non ergo emancipati emancipataeue, (§. 690.) §. 9. *Inst. h. t.* quos tamen praetor, naturali aequitate motus, ad bonorum possessionem vocabat edicto *vnde liberi*. §. 9. *Inst. h. t. L.* 1. §. 7. 9. *L.* 2. *L.* 4. *D. vnde liberi.*

* Adeo-

* Adeoque etiam vxores, quae in manu conuenerant, quippe quae filiarum familias loco erant, κοινωνοὶ ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *omnium bonorum sacrorumque factae participes*. (§. 146. *) DIONYS. HALICARN. *Lib. II. p.* 95.

T I T. II.

DE LEGITIMA AGNATORVM SVCCESSIONE.

§. DCLXXXXIII.

Quum vero et agnati essent eiusdem familiae ac nominis: (§. 220.) eadem lex XII. tabularum, liberis non exsistentibus, vocabat AGNATOS PROXIMOS. (§. 691.) Suis non exstantibus, succedebant agnati.

§. DCLXXXXIIII.

Ex quo sequebatur, (1. vt soli succederent, qui per virilis sexus personas agnatione defuncto iungebantur, non cognati: (§. 690.) et agnati quidem in infinitum; agnatae non vltra sorores, §. 3. *Inst. h. t.* quamuis et has remotiores praetor vocaret edicto *vnde cognati*. §. 3. *Inst. h. t.* (2. Vt eiusdem iuris essent agnati naturales, et per adoptionem facti. §. 2. *Inst. h. t.* (3. Vt semper proximus excluderet remotiorem, adeoque nec ius repraesentationis locum haberet, nec propiore repudiante remotior admitteretur: §. 5. §. 7. *Inst. h. t.* quamuis et hos denuo praetor vocaret edicto *vnde cognati*, et Iustinianus eos pleno iure admitteret. §. 7. *h. t.* Quomodo successerint?

§. DCLXXXXV.

Pater filio suo non succedebat; quia veteri iure filiusfamilias nihil habebat proprii. (§. 472.) Emancipato succedebat, non tamquam agnatus, (§. 222.) sed tamquam manumissor filii, iure patronatus. (§. 190. §. 234.) §. *vlt. Inst. h. t.* Mater, quia inter agnatos non erat, plane non succedebat liberis, quemadmodum nec liberi matri. *pr. Inst. de SC. Tertull.* Vtrisque tamen postea consultum est primum a praetore, qui has personas edicto *vnde cognati* vocabat, ac deinde SCtis TERTVLLIANO, de quo *tit. III.* et ORPHITIANO, de quo *tit. IIII. pr. Inst. de SC. Tertull.* An et ascendentes successerint?

T I T. III.

DE SC. TERTVLLIANO.

§. DCLXXXXVI.

SC. Tertullianum de successione matri deferenda.

SCto nimirum TERTVLLIANO sub Hadriano cautum, vt mater, (non auia,) ingenua trium; libertina quatuor liberorum ius habens, ad bona filiorum filiarumque, siue legitime siue vulgo quaesitorum quaesitarumque, ab intestato admitteretur, dummodo, si ipsa mater in potestate esset, eius, cuius in potestate erat, iussu adiret. §. 2. §. 7. *Inst. h. t. L. 2. pr.* §. 1. *sequ. D. h. t.* VLPIAN. *Fragm. tit. 26. extrem.* PAVLL. *Sent. recept. Lib. IIII. tit. 9.*

§. DCLXXXXVII.

Quomodo succedat mater?

Succedebat ergo (1. mater non omnis, sed liberorum iure subnixa, (2. non liberis omnibus, sed intestatis, (3. et liberos non relinquentibus, quippe qui matri praeferebantur. §. 3. *Inst. h. t.* Immo (4. non semper, sed si non adessent propiores. Praeferebantur enim matri et nepotes ex defuncto filio vel filia, pater, fratres germani et consanguinei, non simpliciter sorores, quae et cum matre, et cum fratribus consanguineis simul admittebantur. §. 3. *Inst. h. t.* Quod tamen ita mutauit Iustinianus, vt mater, etiamsi liberos pauciores vel nullos enixa, et cum fratribus sororibusque defuncti, et cum illis quidem in portionem virilem, cum his in partem dimidiam, simul admitteretur. §. 4. 5. *Inst. eod.*

T I T. IIII.

DE SC. ORPHITIANO.

§. DCLXXXXVIII.

Vt mater liberis, sic liberi matri succedere.

QVum ergo mater hoc modo succederet liberis: aequum videbatur, et liberos succedere matri, quia successionis iura regulariter sunt reciproca. L. 11. C. *de legit. heredit.*

§. DCLXXXXVIIII.

Ex SC. Orphitiano.

Et ita cautum SCto ORPHITIANO, a. v. c. 931. *Vettio Iuliano Rufo* et *Cornelio Scipione Orphito* coll. HENR. NORIS. *Epist. consular. p. 462. edit. Graeu.* quo censuit ordo amplissimus, vt legitima heredi-

tas

tas matris siue ingenuae, siue libertinae, liberis tam legitimis, quam vulgo quaesitis, quamuis in alterius potestate constitutis, ab intestato deferretur. *pr. et* §. 4. *Inst. h. t. L.* 1. *pr.* §. 1. *sequ. L.* 6. §. 1. *D. ad SC. Tertull.* Quod ius ne capitis quidem deminutione exspirabat. §. 2. *Inst. h. t.*

§. DCC.

Immo et nepotes neptesque. Id vero postea et ad nepotes neptesque productum est constitutionibus principum. §. 1. *Inst. h. t.*

TIT. V.

DE SVCCESSIONE COGNATORVM.

§. DCCI.

Deficientibus agnatis succedebant gentiles. DEficientibus agnatis, ex lege XII. tabularum non cognati, (§. 690.) sed gentiles, vocabantur. Cautum enim illis fuerat: SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HABENTO. VLPIAN. *Fragm. tit.* 26. §. 1. CIC. *de orat. Lib. I. cap.* 38. Quinam sint gentiles, diximus supra. (§. 210. *)

§. DCCII.

Postea cognati admissi ex edicto praetoris. Sed Praetor edicto VNDE COGNATI, deficientibus agnatis, etiam cognatos, id est, per muliebris sexus personas cognatione iunctos, (quibus et agnatos, minimam capitis deminutionem passos, et vulgo quaesitos accensuit,) ad successionem vocauit ad septimum vsque gradum. *pr. et* §. 1. *Inst. h. t.*

TIT. VI.

DE GRADIBVS COGNATIONVM.

§. DCCIII.

Computatio graduum. QVum ergo ad certum gradum daretur haec bonorum possessio: (§. 702.) Iustinianus hic agit de computatione graduum cognationis. Sed eam doctrinam certis regulis inclusam iam exposuimus sub titulo de nuptiis *. (§. 153. *sequ.*)

* Hic tantum obseruandum, in successionibus computationis canonicae, respectus parentelae, lineae aequalis et inaequalis rationem non haberi. Exceptionem vide apud FELTM. *de feud. cap.* 8. §. 1.

TIT. VII.

DE SERVILI COGNATIONE.

§. DCCIIII.

Seruilis cognationis nulla hic habita ratio.

QVamuis vero nuptiis et seruilis cognatio impedimento esset: (§. 152.) eius tamen ratio non habebatur in successionibus etiamsi cognatus cognataue seruilis conditionis manumissus manumissaue esset. *pr. Inst. h. t. L. vlt.* §. 5. *D. de grad. et adfin.* Hinc e. g. ancilla cum liberis manumissa, his neque SC. Tertulliano succedebat, nec ad bonorum possessionem ex edicto vnde cognati vocabatur.

§. DCCV.

Iustiniani constitutio.

Sed Iustinianus constitutione, quae hodie non exstat *, sanxit, vt et parentes liberis, et liberi parentibus post manumissionem succederent, ipsisque patronis praeferrentur ad similitudinem successionis inter parentes liberosque legitimos receptae. *d. pr. Inst. h. t.*

* Partem tamen eius constitutionis ex vetustis membranis, partem ex Basilicis restituit IAC. CVIAC. *Obs. Lib. XX. cap.* 34.

TIT. VIII.

DE SVCCESSIONE LIBERTORVM.

§. DCCVI.

Patroni cur succederent libertis?

QVum et patronus liberto vice parentis vel agnati esset: (§. 111.) consequens erat, vt et ille liberto succederet. (§. 112. 4.)

§. DCCVII.

Lex XII. tabularum.

Eam in rem lege XII. tabularum cautum fuerat: SI LIBERTVS INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AST PATRONVS PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECVNIA DVITOR. VLPIAN. *Frag. tit.* 27. §. 1. *et tit.* 29. §. 1.

§. DCCVIII.

Quando patronus admittatur?

Succedebant ergo (1. patronus, eoque praemortuo (2. eius liberi superstites proximi, cessante hic iure repraesentationis, VLP. *ibid.* PAVLL.

PAVLL. *Sent. rec. Lib. III. tit.* 2. §. 1. *L.* 23. §. 1. *D. de bon. libert.* et quidem (3. ab intestato : (vnde patronus testamento liberti iure excludebatur,) et (4. eo quidem casu, si libertus non reliquisset heredes suos, §. 2. *Inst. h. t.* VLP. *tit. vlt.* §. 1.

§. DCCVIIII.

Sed praetor patrono, testamento excluso, dabat bonorum possessionem contra tabulas, vsque ad partem hereditatis dimidiam, modo naturales liberos libertus non reliquisset. §. 1. *Inst. h. t.* VLPIAN. *ibid.* §. 1. 3. Si adoptiui exstabant, et intestatus decesserat libertus, eiusdem dimidiae partis bonorum possessionem dabat. *d.* §. 1. *Inst. h. t.* Praetoris edictum.

§. DCCX.

Postea lege Papia Poppaea cautum, vt si libertus, siue testatus, siue intestatus, centum sestertium millia, et pauciores, quam tres liberos reliquisset; patrono virilis pars tanquam legitima deberetur. §. 2. *Inst. h. t.* Lex Papia Poppaea de iure patronorum.

§. DCCXI.

Denique Iustinianus constituit, (1. vt si libertus non esset centenarius, * posset patronum testamento excludere, intestatus vero, non exstantibus liberis, patronum heredem legitimum haberet: (2. sin esset centenario maior, eius liberi patrono praeferrentur, his vero non exstantibus, patroni quidem ab intestato heredes essent, testamento vero exclusi bonorum possessionem tertiae partis consequerentur, vel si minus relictum esset testamento, id eis ex constitutione repleretur. §. 3. *Inst. h. t.* Iustiniani constitutio.

* Centenarius est imperatori, qui habet centum aureorum patrimonium. Aureus vero erat centum sestertium. Adeo ne cum tempore Augusti locuples esset libertus, cui centum sestertium millia, id est mille aureos, reliquerat: tempore Iustiniani diues videbatur, cui centum aureorum esset patrimonium. *d.* §. 3. *Inst. h. t.*

DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

§. DCCXII.

QVamuis vero patronorum liberi gradu proximi, aeque ac ipsi patroni, libertis ab intestato succederent: (§. 707.) id tamen eam habebat exceptionem, nisi patronus vni ex liberis suis * cuiuscumque gradus, ac sexus, §. 1. *Inst. h. t.* libertum vel testamento, vel sine eo adsignasset, vt is solus patronus esset: quod licebat ex SC. *Velleio Rufo* et *Ostorio Scapula* coss. facto a. v. c. 798. *pr.* §. 3. *Inst. h. t.* Adsignatio liberti quid?

* An

* An etiam emancipatis? Ita visum fuit MODESTINO. *L. 9. D. h. t.* At Iustinianus contra adsignationem perimi ait, si filius, cui libertus adsignatus, emancipetur. *§. 2. Inst. h. t.* Sed videtur vterque locus conciliari posse. Potest pater et emancipato adsignare; sed si suo adsignarit, eumque postea emancipârit, mutasse videtur voluntatem. MERILL. *Obs. Lib. VII. cap. 13.*

§. DCCXIII.

Eius effectus? Quum itaque is, cui adsignatus libertus fuerat, solus haberetur patronus: (§. 712.) sequebatur, (1. vt solus, exclusis fratribus, in bonis liberti succederet, eoque exstincto, liberi eius. (2. Vt reliqui fratres nihil iuris haberent in bonis liberti, nisi exstincto sine liberis eo, cui libertus adsignatus fuerat. *d. p. Inst. h. t.*

TIT. X.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS. *

§. DCCXIIII.

Bonorum possessio. OMnes successiones vniuersales, de quibus hactenus actum, ex legibus ciuilibus sunt. Sequitur successio praetoria, tamquam secundus per vniuersitatem adquirendi modus. (§. 436. 2.) Quum enim praetor aequitatis obtentu multa mutasset: suo more nouum vocabulum callide inuenit: (§. 65.) et se non hereditatem, sed BONORVM POSSESSIONEM, daturum, edixit, ne leges de successione euertere videretur.

§. DCCXV.

Eius definitio. BONORVM itaque POSSESSIO nihil aliud est, *quam ius persequendi retinendique patrimonii, quod iure ciuili haud debetur, beneficio praetoris concessum.* Arg. *L. 3. §. 2. D. h. t.* Breuiter, sed recte, Graeci bonorum possessionem vocant πραιτωρίαν διαδοχήν, *successionem praetoriam.*

§. DCCXVI.

Edictalis et decretalis. Bonorum possessio vel EDICTALIS est, *quae personis certis, in edicto nominatis, sine caussae cognitione datur, L. 30. §. 1. D. de adquir. hered.* vel DECRETALIS, *quae extra ordinem, caussa pro tribunali cognita, decreto praetoris datur.* * *L. 2. §. 1. D. quis ord. in bonor. possess.*

* Sic ex edicto Carboniano sub cautione datur bonorum possessio impuberi, cui controuersia fit, an inter liberos sit, simulque iudicium hoc differtur in tempus pubertatis. *L. 1. pr. L. 3. D. de Carb. edict.*

§. DCCXVII.

§. DCCXVII.

EDICTALIS vel ex edicto praetoris defertur, vel ex lege, SC. seu constitutione principis. Prior ORDINARIA, posterior EXTRAORDINARIA vocatur. §. 3. 4. *Inst. h. t.* Ordinariae et extraordinaria.

§. DCCXVIII.

ORDINARIA, exemplo successionis ciuilis, (§. 484.) vel datur FACTO TESTAMENTO, vel AB INTESTATO: *L. 6.* §. 1. *D. h. t.* et priore casu vel SECVNDVM, vel CONTRA TABVLAS. Ex testamento, vel ab intestato.

§. DCCXVIIII.

SECVNDVM TABVLAS praetor dat bonorum possessionem, (1. si exstent tabulae testamenti supremae, saltim septem testium signis obsignatae, (§. 489.) L. 7. L. 9. *D. de bonor. possess. sec. tabb.* (2. heredibus scriptis in eo testamento: L. 2. *pr.* §. 4. *D. eod.* §. 1. *Inst. h. t.* non nuncupatiuis, quibus postea demum prospectum. L. 8. §. *vlt. D. L. 2. C. de bonor. possess. sec. tabb.* Secundum tabulas.

§. DCCXX.

CONTRA TABVLAS dabatur bonorum possessio praecipue liberis naturalibus et adoptiuis emancipatis, a patre neque institutis, neque exheredatis, sed praeteritis. (§. 524.) §. 3. *Inst. de exh. lib. L. 2. §. 6. L. 3. §. 10. D. de bonor. possess. contr. tabb.* Contra tabulas.

§. DCCXXI.

AB INTESTATO quatuor potissimum * erant gradus bonorum possessionis: primus ex edicto VNDE LIBERI; alter ex edicto VNDE LEGITIMI; tertius ex edicto VNDE COGNATI; quartus ex edicto VNDE VIR ET VXOR. §. 3. *Inst. h. t.* Bonorum possessionis intestatorum diuersi gradus.

* Olim plures, veluti ex edicto VNDE DECEM PERSONAE; ex edicto TVM QVI EX FAMILIA; ex edicto VNDE PATRONI PATRONAEQVE LIBERI ET PARENTES EORVM; ex edicto VNDE COGNATI MANVMISSORIS. Sed eas bonorum possessiones sustulit Iustinianus *d. §. 4. Inst. h. t.*

§. DCCXXII.

Primo ergo praetor edicto VNDE LIBERI vna cum suis vocat emancipatos, quibus alioquin nullum ius esset ex legibus ciuilibus succedendi. (§. 692.) §. 9. *Inst. de hered. ab intest. L. 1. §. 7. 9. L. 2. L. 4. D. vnde liberi.* Vnde liberi.

§. DCCXXIII.

Edicto VNDE LEGITIMI vocabantur agnati omnes, qui ex legibus potuere esse heredes, petentes hanc bonorum possessionem. §. 1. 2. *Inst. h. t. L. 1. §. 4. D. vnde legitimi.* Vnde legitimi.

§. DCCXXIIII.

§. DCCXXIIII.

Vnde cognati. Ex edicto VNDE COGNATI admittuntur per feminini sexus personas coniuncti, gradu proximi, quippe quibus alias ex iure ciuili nullum erat ius succedendi. (§. 701.) L. 1. pr. §. 3. L. 2. D. *vnde cognati.* Et hic locus erat *successorio edicto*, quo, vno liberorum intra tempus legitimum non petente, eius portio adcrescebat reliquis: liberis et parentibus non petentibus, admittebantur proximi agnati, cum eodem adcrescendi iure: his non petentibus, agnati remotiores, his non petentibus cognati, et sic porro. L. 1. §. 11. *D. de succ. edict.*

§. DCCXXV.

Vnde vir et vxor. Deficientibus cognatis, praetor edicto VNDE VIR ET VXOR vocabat virum et vxorem, dum mortis tempore in iusto matrimonio vixissent. §. 3. *Inst. h. t. L. vn. pr. et* §. 1. *D. L. vn. C. vnde vir et vxor.*

§. DCCXXVI.

Quando petenda? Tempus, intra quod liberi et parentes petunt, est annus vtilis: * reliquis centum dies vtiles dati. §. 4. 6. *Inst. h. t. L.* 1. §. 9. §. 12. *D. de succ. edict.*

* Solent iura distinguere inter annos vel menses, *continuos* et *vtiles*. Tempus continuum sine interruptione currit; siue dies sint fasti siue nefasti. L. 7. D. *quemadm. seru. amitt.* Tempus vtile est, quando ii tantum numerantur dies, quibus iudex sui copiam facit, et ius dicit, quibusque agi vel peti potuit. L. 2. D. *de diuers. et temp. praescr.* Vnde ex anno vtili non modo dies nefasti eximuntur, verum etiam ii, quibus quis ex ignorantia rei agere vel petere non potuit. L. 2. pr. D. *quis ordo in poss.*

TIT. XI.

DE ADQVISITIONE PER ARROGATIONEM.

§. DCCXXVII.

Adquisitio per arrogationem. HActenus de duobus modis per vniuersitatem adquirendi actum, id est, de *hereditate* et *bonorum possessione*: sequitur tertius PER ARROGATIONEM. (436. 3.)

§. DCCXXVIII.

Eius fundamentum. Arrogatione paterfamilias transibat in patriam alterius potestatem. (§. 179.) Quum ergo pater veteri iure indistincte per filium adquireret: (§. 472.) sequebatur, (1. vt arrogatori omnes res corporales et incorporales, quaeque filio debebantur, pleno iure adquirerentur. §. 1. *Inst. h. t.*

§. DCCXXXVIII.

§. DCCXXVIIII.

Quumque arrogatio esset capitis deminutio: (§. 228. 1.) consequens erat, (2. vt ea iura non adquirerentur arrogatori, quae ca. ius deminutione tollebantur, vt obligationes operarum officialium, patrono debitarum, (§. 112. 6.) ius agnationis, (§. 222.) immo olim et vsus et vsusfructus, quod tamen a Iustiniano mutatum. (§. 422. 2.*) §. 1. *Inst. h. t. L. penult. §. penult. C. de vsufr.* Quae per arrogationem non adquisita?

§. DCCXXX.

Quia porro obligationes personam non egrediuntur: (§. 332.) (3. arrogator ex debito filii ipso iure conueniri non poterat. (§. *vlt. Inst. h. t.* An pater adopt. conueniri potuerit?

§. DCCXXXI.

Sed quum ius de adquaestu per liberos nouo iure in multis mutatum sit: (§. 473.) consultissima iuris ratione statuit Iustinianus, (1. vt arrogator, viuo filio arrogato, non nisi vsumfructum bonorum aduentitiorum haberet. (§. 480.) (2. Vt arrogator a creditoribus filii, eiusque nomine conueniri posset: sique hunc defendere nollet, creditoribus bona filii, quorum vsumfructum pater habiturus fuisset, possidere permitteretur. §. *vlt. Inst. h. t.* Ius a Iustiniano inuectum.

T I T. XII.

DE EO, CVI LIBERTATIS CAVSSA BONA ADDICVNTVR.

§. DCCXXXII.

QVartus modus adquirendi vniuersalis (§. 436.) est VDDICTIO BONORVM LIBERTATVM SERVANDARVM CAVSSA, quae ex rescripto Marci imp. descendit. *pr.* §. 1. *Inst. h. t.* Adquisitio per addictionem bonorum libertatis caussa.

§. DCCXXXIII.

Quum enim testator obaeratus seruos quosdam manumisisset testamento, et nemo ex eo testamento heres esse vellet: fieri non potuisset stricto iure, quin omnes hae libertates corruissent, et bona veniissent. (§. 577.) *L. 2. C. de testam. manumiss. L. 1. C. de fideic. libert.* Eius caussa.

§. DCCXXXIIII.

Ast Marcus imp. permisit, vt bona vniuersa libertatum tuendarum caussa vel seruis manumissis, vel eorum vni, vel extraneo addicantur., modo satisdetur creditoribus de solido, quod cuique debetur, sol- Eius indoles.

soluendo, seruique ex testamento manumittantur. §. 1. *Inst. h. t. L. vlt. C. de testamentar. manumiss.*

T I T. XIIII.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, QVAE FIEBANT PER BONORVM VENDITIONES, ET EX SC. CLAVDIANO.

§. DCCXXXV.

Adquisitio per bonorum venditionem.

QVintus modus adquirendi vniuersalis erat SECTIO, vel VENDITIO BONORVM (§. 436, 5.) *Secare* enim veteribus erat bona auctione vendere, *sectio* auctio. BYNKERSH. *Obs. Lib. I. cap.* 1.

§. DCCXXXVI.

Eius modus.

Si quis enim obaeratus non erat soluendo: bona eius possidebantur a creditoribus. Hinc constituebatur magister a praetore, qui illa distraheret, addiceretque emtori vniuersa, qui tamquam successor. vniuersalis vel in solidum satisfacere creditoribus, vel transigere cum illis tenebatur. THEOPH. *pr. Inst. h. t. Antiqu. nostr. Rom. Lib. II. tit.* 18. 19. §. 11. Sed hodie creditores bona ex edicto possessa, prout vtile videtur, disponunt, cessante successione vniuersali per venditionem. *pr. Inst. h. t.*

§. DCCXXXVII.

SC. Claudianum.

Postremus per vniuersitatem adquirendi modus erat ex SC. CLAVDIANO, cuius historia est apud TACIT. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Eo enim SCto cautum fuerat, vt libera mulier, seruili bacchata amore, quae post trinam denunciationem in eo contubernio perseuerarет, adiudicatione praetoris serua fieret domini, cuius seruo succubuisset. PAVLL. *Sent. recept. Lib. II. tit.* 21.

§. DCCXXXVIII.

Eius effectus.

Quum ergo serui et ancillae nihil haberent proprii, sed omnia adquirerent dominis: (§. 470.) omnem substantiam huiusmodi mulieris per vniuersitatem adquirebat dominus. §. 1. *Inst. h. t.*

§. DCCXXXVIIII.

Iustiniani institutio.

Sed Iustinianus hunc adquirendi modum, tamquam indignum suis temporibus, sustulit. *L. vn. C. de SC. Claud. toll. d.* §. 1. *Inst. h. t.*

§. DCCXXXX.

§. DCCXXXX.

Talis erat succeſſio vetus, cum ciuilis tum praetoria. Tales modi adquirendi per vniuerſitatem, quae hodie vix vllius vſus ſunt. Hinc ad vtiliora properantibus iam paullo plenius agendum nobis erit de ſucceſſione ab inteſtato noua, a Iuſtiniano inuenta, et ſancita *Nouella CXVIII.* Vſus horum omnium hodie nullus.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO SECVNDVM NOV. CXVIII.

§. DCCXXXXI.

NImirum IVSTINIANVS nouum plane iecit ſucceſſionis in cauſſa inteſtati fundamentum, vt ii ſuccedant, quos defunctus quam maxime amaſſe cenſetur, quod et aliis gentibus peraeque placuiſſe, animaduertit GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. §. 3. Fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato per *Nou.* CXVIII. inuentae.

§. DCCXXXXII.

Quum ergo recte obſeruarint philoſophi, *ὅτι μᾶλλον συνῳκείωται τὸ ἀφ' οὗ τῷ γεννηθέντι, ἢ γινόμενον τῷ ποιήσαντι, τῷ γὰρ ἐξ αὐτοῦ οἰκεῖον τὸ ἀφ' οὗ*, *magis adfici cauſſam gignentem, erga genitum, quam genitum erga gignentem: nam quod ex aliquo ortum eſt, id et quaſi proprium eſſe:* poſt hos autem magnum momentum ineſſe *ταὐτῷ αἵματι καὶ ῥίζῃ*, *eidem ſanguini et radici:* ARIST. *Ethic. ad Nicom. Lib. VIII. cap.* 12. conſequi videbatur, vt ſucceſſio DESCENDERET; ſi deſcendere non poſſet, ADSCENDERET, ſi nec aſcendere poſſet, ad LATVS diuergeret. *Nou. CXVIII. praef.* His deficientibus, CONIVGES; et poſtremo omnium FISCVS in ſubſidium admittuntur. Siquidem iam olim aequum viſum fuerat, *velut parentem omnium populum vacantia tenere.* TACIT. *Annal. Lib. III. cap.* 28. Ordines huius ſucceſſionis.

§. DCCXXXXIII.

Vnde iam diſcrimen inter *ſuos* et *emancipatos*, *agnatos* et *cognatos*, plane ceſſat. *Nou. CXVIII. cap.* 1. *et cap.* 4. Quid hic immutarit Iuſtinianus.

I. DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.

§. DCCXXXXIIII.

Primo succedunt descendentes.

ERgo primo omnium et ante omnes * succedunt DESCENDENTES, qui vel LEGITIME NATI sunt, vel LEGITIMATI, vel ADOPTIVI, vel ILLEGITIMI.

* Praeterquam, quod simul admittitur coniux pauper. (§. 764.)

§. DCCXXXXV.

Legitimi.

Et LEGITIMOS quidem omnes, siue masculos, siue feminas, siue suos, siue emancipatos *, (§. 743.) lex ad debitam successionem quorumuis adscendentium ** vocat, quotocumque gradu sint, dummeos nemo antecedat. *Nou. CXVIII. cap. 1.*

* Ergo iam derogatum legi XII. tabularum, de qua §. 691. *seqq.* neque iam amplius emancipatis opus est bonorum possessione vel contra tabulas, (§. 720.) vel ex edicto *vnde liberi*. (§. 722.)

** Ergo et matris, auiaeque maternae, vt adeo opus non sit successione ex SC. Orphitiano. (§. 699.)

§. DCCXXXXVI.

Modo in capita, modo in stirpes.

Quamuis vero, quotocumque gradu sint, succedant: (§. 745.) gradus tamen discrimen statuit ratione portionum. Primi enim gradus liberi succedunt *in capita*; vlteriorum *in stirpes*, iure repraesentationis *, etiamsi soli supersint ex descendentibus, et primi gradus liberi nulli concurrant. *Nou. CXVIII. cap. 1. vers. sic tamen.*

* Semel notanda haec iuris vocabula. *In capita* succeditur, vbi secundum numerum heredum hereditas viritim distribuitur. *In stirpes*, vbi gradu remotiores subeunt locum propioris defuncti, adeoque omnes simul eius portionem accipiunt. *Ius repraesentationis* est fictio iuris, qua remotiores in parentis defuncti locum subintrare intelliguntur. Sic si Titius reliquit tres filios *primum*, *secundum*, *tertium*, et ex *quarto* defuncto *sex nepotes*, hi omnes succedunt, et *primus* quidem, *secundus*, *tertius*, tamquam liberi primi gradus *in capita*, id est accipiunt singuli quadrantem bonorum, sex nepotes, ex *quarto* superstites, hunc patrem suum *repraesentant*, adeoque quum omnes simul quartum quadrantem accipiant, in stirpem succedunt. Ita si et soli nepotes exstarent, ex *primo* vnus, ex *secundo* sex, ex *tertio* quatuor, ex *quarto* duo, omnes succederent, non secundum numerum capitum, sed in stirpes. Primum enim quadrantem nepos vnus ex *primo* solus caperet, alterum sex nepotes ex *secundo*, tertium quatuor nepotes ex *tertio*, quartum duo ex *quarto* inter se diuiderent.

§. DCCXXXXVII.

Quid si ex diuersis matrimoniis?

Si liberi adsint, ex diuersis nati matrimoniis, communi parenti omnes succedunt aequaliter: proprio quique separatim, ita tamen, vt hi

hi praecipuum habeant, quod ex priore matrimonio ad parentem communem peruenerat *. *L.* 3. §. 1. C. *de sec. nupt. Nou. XXII. cap.* 46.

* Quia in his bonis communis parens, tantum habuit vsumfructum, qui morte viufructuarii exspirat. (§. 412. 1.) Vnde hanc portionem magis tamquam domini retinent, quam tamquam heredes capiunt.

§. DCCXXXXVIII.

Legitimati. LEGITIMATI (1. *per subsequens matrimonium* eodem iure succedunt ac legitimi. §. 2. *Inst. de her. ab intest.* (2. *Per rescriptum principis*, hoc fine legitimati, admittuntur, si soli sint, quia aliter vix legitimantur. *Nou. LXXIIII. cap.* 1. *LXXXVIIII. cap.* 9. Sin legitimi antea nati exstant, et illi tamen a principe legitimantur, his saluam esse legitimam, aequum videtur. (§. 172.) GAIL. *Obs. Lib. II. cap.* 142.

§. DCCXXXXVIIII.

Adoptiui. ADOPTIVI, cuiuscumque generis, patri ab intestato eodem iure succedunt, ac naturales. (§. 182. 3. §. 186.) §. 14. *Inst. de success. ab intest.* §. 2. *Inst. de adopt. Nou. LXXIIII. et LXXXVIIII.*

§. DCCL.

Illegitimi. ILLEGITIMI denique (1. matri succedunt indistincte, vna cum legitimis, *L.* 2. *D. vnde cognat.* nisi mater illustris, cuius filius vulgo quaesitus sit, a legitimis excluditur. *L.* 5. *C. ad SC. Orphit.* (2. In patria hereditate naturales, (§. 167.) si nec vxor, nec liberi legitimi exstent, et quidem in sextantem tantum, cum matre diuidendum, admittuntur. *Nou. LXXXVIIII. cap.* 12. §. 4. (3. Ex adulterio vel incestu nati nihil capiunt, ac ne alimentis quidem digni habentur, *Nou. LXXXVIIII. cap. vlt. Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* quod tamen de alimentis ex defunctorum bonis, non de illis, quae viuis parentibus officio iudicis decernuntur, intelligendum videtur. VLR. HVBER. *Praelect. ad Inst. de success. ab intest.* §. 8.

* *

II. DE SVCCESSIONE ADSCENDENTIVM.

§. DCCLI.

Successio adscendentium. DEscendentibus nullis exstantibus: ad ADSCENDENTES deuoluitur liberorum intestatorum hereditas. (§. 742.)

§. DCCLII.

Proximorum. Quumque definitio iuris repraesentationis (§. 746. *) adscendentibus

tibus adplicari nequeat: sequitur, (1 ut generatim propior excludat remotiores. *Nou. CXVIII. cap.* 2.) 2. Vt tamen locum hic habeat successio in lineas. *

* Successio in lineas vocatur, qua pars hereditatis dimidia lineae paternae; dimidia altera maternae per leges datur. VOET. *h. t.* §. 23.

§. DCCLIII.

Vna cum germanis, eorumque liberis.

Nec tamen semper soli succedunt, sed, si exstent fratres germani vel sorores germanae, vel germanorum germanarumue liberi, hi simul admittuntur. *Nou. CXVIII. cap.* 2. *vers. si vero.*

§. DCCLIIII.

Modus succedendi adscendentium.

Ex his principiis sequitur, (1. vt pater et mater soli superstites luctuosam hereditatem inter se aequa lance diuidant, et auos auiasque excludant. (§. 752. 1.) (2. Vt alteruter solus superstes solidum capiat, et auos similiter excludat. (§. 752. 1.) (3. Vt si soli remotioris gradus adscendentes adsint, succedant in lineas, adeoque si v. c. superstites sint auia paterna, et auus auiaque materni, auia paterna sola semissem; auus auiaque paterni simul alterum semissem capiant, sine bonorum discrimine. (§. 752. 2.) *d. Nou. CXVIII. cap.* 2. *vers si autem.*

§. DCCLV.

Quomodo germani et eorum liberi concurrant.

Inde porro infertur, (4. germanos germanorumque liberos, non modo cum parentibus primi gradus, sed omnibus etiam adscendentibus, * admitti, et germanos quidem, aeque ac adscendentes, in capita; ** horum liberos vna cum germanis concurrentes iure repraesentationis §, in stirpes. *Nou. CXXVII. cap.* 1. Nam si soli exstent germanorum liberi, illi ab adscendentibus excluduntur. *Nou. CXXVII. cap.* 1. *fin.* Quamuis praxis fere alia sit. Vid. SAND. *Decis. Lib. IV. tit.* 8. *def.* 5.

* Caussam aduersus Beluisium et Schotanum, in alia omnia euntes, perorauit VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. de successs. ab intest.* §. 10.

** Et hic est casus, quo liberi portionem suam pleno iure capiunt, id est, vt non competat patri vsusfructus in peculio isto aduentitio. (481. 3.)

§. DCCLVI.

Quid circa parentes legitimatorum et adoptiuorum?

Et haec omnia etiam ad LEGITIMATORVM parentes pertinent. ARROGATIS patres, (non matres, §. 182. 2.) similiter succedunt, modo puberes decesserint. (§. 181. 4.) Idemque obtinet in PLENE ADOPTATIS, quibus pater adoptiuus vna cum naturali succedit. *Nou. CXVIII. cap.* 8. Minime autem in IMPERFECTE ADOPTATIS, quia hi non sunt in adoptantium potestate. (§. 186.)

§. DCCLVII.

Quid circa illegitimos?

ILLEGITIMIS liberis, (exceptis adulterinis et incestuosis,) sola mater succedit, quia iura successionis ordinarie sunt reciproca. (§. 698.)

III.

* *

III. DE SVCCESSIONE COLLATERALIVM.

§. DCCLVIII.

DEficientibus et *adſcendentibus*, ad COLLATERALES deuenitur. (§. 742.) Succeſſio collateralium.

§. DCCLVIIII.

Ex his ptimi omnium ſuccedunt GERMANI, GERMANORVMQVE LIBERI, qui quia his ταὐτὸ αἷμα, ταὐτὸ ῥίζα, *idem ſanguis, eadem radix*, (§. 742.) et vnilaterales, et reliquos omnes excludunt. *Auth. itaque C. comm. de ſucceſſ.* Et quidem (1. germani germanaeue ſoli ſuccedunt in capita. (2. Si germani, germanorumque liberi concurrunt, illi in capita; hi, iure repraeſentationis, in ſtirpes vocantur. (3. Si ſoli germanorum, liheti exſtant, ſuo iure promiſcue in capita admittuntur. *Nou. CXVIII. cap.* 3. 1. Germanorum, eorumque liberorum.

§. DCCLX.

His deficientibus, eadem ratione fratres ſororeſque VNILATERALES, eorumque LIBERI, illi in capita, hi, ſi cum fratribus ſororibuſque defuncti vnilateralibus concurrant, in ſtirpes; ſin ſoli ſint, iure ſuo in capita ſuccedunt, ſine diſcrimine bonorum, paterna illa an materna ſint. *Nou. CXVIII. cap.* 3. Quamuis, quod ad vſum fori, in bonis paternis conſanguinei, eorumque liberi; in matetnis vterini, eorumque liberi paſſim praefetti ſoleant. 2. Fratrum ſororumque vnilateralium.

§. DCCLXI.

His quoque deficientibus proximi, ſiue cognati, ſiue agnati, ſine diſcrimine ſexus admittuntur, ita tamen, (1. vt, ptoxior excludat remotiores, e. g. patruus patrueles, (2. vt, qui eiuſdem gradus ſunt, ſimul in capita admittantur. (3. vt, nec duplicitatis vinculi amplius habeatur ratio vltra fratrum liberos. *Nou. CXVIII. cap.* 4. 3. Reliquorum cognatorum.

§. DCCLXII.

Eodem iure ſuccedunt collaterales LEGITIMATI, et per ARROGATIONEM vel ADOPTIONEM plenam inſerti familiae, et hi quidem agnatis tamquam conſanguinei, non cognatis. (§. 280. 1.) *L.* 2. §. 3. *D. de ſuis et legit. hered.* ILLEGITIMI cognatis, per matrem coniunctis, ſunt heredes legitimi. §. 31. *Inſt. ad SC. Orphit.* §. 4. *Inſt. de ſucceſſ. cognat.* Quid ſi cognatio ex legitimatione et adoptione orta.

IIII.

* An etiam emancipatis? Ita visum fuit MODESTINO. L. 9. D. h. t. At Iustinianus contra adsignationem perimi ait, si filius, cui libertus adsignatus, emancipetur. §. 2. Inst. h. t. Sed videtur vterque locus conciliari posse. Potest pater et emancipato adsignare; sed si suo adsignarit, eumque postea emancipari, mutasse videtur voluntatem. MERILL. Obs. Lib. VII. cap. 13.

§. DCCXIII.

Eius effectus? Quum itaque is, cui adsignatus libertus fuerat, solus haberetur patronus: (§. 712.) sequebatur, (1. vt solus, exclusis fratribus, in bonis liberti succederet, eoque exstincto, liberi eius. (2. Vt reliqui fratres nihil iuris haberent in bonis liberti, nisi exstincto sine liberis eo, cui libertus adsignatus fuerat. d. p. Inst. h. t.

TIT. X.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS. *

§. DCCXIIII.

Bonorum possessio. OMnes successiones vniuersales, de quibus hactenus actum, ex legibus ciuilibus sunt. Sequitur successio praetoria, tamquam secundus per vniuersitatem adquirendi modus. (§. 436. 2.) Quum enim praetor aequitatis obtentu multa mutasset: suo more nouum vocabulum callide inuenit: (§. 65.) et se non hereditatem, sed BONORVM POSSESSIONEM, daturum, edixit, ne leges de successione euertere videretur.

§. DCCXV.

Eius definitio. BONORVM itaque POSSESSIO nihil aliud est, *quam ius persequendi retinendique patrimonii, quod iure ciuili haud debetur, beneficio praetoris concessum.* Arg. L. 3. §. 2. D. h. t. Breuiter, sed recte, Graeci bonorum possessionem vocant πραιτωρίαν διαδοχήν, *successionem praetoriam.*

§. DCCXVI.

Edictalis et decretalis. Bonorum possessio vel EDICTALIS est, *quae personis certis, in edicto nominatis, sine caussae cognitione datur,* L. 30. §. 1. D. de adquir. hered. vel DECRETALIS, *quae extra ordinem, caussa pro tribunali cognita, decreto praetoris datur.* * L. 2. §. 1. D. quis ord. in bonor. possess.

* Sic ex edicto Carboniano sub cautione datur bonorum possessio impuberi, cui controuersia fit, an inter liberos sit, simulque iudicium hoc differtur in tempus pubertatis. L. 1. pr. L. 3. D. de Carb. edict.

§. DCCXVII.

§. DCCXVII.

Edictalis vel ex edicto praetoris defertur, vel ex lege, SC. seu constitutione principis. Prior ORDINARIA, posterior EXTRAORDINARIA vocatur. §. 3. 4. *Inst. h. t.* Ordinaria et extraordinaria.

§. DCCXVIII.

Ordinaria, exemplo successionis ciuilis, (§. 484.) vel datur FACTO TESTAMENTO, vel AB INTESTATO: *L. 6.* §. 1. *D. h. t.* et priore casu vel SECVNDVM, vel CONTRA TABVLAS. Ex testamento, vel ab intestato.

§. DCCXVIIII.

Secundum tabulas praetor dat bonorum possessionem, (1. si extent tabulae testamenti supremae, saltim septem testium signis obsignatae, (§. 489.) L. 7. L. 9. *D. de bonor. possess. sec. tabb.* (2. heredibus scriptis in eo testamento: L. 2. *pr.* §. 4. *D. eod.* §. 1. *Inst. h. t.* non nuncupatiuis, quibus postea demum prospectum. L. 8. §. *vlt. D.* L. 2. *C. de bonor. possess. sec. tabb.* Secundum tabulas.

§. DCCXX.

Contra tabulas dabatur bonorum possessio praecipue liberis naturalibus et adoptiuis emancipatis, a patre neque institutis, neque exheredatis, sed praeteritis. (§. 524.) §. 3. *Inst. de exh. lib.* L. 2. §. 6. *L.* 3. §. 10. *D. de bonor. possess. contr. tabb.* Contra tabulas.

§. DCCXXI.

Ab intestato quatuor potissimum * erant gradus bonorum possessionis: primus ex edicto VNDE LIBERI; alter ex edicto VNDE LEGITIMI; tertius ex edicto VNDE COGNATI; quartus ex edicto VNDE VIR ET VXOR. §. 3. *Inst. h. t.* Bonorum possessionis intestatorum diuersi gradus.

* Olim plures, veluti ex edicto VNDE DECEM PERSONAE; ex edicto TVM QVI EX FAMILIA; ex edicto VNDE PATRONI PATRONAEQVE LIBERI ET PARENTES EORVM; ex edicto VNDE COGNATI MANVMISSORIS. Sed eas bonorum possessiones sustulit Iustinianus *d.* §. 4. *Inst. h. t.*

§. DCCXXII.

Primo ergo praetor edicto VNDE LIBERI vna cum suis vocat emancipatos, quibus alioquin nullum ius esset ex legibus ciuilibus succedendi. (§. 692.) §. 9. *Inst. de hered. ab intest.* L. 1. §. 7. 9. L. 2. L. 4. *D. vnde liberi.* Vnde liberi.

§. DCCXXIII.

Edicto VNDE LEGITIMI vocabantur agnati omnes, qui ex legibus potuere esse heredes, petentes hanc bonorum possessionem. §. 1. 2. *Inst. h. t.* L. 1. §. 4. *D. vnde legitimi.* Vnde legitimi.

§. DCCXXIIII.

§. DCCXXIIII.

Vnde cognati. Ex edicto VNDE COGNATI admittuntur per feminini sexus personas coniuncti, gradu proximi, quippe quibus alias ex iure ciuili nullum erat ius succedendi. (§. 701.) *L. 1. pr. §. 3. L. 2. D. vnde cognati.* Et hic locus erat *successorio edicto*, quo, vno liberorum intra tempus legitimum non petente, eius portio adcrescebat reliquis: liberis et parentibus non petentibus, admittebantur proximi agnati, cum eodem adcrescendi iure: his non petentibus, agnati remotiores, his non petentibus cognati, et sic porro. L. 1. §. 11. *D. de succ. edict.*

§. DCCXXV.

Vnde vir et vxor. Deficientibus cognatis, praetor edicto VNDE VIR ET VXOR vocabat virum et vxorem, dum mortis tempore in iusto matrimonio vixissent. §. 3. *Inst. h. t. L. vn. pr. et §. 1. D. L. vn. C. vnde vir et vxor.*

§. DCCXXVI.

Quando petenda? Tempus, intra quod liberi et parentes petunt, est annus vtilis: * reliquis centum dies vtiles dati. §. 4. 6. *Inst. h. t. L. 1. §. 9. §. 12. D. de succ. edict.*

* Solent iura distinguere inter annos vel menses, *continuos* et *vtiles*. Tempus continuum fine interruptione currit; siue dies sint fasti siue nefasti. *L. 7. D. quemadm. seru. amitt.* Tempus vtile est, quando ii tantum numerantur dies, quibus iudex sui copiam facit, et ius dicit, quibusque agi vel peti potuit. *L. 2. D. de diuers. et temp. praescr.* Vnde ex anno vtili non modo dies nefasti eximuntur, verum etiam ii, quibus quis ex ignorantia rei agere vel petere non potuit. *L. 2. pr. D. quis ordo in poss.*

T I T. XI.

DE ADQVISITIONE PER ARROGATIONEM.

§. DCCXXVII.

Adquisitio per arrogationem. HActenus de duobus modis per vniuersitatem adquirendi actum, id est, de *hereditate* et *bonorum possessione*: sequitur tertius PER ARROGATIONEM. (436. 3.)

§. DCCXXVIII.

Eius fundamentum. Arrogatione paterfamilias transibat in patriam alterius potestatem. (§. 179.) Quum ergo pater veteri iure indistincte per filium adquireret: (§. 472.) sequebatur, (1. vt arrogatori omnes res corporales et incorporales, quaeque filio debebantur, pleno iure adquirerentur. §. 1. *Inst. h. t.*

§. DCCXXXVIII.

§. DCCXXVIIII.

Quumque arrogatio esset capitis deminutio: (§. 228. 1.) consequens erat, (2. vt ea iura non adquirerentur arrogatori, quae capitis deminutione tollebantur, vt obligationes operarum officialium, patrono debitarum, (§. 112. 6.) ius agnationis, (§. 222.) immo olim et vsus et vsusfructus, quod tamen a Iustiniano mutatum. (§. 422. 2.*) §. 1. *Inst. h. t. L. penult. §. penult. C. de vsufr.*

Quae per arrogationem non adquisita?

§. DCCXXX.

Quia porro obligationes personam non egrediuntur: (§. 332.) (3. arrogator ex debito filii ipso iure conueniri non poterat. (§. *vlt. Inst. h. t.*

An pater adopt. conueniri potuerit?

§. DCCXXXI.

Sed quum ius de adquaestu per liberos nouo iure in multis mutatum sit: (§. 473.) consultissima iuris ratione statuit Iustinianus, (1. vt arrogator, viuo filio arrogato, non nisi vsumfructum bonorum aduentitiorum haberet. (§. 480.) (2. Vt arrogator a creditoribus filii, eiusque nomine conueniri posset: sique hunc defendere nollet, creditoribus bona filii, quorum vsumfructum pater habiturus fuisset, possidere permitteretur. §. *vlt. Inst. h. t.*

Ius a Iustiniano inuectum.

TIT. XII.

DE EO, CVI LIBERTATIS CAVSSA BONA ADDICVNTVR.

§. DCCXXXII.

QVartus modus adquirendi vniuersalis (§. 436.) est VDDICTIO BONORVM LIBERTATVM SERVANDARVM CAVSSA, quae ex rescripto Marci imp. descendit. *pr.* §. 1. *Inst. h. t.*

Adquisitio per addictionem bonorum libertatis caussa.

§. DCCXXXIII.

Quum enim testator obaeratus seruos quosdam manumisisset testamento, et nemo ex eo testamento heres esse vellet: fieri non potuisset stricto iure, quin omnes hae libertates corruissent, et bona veniissent. (§. 577.) *L. 2. C. de testam. manumiss. L. 1. C. de fideic. libert.*

Eius caussa.

§. DCCXXXIIII.

Ast Marcus imp. permisit, vt bona vniuersa libertatum tuendarum caussa vel seruis manumissis, vel eorum vni, vel extraneo addicantur., modo satisdetur creditoribus de solido, quod cuique debetur,

Eius indoles.

foluendo, feruique ex teftamento manumittantur. §. 1. *Inft. h. t. L. vlt. C. de teftamentar. manumiff.*

T I T. XIII.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, QVAE FIEBANT PER BONORVM VENDITIONES, ET EX SC. CLAVDIANO.

§. DCCXXXV.

Adquifitio per bonorum venditionem.

QVintus modus adquirendi vniuerfalis erat SECTIO, vel VENDITIO BONORVM (§. 436, 5.) *Secare* enim veteribus erat bona auctione vendere, *fectio* auctio. BYNKERSH. *Obf. Lib. I. cap.* 1.

§. DCCXXXVI.

Eius modus.

Si quis enim obaeratus non erat foluendo: bona eius poffidebantur a creditoribus. Hinc conftituebatur magifter a praetore, qui illa diftraheret, addiceretque emtori vniuerfa, qui tamquam fucceffor vniuerfalis vel in folidum fatisfacere creditoribus, vel tranfigere cum illis tenebatur. THEOPH. *pr. Inft. h. t. Antiqu. noftr. Rom. Lib. II. tit.* 18. 19. §. 11. Sed hodie creditores bona ex edicto poffeffa, prout vtile videtur, difponunt, ceffante fucceffione vniuerfali per venditionem. *pr. Inft. h. t.*

§. DCCXXXVII.

SC. Claudianum.

Poftremus per vniuerfitatem adquirendi modus erat ex SC. CLAVDIANO, cuius hiftoria eft apud TACIT. *Annal. Lib. XII. cap.* 53. Eo enim SCto cautum fuerat, vt libera mulier, feruili bacchata amore, quae poft trinam denunciationem in eo contubernio perfeueraret, adiudicatione praetoris ferua fieret domini, cuius feruo fuccubuiffet. PAVLL. *Sent. recept. Lib. II. tit.* 21.

§. DCCXXXVIII.

Eius effectus.

Quum ergo ferui et ancillae nihil haberent proprii, fed omnia adquirerent dominis: (§. 470.) omnem fubftantiam huiufmodi mulieris per vniuerfitatem adquirebat dominus. §. 1. *Inft. h. t.*

§. DCCXXXVIIII.

Iuftiniani inftitutio.

Sed Iuftinianus hunc adquirendi modum, tamquam indignum fuis temporibus, fuftulit. *L. vn. C. de SC. Claud. toll. d.* §. 1. *Inft. h. t.*

§. DCCXXXX.

§. DCCXXXX.

Talis erat fucceffio vetus, cum ciuilis tum praetoria. Tales modi adquirendi per vniuerfitatem, quae hodie vix vllius vfus funt. Hinc ad vtiliora properantibus iam paullo plenius agendum nobis erit de fucceffione ab inteftato noua, a Iuftiniano inuenta, et fancita *Nouella CXVIII.* Vfus horum omnium hodie nullus.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO SECVNDVM NOV. CXVIII.

§. DCCXXXXI.

NImirum IVSTINIANVS nouum plane iecit fucceffionis in cauffa inteftati fundamentum, vt ii fuccedant, quos defunctus quam maxime amaffe cenfetur, quod et aliis gentibus peraeque placuiffe, animaduertit GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. §. 3. Fundamentum fucceffionis ab inteftato per Nou. CXVIII. inuentae.

§. DCCXXXXII.

Quum ergo recte obferuarint philofophi, *ὅτι μᾶλλον συνῳκείωται τὸ ἀφ᾽ οὗ τῷ γεννηθέντι, ἢ γενόμενον τῷ ποιήσαντι, τὸ γὰρ ἐξ αὐτοῦ οἰκεῖον τῷ ἀφ᾽ οὗ, magis adfici cauffam gignentem, erga genitum, quam genitum erga gignentem: nam quod ex aliquo ortum eft, id et quafi proprium effe:* poft hos autem magnum momentum ineffe *ταὐτῷ αἵματι καὶ ταὐτῇ ῥίζῃ, eidem fanguini et radici:* ARIST. *Ethic. ad Nicom. Lib. VIII. cap.* 12. confequi videbatur, vt fucceffio DESCENDERET; fi defcendere non poffet, ADSCENDERET, fi nec afcendere poffet, ad LATVS diuergeret. *Nou. CXVIII. praef.* His deficientibus, CONIVGES; et poftremo omnium FISCVS in fubfidium admittuntur. Siquidem iam olim aequum vifum fuerat, *velut parentem omnium populum vacantia tenere.* TACIT. *Annal. Lib. III. cap.* 28. Ordines huius fucceffionis.

§. DCCXXXXIII.

Vnde iam difcrimen inter *fuos* et *emancipatos, agnatos* et *cognatos,* plane ceffat. *Nou. CXVIII. cap.* 1. *et cap.* 4. Quid hic immutarit Iuftinianus.

I. DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.

§. DCCXXXXIIII.

Primo succedunt descendentes.

ERgo primo omnium et ante omnes * succedunt DESCENDENTES, qui vel LEGITIME NATI sunt, vel LEGITIMATI, vel ADOPTIVI, vel ILLEGITIMI.

* Praeterquam, quod simul admittitur coniux pauper. (§. 764.)

§. DCCXXXXV.

Legitimi.

ET LEGITIMOS quidem omnes, siue masculos, siue feminas, siue suos, siue emancipatos *, (§. 743.) lex ad debitam successionem quorumuis adscendentium ** vocat, quotocumque gradu sint, dummodo eos nemo antecedat. *Nou. CXVIII. cap. 1.*

* Ergo iam derogatum legi XII. tabularum, de qua §. 691. *seqq.* neque iam amplius emancipatis opus est bonorum possessione vel contra tabulas, (§. 720.) vel ex edicto *vnde liberi*. (§. 722.)

** Ergo et matris, auiaeque maternae, vt adeo opus non sit successione ex SC. Orphitiano. (§. 699.)

§. DCCXXXXVI.

Modo in capita, modo in stirpes.

Quamuis vero, quotocumque gradu sint, succedant: (§. 745.) gradus tamen discrimen statuit ratione portionum. Primi enim gradus liberi succedunt *in capita*; vlteriorum *in stirpes*, iure repraesentationis *, etiamsi soli supersint ex descendentibus, et primi gradus liberi nulli concurrant. *Nou. CXVIII. cap. 1. vers. sic tamen.*

* Semel notanda haec iuris vocabula. *In capita* succeditur, vbi secundum numerum heredum hereditas viritim distribuitur. *In stirpes*, vbi gradu remotiores subeunt locum propioris defuncti, adeoque omnes simul eius portionem accipiunt. *Ius repraesentationis* est fictio iuris, qua remotiores in parentis defuncti locum subintrare intelliguntur. Sic si Titius reliquit tres filios *primum*, *secundum*, *tertium*, et ex *quarto* defuncto *sex nepotes*, hi omnes succedunt, et *primus* quidem, *secundus*, *tertius*, tamquam liberi primi gradus *in capita*, id est accipiunt singuli quadrantem bonorum, sex nepotes, ex *quarto* superstites, hunc patrem suum *repraesentant*, adeoque quum omnes simul quartum quadrantem accipiant, in stirpem succedunt. Ita si et soli nepotes exstarent, ex *primo* vnus, ex *secundo* sex, ex *tertio* quatuor, ex *quarto* duo, omnes succederent, non secundum numerum capitum, sed in stirpes. Primum enim quadrantem nepos vnus ex *primo* solus caperet, alterum sex nepotes ex *secundo*, tertium quatuor nepotes ex *tertio*, quartum duo ex *quarto* inter se diuiderent.

§. DCCXXXXVII.

Quid si ex diuersis matrimoniis?

Si liberi adsint, ex diuersis nati matrimoniis, communi parenti omnes succedunt aequaliter: proprio quique separatim, ita tamen, vt hi

hi praecipuum habeant, quod ex priore matrimonio ad parentem communem peruenerat *. *L.* 3. §. 1. *C. de sec. nupt. Nou. XXII. cap.* 46.

* Quia in his bonis communis parens, tantum habuit vsumfructum, qui morte vsufructuarii exspirat. (§. 412. 1.) Vnde hanc portionem magis tamquam domini retinent, quam tamquam heredes capiunt.

§. DCCXXXXVIII.

Legitimati. **Legitimati** (1. *per subsequens matrimonium* eodem iure succedunt ac legitimi. §. 2. *Inst. de her. ab intest.* (2. *Per rescriptum principis*, hoc fine legitimati, admittuntur, si soli sint, quia aliter vix legitimantur. *Nou. LXXIIII. cap.* 1. *LXXXVIIII. cap.* 9. Sin legitimi antea nati exstant, et illi tamen a principe legitimantur, his saluam esse legitimam, aequum videtur. (§. 172.) Gail. *Obs. Lib. II. cap.* 142.

§. DCCXXXXVIIII.

Adoptiui. **Adoptivi**, cuiuscumque generis, patri ab intestato eodem iure succedunt, ac naturales. (§. 182. 3. §. 186.) §. 14. *Inst. de success. ab intest.* §. 2. *Inst. de adopt. Nou. LXXIIII. et LXXXVIIII.*

§. DCCL.

Illegitimi. **Illegitimi** denique (1. matri succedunt indistincte, vna cum legitimis, *L.* 2. *D. vnde cognat.* nisi mater illustris, cuius filius vulgo quaesitus sit, a legitimis excluditur. *L.* 5. *C. ad SC. Orphit.* (2. In patria hereditate naturales, (§. 167.) si nec vxor, nec liberi legitimi exstent, et quidem in sextantem tantum, cum matre diuidendum, admittuntur. *Nou. LXXXVIIII. cap.* 12. §. 4. (3. Ex adulterio vel incestu nati nihil capiunt, ac ne alimentis quidem digni habentur, *Nou. LXXXVIIII. cap. vlt. Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* quod tamen de alimentis ex defunctorum bonis, non de illis, quae viuis parentibus officio iudicis decernuntur, intelligendum videtur. Vlr. Hvber. *Praelect. ad Inst. de success. ab intest.* §. 8.

****

II. DE SVCCESSIONE ADSCENDENTIVM.

§. DCCLI.

Successio adscendentium. **D**Escendentibus nullis exstantibus: ad **adscendentes** deuoluitur liberorum intestatorum hereditas. (§. 742.)

§. DCCLII.

Proximorum. Quumque definitio iuris repraesentationis (§. 746. *) adscendentibus

* *

III. DE SVCCESSIONE COLLATERALIVM.

§. DCCLVIII.

Successio collateralium.

DEficientibus et *adſcendentibus*, ad COLLATERALES deuenitur. (§. 742.)

§. DCCLVIIII.

1. Germanorum, eorumque liberorum.

Ex his primi omnium ſuccedunt GERMANI, GERMANORVMQVE LIBERI, qui quia his *ταὐτὸ αἷμα, ταὐτὸ ῥίζα, idem ſanguis, eadem radix*, (§. 742.) et vnilaterales, et reliquos omnes excludunt. *Auth. itaque C. comm. de ſucceſſ.* Et quidem (1. germani germanaeue ſoli ſuccedunt in capita. (2. Si germani, germanorumque liberi concurrunt, illi in capita; hi, iure repraeſentationis, in ſtirpes vocantur. (3. Si ſoli germanorum, liberi exſtant, ſuo iure promiſcue in capita admittuntur. *Nou. CXVIII. cap.* 3.

§. DCCLX.

2. Fratrum ſororumque vnilateralium.

His deficientibus, eadem ratione fratres ſororeſque VNILATERALES, eorumque LIBERI, illi in capita, hi, ſi cum fratribus ſororibuſque defuncti vnilateralibus concurrant, in ſtirpes; ſin ſoli ſint, iure ſuo in capita ſuccedunt, ſine diſcrimine bonorum, paterna illa an materna ſint. *Nou. CXVIII. cap.* 3. Quamuis, quod ad vſum fori, in bonis paternis conſanguinei, eorumque liberi; in maternis vterini, eorumque liberi paſſim praeferri ſoleant.

§. DCCLXI.

3. Reliquorum cognatorum.

His quoque deficientibus proximi, ſiue cognati, ſiue agnati, ſine diſcrimine ſexus admittuntur, ita tamen, (1. vt, propior excludat remotiores, e. g. patruus patrueles, (2. vt, qui eiuſdem gradus ſunt, ſimul in capita admittantur. (3. vt, nec duplicitatis vinculi amplius habeatur ratio vltra fratrum liberos. *Nou. CXVIII. cap.* 4.

§. DCCLXII.

Quid ſi cognatio ex legitimatione et adoptione orta.

Eodem iure ſuccedunt collaterales LEGITIMATI, et per ARROGATIONEM vel ADOPTIONEM plenam inſerti familiae, et hi quidem agnatis tamquam conſanguinei, non cognatis. (§. 280. 1.) *L.* 2. §. 3. *D. de ſuis et legit. hered.* ILLEGITIMI cognatis, per matrem coniunctis, ſunt heredes legitimi. §. 31. *Inſt. ad SC. Orphit.* §. 4. *Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

IIII.

IIII. DE SVCCESSIONE CONIVGVM.

§. DCCLXIII.

Succeſſio coniugum ... tius.

DEficiente omni cognatione, olim coniuges ſuperſtites vocabantur ex edicto *vnde vir, et vxor.* * (§. 725.)

* Quamuis enim olim, quum vxores in manum conuenirent, eae ſuccederent tamquam ſuae et filiae familias: (§. 246. *) tamen quia, exoleſcente in manum conuentione, ex iure ciuili coniugibus nihil iuris eſſet ad ſucceſſionem: praetor iis ſuccurrere hoc edicto debuit.

§. DCCLXIIII.

Noua.

Sed iure nouiſſimo, etiam cum deſcendentibus, nedum cum adſcendentibus et collateralibus, coniux ſuperſtes pauper * ſuccedit locupleti, et quidem ſi plures ſint, quam tres heredes, in portionem virilem; ſin pauciores, in quartam, ita, vt ſi cum liberis concurrat, in portione ſua tantum vſumfructum: ſin cum aliis, quartam pleno iure capiat. *Nou. CXVII. cap. 5. Auth. Praeterea C. vnde vir et vxor.* Quod ius etiam obtinet, ſi coniux teſtatus deceſſerit. *Nou. LIII. cap. 6.*

* Non ſolum vxor, ſed et maritus. *Nou. LIII. cap. 6.* Quamuis enim ei Nouellae plerique derogatum eſſe dicant per *Nou. CXVII. cap. 5.* vid. WISSENB. *Diſp. ad Inſt. XXX. lib. 51.* id tamen de eo caſu intelligendum eſſe, ſi mulier a viro iniuſte matrimonio eiecta fuerit, luculenter oſtendit VLR. HVBER. *Prael. ad Inſt. ib. §. 18.*

V. DE SVCCESSIONE FISCI.

§. DCCLXV.

Succeſſio fiſci.

POſtremo, ſi nullus ſit ſucceſſor legitimus, fiſcus, excluſis adfinibus, tutoribus, nutritoribus bona vacantia intra quadriennium agnita occupat. *L. 1. pr. D. de ſucceſſ. edict. L. 1. 4. de bon. vac. L. 1. §. 2. D. de iur. fiſc. L. 2. 4. 10. C. de ſucceſſ. edict.*

§. DCCLXVI.

Quinam illi praeferantur?

Praeferuntur tamen fiſco, (1. coniuges. (§. 763. (2. Socii liberalitatis imperialis. L. *vn. C. ſi liberal. imp. ſoc. ſin. her. dec.* (3. Eccleſia in bonis clerici. *L. 20. C. de epiſc. et cler.* (4. Vexillatio in bonis militis. *L. 2. C. de hered. decurion.* (5. Collegia et corpora in bonis collegiati et corporati. *L. 1. C. de hered. decur.* (Conferenda hic, quae dicta ſunt in *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 9. §. 214. ſeqq.*)

TIT.

T I T. XIIII.

DE OBLIGATIONIBVS.

§. DCCLXVII.

HActenus de iuribus in re, ſed non de omnibus, itemque de MODIS ADQVIRENDI *vniuerſalibus* et *ſingularibus* actum: iam, praetermiſſo iure pignoris, de quo alio loco agemus (§ 818.) ad IVS AD REM prouehitur imperator. Quod quum ſit *facultas*, competens in perſonam, vt haec aliquid dare vel facere teneatur: (§. 330.) ſequitur, vt omne ius ad rem naſcatur ex OBLIGATIONE. Connexio. Quid ius ad rem?

§. DCCLXVIII.

OBLIGATIO *eſt iuris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei ſoluendae*, id eſt, faciendae vel praeſtandae. *Arg. pr. Inſt. h. t.* Ex quo fluit axioma, *obligationem perſonam non egredi, adeoque actionem aduerſus tertium non producere. L. 25. pr. D. de oblig. et act.* Quid obligatio?

§. DCCLXVIIII.

Neceſſitas illa rei alicuius ſoluendae, id eſt, faciendae vel praeſtandae, a lege vel iure imponitur, et quidem vel a ſolo *naturali* *, ſed cui ius ciuile vel plane non, vel non omnino adſiſtit; L. 95. §. 4. *D. de ſolut.* vel a *iure ciuili*, ſed quod praetor, naturali aequitate motus, data exceptione elidit; vel ab *aequitate naturali et iure ciuili* ſimul. Primi generis obligationes MERE NATVRALES; ſecundi MERE CIVILES; tertii MIXTAE adpellantur *. §. 1. *Inſt. de fideiuſſ. L. 1. D. de nouat. L. 3. §. 1. D. de pec. conſt.* §. 1. *Inſt. de except.* Eius diuiſio prima.

* Sic aequum eſt, filium familias et pupillum expungere nomen, etiam ſine iuſſu patris vel tutoris auctoritate contractum: ſed huic naturali obligationi non adſiſtit ius ciuile: iure naturae pacta ſunt ſeruanda, ſed huic obligationi non omnino adſiſtunt iura, quae quidem exceptionem ex pacto nudo dant, ſed non actionem. Adeoquae hae ſunt obligationes MERE NATVRALES. Iure ciuili et qui metu coactus promiſit, obligatur: ſed praetor aequitate motus dat exceptionem *quod metus cauſſa*, adeoque haec obligatio eſt MERE CIVILIS. Denique venditor et iure naturali et ciuili ad rem tradendam obſtrictus, adeoque haec obligatio MIXTA eſt.

§. DCCLXX.

MIXTAE obligationes praeter naturale vinculum vel *legibus ciuilibus* ſuſtinentur, vt contractus: vel *iuriſdictione praetoris*, vti obligatio ex conſtituto. Illae CIVILES; hae PRAETORIAE adpellantur. §. 1. *Inſt. h. t.* Vtraſque in animo habuit imperator, dum obligationem dixit *vinculum iuris, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei ſoluendae, ſecundum noſtrae ciuitatis iura. pr. Inſt. h. t.* Haec enim definitio non Secunda.

ad obligationem generatim, fed in fpecie ad mixtam pertinet.

§. DCCLXXI.

Tertia. Omnes obligationes ex aequitate vel lege funt: funt enim *vinculum iuris.* (§. 768.) Sed tamen aliae IMMEDIATE ex *aequitate naturali* vel *ex lege ciuili* nafcuntur, aliae MEDIATE, accedente *facto obligatorio*, e. c. pater filio obligatur ad alimenta immediate ex aequitate naturali, nullo licet accedente facto obligatorio: poffeffor ei, cuius intereft, ad exhibendum immediate, nullo accedente facto, tenetur. At contrahentes et delinquentes immediate obligantur ex facto fuo; mediate ex lege.

§. DCCLXXII.

Quarta. Factum obligatorium (§. 771.) aliud *licitum* eft, aliud *illicitum*: illud dicitur CONVENTIO; hoc DELICTVM, vel MALEFICIVM. De hoc infra erit dicendum: (§. 1032. *fequ.*) de illa hic differendi locus eft.

§. DCCLXXIII.

Quid conuentio? CONVENTIO vel PACTIO *eft duorum in idem placitum confenfus de re foluenda*, id eft, *facienda vel praeftanda L. 1. §. 2. D. de pact.*

§. DCCLXXIIII.

Eius diuifio in pacta et contractus. Sed non omnibus conuentionibus adfiftit ius ciuile, verum quibufdam tantum, et iis maxime, quibus vel *cauffa* ciuilis, et legibus probata fubeft, vel quibus fingulare *nomen* et cognominem actionem iura dederunt. * Et hae conuentiones CONTRACTVS; reliquae PACTA vocantur. *L. 19. D. de nouat.*

* Hinc Romani non negabant, pacta effe feruanda, immo potius improbum eum putabant, qui fidem datam liberare nollet. Sed actionem non dabant ex pactione nuda, quia *fidem fanxerant in negotiorum contractibus*. GELL. *Lib. XX. cap. 1.* Qui ergo ftipulationem, tamquam ciuilem modum adftringendae fidei omiferat, magis videbatur perlufone egiffe, quam fidem voluiffe adftringere. Conf. MERILL. *Obf. Lib. VII. cap. 39.*

§. DCCLXXV.

Quid pactum? PACTVM ergo eft *conuentio deftituta nomine et cauffa*, (id eft, datione vel facto,) *quae obligationem ciuilem fua natura producere poffit*: (§. 774.) vel eft nuda rei vel facti in futurum promiffio.

§. DCCLXXVI.

Quid contractus? CONTRACTVS funt *conuentiones, quae habent nomen vel cauffam praefentem, fua natura ciuiliter obligantem.* (§. 774.) *L. 7. §. 1. feq. D. de pact.*

§. DCCLXXVII.

Pactum quotuplex? PACTVM vel NVDVM eft, vel NON NVDVM. *d. L. 7. §. 1. 2. 4. D. L. 10. C. de pact.* NVDVM, *quod in nudis placiti et conuentionis fini-*

finibus subsistit, et non quidem actionem producit, sed exceptionem. *L.* 7. §. 4. *D. de pact. L.* 10. *L.* 21. *L.* 28. *C. eod.* NON NVDVM, *quod actionem producit*, * *vel quia speciatim ei lex*, *vel quia praetor adsistit*, *L.* 6. *D. de pact. vel quia in continenti contractui bonae fidei adiectum est*: *L.* 7. §. 5. *L.* 13. *C. de pact.* quorum illud PACTVM LEGITIMVM, ** illud pactum PRAETORIVM, hoc ADIECTVM vocatur.

* Ita Romani. Sed hanc subtilitatem aliae gentes non receperunt, adeoque eodem modo obligationem actionemque producunt pacta et contractus, pacta nuda, et non nuda. Haec laus olim Germanorum, qui *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*, iure gloriabantur. TACIT. *Annal. Lib. III. cap.* 54. Vnde semper apud eos valuit paroemia iuris: *ein Wort, ein Wort: ein Mann, ein Mann*: id est, *vir bonus et solo verbo obligatur*. Quare egregie falluntur qui hanc obligationem pactorum ex iure canonico repetunt, et quidem ex *cap.* 1. *X. de pact.* Conf. HERT. *Paroem. iur. Lib.* I. *par.* 8. [et *Elem.* nostr. *iur. Germ. Lib. II. tit.* 12. §. 330. *seqq.*

** *Legitimum* dicitur, quod lege ciuili confirmatur. Sic pacta legitima sunt dotalia, *L.* 6. *C. de dot. prom.* donationis, *L.* 35. §. *vlt. C. de donat.* pacta quaedam de vsuris, *L.* 30. *D. de vsur. L.* 7. *D. de foen. naut. L.* 12. *C. de vsur. Nov. CXXXVI. cap.* 4. Contra pacta *praetorio iure* confirmata sunt hypotheca, *L.* 17. §. 2. *D. de pact.* constituta pecunia, *L.* 1. *D. de pecun. const.* et conuentio de iureiurando praestando. §. 11. *Inst. de act.*

§. DCCLXXVIII.

Contractus ita ineuntur, vt vel *consensus verus* vtrimque adsit, vel ex altera parte ille ex aequitate vel communi vtilitate *praesumatur*. * Priores vocantur contractus VERI; posteriores OBLIGATIONES, quae QVASI EX CONTRACTV nascuntur, vel breuius QVASI CONTRACTVS, de quibus infra (§. 965. *sequ.*) Contractus vel veri, vel quasi contractus.

* Ergo fundamentum quasi contractuum non est consensus *tacitus*, vti quibusdam visum; ita enim ignorantes et inuiti non obligarentur, (§. 1. *Inst. de obl. quae quasi ex contr.*) sed consensus *fictus* vel *praesumtus*. Inducitur vero huiusmodi praesumtio, vel ex aequitate, vel ex vtilitate, veluti, quia nemo debeat cum alterius damno locupletior fieri. *L.* 14. *D. de condict. indeb.*

§. DCCLXXVIIII.

VERI contractus vel *nomen* et *caussam* simul habent, (§. 774.) vel ciuilem *caussam* sine nomine. Priores vocantur contractus NOMINATI, posteriores INNOMINATI: quales sunt quatuor illi: *do, vt des: do, vt facias: facio, vt des: facio, vt facias*, ex quibus etiam non nascuntur actiones cognomines, (§. 774.) sed actio generalis *in factum* vel *praescriptis verbis. L.* 1. 2. 3. et 5. *L.* 17. §. *vlt. D. de praescript. verb. L.* 7. §. 2. *D. de pact.* Veri contractus nominati et innominati

§. DCCLXXX.

Contractus innominati omnes RE ineuntur. Nisi enim res interueniret: intra pactorum naturam subsisterent. (§. 775.) Nominatorum autem alii substantiam capiunt vel ineuntur RE; alii VERBIS; alii LITTERIS; alii CONSENSV. §. *vlt. Inst. h. t.* Nominati quotuplices?

§. DCCLXXXI.

Contractus vnilaterales et bilaterales.

Iam quum hi contractus omnes sint conuentiones, (§. 774.) hae vero consensus in idem placitum de dando aliquo vel faciendo: (§. 773.) sequitur, vt vel *vtrique* contrahentes se ad dandum quid vel faciendum obligent, vel *alteruter* tantum obligatus sit. Hinc contractus in BILATERALES, (*διπλεύρους*) et VNILATERALES, (*μονοπλεύρους*) recte diuiduntur *.

* Ordinarie vnilaterales sunt STRICTI IVRIS, vt mutuum, solutio indebiti, stipulatio, litterarum obligatio: bilaterales BONAE FIDEI, vti commodatum, pignus, et omnes consensuales. (1. In illis non debentur vsurae, nisi promissae: in his et propter solam moram *L. 3. C. de vsur.*) 2. Contractus stricti iuris ob dolum non sunt nulli, sed rescindendi per restitutionem ex caussa doli L. 36. *D. de verb. oblig.* In contractibus contra bonae fidei dolus, qui caussam contrahendi dedit, nullam reddit obligationem: *L. 7. pr. D. de dol.* ob incidentem actione ordinaria ex contractu agitur L. 13. §. 4. *et* 5. *D. de act. emt.* Immo et exceptio doli competit decepto L. 9. *pr. D. de dol.* (3. In illis compensatio non nisi per exceptionem doli mali; in his ipso iure obligationem perimebat. Quod a Iustiniano mutatum. §. 30. *Inst. de act.*

§. DCCLXXXII.

Inde ex contractibus v. l vna, vel plures actiones nascuntur.

Ergo *vnilaterales contractus* tantum vnam actionem producunt: bilaterales duas, et quidem vtramque DIRECTAM, si vterque statim obligatur. Sin vnus initio; alter ex post facto demum obligatur, contra illum DIRECTA, contra hunc CONTRARIA actio datur, *L.* 17. §. 1. *et* §. 3. *L.* 18. §. 2. *L. penult. D. commod* quarum haec semper ad consequendam indemnitatem comparata est.

§. DCCLXXXIII.

Iis et damni praestatio petitur.

Iis actionibus non solum agitur ad praestandum id, quod promissum: verum etiam ad RESARCIENDVM DAMNVM.

§. DCCLXXXIIII.

Damnum quotuplex?

DAMNVM est, quando aliquid per alium ex patrimonio nostro demitur: idque vel DOLO, vel CVLPA, vel CASV datur. DOLVS est *omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum, fallendum, circumueniendum alterum adhibita. L. 1. §. 2. D. de dol.* CVLPA *factum inconsultum, quo alter iniuria laeditur,* vel *quod, quum a diligente prouideri potuerit, non sit prouisum. L. 31. D. ad leg. Aquill.* CASVS est *euentus a diuina prouidentia profectus, cui resisti non potest. L. 18. pr. D. commod.*

§. DCCLXXXV.

Quando praestetur dolus, et casus?

Iam ex ipsis definitionibus fluunt axiomata: I. DOLVS semper et in omni contractu praestandus, nec conueniri potest in antecessum, * vt ne dolus praestetur. *L. 23. D. de reg. iur.* II. In quibusdam contractibus, in quibus amici fidem praecipue sequimur, dolus, eique aequiparanda culpa lata, infamia notatur, veluti in DEPOSITO, SOCIETATE, MANDATO, TVTELA, si quis actione directa pulsatus condemnatur. *L. 1. D. de his, qui not. inf.* CIC. *pro Rosc. Com. cap.* 6. et

6. et *pro Rosc. Am. cap.* 40. III. CASVS numquam praestatur, nisi vel in mora sit debitor, *L.* 2. *C. de peric. et comm. rei vend.* vel casum in se vtro susceperit, vel culpam simul admiserit. *d. L.* 23. *D. de reg. iur.* IIII. CVLPA modo maior, modo minor praestanda est.

* De praeterito enim dolo pactio valet. *L.* 27. §. 3. *D. de pact. L.* 5. §. 7. *D. de admin. tutor.*

§. DCCLXXXVI.

Nimirum vti trium fere generum reperiuntur patresfamilias, quorum quidam, ad rem *attentissimi*, oculos centum habent: alii, rerum suarum *incuriosissimi*, nullam rei familiaris curam animum subire patiuntur: alii denique, inter hos intermedii, *frugales*, nec tamen Euclionis, esse solent: ita tres sunt culpae vel negligentiae gradus. Culpae triplicis fundamentum.

§. DCCLXXXVII.

Qui enim eam non adhibent diligentiam, quam solent patresfamilias ad rem attentissimi, culpam LEVISSIMAM; *L.* 18. *D. commod.* qui omittunt diligentiam, a frugi patre familias adhiberi solitam, LEVEM *; *L.* 32. *D. depos.* qui denique ne ea quidem diligentia, qua omnes, etiam dissoluti homines, vti solent, vtuntur, LATAM committere dicuntur. *L.* 213. §. 1. *L.* 223. *D. de verb. sign. L. penul.* §. 2. *D. de iur. et fact. ignor.* Eius differentiae.

* Ita leuis culpa aestimatur diligentia, qua in rebus suis vti solet quilibet paterfamilias frugi. Et haec vocatur doctoribus culpa leuis IN ABSTRACTO: si enim respicitur ad diligentiam, quali ipse, quocum contrahitur, in re sua vti solet, culpa illa leuis in CONCRETO vocari solet. Et hanc socius socio praestare tenetur: §. 9. *Inst. de societ.* quia hic sibi socium eligens eius diligentiam probasse censetur.

§. DCCLXXXVIII.

Iam et de culpa obseruanda axiomata: I. In contractibus, in quibus penes vnum commodum, penes alterum incommodum est, ille ordinarie culpam etiam leuissimam; hic non nisi latam * praestat. *L.* 5. §. 2. *D. commod.* II. Vbi par vtriusque contrahentis commodum atque incommodum est, culpa etiam leuis ab vtroque praestanda est. *L.* 5. §. 2. *D. eod.* III. Qui sua sponte se contractui obtulit, vel obligationem suscepit, in qua personae industria summa requiritur, quamuis solum incommodum sustineat, tamen ad culpam leuissimam tenetur. *L.* 1. §. 25. *D. depos. L.* 20. *C. de neg. gest. L.* 23. *D. de reg. iur. L.* 13. *L.* 21. *C. mand.* IIII. Qui alteri rem vltro obtulit, ex qua ei soli commodum obueniat, non nisi latae culpae praestationem exigere potest. *L.* 8. §. 3. *D. praecar.* Regulae de culpae praestatione.

* Ordinarie. Singulare in tutela. Tutor enim fauore pupilli ad exactam tenetur diligentiam et culpam leuem praestat. L. 1. *D. de tut. et rat. distrab.*

§. DCCLXXXVIIII.

§. DCCLXXXVIIII.

Connexio. Iam ad contractus singulos; et quidem ad veros, NOMINATOS, cum imperatore progredimur, quorum quum alii *re*, alii *verbis*, alii *litteris*, alii *consensu* capiant substantiam: (§. 780.) primum de illis, qui RE ineuntur, agendum erit.

T I T. XV.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

§. DCCLXXXX.

Quo sensu contractus dicantur reales? Contractus dicuntur RE iniri, vel REALES esse, non quasi actionem in rem producant, (§. 768.) sed quia non capiunt substantiam hi contractus, nisi rei traditio interueniat, vel datio.

§. DCCLXXXXI.

Quot sint huiusmodi contractus? Tales ex veris et nominatis * sunt quatuor: I. MVTVVM, II. COMMODATVM, III. DEPOSITVM, et IIII. PIGNVS. *pr. et* §. *seqq. Inst. h. t.*

* Innominati enim omnes; ex quasi contractibus indebitum et obligatio nautarum, cauponum, stabulariorum.

§. DCCLXXXXII.

Quid mutuum? I. MVTVVM est contractus, quo res fungibilis ita alicui datur, vt eius fiat, et is quandoque tantumdem in eodem genere restituat. *pr. Inst. h. t.* RES vero FVNGIBILES dicuntur, quae pondere, numero, et mensura constant. (§. 419.) *L.* 2. §. 1. *D. de reb. credit.* In his enim tantumdem est idem.

§. DCCLXXXXIII.

Axiomata de mutuo. Ex qua definitione sequitur, I. vt mutuum non sit, nisi pecunia, vel res fungibilis alia, saltim breui manu tradatur. (§. 792.) *L.* 2. §. 3. *L.* 11. *pr. et L.* 15. *D. de reb. cred.* II. Vt mutuum sit alienatio, * et rei fungibilis dominium transferatur in debitorem. (§. 792.) L. 1. §. 2. *L.* 16. L. *penult. D. eod.* §. 2. *Inst. quibus alienar. lic. vel non.*

* Quod notandum contra CLAVD. SALMASII *Datriben: mutuum non esse alienationem*: mutuum enim non solum in quantitate consistit, sed et ipsa species quoad substantiam transfertur, et in hanc debitor omnino consequitur dominium. Non alienatur tamen quantitas, quae, vtpote res incorporalis, non est obiectum dominii. (§. 388. 1.) Et hinc contemplatione quantitatis nummi alienati esse negantur, L. 55. *D. de solut.* et aes illud, quod ad debitorem attinet, dicitur *aes alienum. L.* 213. §. 1. *D. de verb. sign.*

§. DCCLXXXXIIII.

§. DCCLXXXXIIII.

Quum ergo mutuum sit alienatio. (§. 793. 2.) infertur, (1. non nisi eum dare posse mutuum, qui potest alienare, §. *vlt. Inst. quib. alienar. lic. L.* 2. §. 4. *D. de reb. cred.* adeoque (2. si quis, qui alienare nequit, mutuum dederit, nummos exstantes vindicari; consumtos bona fide condici; mala fide, actione ad exhibendum peti posse. (§. 466. 2.) *L.* 11. §. *vlt. L.* 13. *pr. L.* 14. *D. eod.* (3. Idemque obtinere, si quis dolo malo pecuniam alienam sine mandato domini dederit mutuam. *L.* 11. §. *vlt. L.* 13. *D. eod.* Quis dare possit mutuum?

§. DCCLXXXXV.

Quamuis vero in mutuo alienetur species: non alienatur tamen quantitas, (§. 793. *) ex eoque sequitur, (4. vt tantumdem et quod ad quantitatem, et quod ad qualitatem, reddendum sit. L. 3. *D. eod. L.* 99. *D. de solut.* (5. Vt conueniri quidem possit, vt minus, non vt plus reddatur, quam datum. *L.* 11. §. 1. *D. reb. cred.* (6. Vt mutato valore nummorum ad tempus contractus respiciendum videatur, *Arg. L.* 3. *D. de reb. cred. L.* 2. *C. de vet. num. potest. L.* 69. *D. de contr. emt.* nisi de certa specie monetae reddenda conuentum. *L.* 5. *L.* 22. *D. de reb. cred.* Et ita praxis seruat. GAIL. *Obs. Lib. II. cap.* 73. Quaenam inde nascatur obligatio?

§. DCCLXXXXVI.

Ex hoc contractu datur actio vnica, (§. 782.) cognominis, (§. 779.) nimirum CONDICTIO certi *ex mutuo*, vel ACTIO MVTVI, *L.* 5. *C. quib. non obi. long. tempor. praesc.* qua creditor agit aduersus debitorem, eiusue heredem (§. 768.) ad tantumdem in eodem genere eademque bonitate reddendum: non autem ad vsuras, quae iure Romano ex contractu stricti iuris non debentur, nisi promissae. (§. 781. *) Quae actio inde nascatur?

§. DCCLXXXXVII.

II. COMMODATVM est contractus, quo res non fungibilis gratis vtenda ita traditur, vt finito eo vsu eadem species restituatur. §. 2. *Inst. h. t.* Commodatum quid?

§. DCCLXXXXVIII.

Ex quo sequitur: I. vt commodatum in certum ac definitum vsum detur, alias enim esset PRECARIVM. *I.* 1. *pr. L.* 2. *D. de precar.* II. Vt, si mercedem sibi quis stipuletur pecuniariam, commodatum transeat in locationem conductionem, §. 2. *Inst. h. t. pr. Inst. de loc.* sin aliam rem, in contractum *do vt des. L.* 5. *D. de praescr. verb.* III. Vt commodum ex hoc contractu sit penes solum commodatarium; incommodum penes commodantem. IIII. Vt non, sicuti in mutuo, (§. 793. 2) transferatur dominium. *L.* 8. *L.* 9. *D. de commod.* Axiomata de commodato?

§. DCCLXXXXVIIII.

Quia ergo commodatum ad certum vsum datur: (§. 798. 1) (1. illud Quamdiu et quomodo re

commodata vtendum? illud ante finitum vsum ordinarie reuocari nequit. *L.* 17. §. 3. *D. L.* 3. *C. commod.* Nec (2. commodatarius eam aliis vsibus adhibere debet, quia alias furtum vsus committeret. §. 6. 7. *Inst. de obl. quae ex delict. L.* 54. §. 1. *D. de furt.* VAL. MAX. VIII. 2.

§. DCCC.

An merces intercedere possit? Quumque *mercede* interueniente commodatum in alium contractum transeat: (§. 798. 2.) consequens est, (3 vt, si *honorarium* * interueniat, commodati natura non mutetur. *Arg. L.* 6 *pr. D. mand.*

* Honorarium vero a mercede differt: (1. quod haec conuentione definiatur; illud vltro offeratur: 2. quod mercedem admittant operae tantum illiberales; honorarium liberales, et quae aestimationem haud recipiunt.

§. DCCCI.

Quae culpa praestanda? Quum porro commodum ex hoc contractu sit penes solum commodatarium; incommodum penes commodantem: (§. 798. 3.) sequitur (4 vt ille culpam leuissimam, hic latam tantum praestet. (§. 788. 1.) *L.* 5. §. 10. *D. commod.* (5. Vt, si commodatum in vtriusque gratiam factum, contrahentes sibi inuicem teneantur ad culpam leuem. (§. 788. 2.) *L.* 18 *pr. v. at si vtriusque D. commod.* (6. Vt, si in solam vtilitatem commodantis hic contractus sit initus, tantum lata culpa praestanda sit. L. 5. §. 10. *D. eod.*

§. DCCCII.

Quid si res casu perierit? Denique ex vltimo axiomate (§. 798. 4.) fluit, (7 quod si res casu fortuito perierit, ea pereat commodanti, tamquam domino *L.* 18. *fin. L.* 19. *L.* 20. *D. L.* 1. *C. commod.* §. 2. *Inst. h. t.* et hinc commodatarius non teneatur. (§. 786. 3.)

§. DCCCIII.

Actio commodati duplex. Ex hoc ergo contractu duae nascuntur actiones contractui cognomines, nempe actiones COMMODATI DIRECTA et CONTRARIA. (§. 782.)

§. DCCCIIII.

Directa. DIRECTA datur commodanti aduersus commodatarium, eiusque heredes, ad eamdem speciem finito vsu restituendam, (§. 797.) damnaque etiam culpa leuissima data resarcienda (§. 801. 4.)

§. DCCCV.

Connexio. ACTIO CONTRARIA datur commodatario aduersus commodantem eiusque heredes ad indemnitatem: (§. 782.) veluti si sumtus haud modicos in rem fecerit, vel ob vitium rei commodatae celatum damnum senserit, vel ob rem vsu nondum finito repetitam detrimentum passus sit. *L.* 17. §. 3. *L.* 18. §. 2. *et.* 3. *D. commod.*

§. DCCVI.

§. DCCCVI.

III. DEPOSITVM est contractus re initus, quo quis alteri rem mobilem ita gratis custodiendam tradit, vt, quandocumque deponenti placuerit, eamdem in specie restituat. §. 3. *Inst. h. t.* Depositum quid?

§. DCCCVII.

Vnde obseruanda axiomata: I. Contractus et hic est gratuitus. II. Eo nec dominium, nec vsus, sed sola rei custodia, transfertur *L.* 1. *pr. D. depos.* §. 3. *Inst. h. t.* III. Commodum ex hoc contractu ordinarie ad solum deponentem; incommodum ad solum depositarium redundat. Axiomata de hoc contractu.

§. DCCCVIII.

Ex primo axiomate inferimus, (1. depositum quoque vel in locationem conductionem, vel in contractum innomitatum degenerare posse, si merces intercedat. (§. 798. 2.) *L.* 1. §. 8. 9. 10. *D. depos.* (2. Nec huius contractus naturam mutari per honorarium. (§. 801.) L. 2. §. 24. *D. de vi bon. rapt.* Conclusiones ex axiomate primo.

§. DCCCVIIII.

Ex eodem colligimus, (3. contractum hunc non nisi cum amicis, in quorum fide maxima spes sita est, iniri, adeoque infamiam mereri dolum latamque culpam depositarii. (§. 786.) CIC. *pro Rosc. cap.* 39. L. 10. *C. depos. L.* 1. §. 1. *D. de his, qui not. inf.* §. 2. *Inst. de poen. tem. litig.* Cur hic contractus infamet?

§. DCCCX.

Ex altero axiomate fluit, (4. depositarium furtum vsus committere, si re deposita vtatur. §. 6. *Inst. de obl. quae ex del.* (5. Si rei fungibilis vsus concedatur expresse: ex deposito fieri mutuum. (§. 792.) *L.* 24. *L.* 26. §. 1. *D. depos.* (6. Sin tacite concedatur vsus rei fungibilis, veluti si res nec clausa, nec obsignata tradatur, tunc *depositum* fieri *irregulare*, simul ac depositarius re vti coeperit. L. 1. §. 34. *D. eod.* Ex secundo.

§. DCCCXI.

Denique ex tertio axiomate fluit, (7. deponentem ordinarie ad culpam leuissimam, depositarium ad latam teneri. (§. 788. 1.) L. 1. §. 7. 16. 20. *sequ. D. depos.* (8. Hunc etiam casum sentire, si depositum sit irregulare, (§. 810. 4. 5.) *L.* 24. *D. depos.* vel si in mora sit restituendi, vel casum omnem in se susceperit. (§. 785. 3.) Ex tertio.

§. DCCCXII.

Depositum alias in SIMPLEX diuiditur, quod hactenus descriptum, et MISERABILE, quod fit ob tumultum, incendium, ruinam, naufragium. L. 1. §. 1. *D. depos.* Hoc id singulare habet, quod si dolus depositarii vel heredis in eo pelluceat, vterque ad dupli restitutionem teneatur: hic tamen non nisi in simplum, si dolus defuncti intercesserit. L. 1. §. 1. *D. depos.* Quotuplex depositum?

§. DCCCXIII.

Sequestrum quid? Deinde deposito vicinum, et ab eo tamen diuersum est SEQVESTRVM, quod (1. illud semper fit ab vno, eoque volente; hoc etiam a pluribus, qui de dominio litigant, aliquando etiam inuitis, iussu iudicis *. *L.* 7. §. *fin. D. qui satisd. cog.* (2. Quod illud fit in re quacumque mobili; hoc in re litigiosa etiam immobili. *L.* 100. *D. de verb. sign. L.* 5. *C. quor. adpell.* (3. Quod illud ordinarie solam custodiam; hoc et possessionem et curam transfert in sequestrem. *L.* 17. §. 1. *D. depos. d. L.* 5. *C. quor. adpell.*

* Sed non nisi imminente metu fugae, *L.* 7. §. *vlt. D. qui satisd. cog.* vel dilapidationis, *L.* 12. §. *vlt. D. de adpell.* vel armorum, vel ob similes caussas grauiores. *L. vlt. f. C. quib. ad lib. L.* 5. *D. quor. adpell. L.* 20. §. 1. *C. de agric.* Quo etiam pertinet bellissima species *cap.* 14. *X. de sponsal.* vbi de sequestratione sponsae, quae duobus fidem de matrimonio dederat. Extra hos casus prohibita est sequestratio rei litigiosae. *L. vn. C. de prohib. sequestrat. pecun.*

§. DCCCXIIII.

Duplex actio depositi. Ex hoc etiam contractu nascitur denuo duplex DEPOSITI ACTIO, DIRECTA et CONTRARIA. (§. 783.)

§. DCCCXV.

Directa. DIRECTA datur deponenti aduersus depositarium eiusue heredes, ad rem depositam in specie cum omni caussa restituendam, (§. 807.) resarciendumque damnum dolo et culpa lata datum. (§. 811.) Cui actioni nec exceptio compensationis, nec doli mali, nec iuris in re deposita competentis opponi potest. *L. penult. C. depos. L. vlt.* §. 1. *C. de compens.* Immo nec iure retentionis recte vtitur depositarius, quamuis doctores eam concedant ob impendia necessaria in rem depositam facta. L. 11. *C. depos.*

§. DCCCXVI.

Contraria. CONTRARIA datur depositario aduersus deponentem eiusue heredes ad indemnitatem. (§. 782. et §. 811.) L. 5. *pr. D. depos.*

§. DCCCXVII.

Actio sequestraria. Similiter ex SEQVESTRO, finita lite, ACTIO SEQVESTRARIA DIRECTA datur victori aduersus sequestrem, eiusque heredem, ad rem depositam cum omni caussa restituendam. L. 5. §. 1. L. 12. §. 2. *D. depos.* CONTRARIA sequestri aduersus victorem ad indemnitatem. L. 5. §. 2. *D. depos.*

§. DCCCXVIII.

Pignus quatenus ius in re. IIII. PIGNVS constituitur *contractu*: constitutum vero hoc modo et traditum dat, IVS IN RE aeque ac hypotheca solo pacto sine traditione constituta. (§. 339. ** §. 334.) Ex quo iure nascitur actio in rem *Seruiana* et *quasi Seruiana* seu *hypothecaria*, quarum illa locator praedii rustici aduersus colonum, vel quemcumque possessorem; hac

hac creditor contra debitorem vel possessorem quemlibet agit ad res pignori obligatas persequendas. §. 7. *Inst. de action.*

§. DCCCXVIIII.

At hic pignus non accipitur pro iure in re, sed pro contractu, quo illud ius constituitur, adeoque definiri poterit, quod sit contractus re initus, quo creditori res ita traditur in securitatem crediti, vt soluto debito eadem in specie reddatur. §. *vlt. Inst. h. t.* Quatenus contractus.

§. DCCCXX.

Ergo I. pignori dari possunt res omnes, quae securum praestant creditorem: L. 9. §. 2. *D. de pign. act.* II. Ex hoc contractu non vsus transfertur, sed possessio et custodia, adeoque traditionem accedere oportet. § *vlt. Inst. h. t.* III. Contractus pignoris in vtriusque contrahentis vtilitatem comparatus est. §. *vlt. Inst. h. t.* L. 5. §. 2. *D. commod.* Axiomata de pignore.

§. DCCCXXI.

Ex primo axiomate inferimus, (1. oppignorari posse res tam corporales, quam incorporales, L. 11. §. 2. *D. de pign.* L. 4. *C. quae res pign. dar.* (2. tam immobiles, quam mobiles, (3. tam proprias, quam alienas, modo domini consensus vel ratihabitio accedat. L. 20. *pr. D. de pign. et act.* (4. Non autem res exemtas commercio, L. 9. §. 1. *D. de pign. et hypoth.* (5. nec res litigiosas. L. 1. §. 2. *D. quae res pign.* L. 3. *C. eod.* Conclusiones ex axiomate primo.

§. DCCCXXII.

Ex secundo fluit, (6. creditorem pignore vti non posse, nisi accesserit pactum ἀντιχρήσεως, vel de pignoris vsu in vicem vsurarum. L. 11. §. 1. *D. de pign. et hypoth.* (7. Maxime inter se differre pignus et hypothecam *, L. 9. §. 2. *D. de pign. act.* Ex secundo.

* Pignus enim (1. constituitur contractu; hypotheca pacto, cui praetor adsistit. (§. 777.) (2. Pignus traditur, hypotheca rem sine traditione adficit. §. 7. *Inst. de act.* L. 9. §. 2. *D. de pign. act.* L. 238. §. 2. *D. de verb. sign.*

§. DCCCXXIII.

Ex tertio axiomate colligimus, (8. vtrumque contrahentem teneri ad culpam leuem praestandam. L. 5. §. 2. *D. commod.* L. 25. *D.* L. 5. L. 7. *D. de pignor. act.* Nec obstat L. 13. §. 1. *D. eod.* Ex tertio.

§. DCCCXXIIII.

Ex hoc quoque contractu duplex datur actio PIGNORATITIA DIRECTA et CONTRARIA. (§. 782.) §. *vlt. Inst. h. t.* L. 3. L. 8. L. 9. *pr. D. de pign. act.* Actio pignoratitia duplex.

§. DCCCXXV.

DIRECTA debito soluto (§. 819.) datur debitori aduersus credito- Directa.

rem eiusue heredes ad rem oppignoratam * cum omni caussa restituendam, resarciendaque damna, culpa etiam leui data. (§. 823.) §. *vlt. Inst. h. t.*

* Attamen, soluto licet debito, creditor pignus iure retentionis debitori denegabit, si nouum contraxerit debitum. *Tot. tit. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. teneri.*

§. DCCCXXVI.

Contraria. CONTRARIA contra creditori competit aduersus debitorem, eiusue heredes, ad indemnitatem: (§. 783.) veluti si creditor impensas in pignus fecerit, si damnum inde passus sit, si res aliena ipsi obligata fuerit, cet. L. 3. 8. 9. 36. *D. de pign. act.*

T I T. XVI.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

§. DCCCXXVII.

Quid verborum obligatio? VTi *contractus reales* non solo consensu, sed accedente rei datione vel traditione substantiam capiunt: (§. 790.) ita VERBORVM obligationes non consensu, sed verborum sollemnitate, perficiuntur.

§. DCCCXXVIII.

Quot contractus verbales? Huiusmodi contractus olim erant tres, sollemnis dotis DICTIO *, PROMISSIO operarum, a liberto facta, firmataque iureiurando, et STIPVLATIO. CAI. *Inst. Lib. II. tit. 9. §. 3. sequ.* VLP. *Fragm. tit. 6. §. 1. seq.* Quae quum sola locum in libris nostris inuenerit: de ea sola hic agendum videtur.

* Dos vel DABATVR, si obsignata apud auspices deponebatur: SVET. *Claud. cap. 26.* vel PROMITTEBATVR, respondendo ad stipulationem: PLAVT. *Trinum. act. V. scen. 2. vers. 34. sequ.* vel DICEBATVR verbis sollemnibus, sed a stipulatione diuersis, qualia fortassis illa apud TERENT. *Andr. act. V. scen. 4. vers. 47.* ——— *Dos, Pamphile, est Talenta quindecim. PA. Accipio.* Conf. *Antiqu. nostr. Rom. Lib. II. tit. 7. §. 4. sequ.*

§. DCCCXXVIIII.

Stipulatio quid? STIPVLATIO est *contractus vnilateralis, quo quis ad alterius interrogationem congrue et in continenti respondendo ad dandum aliquid vel faciendum, quod alterius interest, obligatur.* Quum enim nuda rei futurae promissio iure Romano actionem non produceret: (§. 774.) inuenta est stipulatio, qua, qui rem in futurum promittit, obligaretur. *pr. Inst. h. t. L. 27. C. de pact.*

§. DCCCXXX.

§. DCCCXXX.

Ea vel certa, vel incerta.

Quum vero vel *certum* quid promitti possit, veluti species vel quantitas: vel *incertum*, veluti genus vel factum: ipsa quoque stipulatio vel CERTA vel INCERTA est. L. 74. *D. de verb. oblig. pr. Inst. eod.*

§. DCCCXXXI.

Vel pure, vel in diem, vel sub conditione facta.

Quandoquidem etiam vel *pure*, vel *sub conditione*, vel *in diem* promittitur: stipulatio in PVRAM, CONDITIONALEM, et IN DIEM CONCEPTAM recte diuiditur. §. 2. §. 4. *Inst. L.* 73. *pr. D. h. t.*

§. DCCCXXXII.

De earum differentia axiomata.

Vbi notanda axiomata: I. *Si pura stipulatio est*: dies et cedit statim et venit: L. 213. *D. de verb. sign.* II. Vbi conditio possibilis adiecta: dies, pendente conditione, nec cedit, nec venit *. *d. L.* 213. *D. de verb. sign.* III. Conditio vero impossibilis promissionem plane vitiat. (§. 549. *) §. 1. *Inst. de inut. stipulat. L.* 7. *L.* 26. *L.* 27. *pr. L.* 123. *D. h. t.* IIII. Si ex die certo quid promissum, dies cedit, sed non venit, nisi lapso die. §. 2. *Inst. h. t.* §. *penult. Inst. de inutil. stipulat. d. L.* 213. *D. de verb. sign.* V. Si ad diem quid promissum, dies statim cedit et venit, et obligatio perpetuatur, sed lapso die eliditur exceptione. §. 3. *Inst. h. t. L.* 44. §. 1. *D. de oblig. et act.* VI. Dies incertus, si dubium sit, an exstiturus sit, pro conditione habetur. L. 75. *D. de condit. et demonstr.* (§. 632.) VII. Exsistens conditio in contractibus ad principium retrotrahitur. L. 11. §. 1. *D. qui potior. in pign.* Quod secus in legatis. L. 18. *D. de regul. iur.*

* Conditio in praesens vel praeteritum concepta proprie conditio non est, ob definitionem §. 645. Hinc ea obligationem non suspendit, sed adiecta stipulationem vel statim infirmat, vel ea statim committitur, e. c. si dictum: *dabisne, si Titius consul fuit?* si fuit consul, statim valet stipulatio: si non fuit, statim infirmatur. §. 6. *Inst. de verbor. obl.* (§. 545. *)

§. DCCCXXXIII.

Axiomata de stipulatione alia.

Nec minus notanda et sequentia axiomata: VIII. Ad tempus non potest deberi. (§. 832. 5.) §. 3. *Inst. h. t.* VIIII. Stipulatio constat interrogatione et responsione congrua. §. 1. *Inst. h. t.* X. Conditio negatiua, (secus ac in hereditatibus ac legatis, §. 637. *) praestationem suspendit vsque ad mortem promittentis. Vnde si quis ita stipuletur: si in *Capitolium non adscendero, dare spondes?* perinde est, ac si stipulatus esset, cum moreretur, sibi dari. §. 4. *Inst. h. t.* XI. Ex stipulatione etiam spes in heredes transmittitur, quamuis is, cui sub conditione debetur, ante exsistentem conditionem decesserit *. §. 4. *Inst. h. t.* XII. Alium obligare promissione sua nemo potest. §. 3. *Inst. de inutil. stipul.* XIII. Nec potest quisquam alii, quam sibi, stipulari, §. 4. *Inst. eod.* nisi sua intersit, alteri dari, fieri. (§. 829.) §. 19. *Inst. eod.*

* Aliud in hereditatibus et legatis sub conditione relictis, quae non transmittuntur, si heres vel legatarius ante exsistentem conditionem decessit. §. 510. 6.) *L. vn.* §. 7. *C. de cad. toll.*

§. DCCCXXXIIII.

§. DCCCXXXIIII.

Actio ex stipulatu certi et incerti. Ex stipulatione, tamquam contractu *μονοπλεύρῳ*, (§. 829.) vna nascitur actio, (§. 782.) illi cognominis EX STIPVLATV, L. 83. §. 6. *D. de verb. oblig.* quamuis illa, si certum petitur, *actio* CERTI; sin incertum, *actio* INCERTI EX STIPVLATV vocetur. *pr. Inst. h. t.* (§. 830.)

§. DCCCXXXV.

Qualis? Vtraque datur stipulanti aduersus promittentem eiusue heredem ad dandum faciendumue, quod promisit.

§. DCCCXXXVI.

An qui factum promisit, liberetur praestando id, quod interest? Quamuis enim vulgo tradant, promissorem *facti* obligatione liberari praestando id, quod interest: id tamen non adparet ex L. 72. *pr.* L. 75. §. *fin.* L. 81. L. 112. §. 1. *D. de verb. oblig.* L. 13. §. *fin.* *D. de re iud.* L. 71. §. 2. *D. de condit. et demonstr.* Potest quidem conueniri is, qui factum promisit, idque si intra tempus idoneum haud praestitit, ad id, quod interest; sed quod cogi non possit ad factum praestandum, aut quod liberetur offerendo id, quod interest, in nullo illorum textuum legitur. CVIAC. *ad L. 72. D. h. t.* CORAS. *Miscell. Lib. II. cap.* 3. VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* §. 5. THOMAS. *Diss.* singulari, *an, qui factum promisit, liberetur praestando, id quod interest?*

§. DCCCXXXVII.

Poena conuentionalis addita? Vnde quod Iustinianus ait, vtile esse, stipulationibus facti poenam conuentionalem adiicere: §. *vlt. Inst. h. t.* non ideo fit, quod qui factum promisit, ad illud praestandum abscisse non teneatur: sed quod facta plerumque sunt incertae aestimationis, adeoque difficilior probatio, si facto non praestito ad id, quod interest, agere stipulator decreuerit.

§. DCCCXXXVIII.

Vsus hodiernus. Ceterum quamuis sollemnia verba sustulerit Leo Imp. L. 10. *C. de contr. stipul.* §. 1. *Inst. h. t.* non tamen sustulit interrogationem et responsionem congruam, adeoque nec differentiam pactionum et stipulationum. Sed Germanicae originis gentes vti hisce formulis numquam vsae sunt: ita hodienum inter pacta et stipulationes nihil statuunt discriminis: sed ex vtrisque concedunt actionem, siue intercesserit interrogatio et responsio, siue non fuerit adhibita. (§. 777.*) [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 12.]

TIT. XVII.

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI ET PROMITTENDI.

§. DCCCXXXVIIII.

Non solum vnus, sed plures quoque aliquando sibi quid vel stipulantur, vel promittunt, et tunc ordinarie valet regula: *si duo pluresue promittunt, vel duobus pluribusue promittitur: singuli pro parte et obligantur, et ius ex ea stipulatione adquirunt*. *L.* 11. §. 1. 2. *D. h. t.* Inter duos promittentes et stipulantes obligatio ordinarie diuisa.

§. DCCCXXXX.

Sed haec regula non caret exceptione. Quod si enim, qui promittunt, sunt REI PROMITTENDI, obligatio inter eos non est diuisa, sed singuli in solidum tenentur. Contra, si, qui sibi stipulati sunt, sunt REI STIPVLANDI, singulis solidum debetur. §. 1. *Inst. L.* 2. *L.* 3. §. 1. *D. h. t.* Nisi sint correi.

§. DCCCXXXXI.

REI alias *speciatim* dicuntur ii, vnde petitur: *generatim* ii, *quorum de re disceptatur*. CIC. *de orat. Lib. II. cap.* 43. *et* 79. FEST. voce *reus*. Vnde et actor et reus communi vocabulo REI dicuntur POMPONIO L. 5. *pr. v. conuentionales D. de verb. oblig.* adeoque et ICtis rario fuit, hoc vocabulo et promittentes et stipulantes adpellandi. Quinam rei dicantur?

§. DCCCXXXXII.

REI ergo PROMITTENDI sunt, qui alteri, vna oratione omnes interroganti, congrue respondent, seque singulos in solidum idem daturos facturosque spondent. *pr. Inst. L.* 1. *L.* 2. *L.* 3. §. 1. *L.* 4. *D. h. t.* E. g. apud PLAVT. in *Trinum. act. V. scen.* 2. *vers.* 39. Lysiteles interrogat: Quinam rei promittendi?

Istac lege, (cum ista dote,) filiam tuam
sponden' mihi vxorem dari?

Respondet Callicles: *spondeo*: et Charmides addit: *et ego spondeo idem hoc*. Callicles ergo et Charmides erant duo rei promittendi saltim ratione dotis.

§. DCCCXXXXIII.

REI STIPVLANDI sunt, quibus separatim sibi eamdem rem in solidum Qui rei stipulandi?

lidum stipulantibus debitor eam se daturum facturumque spondet, §. 1. *Inst. L. 1. D. h. t.* v. c. si Titius interrogaret: *spondesne mihi dare mille Philippum?* et Maeuius: *spondesne mihi dare item mille Philippum?* et Sempronius responderet: *vtrique vestrum dare spondeo:* Titius et Maeuius essent duo rei stipulandi. *pr. Inst. h. t.*

§. DCCCXXXXIIII.

Quomodo hodie fiant correi?

Hodie sine interrogationis et responsionis sollemnitate (§. 838.) correi promittendi fiunt, qui eidem eamdem rem in solidum promittunt: *rei stipulandi* quibus idem in solidum promittitur; v. c. verbis: *tezamen en eltz veor' t geheel.*, vel Germanice: *alle vor einen, vnd einer vor alle.* vel: *allen vor einen, vnd einen vor alle.* VLR. HVBER. *Prael. ad Dig. h. t.*

§. DCCCXXXXV.

Obligatio reorum promittendi.

Quum itaque rei promittendi in solidum teneantur: (§. 840.) consequens est, (1. vt singuli possint conueniri in solidum. §. 1. *Inst. L. 3. §. 1. D. h. t.* (2. Vt vnus reorum creditori quocumque modo satisfaciendo obligationem perimat. L. 2. L. 3. §. 1. *D. h. t. L. 20. D. ad SC. Vellei. L. 16. pr. D. de acceptilat.* (3. Vt non gaudeant beneficio diuisionis, ne quidem iure nouissimo, nisi eo casu, si correi sint ἀλληλεγγύως ὑπεύθυνοι, id est, *si reciproca fideiussione sint obligati* *. *Nov. LXXXXVIIII. cap. 1.*

* Ergo hac nouella tantum derogatur *legi 11. pr. D. h. t.* vbi PAPINIANVS beneficium diuisionis negat competere *correis promittendi*, *vice mutua fideiussoribus*. Sed doctores more suo hanc Nouellam ad omnes correos promittendi produxerunt. Et ita fere in foro hic error triumphat, ob *Auth. Hoc ita. C. h. t.* quamuis ab auctoritate sua diuersissimam.

§. DCCCXXXXVI.

Ius reorum stipulandi.

Quumque contra reis stipulandi singulis solidum debeatur: (§. 840.) sequitur, (4. vt singuli possint exigere solidum. (5. Vt, si vni quocumque modo satisfactum sit, reliquorum ius exigendi perimatur. *L. 2. D. h. t. L. 31. §. 1. D. de nouat.*

§. DCCCXXXXVII.

An correis inuicem competat actio.

Quum denique hoc negotium inter stipulantem et promittentem, non inter ipsos correos geratur, et obligatio personas non egrediatur: (§. 768.) inferendum est, (6. vnum reorum promittendi, soluentem, actionem non habere aduersus correum, *L. 36. D. de fideiuss.* nisi vel in communione sint, vel soluens iura a creditore cessa acceperit *. (7. Correum stipulandi, cui solutum, non cogi cum correo partem communicare, nisi vel socii sint, vel ita inter illos conuenerit. *L. 62. pr. D. ad leg. Falc.*

* Sed facile tamen patet, reo soluenti etiam non socio, nec iure cesso vtenti hodie competere actionem negotiorum gestorum contrariam vtilem. Dum enim pro correo soluit, cumque liberauit, negotia eius gessit vtiliter, adeoque petere potest indemnitatem. Et ita etiam accipi potest. *L. 2. C. h. t.*

TIT.

T I T. XVIII.

DE STIPVLATIONE SERVORVM.

§. DCCCXXXXVIII.

Seruus an et quando stipuletur?

SEruus nec persona est, (§. 77.) nec sibi quidquam adquirit, sed domino. (§. 470.) Ergo et stipulatione sibi nihil; domino omnia adquirit, quia non nisi ex persona domini stipulandi ius habet. *pr. Inst. h. t. L. 1. pr. D. de stipulat. seruor.*

§. DCCCXXXXVIIII.

Stipulando adquirit domino.

Ex quo sequitur, (1. vt domino adquirat stipulando: siue sibi, siue domino, siue conseruo, siue impersonaliter stipuletur. §. 1. *Inst. L. 1. pr. L. 15. D. h. t.* (2. Vt seruus communis vnicuique domino stipulando adquirat pro rata portione dominii, nisi vnius iussu, aut vni nominatim, stipulatus sit. §. 3. *Inst. L. 5. L. 7. D. h. t. L. vlt. C. per quas pers. cuiqu. adquir.* (3. Vt seruus hereditarius hereditati, quae ante aditionem personam defuncti sustinet. (§. 329.) stipulando adquirat. *princ. Inst. h. t. L. 35. D. h. t.*

§. DCCCL.

Nisi stipuletur factum.

Quum vero de adquaestu id intelligendum sit: (§. 848.) inferunt veteres, (4. si factum stipulatus sit seruus, v. c. *vt sibi ire, agere liceat*, domino id facere haud licere §. 2. *Inst. h. t. L. 38. §. 6. D. de verb. oblig.*

§. DCCCLI.

Vsus hodiernus.

Hodie, quum et rarior sit seruitus, et homines proprii vel adscriptitii, qui supersunt, dominis non omnia adquirant: (§. 85.) totus hic titulus vere nullius vsus est.

T I T. XVIIII.

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.

§. DCCCLII.

Stipulationum diuisio noua.

A Personis, quae vel stipulari iubent vel stipulantur, stipulationes diuiduntur in PRAETORIAS, IVDICIALES, COMMVNES, et CONVENTIONALES, *pr. Inst. h. t.* de quibus paucis dicendum.

§. DCCCLIII.

Praetoriae quaenam? PRAETORIAE sunt, stipulationes vel cautiones, *quae a mero praetoris officio proficiscuntur*: quo et *aedilitiae* referuntur. §. 2. *Inst. h. t.* IVDICIALES, *quae a mero iudicis officio;* COMMVNES, quae ab vtriusque, * §. 2. §. 4. *Inst. h. t.* CONVENTIONALES, *quae ex conuentione vtriusque partis concipiuntur*. §. 3. *Inst. eod.*

* Distinctum enim Romae erat praetoris et iudicis officium. Praetor magistratus erat: iudex priuatus. Ille *ius dicere*, hic *iudicare* dicebatur: Ille pro tribunali, hic de plano vel ex subsellio, vnde et pedaneus dicebatur: ille denique de iure cognoscebat, et hunc actionem, exceptionem, replicationem cet. audiebat, contestataque lite dabat iudicem: hic de facto cognoscebat, et ex formula a praetore praescripta ferebat sententiam. GER. NOODT, *de iurisdict. Lib. I. cap. 6. 7.* Si praetor, non dato iudice, ipse tota caussae praeerat, *extra ordinem* iudicare dicebatur.

§. DCCCLIIII.

Cautio damni infecti. PRAETORIA c. c. erat CAVTIO DAMNI INFECTI, qua praetor rei vitiosae, veluti aedium ruinosarum, dominum, vel eum, qui domini loco habebatur, iubebat vel promittere vel satisdare vicino, cui damnum imminebat, se resarciturum damnum, si intra certum diem contigerit. L. 13. *pr.* §. *sequ. D. de damn. inf.* Nolentem satisdare missione in bona ex primo, ac deinde ex secundo decreto, coërcebat. L. 15. §. 16. 20. *D. de damn. inf. L. 3. §. vlt. D. de adquir. possess.*

§. DCCCLV.

Legatorum nomine. Eiusdem generis est CAVTIO LEGATORVM SERVANDORVM CAVSSA, qua heres legatariusue legatum post tempus vel conditionis euentum debens, a praetore iubetur cauere, se sine omni dolo malo legatum praestiturum, quum dies venerit. L. 1. *D. vt legat. seru. causs.*

§. DCCCLVI.

Iudiciales, cautio de dolo. IVDICIALIS est CAVTIO DE DOLO, qua is, qui ad rem restituendam condemnatus est a iudice, iubetur cauere, se rem cum omni caussa sine fraude restituturum. L. 21. L. 45. *D. de rei vind. L. 9. §. 5. 7. D. quod met. causs.*

§. DCCCLVII.

De persequendo fugitiuo. Ita et a iudicis officio proficiscitur CAVTIO DE PERSEQVENDO SERVO, QVI IN FVGA EST, ab eo exigi solita, qui hominem per vim extorsit, si eum postea fuga abstulerit. L. 14. §. 11. *D. quod met. causs.*

§. DCCCLVIII.

De pretio restituendo. Eiusdem naturae est CAVTIO DE PRETIO RESTITVENDO, si res promissa praestari ab vno coheredum in solidum iubeatur, vt reliqui coheredes eum indemnem praestent. L. 25. §. 10. *D. fam. ercisc.*

§. DCCCLVIIII.

§. DCCCLVIIII.

COMMVNES sunt cautiones REM PVPILLI SALVAM FORE, (de qua supra §. 280. *sequ.*) et CAVTIO DE RATO, quam praestare iubetur procurator, cuius de mandato dubitatur. L. 1. C. *de procurat.* Communes, rem pupillo saluam fore, et de rato.

§. DCCCLX.

Conuentionalium tot fere sunt species, quot rerum contrahendarum. §. 3. *Inst. h. t.* Nullus enim fere erat contractus, cui non subiiceretur stipulatio. SENEC. *de benef. Lib. III. cap.* 16. *L.* 71. *D. pro soc. L.* 88. *D. de solut.* CVIAC. *ad L.* 17. *D. de verb. oblig.* Conuentionales.

§. DCCCLXI.

Hodie cautiones *praetoriae*, *iudiciales*, et *communes* non amplius differunt, quia nec officia praetoris et iudicis differunt. Nec absolute amplius cauendum stipulationibus, sed sufficit nuda repromissio, verbis vel chirographo facta. Cautiones damni infecti et de seruo persequendo, immo et de dolo malo et restituendo pretio ob exsequutionem promtam, hodie vix vsu frequentantur. Vsus hodiernus.

TIT. XX.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.

§. DCCCLXII.

STipulationes aliquando, vel ratione PERSONARVM CONTRAHENTIVM, vel ratione RERVM, quae in stipulationem deducuntur, vel ratione FORMAE stipulationis, inutiles habentur. Stipulationes quot modis inutiles?

§. DCCCLXIII.

Quum enim, quod ad PERSONAS CONTRAHENTES attinet, stipulatio sit contractus, contractus conuentio, conuentio duorum vel plurium in idem placitum consensus: (§. 773.) sequitur vt inutiles sint (1. stipulationes infantium, (2. furiosorum et mente captorum, (3. surdorum et mutorum. §. 6. 7. 8. 9. 10. *Inst. h. t.* (4. Vt prodigi et infantia maiores pupilli possint quidem sibi stipulari, sed non aliis spondere, vel se obligare*, nisi auctore tutore. (251.) §. 9. *Inst. h. t. L.* 6. *D. de verb. oblig.* Ratione personarum inhabilium.

* Obligatur quidem pupillus naturaliter, L. 21. *D. ad leg. Falc. L.* 1. *D. de nouat.* sed quia haec obligatio naturalis effectu caret, et legibus ciuilibus infirmatur: adeo aliquando ne naturaliter quidem obligari dicitur. L. 41. *D. de condict. indeb. L.* 59. *D. de oblig. et act.* Non esse enim, et omni effectu destitui, in iure habentur synonyma. Ciuiliter ergo numquam obligatur pupillus, L. 43. *D. de oblig. et act.* nisi cum obligatio ex re venit,

 L. 46.

L. 46. D. eod. veluti ex maleficio; *pr. Inst. de oblig. ex del.* item ex contractu et quasi contractu tunc quando pupillus factus est locupletior. *L. 14. D. de condict. ind.* Minor, cuius non persona, sed res, curatori primario subest, ciuiliter obligatur, *L. 101. D. de verb. oblig. L. 44. D. de oblig. et act.* sed saluum ipsi est restitutionis in integrum beneficium: quamuis in foro hodie non nisi naturalis obligatio nasci dicatur ex contractibus minorum. Plenissime hanc caussam perorauit VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* §. 2. *seq.*

§. DCCCLXIIII.

Ob vnitatem personarum. Ex eodem principio, quod stipulatio sit consensus duorum vel plurium: (§ 773.) sequitur, (5. vt non subsistat stipulatio inter patrem et filium, quippe qui pro vna persona habentur: (§. 139. 6. 8.) §. 6. *Inst. h. t.* nec, (6. ob eamdem caussam, inter dominum et seruum. (§ 77.) *d.* §. 6. *Inst. h. t.*

§. DCCCLXV.

Alter alteri stipulari non potest. Quia porro alteri stipulari nemo potest, nisi stipulantis ipsius intersit: (§. 833. 13.) (7. ne pater quidem potest stipulari filio, §. 4. *Inst. h. t.* nisi heredi. L. 17. §. 4. *D. de pact. L. 33. D. eod.* (8. Et hinc, si quis sibi et amico stipulatus sit, pro parte tantum stipulantis valet obligatio. *d.* 2. 4. *Inst. eod.* (9. Contra si quis sibi aut amico dari stipulatus est, is totam obligationem sibi adquirit, quamuis amico, inuito etiam stipulatore, recte solui possit. §. 4. *Inst. h. t. L. 31. pr. L. 57.* §. 1. *D. de solut.* Et hoc iure etiamnum vtimur.

§. DCCCLXVI.

Nisi intersit stipulantis. Ex eodem principio sequitur, (10. vt tutor possit stipulari a contutoribus, rem pupillo saluam fore, aliaeque stipulationes similes valeant, dum stipulantis intersit. §. 19. *Inst. h. t.*

§. DCCCLXVII.

Ratione materiae, vel obiecti. Ratione MATERIAE quoque variae stipulationes sunt inutiles. (§. 867.) Quum enim stipulatione obligetur alter ad dandum aliquid vel faciendum: (§. 829.) in stipulationem sane deduci nequeunt (11. res, quae non sunt in commercio. §. 2. *Inst. h. t.* (12. Res, quae nec exsistunt, nec exsistere possunt. §. 1. *Inst. h. t.* Nam si non exsistant, sed exsistere possint, omnino valet stipulatio, veluti si quis sibi stipuletur fructus futuros. L. 73. *D. de verb. obl.* (13. Res nostrae, §. 2. *Inst. h. t.* vel (14. alienae in casum, si nostrae futurae sint. §. 22. *Inst. h. t.* (15. Res turpes, quae per leges praestari nequeunt. §. 24. *Inst. h. t. L. 26. D. de verb. oblig. L. 7.* §. 3. *D. de pact.*

§. DCCCLXVIII.

Pro alio promittere non possumus. Quia vero et alium promissione nostra obligare haud possumus (§. 833. 12.) frustra (16. promittitur alium daturum vel facturum §. 3. *Inst. h. t.* Quod si tamen quis dicat, se effecturum, vt alter det vel faciat, vel poena in eum casum, si alter non dederit, vel fecerit, spondeat, vel indemnitatem promittat: vtilis erit promissio, quia non alium,

alium, sed se hac stipulatione obstrinxit *l*.38. §.21. *D. de verb. oblig.*

§. DCCCLXVIIII.

Ratione FORMAE quoque haud paucae stipulationes sunt inutiles: (§. 862.) veluti, (17. si promissor et stipulator non de eadem re sentiant. (§. 773.) §.23. *Inst. h. t.* (18. Si non in nomine, sed persona alterius erretur, veluti si Titio promissurus, Caio promittat. *Arg. L.* 8. *pr. D. de hered. instit.* (19. Si conditio adiecta sit impossibilis, (§. 832. 3.) §. 11. *Inst. h. t. L.* 16. *D. de oblig. et act.* itemque, (20. si stipulatio sit perplexa; *arg. L.* 16. *D. de cond. inst.* non si sit praepostera *. §. 13. *Inst. h. t. L.* 64. *D. de verb. oblig.* (21. Si caussa debendi desit. L. 2. §. 3. *D. de dol. et met. exc.* Ratione formae internae.

* *Perplexae* vocantur stipulationes, quae ita concipiuntur, vt exitum habere nequeant, e. g. *si Titio totum dederis fundum Tusculanum, an eumdem Maeuio dare spondes?* Et haec perplexitas heredis etiam institutionem vitiat. (§. 540. 5.) *Praepostere* contra sunt, vbi promittitur in praesens, et tamen dies futurus vel conditio adiicitur, e. g. *si nauis cras ex Asia redierit, an hodie dare spondes?* Hic enim obligatur promissor, §. 14. *Inst. h. t.* idemque in vltimis voluntatibus obtinet. *L.* 25. *C. de testam.* (§. 540. 5.)

§. DCCCLXX.

Quum externa forma stipulationis in interrogatione et responsione consistat: (§. 833. 2.) consequens est, (22. vt inutilis sit stipulatio, si aliud responsum, ac rogatum, e. g. si pure rogatus, sub conditione spondeat. §. 5. *Inst. h. t.* Hinc quum Lysiteles apud PLAVT. in *Trinum. act. V. scen.* 2. *v.* 34. interrogaret: Externae.

—— *Sponden' ergo tuam gnatam vxorem mihi?*

Et Charmides responderet: *spondeo, et mille auri Philippum dotis:* inutilis erat stipulatio, et hinc ille paullo post de nouo stipulabatur. (23. Vt tamen valeat stipulatio, si diuiduae sint res, quae in stipulationem deductae §. 18. *Inst. h. t. L.* 1. §. 4. *L.* 83. §. 3. *D. de verb. oblig.*

§. DCCCLXXVI.

Ex eodem principio sequitur, (24. vt absentes inutiliter stipulentur §. 12. *Inst. h. t.* (25. Vt stipulatio non fiat per epistolam, nuncium, litteras. Si tamen scriptum sit, omnia facta sollemniter, pro scriptura militat praesumtio et veritatis, et sollemnitatis. §. 12. *et* 17. *Inst. h. t. L.* 14. *C. de contrah. vel committ. stipulat.* Inter absentes stipulationi locus non est.

TIT.

TIT. XXI.

DE FIDEIVSSORIBVS.

§. DCCCLXXII.

Connexio. QVum per stipulationem etiam fideiussio fieret §. 1. *Inst. de verb. obligat.* doctrinae de stipulatione subiicitur tractatio de fideiussione, quae graue, et vere virile ac ciuile habebatur negotium. L. 1. §. 1. L. 2. §. 1. *D. ad. SC. Velleian.*

§. DCCCLXXIII.

Quid fideiussor? FIDEIVSSOR est, qui alienae obligationi mediante stipulatione et sine nouatione accedit. Qui enim non per stipulationem, sed pacto interueniente, alterius obligationi accedit, non FIDEIVBET, sed CONSTITVIT. L. 1. §. 4. L. 11. §. 1. *D. de constit. pecun.* Qui obligationem principalem antecedit, MANDAT. L. 12. §. 14. *D. mand.* Qui alterius obligationem nouando in se suscipit, adeoque, liberato priore reo, se ipso obligat, is EXPROMITTIT. *L. vlt. D. ad SC. Maced.* §. 3. *Inst. quib. mod. toll. obl.* (§. 1015.)

§. DCCCLXXIIII.

Axiomata de fideiussione. Hinc fluunt axiomata: I. Fideiussio est stipulatio. L. 12. *C. de fideiuss.* II. Fideiussio est negotium virile et ciuile. (§. 872.) III. Fideiussio est contractus accessorius L. 3. *D. de fideiuss.* IIII. Fideiussor olim, vt correus, hodie, si beneficio ordinis vtitur, in subsidium obligatur *.

* Olim tenebatur, vt correus, adeo, vt creditor et omisso debitore principali statim conuenire fideiussorem posset. L. 5. *C. de fideiuss.* L. 4. §. 1. *D. de fideiuss.* L. 20. *D. de condict. indeb.* Hodie quidem idem licet creditori, si fideiussor omittit beneficium lege sibi concessum: alioquin fideiussor, iure suo vsurus, tenetur tantum in subsidium, et actor exceptione excluditur

§. DCCCLXXV.

Qui fideiubere possint? Quum ergo fideiussio sit stipulatio (§. 874. 1.) sequitur, (1. vt qui spondendo obligare se non possunt, nec possint fideiubere, vt furiosi, mente capti §. 8. *Inst. de inut. stipulat.* infantes, et infantiae proximi, §. 9. *Inst. eod.* surdi et muti, §. 7. *Inst. eod.* prodigi. L. 6. *D. de verb. oblig.* pupilli et minores sine tutorum auctoritate vel curatorum consensu. §. 9. *Inst. eod. pr. Inst. de auct. tut.* (§. 863.)

§. DCCCLXXVI.

Qui non possint? Quumque sit virile ac ciuile negotium: (§. 874. 2.) consequens est, (2. vt feminae nec pro extraneis, propter SC. Velleianum, nec

nec pro viris ſuis intercedant, propter *Nou. CXXXIIII. cap. 8. Auth. ſi qua mulier. C. ad SC. Velleian.* (3. Vt nec pro aliis iure intercedant milites. *L. 8. §. 1. D. qui ſatisdar. cog.* (4. Nec pro laicis clerici *Nou. CXXIII. cap. 6.* Quo iure tamen nos vix vtimur, vtuntur tamen iis locis, vbi iuri canonico plus pretii ſtatuitur, ob *cap. 1. et penult. X. de fideiuſſ.*

§. DCCCLXXVII.

Quibus in negotiis fideiuſſioni locus ſit?

Quandoquidem porro fideiuſſio eſt contractus acceſſorius, (§. 874. 3.) (1 accedere ſane poteſt omnibus obligationibus ex contractu quolibet: * §. 1. *Inſt.* L. 1. L. 8. §. 1. L. 16. §. 3. *D. h. t.* immo et obligationibus naturalibus, effectu non plane deſtitutis, L. 6. §. 2. L. 7. L. 16. §. 3. *D. eod.* L. 6. *D. de verb. oblig.* nec non obligationibus ex delicto, ſi pecuniaria poena, non, ſi corporalis immineat. L. 8. §. 5. L. 56. §. *vlt.* L. 70. §. *vlt. D. h. t.* iunct. L. 26. *D. et* L. 12 *C. de poen.*

* Singulare tamen eſt, quod maritus de dote reſtituenda ne ſi velit quidem, fideiuſſores dare queat, adeoque nec fideiuſſor eam in rem datus obligetur. *L. 2. C. ne fideiuſſ. dot. dent.* Pignora tamen dotis nomine a marito recte accipiuntur. *L. 7. §. 6. D. de donat. int. vir. et vxor.*

§. DCCCLXXVIII.

An in duriorem cauſſam obligari poſſit fideiuſſor?

Ex eodem vero axiomate fluit, (2. poſſe quidem fideiuſſorem magis ſe obligare, quam debitorem principalem, ſed non in maius, vel in duriorem cauſſam, §. 5. *Inſt. h. t.* multo minus in aliam rem. L. 43. *D. eod.* (3. Exſtincta obligatione principali, et confuſione ſequuta, fideiuſſoris obligationem extingui. *pr. Inſt. quib. mod. toll. oblig.* L. 93. §. 2. 3. *D. de ſolut.*

§. DCCCLXXVIIII.

Obligatio ex fideiuſſione

Denique quum fideiuſſor in ſubſidium teneatur: (§. 874. 4.) ſequitur, (1. vt reo principali non ſoluente, fideiuſſor eiuſue heredes obligentur. L. 16. *vlt. D. h. t.* (2. Vt plures fideiuſſores teneantur in ſolidum. §. 4. *Inſt.* L. 3. *C. h. t.* (3. Vt aduerſus fideiuſſores, reo non ſoluente, detur actio ex ſtipulatu. (4. Vt, ſi quis ad certum tempus cum proteſtatione fideiuſſerit, lapſu temporis liberetur per exceptionem pacti vel doli. L. 44. §. 1. *D. de oblig. et act.* (5. Vt, ſi creditor in mora fuerit excutiendi debitorem, cum adhuc ſoluendo eſſet, fideiuſſio ſimiliter exſtinguatur. * *Arg.* L. 41. *pr. D. h. t.*

* Conſultius tamen eſt, creditorem moras neſtentem prouocare ex *L. ſi contendant.* 28. *D. de fideiuſſ.* vt vel contra debitorem inſtituat actionem, vel contra fideiuſſorem agat, et ſibi opponi audiat exceptionem ordinis. Ea enim ſemel oppoſita liberat fideiuſſorem, ſi vel maxime poſtea reus principalis non ſoluendo fiat.

§. DCCCLXXX.

Beneficia fideiuſſorum.

Ex eodem principio fluxiſſe videntur illa beneficia, fideiuſſoribus con-

concessa, DIVISIONIS, ORDINIS, et CEDENDARVM ACTIONVM.

§. DCCCLXXXI.

Diuisionis. Beneficium DIVISIONIS, epistola diui Hadriani concessum, id indulget fideiussori, vt in solidum conuentus possit exceptione opposita impetrare, vt obligatio inter confideiussores diuidatur, et creditorem a singulis, dum soluendo sint, partes petere oporteat. §. 4. *Inst. L.* 26. L. 51. §. 1. *D. h. t.*

§. DCCCLXXXII.

Eius natura. Itaque (1. non ipso iure diuiditur obligatio, (§. 879. 2,) sed ope exceptionis, L. 26. *D. h. t.* adeoque (2 eam exceptionem omittens, et solidum soluere tenetur, nec a confideiussore partem repetere potest, §. 4. *Inst. L.* 26. *L.* 39. *D. h. t.* nisi ex iure a creditore cesso. L. 39. *D. L.* 11. *C. h. t.* Nec (3 locum habet hoc beneficium, si confideiussores non sint soluendo: L. 10. §. 1. *C. h. t.* vel (4 si conueniri commode nequeant: quemadmodum nec, (5 si illi renunciatum, fideiussori prodest. L. *penult. C. de pact.*

§. DCCCLXXXIII.

Ordinis. BENEFICIUM ORDINIS, a Iustiniano inuentum, fideiussori a creditore conuento indulget, vt exceptione hac opposita, non teneatur soluere, priusquam excussus sit reus principalis. *Nou. IIII. cap.* 1.

§. DCCCLXXXIIII.

Eius natura. Vnde et hoc beneficium non prodest, (1. si reus principalis manifesto soluendo non sit, vel (2 si is latitet et conueniri nequeat, *Auth. praesente C. h. t. Nou. IIII. cap.* 1. vel (3 si isti beneficio renunciatum. *d. L. penult. C. de pact.*

§. DCCCLXXXV.

Cedendarum actionum. Beneficium CEDENDARVM ACTIONVM fideiussori vni, in solidum soluturo, indulget, vt, antequam soluat, * creditor ei actiones aduersus confideiussores cedere teneatur, quibus, quod vltra ratam soluit, a confideiussoribus repetere possit. L. 17. L. 36. L. 39. *D. L.* 2. *L.* 11. *L.* 14. *C. h. t.*

* Cessio iure stricto fieri debet, antequam soluatur. Solutione enim obligatio, adeoque et actio exstinguitur, ac proinde dedi nequit. *L.* 67. *D. de solut. L.* 2. *C. de contrar. tut. iud.* Si tamen solutio facta ea conditione, vt actiones cedantur, potest cessio et post solutionem fieri: *L.* 76. *D. de solut.* id quod praesumendum esse, putat PAVLLVS *L.* 36. *D. h. t.*

§. DCCCLXXXVI.

Eius natura. Cessis his actionibus fideiussori opus est ordinarie non aduersus reum principalem, (contra quem ipsi regressus datur vel per *actionem mandati*, si pro sciente; vel per *actionem negotiorum gestorum*, si pro ignorante fideiussit *, §. 6. *Inst. h. t. L.* 4. *pr. D. h. t.*) sed contra con-

confideiussores, quos nullo facto obligatos habet, quum omne negotium inter creditorem et fideiussores, non inter ipsos confideiussores intercesserit. L. 39. *D. h. t.*

* Actiones tamen cessas aliquando et contra reum principalem vel *necessario*, vel *vtiliter* instituit. *Necessario*, si pro inuito et prohibente fideiussit, et soluere coactus est, quia sic non datur ius agendi ad indemnitatem contra eum, qui nullo facto alteri obligatus est. L. 40. *D. L. vlt. C. de neg. gest. Vtiliter*, si creditoris actio sit pinguior, v. c. hypothecaria. L. 13. *D. h. t.*

T I T. XXII.

DE LITTERARVM OBLIGATIONIBVS.

§. DCCCLXXXVII.

Sequuntur LITTERARVM OBLIGATIONES. (§. 780.) Quemadmodum vero contractus *reales* REI traditione; *verbales* VERBORVM solemnitate; CONSENSVALES solo contrahentium CONSENSV: ita *litteralis* LITTERIS perficitur, et capit substantiam*. Litterarum obligatio vnde dicta?

* Chirographa et syngraphae omnibus contractibus, illa *μονοπλεύροις*, hae *διπλεύροις* accedere solent, sed tantum probationis caussa. L. 4. *D. de pign. L. 4. D. de fid. instrum.* Ergo hic ex scriptura non nascitur obligatio et actio, sed probatio tantum inde desumitur, quod aliud negotium, ex quo obligatio et actio nascitur, inter actorem et reum intercesserit. Hic vero de singulari chirographo agitur, ex quo non solum probatio peti, sed et obligatio nasci possit, vnde et *obligatio litterarum* vocatur.

§. DCCCLXXXVIII.

Est ergo LITTERARVM OBLIGATIO contractus, quo quis, qui chirographo se ex mutuo debere confessus est, idque intra biennium non retractauit, ex his ipsis litteris obligatur, et conueniri potest, quamuis pecuniam non acceperit. §. *vn. Inst. h. t.* Quid sit?

§. DCCCLXXXVIIII.

Notanda ergo axiomata: I. Fundamentum huius obligationis sunt solae litterae, intra biennium non retractatae. II. Ea locum habet, si quis, se ex caussa mutui pecuniam debere, fateatur. III. Ex his litteris, elapso biennio, debitor obligatur, etiamsi pecuniam non acceperit. Axiomata de hoc contractu.

§. DCCCLXXXX.

Ex primo axiomate sequitur, (1. vt ex chirographo actio efficax ante biennium haud nascatur, quamuis creditori, etiam ante biennium, non negetur condictio certi ex mutuo. (2. Vt si ante biennium Conclusiones ex axiomate primo.

nium agatur ex chirographo, in promtu reo sit exceptio NON NVMERATAE PECVNIAE, L. 5. L. 8. L. 14. *pr. C. de non num. pec.* quae tunc id singulare habet, quod onus probationis deuoluat in actorem. L. 3. L. 10. *C. eod.* * (3. Vt, si ex chirographo suo actionem nasci nolit debitor, illud intra biennium vel conditione sine caussa repetere, L. 7. *C. eod.* vel protestatione querelaue coram magistratu interposita, testari possit, se pecuniam haud accepisse. L. 8. L. 9. L. 14. §. 4. *C. eod.* Tunc enim haec exceptio non numeratae pecuniae fit perpetua.

* Sunt tamen quaedam huius regulae exceptiones. Non enim reo prodest haec exceptio, I. si post interuallum, vel in separato instrumento fassus sit, sibi pecuniam esse numeratam. *L. penult. C. de pact. L. 4. L. 22. C. ad SC. Vellei.* II. Si vel expresse vel tacite, veluti vsuras soluendo, fidem cautionis agnouerit. *L. 4. C. de non num. pec.* III. Si heres ex confessione defuncti, testamento inserta, conueniatur. *L. 13. C. eod.* IIII. Si ex chirographo agat argentarius. *Nov. CXXXVI. cap. 5.*

§. DCCCLXXXXI.

Ex secundo. Ad quos contractus pertineat litterarum obligatio.

Quumque haec litterarum obligatio tantum locum habeat, si quis se ex caussa mutui debere fateatur: (§. 889. 2.) sequitur, (4. vt ad alios contractus hoc ius non sit proferendum, et nec in deposito, nec in aliis negotiis chirographo ante biennium opponi possit exceptio non numeratae pecuniae, nisi illa euidentissime probetur ab eo, qui illam opponit. L. 5. 6. 8. L. 14. §. 1. *C. de non num. pec.*

§. DCCCLXXXXII.

An et ad apochas?

Multo minus (5. id ius pertinet ad apochas. Ex his enim non obligatio nascitur, sed probatio, pecuniam esse solutam, eaque omni exceptione maior habetur, si sit publica, L. 14. §. 1. *C. de non num. pec.* vel si intra triginta dies non repetita fuerit. L. 14. §. 2. *C. eod.*

§. DCCCLXXXXIII.

An ad dotem cautam non numeratam?

Adeoque (6. frustra etiam ad litterarum obligationem refertur species de apocha a genero data socero, qua sibi dotem numeratam fatetur. Quamuis enim (1. soluto intra biennium matrimonio, per annum; (2. soluto eodem intra decennium, per tres menses exceptioni non numeratae dotis locus sit, quae (3. demum post decennium exspirat: *Auth. quod locum. C. de dot. caut. non num.* non tamen ex eiusmodi confessione vel apocha vlla obligatio ad dandum faciendumue nascitur.

§. DCCCLXXXXIIII.

Obligationis fundamentum, et actio inde nata.

Ergo obligatio nascitur ex chirographo ex caussa mutui dato, biennio antiquiore, etiamsi debitor pecuniam non acceperit. (§. 889. 3.) Ex quo tertio axiomate sequitur, (1. vt EX HOC CHIROGRAPHO possit CONDICTIO institui, §. *vn. Inst. h. t.* quae datur creditori aduersus scribentem eiusue heredem ad soluendum id, quod in chirographo se mutuum accepisse fassus est. (2. Vt incassum reus, elapso hoc biennio,

biennio, opponat exceptionem non numeratae pecuniae, etiamsi onus probandi in se suscipere velit. *d.* §. *vn. h. t. L.* 8. *L.* 14. *pr.* §. 3. *C. de non num. pec.* In foro tamen vulgo exceptionem doli concedunt reo, si non sibi numeratam esse pecuniam, probare velit. H. PISTOR. *Part. IIII. Quaest.* 12. *n.* 13.

T I T. XXIII.

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV.

§. DCCCLXXXXV.

Reliqui sunt ex contractibus veris nominatis, qui CONSENSV ineuntur: (§. 780.) non ita dicti, quod in iis consensus requiritur, (ita enim omnes contractus essent consensuales, (§. 773.) sed quod solo consensu perficiuntur, et nec rem, nec verba, nec litteras ad sui substantiam exigunt. §. *vn. Inst. h. t.* Obligationes ex consensu.

§. DCCCLXXXXVI.

Ex quo sequitur, (1. vt omnes sint bonae fidei, quamuis non omnes contractus bonae fidei sint consensuales. (§. 782. *) (2. Vt et inter absentes, et solo nutu, et tacite recte celebrentur. L. 52. §. *vlt. D. de oblig. et act.* Earum natura.

§. DCCCLXXXXVII.

Eorum quinque sunt, EMPTIO VENDITIO, LOCATIO CONDVCTIO, CONTRACTVS EMPHYTEVTICVS, (cui Zeno imp. secretam a reliquis naturam tribuit, §. 3. *Inst. de loc. et cond.*) SOCIETAS et MANDATVM. Quot sint contractus consensuales?

T I T. XXIIII.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

§. DCCCLXXXXVIII.

EMTIO et VENDITIO est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda. *L. penult.* §. *vlt. D. h. t.* Emtio et venditio quid?

§. DCCCLXXXXVIIII.

Ergo ad substantiam huius contractus pertinent I. CONSENSVS, *pr. Inst.* Eius essentia.

Inst. h. t. II. Res vel merx, de qua consentitur. L. 8. *pr. D. de contrah. empt.* III. Pretium, in quod vterque consentit. L. 72. *pr. D. de contrah. empt.*

§. DCCCC.

Quando perfecta?

Quum itaque consensu hic contractus capiat substantiam: (§. 895. 1.) perfecta erit emtio venditio, simulac de pretio rei conuentum: *pr Inst. h. t. L. 1. §. vlt. L. 2. §. 1. D. eod.* nisi inter contrahentes conuenerit, vt emtio in scripto celebretur *. Tunc enim non nisi omnibus partibus absoluta scriptura, perfectu habetur contractus. *pr. Inst. h. t. L. 17. C. de fid. instr.*

* Nec tamen hoc mutat substantiam contractus, ita, vt iam litterarius esse incipiat. Manet enim emtio venditio contractus consensualis, quia fundamentum obligationis in eo numquam est scriptura, sed semper consensus in idem pretium: consensus vero ille non intelligitur, priusquam syngrapha subscripta sit, quia ab hac subscriptione eius effectum suspenderunt contrahentes. (§. 887. *)

§. DCCCCI.

Quatenus locus poenitentiae?

Ex quo porro consequitur, (2. vt antequam vel consensu vel scriptura perfecta sit emtio venditio, poenitentiae locus sit, si emtor poenitens id, quod arrhae nomine dedit, perdere; venditor autem recessurus duplum eiusdem restituere velit. *pr. Inst. h. t. L. 17. C. de fid. inst.* (3. Vt perfecta emtione venditione poenitentiae nulla sit facultas, etiamsi quis arrharum damnum pati, et vel quod interest, vel duplum pretium venditori praestare paratus sit. L. 3. *et L. 6. C. de resc. vend. L. 5. C. de oblig. et act.*

§. DCCCCII.

An coactio contractum hunc vitiet?

Ex eodem axiomate (§. 900.) infertur, (4. ad emendum vendendumque, nisi vrgente aequitate vel vtilitate publica, (*§. vlt. Inst. de his, qui sui vel al. iur. L. 12. pr. D. de religios. L. 14. §. 1. D. quemadm. seru. amitt.*) neminem cogi posse. L. 11. L. 14. *C. de contrah. emt.* (5. Et emtionem venditionem vi metuque extortam ratam a Praetore non haberi. L. 9. §. 3. *D. quod met. causs. L. 1. C. de resc. vend.*

§. DCCCCIII.

An dolus?

Ex eadem ratione (6. et dolus, qui caussam emtioni venditioni dedit, eam reddit nullam*, L. 7. *pr. D. de dol.* non vero incidens, quippe qui consensum non impediuit, et hinc tantum parit actionem ex emto, ad id quod interest, L. 13. §. 4. 5. *D. de act. emt.* vel exceptionem doli. *L. 9. §. 1. D. de dol.* (§. 896. §. 872. *)

§. DCCCCIIII.

An error?

Denique et (7. error consensui eatenus impedimento est, vt, si in *contractu*, vel in re, seu corpore eiusue materia vniuersa, vel maxima eius parte, vel in persona erratum sit, res inemta et contractus nullus

nullus fit: L. 9. pr. §. 2. L. 41. §. 1. D. de contrah. emt. non si error circa minimam partem materiae nomenue proprium, vel qualitatem rei, vel circa accessiones commissus, vbi tantum actio *quanti minoris* locum habebit. L. 9. §. 1. 2. L. 14. L. 45. D. h. t. L. 13. §. 4. 5. D. de act. emt.

§. DCCCCV.

Quid emi vendique possit?

Accedere oportet REM, de qua tradenda contrahatur. (§. 899.) Quales res (1. sunt omnes, quae sunt in commercio. L. 34. §. 1. D. h. t. etiam spes, L. 8. §. 1. D. de contrah. emt. veluti iactus retis, L. 12. D. de act. emt. res futurae, L. 39. §. 1. D. eod. res incorporales, vt hereditas, et actiones, tit. D. et C. de hered. vel act. vend. immo et res alienae *, L. 28. D. eod.

* Eatenus, vt emtio et venditio valeat inter contrahentes. Vnde et venditor emtori re euicta tenetur ad id, quod interest. L. 19. pr. D. de euict. Non autem ea venditio excludit ius veri domini, cui et ab emtore rem vindicare licet nisi vsucapta sit. L. 30. §. 1. D. de act. emt.

§. DCCCCVI.

Quid non possit?

Non vero venire possunt (2. res exstinctae, L. 15. pr. D. h. t. (3. liberi homines, L. 6. pr. L. 34. §. 2. D. eod. (4. res diuini iuris, (§. 315. * §. 317. 2.) §. vlt. Inst. h. t. (5. publicae, L. 6. pr. L. 62. §. 1. D. eod. (6. merces pestiferae et noxiae, L. 34. §. 2. D. eod. (7. res furtiuae, L. 35. §. 3. D. eod. et (8. litigiosae. L. 2. L. vlt. C. de litigios. Speciales quaedam prohibitiones, veluti purpurae, serici, frumenti publici canonis, armorum, vini, olei, officiorum publicorum hodie ob rerumpublicarum nostrarum conditionem, nec vbique, nec semper obtinent. L. 1. C. quae res export. non deb.

§. DCCCCVII.

Pretium quale?

Denique et consentire contrahentes debent in idem pretium. (§. 899.) Pretium autem in pecunia numerata consistit. §. 2. Inst. h. t. L. 1. §. 1. D. de contrah. emt. VARRO de lingu. Lat. Lib. V. p. 36. *Pretium, quod aestimationis venditionisque caussa constituitur.*

§. DCCCCVIII.

Eius natura et indoles.

Ex quo inferunt, (1. si alia res pro re detur, non esse *emtionem venditionem*, sed *permutationem* *. §. 2. Inst. h. t. L. penult. C. de emt. et vend. (2. Si partim res, partim pretium detur: a maiore parte eius, quod datum, contractum, vel emtionem, vel permutationem dici. L. 6. C. de pact. int. emt. et vend. (3. Si ex aequalibus partibus res et pecunia numerata data: dispiciendum esse, quid ab initio actum sit: arg. L. 6. §. 1. L. 24. §. 4. D. de act. emt. ita tamen, vt maior pro emtione venditione, tamquam frequentiore hodie contractu, sit praesumtio: quamuis dissentiat CARPZOV. Part. II. Const. 32. def. 15. n. 7.

* Dis-

* Dissensus hic inter sectas. (§. 7.*) Cassiani enim cum Sabinianis putabant, emtionem et re loco pretii data fieri posse, quia HOMERVS dixerit de Achiuis *Lib. VII. Iliad.*

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί.
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσιν.

Inde capillati sibi vina parare Pelasgi.
Aere micante alii, nitido pars altera ferro,
Pars bubulis tergis, ipsis plerique iuuencis,
Pars quoque mancipiis.

Sed Proculiani ita permutari, non emi, adseuerabant, et similiter loco HOMERI ex *Lib. VI. Iliad.* iuuabantur, vbi Glaucum cum Diomede dicit arma *ἀμείβων. L. 1. §. 1. D. de contrab. emt.* Sed litem secundum Proculianos decidit imperator §. 2. *Inst. h. t.* Decisionis Iustinianeae non exiguus hodie vsus est in iure *retractus*, quod in emtione venditione, sed non in permutatione, datur.

§. DCCCCVIIII.

Pretii requisita. Ceterum idem pretium I. *verum* esse oportet, vnde quod dicis caussa datur, non facit emtionem venditionem, L. 2. §. 1. L. 36. L. 8. *C. h. t.* veluti si vno nummo emtum: *arg.* L. 46. *D. locat. cond.* aliud si minoris venditum donationis caussa. L. 38. *D. h. t.* II. *Iustum*, vnde ob laesionem enormem rescinditur. L. 2. *C. de resc. vend.* quae lex et ad alios b. f. contractus producitur. III. *Certum*, vel per se, vel per relationem ad aliam quantitatem §. 1. *Inst.* L. 7. §. 1. 2. *D. h. t.* Vnde et in arbitrium tertiae certae personae conferri potest, quae si pretium definiuerit, eius arbitrio standum est L. *vlt. C.* §. 1. *Inst. h. t.* Si non definierit, emtio venditio irrita est.

§. DCCCCX.

Obligatio ex hoc contractu. Ceterum emtor tenetur ad pretium soluendum; venditor ad traditionem. Vnde sequitur, (1. vt pretio nondum soluto, vel satisfactione alio modo non praestita, ne traditione quidem res fiat accipientis, nisi fidem emtoris sequutus sit venditor §. 41. *Inst. de rer. diuis. L. 19. D. de contrah. emt.* (2. Vt pretio non oblato, nec agere emtor ad traditionem possit. L. 11. §. 2. *fin.* L. 23. §. 8. 9. *D. de act. emt.* (3. Vt nec venditor recte agat ad consequendum pretium, si illi obstet exceptio rei venditae, non traditae, L. 25. *D. de act. emt. et vend.* (4. Vt par sit ex hoc contractu vtriusque commodum et incommodum, et hinc (§. 788. 2.) alter alteri teneatur etiam ad culpam leuem L. 23. *D. de reg. iur. L.* 5. o. 2. *D. commod.*

§. DCCCCXI.

Periculum rei venditae. Casum alias sentit dominus. L. 9. *C. de pign. act.* Sed in emtione venditione, quamuis ante traditionem dominus sit venditor, periculum tamen et commodum rei venditae, perfecto contractu, (§. 900.) statim ad emtorem transit §. 3. *Inst. h. t. L. 8. pr. D. de peric. et comm. rei. vend.* nisi (1. vel venditoris dolus culpaue, saltim leuis, praecesserit, (§. 910. 4.) §. 3. *Inst. h. t.* vel (2. venditor in se casum susceperit, §. 3. *Inst. h. t. L. 1. pr. D. de peric. et commod. rei. vend.*

vel

vel (3. res ex antiquo vitio perierit, *L.* 1. *L. vlt. C. eod.* vel (4. venditae sint res ad pondus, numerum, mensuram, quarum periculum non transit, nisi postquam res adpensae, adnumeratae, admensae sunt. *L.* 35. §. 5. *D. de contrah. emt.* vel denique (5. res ad gustum vendita nondum degustata perierit. *L.* 34. § 5. *D. eod.*

§. DCCCCXII.

Actio duplex. Quum vterque ex hoc contractu διπλεύρῳ et nominato ab initio statim obligetur: (§. 782.) duae inde nascuntur actiones directae, et contractui cognomines, (§. 774.) EMTI et VENDITI.

§. DCCCCXIII.

Emti. ACTIONE EMTI experitur emtor, qui iam ex sua parte satisfecit contractui, (§. 910. 2.) aduersus venditorem eiusue heredem; ad rem venditam tradendum cum fructibus accessionibusque et omni caussa, (§. 161.) resarciendumque damnum, saltim leui venditoris culpa datum. * (§. 910. 4.)

* Si enim ipsa res ita vitiosa sit, vt nullum emtori vsum praestet: emtori aduersus venditorem datur actio aedilitia HEREDITARIA ad id, vt rem vit o'am cum fructu et omni caussa oblatam, restituto pretio, recipiat: *L.* 21. *L.* 23. L. 25. *D. de aedil. ed.* sin res est pretio minor: eidem competit actio aedilitia QVANTI MINORIS ad tantum de pretio restituendum, quanti res minoris fuit. *L.* 18. *pr. L.* 61. *D. eod.*

§. DCCCCXIIII.

Eius natura. Ex quo sequitur, (1. vt abscisse venditor teneatur ad traditionem, neque liberetur offerendo id; quod interest. (§. 901. 3.) L. 11. §. 2. *D. de act. emt.* (2. Vt emtor contra petere possit, quod interest, si traditio non facta culpa venditoris L. 1. *pr.* L. 11. §. 9. *D. eod.* (3. Vt tradenda sit vacua rei possessio, L. 2. §. 1. *L.* 3. *pr. D.* L. 8. *C. eod.* vna cum fructibus pendentibus et perceptis post contractum. *L.* 13. §. 10. *D.* L. 13. L. 16. *C. eod.* cum omni accessione et caussa, quo et *fixa vincta* pertinent, non *ruta caesa*. * *L.* 17. *pr. et* §. 6. *L.* 38. §. 2. *D. eod.* nec sterquilinium, si magis vendendi, quam agri stercorandi caussa comparatum sit. *L.* 17. §. 2. *D. eod.*

* Conf. FEST. voce *ruta caesa*, et NON. MARCELL. *cap.* 2. §. 728.

§. DCCCCXV.

Venditi. VENDITI actio datur venditori, qui rem tradidit, (§. 910. 3.) aduersus emtorem eiusue heredes, ad soluendum pretium cum vsuris a tempore morae, (§. 781. *) ac damnum leui etiam culpa datum ex aequo bonoque resarciendum. (§. 910. 4.) [Conferenda ad *h. t.* *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 14. §. 394. *seqq.*

TIT.

cipalium rerum conductio ante redditas rationes inhibita. *L.* 30. *L.* 31. *C. h. t. L.* 49. *pr.* §. 1. *D. eod. L. vn. C. ne tut. vel cur. vect. cond.* Ita et, qui artem suam cum strepitu faciunt, domum iuxta litteratorum aedes, his inuitis, conducere non posse, vulgo colligunt ex *L. vn. C. de stud. liberal.* PEREZ. *ad d. L. vn. n.* 7.

§. DCCCCXXI.

Et RES autem locari possunt, et OPERAE. (§. 917.) Et res quidem omnes, quae in commercio sunt, dum ne vsu consumantur. *L.* 3. §. *vlt. D. commod.* Operae vero quaecumque honestae, *arg. L.* 26. *D. de verb. oblig.* et locari solitae. §. 1. 4. *Inst. h. t. L.* 5. §. 2. *D. de praescr. verb. L.* 22. §. 1. 2. *L.* 24. *pr. L.* 25. §. 7. 8. *L.* 26. *L.* 31. *D. h. t.* **In quibus rebus et operis locum habeat hic contractus.**

§. DCCCCXXII.

MERCES (§. 918.) itidem consistere debet in pecunia numerata. Locatio enim *operarum*, alia re vel facto pro opera promissis, degeneraret in contractum innominatum, *facio vt des*, vel, *facio vt facias*. §. 2. *Inst. h. t. L.* 5. §. 2. *D. de praescr. verb.* Res tamen, quae fructus ex se producunt, etiam pro parte fructuum recte locantur, *L.* 35. §. 1. *D. L.* 21. *C. h. t.* quo casu conductores dicuntur COLONI PARTIARII, et sociis quodammodo similes sunt. L. 25. §. 6. *D. h. t.* **Merces qualis?**

§. DCCCCXXIII.

Quemadmodum in emtione venditione pretium; (§. 909.) ita in hoc contractu mercedem oportet esse I. *veram*, alias enim magis esset donatio: L. 20. §. 1. *L.* 46. *D. h. t.* II. *Iustam*, quia alias alteruter contrahentium ob laesionem vltra dimidiam ad rescindendum contractum agere posset. L. 2. *C. de rescind. vend.* III. *Certam*, vel per se, vel per relationem in alterius arbitrium. (§. 909.) Vnde si promissa merces, quanta iusta erit: locatio conductio nulla est, §. 1. *Inst. h. t. L.* 22. *D. de praescr. verb.* nisi merces sit legitima. MATTH. XX. 4. 7. **Eius requisita.**

§. DCCCCXXIIII.

Quum vero hic par pari referatur, merces pro re vel opera: (§. 916.) sequitur, (1. vt locator et conductor sibi inuicem praestent culpam leuem. (§. 788. 2.) L. 23. *D. de reg. iur. L.* 13. §. 1. *L.* 25. §. 3. *L.* 31. *fin. D. h. t.* (2. Vt casum sentiat dominus, adeoque remissio mercedis pro rata concedenda sit, si quis re vel ob culpam locatoris, vel ob calamitatem fatalem, vti non potuerit, L. 15. §. 1. *seqq. L.* 25. §. 1. *L.* 33. *fin. D. h. t.* vel ob imminentis periculi iustum metum eam deseruerit: L. 27. §. 1. *D. h. t. L.* 49. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* L. 28. *D. de damn. inf.* vel si operae non praestitae, quum per locatorem, quo minus praestarentur, non steterit. L. 19. §. 9. 10. *L.* 38. *pr. D. h. t.* **Obligatio ex hoc contractu.**

§. DCCCCXXV.

In eo maxime ab emtione differt locatio conductio, quod res non in perpetuum, sed ad certum plerumque tempus pro mercede praestatur. (§. 916.) Ex quo infertur, (1. finito tempore constituto, operisque praestitis, nec non soluto iure auctoris *, locationem conductionem finiri. L. 13. §. *vlt. L. sequ. L. 9.* §. 1. *D. h. t.* (2. Conductorem nec sine iusta caussa rem conductam deserere, (§. 924. 2.) nec a locatore expelli posse, nisi ob mercedem per biennium non solutam, L. 54. §. 1. *L. 56. D. h. t.* vel ob peruersum rei vsum, L. 3. C. *h. t.* vel ob necessariam refectionem, vel vsum ipsi domino necessarium. *d. L. 3. C. eod.*

* Ex quo sequitur, vt, vendita re, emtor conductorem possit expellere. Quod docet Germanorum paroemia: *Kauf gebt vor Miethe*, et Belgica: *Koop breetzt buyz*, quamuis in Hollandia, Brabantia, Flandria, contraria obtineat paroemia: *Huyz gaat voor Koop.* WISSENBACH. *de curat. bon. dand.* §. 4. GVDELIN. *de iur. nouiss. Lib. III. cap. 7.* Sed prior regula iuris principiis maxime consentanea est. *L. 9. C. de loc. cond.* Conductor enim emtorem nec ex iure in re cogere potest, vt ne se expellat, quia nullum habet, nisi sibi forte hypothecam constituerit: nec ex iure ad rem, quia numquam cum emtore contraxit, et hic tamquam successor singularis non tenetur praestare facta auctoris sui. Ergo aduersus locatorem tantum agere potest ad id, quod interest. *L. 25. §. 2. D. loc. conduct.*

§. DCCCCXXVI.

Denique ex aequitate intulerunt veteres, conductorem, qui impleto tempore re vtitur, eam, si praedium sit *rusticum*, in eumdem annum; sin *vrbanum*, in eamdem conditionem, et idem tempus tacite reconduxisse videri. L. 13. §. *vlt. L. 14. D. L. 16. C. h. t.* Vnde in EXPRESSAM et TACITAM locatio conductio diuidi solet.

§. DCCCCXXVII.

Ceterum ex hoc contractu vterque contrahentium ab initio obligatur, et hinc duae inde nascuntur actiones directae, (§. 782.) LOCATI altera, altera CONDVCTI.

§. DCCCCXXVIII.

Actio LOCATI datur locatori, aduersus conductorem eiusue heredem, ad mercedem iusto tempore non solutam post moram, cum vsuris soluendam, (§. 922. *sequ.*) rem locatam, finito contractu, restituendam, (§. 925. *sequ.*) praestandumque damnum, saltim culpa leui datum. (§. 924. 1.)

§. DCCCCXXVIIII.

CONDVCTI contra actio conductori competit aduersus locatorem, eiusue heredes, ad praestandum rei vsum vel operas, (§. 916.) refundendas impensas necessarias et vtiles in rem conductam factas, L. 55. §. 1. *L. 61. D. h.* t. damnumque saltim culpa leui datum resarciendum. (§. 924. 1.) [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 14.* §. 405. *sequ.*]

DE

DE CONTRACTV EMPHYTEVSEOS.

§. DCCCCXXX.

OCcasione huius tituli et de EMPHYTEVSI agit imperator, quae quum et emtioni venditioni, et locationi conductioni quodammodo adfinis sit: neutri tamen contractui per omnia similis est, et hinc singularem naturam per constitutionem Zenonianam accepit. (§. 897.) §. 3. *Inst. h. t. L. 1. de iur. emphyt.* — *Emphyteusis hodie contractus consensualis.*

§. DCCCCXXXI.

Emphyteusis ἀπὸ τοῦ ἐμφυτεύειν dicitur. Solebant enim, facta prouincia, agri publici culti pro certo vectigali annuo in perpetuum locari, inculti autem pro canone annuo tradi in emphyteusin, ita, vt emphyteutae ius dominio proximum, vel vtile dominium, in illis consequerentur. BVRMANN. *de vectigal. pop. Rom. p.* 128. *sequ. p.* 148. *sequ.* Postea idem ius ad agros et alia praedia principum, ecclesiarum, vrbium, quin et priuatorum prolatum est, quae bona promiscue dici coeperunt *vectigalia* et *emphyteutica*. SCHILT. *Exerc. XVI.* §. 66. *sequ.* — *Eius origo.*

§. DCCCCXXXII.

Ius ergo emphyteuseos constitutum post traditionem rei est *ius in re*, puta dominium minus plenum, vel ius, dominio proximum: *L. 12. fin. C. de fund. patr. L. vlt. C. de cens. et censit. L. 1. L. 3. L. 11. C de omni agr. des.* (§. 337.) vnde is, penes quem dominium *directum* est, DOMINVS EMPHYTEVSEOS; alter, cui dominium *vtile* competit, EMPHYTEVTA vocatur. — *Eiusdem natura.*

§. DCCCCXXXIII.

Constituitur autem id ius in re maxime * per CONTRACTVM EMPHYTEVSEOS, qui est *contractus consensualis, de dominio vtili praedii* (§. 932.) *alteri in perpetuum, vel ad tempus non modicum, pro certo annuo canone in agnitionem dominii praestito, concedendo.* §. 3. *Inst. de loc. cond. L. 1. pr. D. si ager vectig. id est, emphyteut. pet.* — *Contractus emphyteuticus quid?*

* Nam et vltimis voluntatibus adquiri potest, nec non per longi temporis praescriptionem, arg. L. 26. pr. *D. de pign. act. L. vlt. C. de praescr. long. temp.*

§. DCCCCXXXIIII.

Quum ergo fit contractus consensualis: (§. 932.) sequitur, (1. vt perfectus sit hic contractus, simul ac consensere contrahentes. (2. Vt scriptura, de qua imp. §. 3. *Inst. de loc.* non nisi probationis caussa requiratur, L. 1. C. *de iur. emphyt.* in primis in emphyteusibus ecclesiasticis perpetuis. *Nou. VII. pr. Nou. CXX. cap.* 5. (3. Vt ius in re demum ex traditione, contractum hunc subsequente, nascatur. L. 20. C. *de pact.*

§. DCCCCXXXV.

Quumque emphyteuta consequatur dominium vtile: (§. 932.) sequitur, (4. vt adquirat omnes fructus, omnemque vtilitatem, etiam thesaurum, percipiat. *Arg.* §. 39. *Inst. de rer. diuis.* (5. Vt ei competat ius seruitutem imponendi, L. 1. §. *vlt. D. de superf.* fundi faciem immutandi, modo ne eum reddat deteriorem, *Auth. Qui rem. C. de SS. eccles.* oppignorandi, *arg. L.* 31. *D. de pign. act.* donandi, permutandi, L. 1. C. *de fund. patr.* (6. Vt et vendere eum possit, dum id denunciet domino, si is forte vti velit iure προτιμήσεως. L. 3. C. *de iur. emphyt.* (7. Vt et onera et tributa ferat. L. 2. C. *de iur. emph.*

§. DCCCCXXXVI.

Ex eodem sequitur, (8. vt emphyteuta possit agrum emphyteuticum vindicare a quouis possessore, etiam ab ipso domino emphyteuseos. *L.* 1. §. *vlt. D. h. t.* (9. Vt eum recte transferat in quoscumque, vel titulo vniuersali, vel singulari: eo tamen discrimine, vt successor singularis pro laudemio debeat quinquagesimam partem pretii. L. 3. C. *de iur. emphyt.*

§. DCCCCXXXVII.

Quumque id dominium vtile concedatur pro canone annuo, isque in agnitionem dominii soluendus sit: (§. 933.) consequens est, (10. vt propter sterilitatem, incursionemue hostium canon non remittatur. L. 1. C. *de iur. emphyt.* §. 3. *Inst. loc. cond.* (11. Vt totius rei interitu canonis soluendi obligatio exspiret. L. 1. *fin. C. eod.* §. 3. *Inst. h. t.*

§. DCCCCXXXVIII.

Alias praeter rei interitum (§. 937. II.) ius emphyteuseos exspirat (1. consolidatione, *arg.* §. 3. *Inst. de vsufr.* (2. praescriptione, *arg. L.* 15. §. 25. *D. de damn. inf.* (3. non soluto canone domino saeculari intra triennium, L. 2. C. *de iur. emph.* ecclesiae intra biennium, *Nou. VII. cap.* 3. §. 2. ob quam caussam emphyteutae dominium vtile ipso iure exspirat, nec is moram, (quidquid alii,) oblato licet ante actionem institutam canone, purgare potest. L. 2. *C. de iur. emphyt. L.* 2. *C. de fund. patr. Auth. Qui rem. C. de SS. eccl. Nou. CXX. cap.* 8. Aliud iure canonico. *cap. vlt. X. de locat.* (4. Re, ignorante domino, vendita. L. 3. *C. de iur. emphyt.* (5. Re insigniter reddita deteriore. *d. Auth. qui rem. C de SS. eccles.*

§. DCCCCXXXVIIII.

§. DCCCCXXXVIIII.

Quemadmodum vero ex iure emphyteutico iam constituto, nascitur actio realis, vel rei vindicatio vtilis: (§. 936. 8.) ita ex contractu, quo constituitur, nascitur actio EMPHYTEVTICARIA vtrinque directa. (§. 782.) *Actiones ex eo iure et contractu natae.*

§. DCCCCXXXX.

ALTERA datur emphyteutae aduersus dominum, eiusue heredes, ad praedium emphyteuticum secundum contractum praestandum: ALTERA domino aduersus emphyteutam, ad soluendum canonem, laudemium, aliaque ex contractu debita. L. 1. *C. h. t.* §. 3. *Inst. loc. cond.* [Emphyteusin gentes Germanicae originis ignorasse, diximus in *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 2. §. 33. et quae de eadem monuimus *c. l.* §. 43. *Haec vel directa vel contraria.*

TIT. XXVI.

DE SOCIETATE.

§. DCCCCXXXXI.

QVartus contractus consensualis est SOCIETAS, (§. 897.) non confundenda cum RERVM COMMVNIONE. Haec enim quasi contractus; societas verus contractus est. In hanc casu etiam fortuito, et sine adiectione societatis incidimus: societatem consensu inimus. *L.* 31. *L.* 32. *L.* 34. *D. pro soc.* *Societatis et rei communionis differentia.*

§. DCCCCXXXXII.

Est vero SOCIETAS *contractus consensualis, de re vel operis communicandis, lucri in commune faciendi caussa.* Inter quos socios tam arcta intercedere visa est amicitia, vt fratres habiti sint. L. 63. *pr. D. h. t.* *Societatis definitio.*

§. DCCCCXXXXIII.

Quum ergo societas sit contractus consensualis: (§. 942.) sequitur, (1. vt solo consensu perficiatur, subsequente tamen traditione: quae in societate vniuersali intelligitur, L. 1. §. 1. *L.* 2. *D. h. t.* exceptis nominibus, quae mutuis cessionibus communicantur. L. 3. *pr. D. eod.* *Quomodo perficiatur*

§. DCCCCXXXXIIII.

Communicantur res vel operae. (§. 942.) Ex quo infertur, (2. societatem esse vel VNIVERSALEM, κοινοπραξίαν quando omnia bona, praesentia et futura, quocumque titulo quaesita, communicantur, L. 3. §. 1. *D. h. t.* vel GENERALEM, quando ea tantum, quae ex quaestu veniunt, non quae aliunde hominum vel fortunae beneficio adueniunt, communicantur, L. 7. L. 8. L. 9. L. 73. *D. h. t.* vel SINGVLA- *Quotuplex?*

LAREM, quando vel vnius rei, vel vnius negotiationis societas contrahitur. L. 5. *pr.* *L.* 52. §. 5. *D. eod.*

§. DCCCCXXXXV.

An et inaequalis subsistat.

Ex eodem principio colligitur, (3. subsistere etiam societatem inaequalem, licet vnus plus, alter minus ex facultatibus suis conferat, * L. 5. §. 1. *D. eod.* (4. immo licet vnus rem; alter operas conferat, *d. L.* 5. §. 1. *D. h. t.* dum operae sint licitae et honestae. L. 52. §. 17. *L.* 53. *L.* 57. *D. h. t.*

* Multum ergo interest, socius quis operas conferat, an tamquam institor pro certa mercede negotiationi praesit. Ad hunc enim nec lucri, nec damni pars pertinet.

§. DCCCCXXXXVI.

An leonina?

Quumque societas lucri in commune faciendi caussa ineatur: (§. 942.) consequens est, (5. vt donationis caussa non recte contrahatur societas. *L.* 5. §. *vlt.* *D. pro soc.* (6. Vt societas, in qua vnus sibi omne lucrum stipulatur, alter omne damnum suscipit, leonina, (PHAEDR. *Fab. Lib. I. fab.* 5.) et hinc prohibita sit. L. 29. §. 2. *D. h. t.*

§. DCCCCXXXXVII.

Obligatio sociorum.

Qnum socii sint veluti fratres: (. 942.) sequitur, (7. vt socius alter alteri teneatur ad culpam leuem (§. 787. *) in concreto, quia socium industria eius contentum esse oportet, quem ipse elegit * §. 9. *Inst.* *L.* 72. *D. h. t.* (8. Vt, si dolus vel culpa lata socii deprehendatur, iste merito notetur infamia. (§. 785.) L. 1. *L.* 6. *D. de his, qui not. inf.* (9. Vt socius socio debeat beneficium competentiae. L. 63. *pr.* *D. h. t.* de quo infra. (10. Vt in societate vniuersali omnia communia sint, quamuis et facultates sociorum differant, et vnus sociorum altero plus expendat. L. 73. *pr. et* §. 1. *D. h. t.* (11. Vt in generali tantum quaestus communis sit, (§. 944.) non reliqua, quae vel fortunae, vel hominum beneficio aduenıunt. L. 7. L. 71. §. 1. *D. h. t.* (12. Vt in societate singulari inter socios seruanda sit aequalitas. §. 1. *Inst. h. t.*

* Hanc rationem reddunt ex *L.* 72. *D. pro soc.* Sed quia idem obseruatur in rerum communione, in quam quis casu incidit: *L.* 25. §. 16. *D. fam. ercisc.* probabilior huius iuris ratio est, quod socius socii diligentiam probasse videtur, e cuius societate, quum idei integrum semper fuisset, non discessit.

§. DCCCCXXXXVIII.

Lucri et damni diuisio.

Et quidem, (1. si partes non expressae: partes lucri et damni sunt aequales pro rata eius, quod quisque contulit. L. 6. L. 80. *D. h. t.* (2. Sin partes expressae: eae seruandae sunt, tametsi inaequales §. 1. *Inst.*

Inst. h. t. L. 29. *pr.* §. 1. *D. h. t.* (3. Si alter rem, alter operam contulerit, lucrum quidem et damnum commune fit non autem sors. §. 2. *Inst. et L.* 52. §. 2. *D. L.* 1. *C. h. t.*

§. DCCCCXXXXVIIII.

Societas quomodo soluatur?

Diuiduntur itaque res communes, finita societate, quod fit (1. morte socii vel naturali vel ciuili, etiam vnius e pluribus, §. 5. *Inst. L.* 63. §. *vlt. D. h. t.* licet conuenerint, vt ad heredes transeat societas *. *L.* 35. *L.* 59. *D. h. t.* (2. Dissensu vel mutuo, L. 63. §. *vlt. D. h. t.* vel renunciatione vnius, §. 4. *Inst. h. t.* quamuis alias contractus δίπλευρος, inuito altero, solui nequeat: id tamen odio communionis permissum est, *L.* 77. §. 20. *fin. D. de leg.* 2. §. 4. *Inst. h. t.* vt socius socio, si vel maxime aliter expresse conuenerint, L. 14. L. 70. *D. pro soc.* expresse et tacite renunciare possit societatem, *L.* 64. *D. h. t.* dum id non absenti, fraudulenter, vel intempestiue fiat. §. 4. *Inst.* L. 14. L. 17. §. 1. L. 65. §. 3. *D. h. t.*

* Ne erres, obserua, obligationem quidem ex hoc contractu etiam ad heredes transire: *L.* 35. *L.* 36. *L.* 40. *L.* 63. §. 8. *D. h. t.* non vero ipsam societatem, ita, vt heres in societate manere cogatur, praeterquam, quod heres succedat in societate vectigalium, *L.* 59. *D. h. t.* Nec prohibentur socii ita pacisci, vt vno e pluribus mortuo, inter reliquos maneat societas. §. 5. *Inst. h. t. L.* 65. §. 9. *D. eod.*

§. DCCCCL.

Alii modi quibus soluitur.

Soluitur etiam (3. finito negotio, ob quod inita est. §. 6. *Inst. L.* 65. §. 10. *D. h. t.* (4. Tempore, in quod contracta, elapso *L.* 65. §. 6. *D. h. t.* (5. Cessis vel publicatis bonis, §. 7. 8. *Inst. L.* 65. §. 1. *D. h. t.* ac denique (6. rei, super qua societas inita, interitu. *L.* 63. §. *vlt. D. eod.*

§. DCCCCLI.

Actio pro socio.

Ceterum ex hoc contractu nascitur ACTIO PRO SOCIO vtrimque directa. (§. 782.) qua socius aduersus socium, eiusue heredes, (§. 949. *) agit ad conferenda bona communia, (§. 942.) reddendas rationes, lucrumque communicandum, (§. 946. *sequ.*) et damna denique, saltim culpa leui in concreto data, resarcienda. (§. 947. 6.)

§. DCCCCLII.

Quae actio detur ad rerum communium diuisionem?

Ex quo patet actionem hanc ad praestationes tantum personales pertinere, adeoque, soluta societate, rerum communium diuisionem non actione *pro socio*, sed *communi diuidundo* petendam. *L.* 1. *D. comm. diuid.*

TIT.

TIT. XXVII.

DE MANDATO.

§. DCCCCLIII.

Mandatum quid? POstremus contractus consensualis est MANDATVM. (§. 897.) Id vero est *contractus consensualis, quo negotium honestum, ab alio ex fiducia* * *commissum, gratis administrandum gerendumque suscipitur.*

* Vnde olim, data in amicitiae pignus dextra, mandabant, PLAVT. *Captiu. act. II. scen. 3. v. 82.* eoque tempore non tam vinculo iuris, quam amicitiae legibus mandatum continebatur. GER. NOODT. *ad Pand. h. t.* Hinc ISIDOR. *Orig. Lib. IIII. cap. 4.* *mandatum* a manus datione nomen accepisse tradit.

§. DCCCCLIIII.

Eius differentia ab aliis negotiis adfinibus. Ergo facile hic contractus mandati (1. a NEGOTIORVM GESTIONE discernitur, qui quasi contractus in eo consistit, quod quis negotium non commissum vltro suscipit: (§. 778.) (2. a LOCATIONE, quia hic contractus non est gratuitus: (§. 916.) (3. a CONSILIO, quia per hoc non suscipitur alienum negotium, nec istud obligat, sed suadet, §. 6. *Inst. h. t.* nisi fraudulentum sit; L. 47. *pr. D. de reg. iur.* (4. a COMMENDATIONE, quae et ipsa non obligat alterum, cui res commendatur; L. 12. §. 12. *D. h. t.* (5. a IVSSV, quo tantum eos, qui potestati nostrae subsunt, obligamus.

§. DCCCCLV.

Quotuplex? Mandatur aut EXPRESSE verbis litterisque, nulli certae formulae adstrictis, L. 1. §. 2. *D. h. t.* aut TACITE, si quis praesens ab altero negotia sua geri patitur. L. 6. §. 2. *L.* 53. *D. h. t.*

§. DCCCCLVI.

Diuisio secunda. Prout quoque vel ad omnia bona, vel ad certas tantum res mandatum pertinet, eatenus vel GENERALE est, vel SPECIALE. L. 58. L. 60. L. 63. *D. de procurat.*

§. DCCCCLVII.

Tertia. A modo constituendi mandatum, in IVDICIALE et EXTRAIVDICIALE, L. 33. *pr.* §. 1. *L.* 35. §. 3. *L.* 43. *D. de proc.* itemque in PVRVM, IN DIEM DILATVM, et CONDITIONALE dispescitur. §. 12. *Inst. L.* 1. §. 3. *D. h. t.*

§. DCCCCLVIII.

§. DCCCCLVIII.

Differunt porro mandatum IN REM ALIENAM, quando quis et nomine alterius, et in alienam vtilitatem agit, et in REM SVAM, quando quis nomine alterius, sed in suam vtilitatem agit. Tali mandato instructus agit cessionarius. L. 33. §. 5. L. 34. *D. de procur.* — Quarta.

§. DCCCCLVIIII.

Huius contractus natura.

Ceterum ex ipsa definitione (§. 953.) infertur, (1. mandatum contrahi solo vtriusque consensu, pro quo et ratihabitio habetur. L. 50. *D. h. t. L. 60. D. de reg. iur.* (2. Mandari non posse rem illicitam, nec vllam ex eiusmodi mandato inter contrahentes nasci obligationem. §. 7. *Inst. L. 6. §. 3. L. 22. §. 6. D. h. t.* (3. Mandatum non admittere mercedem, sed tamen honorarium. (§. 800.*) L. 6. *pr. D. h. t.* (4. Mandatarium fines mandati excedentem nihil agere, nec mandantem tunc ex mandatarii facto teneri. L. 5. *D.* §. 8. *Inst. h. t.*

§. DCCCCLX.

Obligatio mandatarii.

Et quia mandans fiduciam singularem in mandatarii persona collocat: (§. 953.) consequens est, (5. vt mandatarius substituere ordinarie non possit: si tamen substituerit, et rem per alium aeque bene gesserit, mandans ex gestis obligetur. (§. 778. *) L. 8. §. 3. *L. 46. L. vlt. §. fin. D. h. t.* (6. Vt, quia mandatarius sponte obligationem, in qua summa industria exigitur, suscepit, (§. 789. 3.) ordinarie teneatur ad culpam leuissimam. L. 13. L. 21. C. *h. t.* (7. Vt mandatarius, qui amici spem turpiter destituit, ob dolum vel culpam latam merito infamia notetur. * (§. 785.) L. 1. *L. 6. §. 6. D. de his, qui not. inf.* §. 2. *Inst. de poen. tem. litig. L. 21. C. mand.* CIC. *pro Rosc. Am. cap. 38.*

* Singulare hic est, quod quum alioquin in huiusmodi contractibus iudicio tantum directo ob dolum damnati infamia notentur: (§. 785. 2.) hic etiam mandans, actione contraria pulsatus, condemnatusque fiat infamis, si quis, mandante illo, pro eo fideiussit, et mandatarius ei indemnitatem praestare dolose renuit. *L. 6. §. 5. D. de his, qui not. inf.*

§. DCCCCLXI.

Quomodo finiatur?

Finitur autem mandatum non solum I. *mutuo dissensu*, §. *vlt. Inst. quib. mod. toll. obl.* sed et II. mandantis reuocatione, modo fiat re integra, §. 9. *Inst. h. t.* et III. renunciatione non intempestiua mandatarii. *L. 11. Inst. eod. L. 22. §. vlt. D. h. t.* IIII. Morte contrahentium. L. 26. L. 27. §. 3. *D. h. t.*

§. DCCCCLXII.

Actio mandati duplex.

Quia itaque ex hoc contractu διπλεύρῳ mandatarius ab initio; mandans non nisi ex post facto obligatur: nascitur inde duplex actio MANDATI, quarum altera DIRECTA, altera CONTRARIA est. *L. 3. §. 1. D. h. t.* (§. 782.)

§. DCCCCLXIII.

Directa. DIRECTAM mandans instituit aduersus mandatarium, eiusue heredes, ad negotium susceptum perficiendum, vel praestandum id, quod interest, L. 5. §. 1. *D. h. t.* rem ex mandato adquisitam cum fructibus tradendam, L. 8. §. *vlt. D. eod.* dolumque et culpam etiam leuissimam praestandam. (§. 959. 6.)

§. DCCCCLXIIII.

Contraria. CONTRARIA mandatario datur aduersus mandantem eiusue heredes, ad indemnitatem consequendam. (§. 772.) [*Vid. Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 13. §. 382.]

T I T. XXVIII.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE QVASI EX CONTRACTV NASCVNTVR.

§. DCCCCLXV.

Obligationes quasi ex contractu. HActenus de contractibus veris: sequuntur obligationes, quae QVASI EX CONTRACTV nascuntur, quarumque fundamentum iam supra descripsimus (§. 778.)

§. DCCCCLXVI.

Earum definitio. Sunt ergo QVASI CONTRACTVS *facta honesta, quibus et ignorantes obligantur ex consensu, ob aequitatem vel vtilitatem praesumto.* *

Quemadmodum enim contractus nascuntur ex consensu vero: ita quasi contractus, quasi ex consensu, id est ex ficto, vel praesumto. L. 13. §. *vlt. D. comm. diu.* L. 3. *fin. D. ex quib. causs. in possess.* Si nec verus, nec fictus consensus requireretur: nihil esset rationis, cur referrentur ad contractus. *L.* 23. *D. de reg. iur.* L. 49. *D. de oblig. et act.*

§. DCCCCLXVII.

Et fundamenta. Praecipua ergo fundamenta consensus praesumti sunt: I. Quisque praesumitur consentire in id, quod vtilitatem adfert. II. Nemo praesumitur cum alterius damno fieri velle locupletior. L. 14. *D. de condict. indeb.* III. Qui vult, quod antecedit, non debet nolle, quod consequitur.

§. DCCCCLXVIII.

Quot sint huiusmodi quasi contractus? Huiusmodi quasi contractus sunt I. NEGOTIORVM GESTIO, II. TVTELA, III. HEREDITATIS, vel IIII. REI COMMVNIS administratio, V. HEREDITATIS ADITIO, VI. INDEBITI SOLVTIO, et quidam alii, de quibus in Digestis.

§. DCCCCLXVIIII.

§. DCCCCLXVIIII.

I. NEGOTIORVM GESTIO est quasi contractus, quo quis negotia alterius ignorantis extra iudicium vtiliter gerenda sponte et gratis suscipit. §. 1. *Inst. h. t.* Vnde a MANDATARIO, vel PROCVRATORE, itemque DEFENSORE, facile discernitur *negotiorum gestor*. Prior enim mandato constituitur, posterior sine mandato quidem, sed non nisi iudicialia negotia suscipit, nec sine cautione admittitur, iudicatum solui. L. 46. §. 2. *D. de procurat. Negotiorum gestor* autem nec ex mandato gerit, nec in iudicio alium defendit, nec cautione obstringitur. Vnde et femina gerere potest negotia. L. 3. §. 1. *D. de neg. gest.* Negotiorum gestio.

§. DCCCCLXX.

Quum ergo in hoc contractu consensisse ignorantem fingatur, quia et vtilitas ei adsertur, et neminem cum alterius damno locupletiorem fieri aequum est: (§. 967. 2.) sequitur, (1. vt vtiliter gerere debeat negotiorum gestor, adeoque (2. ad diligentiam exactam, vel, si se aliis praetulerit, (§. 788. 3.) ad exactissimam, leuissimamque culpam, si necessitate vrgente gessit, tantum ad dolum et culpam latam; (§. 788. 4.) L. 3. §. 9. *D. eod.* denique si rem aleae plenam praeter consuetudinem absentis susceperit, ad casum ipsum praestandum teneatur. L. 11. *D.* L. 20. *C. de neg. gest.* §. 1. *Inst. h. t.* (3. Vt domino ad rationes et reliqua cum vsuris restituenda obligatus sit. *L.* 2. *L.* 23. *L.* 30. *D. h. t.* Obligatio negotiorum gestoris.

§. DCCCCLXXI.

Ex eodem sequitur, (4. vt negotiorum gestor obligatum habeat etiam ignorantem, cuius negotia gessit, quin etiam (5. furiosum, et (6. cuius in persona errauit. L. 3. §. 5. L. 5. §. 1. *D. de negot. gest.* (7. Vt non perimatur absentis obligatio, si postquam initio vtiliter gestum, vtilitas casu fuerit intercepta. L. 10. §. 1. L. 12. §. 2. *D. eod.* (8. Vt idem negotiorum gestori teneatur ad indemnitatem. L. 2. L. 27. L. 31. L. 45. *D. eod.* Eius, cuius negotia geruntur.

§. DCCCCLXXII.

Ad ea, de quibus (§. 970.) diximus, negotiorum gestor ex ipsa natura contractus *ab initio* obligatur: ad reliqua, (de quibus §. 971.) absens *ex post facto* obstringitur. Ex quo sequitur, (§. 782.) vt ex hoc quasi contractu nascatur *actio* NEGOTIORVM GESTORVM, tum DIRECTA, tum CONTRARIA. §. 1. *Inst. h. t.* Actio negotiorum gestorum duplex.

§. DCCCCLXXIII.

DIRECTA datur domino aduersus negotiorum gestorem, eiusue heredes, ad rationes reddendas, (§. 969. 3.) restituenda reliqua, culpamque pro modo gestionis praestandam. (§. 970. 2.) Directa.

§. DCCCCLXXIIII.

CONTRARIAM negotiorum gestor instituit aduersus dominum, eius- Contraria.

 ue

ue heredes, ad indemnitatem. (§. 971. 8.) §. 1. *Inst. h. t.* Quae actio tamen locum non habet, (1. si non vtiliter gestum, L. 10. §. 1. L. 15. L. 27. *D. de negot. gest.* (2. si pro inuito vel prohibente gestum, L. 8. §. *vlt. D. L. vlt. C. eod.* (3. si quis ex pietate vel animo donandi gesserit. L. 27. §. *fin.* L. 34. *et* 44. *D.* L. 11. *L.* 13. *L.* 15. *C. eod.*

§. DCCCCLXXV.

Tutelae definitio.

II. TVTELA est munus publicum, (§. 204.) sed obligatio inter tutorem et pupillum quasi ex contractu nascitur. §. 2. *Inst. h. t.* Hinc tutela hoc sensu est *quasi contractus, quo tutor, pupilli rerumque pupillarium curam suscipiendo, illi ad rationes exactamque diligentiam; * pupillus tutori ad indemnitatem praestandam obligatur.*

* Tutor ergo tenetur ad praestandam culpam leuem; L. 23. *D. de reg. iur.* si ipse sese intruserit, ad culpam leuissimam. (§. 788. 3.) §. 1. *Inst. de satisdat. tutor.* Heredes tantum ad dolum et culpam latam. L. 1. *C. de her. tut.*

§. DCCCCLXXVI.

Actio tutelae.

Ergo ex hoc quoque quasi contractu nascitur actio TVTELAE, DIRECTA et CONTRARIA, (§. 782.)

§. DCCCCLXXVII.

Directa.

Actio *tutelae* DIRECTA competit pupillo, finita tutela, (§. 263. *sequ.*) aduersus tutorem, eiusue heredes, ad reddendas rationes, damnaque si aduersus tutorem agitur, culpa leui; sin aduersus heredes, culpa lata data resarcienda. (§. 975. *) L. 1. *pr. D. de tut. et rat. distr.*

§. DCCCCLXXVIII.

Contraria.

CONTRARIA competit tutori aduersus pupillum, ad repetendas impensas, praestandamque indemnitatem, si diligentis patrisfamilias officio functus sit. L. 1. *pr. D. de contrar. tut. et vtil. act.*

§. DCCCCLXXVIIII.

Vtilis.

Vtraque actio *tutelae* vtilis ob eamdem rationem minoribus quoque et curatoribus inter se datur. (§. 276.) *d.* L. 1. §. 2. *D. de contr. tut. et vtil. act.*

§. DCCCCLXXX.

Hereditatis et rerum communio.

III. HEREDITATIS et IIII. RERVM COMMVNIO non sunt quasi contractus, sed ius in re, puta in hereditate vel re communi. At hereditatis vel rerum communium administrator quasi contraxisse, et ad rem communem diuidendam, reddendasque rationes sese obligasse, simulque coheredem vel socium ad quasuis praestationes personales obstrinxisse videtur. *L.* 3. §. 4. *Inst. h. t.*

§. DCCCCLXXXI.

§. DCCCCLXXXI.

Ex vtroque quasi contractu datur actio duplex, L. 2. §. 3. L. 44. §. 4. *D. fam. erc. L.* 2. §. 1. *D. comm. diuid.* ex altero FAMILIAE ERCISCVNDAE, ex altero COMMVNI DIVIDVNDO. Actiones inde natae.

§. DCCCCLXXXII.

FAMILIAE ERCISCVNDAE actio datur coheredi contra coheredem, (non aduersus possessorem, qui titulo singulari res hereditarias tenet. L. 2. *pr. L.* 25. §. 7. *D. fam. erc.*) ad communem hereditatem, exceptis nominibus, quae ipso iure inter coheredes diuisa sunt, *L.* 2. §. *vlt. L.* 4. *pr. D. L.* 6. *C. fam. erc.* nec non rebus prohibiti vsus, L. 4. §. 1. 2. *D. eod.* et instrumentis communibus, L. 5. *D. eod.* diuidendam, et praestationes personales, veluti impensarum damnique restitutionem consequendam. L. 16. §. 4. *sequ. L.* 17. *L.* 25. §. 16. *L.* 29. *L.* 44. §. 3. *et* §. *vlt. D. eod.* Familiae erciscundae.

§. DCCCCLXXXIII.

COMMVNI DIVIDVNDO actio instituitur a socio contra socium, ad rem communem diuidendam, L. 1. *D. comm. diu.* et praestationes personales consequendas. *L.* 3. *pr. D. eod.* Communi diuidundo.

§. DCCCCLXXXIIII.

Et coheres vero coheredi, L. 25. §. 16. *D. fam. erc.* et socius in re communi socio, *arg. d. L.* 25. *D. eod* culpam leuem in concreto praestat. (Rationem reddidimus §. 947.*) Quae culpa praestanda?

§. DCCCCLXXXV.

V. HEREDITATIS ADITIO est *quasi contractus, quo is, qui hereditatem adit, cum legatariis et fideicommissariis* * *contraxisse, seque ad legata et fideicommissa praestanda obligasse censetur*. §. 5. *Inst. L.* 3. *sequ. quib. causs. in poss. eat. L.* 1. *C. comm. de legat.* Hereditatis aditio.

* Non cum creditoribus. Hi enim heredem non ex quasi contractu aditionis; sed directe ex facto defuncti conueniunt, *L.* 40. *D. de oblig. et act.* *Nou. XXXXVIII. praef. v. cum vtique*, cuius obligationes omnes in heredem transeunt, simulac adiit hereditatem. *L.* 2. §. 2. *D. de verb. oblig. L.* 59. *D. de reg. iur.*

§. DCCCCLXXXVI.

Nascitur ex hoc quasi contractu ACTIO *personalis* EX TESTAMENTO, qua ii, quibus aliquid ex testamento debetur, contra heredem, qui adiit, agunt, ad legata fideicommissaque cum accessionibus et vsuris a tempore morae, (§. 639.) damnaque, culpa etiam leuissima data, (§. 620. 1.) L. 47. §. *penult. de legat.* 1. praestanda. L. 33. *pr. D. de legat.* 2. *L.* 17. *D. de duob. reis* §. 5. *Inst. h. t.* Actio personalis ex testamento.

§. DCCCCLXXXVII.

Denique VI. INDEBITI SOLVTIO est *quasi contractus, quo quis ex errore* Indebiti solutio.

errore facti id, quod naturaliter indebitum erat, soluendo, alterum, qui ex ignorantia accepit, ad restitutionem obligasse censetur. §. 6. *Inst. h. t.*

§. DCCCCLXXXVIII.

Eius fundamentum. Quum ergo fundamentum huius quasi contractus sit solutio ex errore facti praestita: (. 987.) consequens est, (1. vt, qui sciens soluit indebitum, donandi consilio id fecisse videatur. *L.* 53. *D. de reg. iur. L.* 1. §. 1. *D. de condict. indeb.* (2. Vt qui ignorantia iuris soluit, indebitum non repetat, L. 10. C. *L.* 9. *pr. D. de iur. et fact. ign. L.* 6. 7. *C. de cond. indeb. L.* 9. *C. ad leg. Falc.* nisi fuerit minor, mulier, cet. quibus ius ignorare licet. L. 9. *D. de iur. et fact. ign.* (3. Vt, si in persona erratum, res semper condici possit. L. 19. §. 1. *L.* 65. §. *vlt. D. L.* 5. *C. de cond. indeb.*

§. DCCCCLXXXVIIII.

Quando repeti possit? Quumque, quod solutum, vel naturaliter saltim indebitum esse oporteat: §(. 987.) sequitur, (4. vt quod naturaliter debebatur, non autem iure ciuili, (§. 769.) repeti nequeat, L. 13. *L.* 19. *L.* 38. *D. de condict. indeb.* nisi naturalis obligatio plane reiiciatur iure ciuili, quale quid contingit in obligatione pupillorum, prodigorum, mulierum intercedentium. L. 127. *L.* 6. *D. de verb. oblig. L.* 41. *D. de condict. ind. L.* 16. §. 1. *D. ad SC. Vellei.* (5. Vt, si id, quod et naturali, et ciuili iure indebitum est, vel solo iure ciuili debetur, soluitur, id repeti possit. L. 29. *et L.* 22. *L.* 26. §. 3. 7. *L.* 40. *L.* 54. *L.* 56. *D. de condict. indeb.*

§. DCCCCLXXXX.

Item. Quum denique et in accipiente requiratur ignorantia: (§. 987.) sequitur, (6. vt non modo quasi ex contractu, sed et ex delicto repeti possit id, quod alter sciens dolo malo accepit: adeoque hoc casu soluenti non modo condictio indebiti, sed et condictio furtiua detur. *L.* 18. *D. de condit. furt.*

§. DCCCCLXXXXI.

Condictio indebiti. Ceterum ex hoc quasi contractu nascitur CONDICTIO INDEBITI, quae actio, stricti iuris, (§. 781.*) competit ei, qui indebitum per errorem soluit, contra accipientem, eiusue heredem, ad restituendum id, quod solutum, cum fructibus et accessionibus, L. 15. *pr. L.* 65. §. 5. *D. de condit. indeb.* non vero cum vsuris. (§. 781. *) L. 1. *C. h. t.*

§. DCCCCLXXXXII.

Eius differentia ab aliis condictionibus. Quae condictio facile ab aliis distinguitur. Qui enim non ex errore soluit, sed ob certam caussam futuram honestam, nec tamen sequutam dedit, ei ad repetendum id, quod datum est, competit CONDICTIO CAVSSA DATA, CAVSSA NON SEQVVTA. *L.* 1. *sequ. D. de condict. causs. dat.* Qui ob caussam futuram, solius accipientis contempla-

platione turpem, dedit, is instituit CONDICTIONEM OB TVRPEM CAVSSAM. *L. 1. pr. §. 1. 2. D. de condict. ob turp. causs.* Denique qui plane sine omni caussa dedit, et nulla alia harum condictionum vti potest, ei contra accipientem ad rem restituendam datur CONDICTIO SINE CAVSSA. *L. 1. sequ. D. de condict. sin. causs.*

TIT. XXVIIII.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

§. DCCCCLXXXXIII.

Axiomata de personis, per quas adquiritur nobis.

QVae personae res alias nobis adquirunt: eae etiam adquirunt OBLIGATIONES. Quare quum de illis abunde actum sit supra: (*Lib. II. tit. 9. §. 469. sequ.*) nihil attinet hic plura addere, praeterquam, quod in obligatione ex contractibus spectetur rei initium: * L. 78. *pr. in fin. D. de verb. oblig.* et hinc conditio exsistens ad principium retrotrahatur. L. 11. §. 1. *D. qui potior. in pign.* (§. 832. 7.)

* Aliud in legatis, quae ex eo tempore, quo dies cedere coepit, vires capiunt. *L. 18. D. de reg. iur.* L. 5. §. 2. *D. quand. dies leg. ced.* (§. 632. 7.)

§. DCCCCLXXXXIIII.

Conclusiones ex hoc axiomate.

Ex quo axiomate sequitur, (1. vt filiusfamilias patri, seruus domino, adquirat, licet vel maxime sibi stipuletur in eum euentum, si sui iuris futurus sit. *L. vlt. D. de stipulat. seruor.* (2. Vt obligatio adquiratur patri vel domino, etiamsi conditio emancipato iam filio exstiterit. *L. 78. pr. D. de verb. oblig.*

TIT. XXX.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGATIO.

§. DCCCCLXXXXV.

Quot modis tollatur obligatio?

OBligatio semel constituta vel per EXCEPTIONEM tollitur, vel IPSO IVRE. Inter quae non vna differentia. (1. Si prius: obligatio non perimitur, nisi exceptio sit in iudicio opposita. L. 27. §. 2.

D. de

D. de pact. Sin posterius: ea tollitur statim vi legis, etiam antequam ea caussa allegetur. Ita et (2. ex obligatione priore modo sublata nulla actio nascitur: ex obligatione posterioris generis nascitur quidem actio, sed exceptione eliditur.

§. DCCCCLXXXXVI.

Modi ipso iure soluendi obligationes, vel communes, vel proprii.

Modi, quibus ipso iure obligatio tollitur, aut COMMVNES sunt contractibus omnibus, vel plerisque, vti *solutio*, *compensatio*, *confusio*, *oblatio et consignatio*, *rei interitus*, et *nouatio*: aut quibusdam contractuum generibus PROPRII, vti *acceptilatio* et *mutuus dissensus*.

§. DCCCCLXXXXVII.

Axioma de his.

Posteriorum fundamentum latet in regula iuris: *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolui, quo colligatum est. L. 35. et L. 100. D. de reg. iur.*

§. DCCCCLXXXXVIII.

Solutio quid?

COMMVNIVM primus modus est SOLVTIO, (§. 996.) quae est *vera praestatio eius, quod in obligatione est. L. 176. D. de verb. sign.* Solutio enim non hic generatim omnem liberationem continet, sed est liberatio per praestationem eius, quod debetur. *L. 49. D. de solut. pr. Inst. h. t.*

§. DCCCCLXXXXVIIII.

Quis soluere possit?

Quum ergo in solutione aliquid praestandum sit: (§. 998.) sequitur, vt is demum recte soluat, eique cum effectu soluatur, cui libera est rerum suarum administratio. *§. vlt. Inst. quib. al. lic.* Perinde vero est, siue pro se quis soluat, siue pro alio, mandante, ignorante, inuito: *L. 23. L. 40. L. 53. D. de solut.* quamuis qui pro inuito soluit, regressum non habeat aduersus debitorem, nisi ex iure a creditore cesso. (§. 886.*)

§. M.

Quis non possit, et cui non possit?

Ex quo sequitur, (1. vt non recte soluat furiosus, pupillus, minor, sine tutoris auctoritate vel curatoris consensu. (§. 466.) *§. vlt. Inst. quib. alien. lic. L. 9. §. 2. D. de auct. tut. L. 3. C. de in int. rest. min.* (2. Vt iisdem non recte soluatur sine tutorum auctoritate, curatorum consensu, magistratuum decreto. (§. eod.) *§. 2. Inst. quib. alienar. lic. L. 15. L. 96. D. de solut.*

§. MI.

Quomodo soluendum.

Quumque solutio sit vera praestatio eius, quod debetur: (§. 998.) consequens est, (1. vt neque aliud pro alio inuito creditori soluendum sit, *pr. Inst. h. t. L. 2. §. 1. D. de reb. cred.* neque (2. per partes illi inuito fieri possit solutio, *L. 9. C. de solut. L. 41. §. 1. D. de vsur.* nisi debitum pro parte sit illiquidum, *L. 21. D. de reb. cred.* neque (3. alio tempore et loco, quam conuenit. *L. 39. D. de solut.*

§. MII.

§. MII.

Quum denique, si ita vere praestitum sit, quod in obligatione erat, obligatio soluatur: (§. 996.) recte infertur, facta solutione ipso iure omnem perimi obligationem, vt et reus, et fideiussores, et pignora, et hypothecae liberentur: *pr. Inst. h. t. L. 43. D. de solut.* modo, quod ad pignora attinet, non alia supersint debita, quippe ob quae creditor ius retentionis exercere posset. (§. 825. *) *tit. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. ten.* Eius effectus.

§. MIII.

Alter modus *communis* est COMPENSATIO, (§. 996.) quae *est debiti et crediti (mutui) inter se contributio*. L. 1. *D. de compens.* Compensatio quid?

§. MIIII.

Quum ergo locum habeat, si debitum et creditum sit mutuum: (§. 1003.) sequitur, (1. vt frustra compensare velint, quorum creditum vel iniustum sit, L. 14. *D.* L. 2. *C. de compens.* vel mere naturale, plane inefficax. L. 30. L. 41. *D. de condict. indeb.* vel illiquidum, L. *vlt.* §. 1. *C. de compensat.* vel sub conditione aut ex die contractum. L. 7. L. 16. §. 1. L. 22. *D. eod.* (2. Vt vtriusque sit certa aestimatio. L. 4. L. 8. L. 12. *C. eod.* Vnde nec species cum genere, nec genus cum genere diuerso, L. 18. *pr. D. de pign. act.* L. 2. §. 1. *D. de reb. cred.* L. 16. *C. de solut.* nec delictum cum delicto compensatur. L. 2. §. 4. L. 13. §. 5. *D. ad leg. Iul. de adult.* (3. Vt, si diuersi sint creditores et debitores, nulla locum habeat compensatio. L. 16. *pr.* L. 18. §. 1. *D.* L. 9. *C. de compens.* Eius requisita.

§. MV.

Quumque debitum et creditum contribuantur: (§. 1003.) sequitur, (4. vt compensationis idem effectus sit, ac solutionis. (§. 1002.) L. 4. L. 12. *C. de compensat.* (5. Vt ex eo momento, quo mutuum debitum natum, vel vtrumque exspiret, vel alterutrum ad concurrentem summam ipso iure minuatur, * §. 30. *Inst. de act.* L. *vlt. C. de compens.* Et effectus

* Ita iure nouo. Iure veteri enim multum intererat inter contractus *bonae fidei*, et *stricti iuris*. In illis compensatio *ipso iure* minuebat debitum: in his non nisi *per exceptionem doli mali*. §. 30. *Inst. h. t.* (§. 781. *)

§. MVI.

Tertius modus communis est CONFVSIO, (§. 996.) quando obligatio debitoris et ius creditoris in eadem persona coalescunt. L. 75. *L. penult. D. de solut.* Quum enim ex contractu alter alteri obligetur: neminem sibi ipsi debere posse, adeoque hoc modo obligationem tolli, satis adparet. Confusio.

§. MVII.

Quartus est OBLATIO et CONSIGNATIO, (§. 996.) quo obligatio tol- Oblatio et consignatio.

tollitur, si debitor totam summam iusto tempore et loco *oblatam*, et a creditore *non receptam*, in iudicio, citata altera parte, *obsignat* et *deponit*. *L.* 19. *C. de vsur. L.* 9. *C. de solut.*

§. MVIII.

Eius effectus. Quod legitime factum, offerentem liberat (1. ab obligatione, tum ratione sortis, tum ratione vsurarum, quarum cursus statim sistitur: *L.* 19. *C. de vsur.* (2. a periculo rei, quippe quae ex eo non debitori, sed creditori perit. L. 9. C. *de solution.*

§. MVIIII.

Rei interitus. Quintus modus communis est REI INTERITVS. Quum vero vel species, vel genus, vel quantitas debeatur: (1. is modus ad solam speciem pertinet, L. 23. L. 49. *pr. D. de verb. oblig.* quia genus et quantitas non perire censentur. (§. 623.)

§. MX.

Eius effectus. Quumque huius iuris fundamentum in eo positum sit, quod casum sentiat dominus: (§. 785. 3.) sequitur, (2. vt interitus speciei debitorem non liberet, qui in mora est, *d. L.* 23. *et L.* 49. nisi res aeque apud creditorem peritura fuisset. L. 14. §. 1. *D. depos. L.* 15. §. *vlt. D. de rei vind.* (3. Vt nec eum liberet interitus, cuius culpa res interiit. L. 23. *fin. D. de reg. iur. L.* 23. *L.* 49. *pr. D. de verb. oblig.* (§. *eod.*) (4. Vt fures et violenti possessores nullo modo rei interitu liberentur. *L. vlt. D. de condict. furt. L.* 1. §. 34. *L. penult. D. de vi et vi arm.*

§. MXI.

Nouatio. Sextus modus communis est NOVATIO, (§. 996.) id est, *prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem, vel naturalem per stipulationem transfusio atque translatio. L.* 1. *pr. D. de nouat. L.* 27. §. 2. *D. de pact.*

§. MXII.

Quibus contractibus locum habeat? Quum ergo communis sit omnibus contractibus: nouari possunt obligationes omnes, ciuiles et praetoriae aeque ac naturales, siue verbis, siue consensu, siue alio modu contractae, transfundique non tantum in alias ciuiles, verum etiam in mere naturales, v. c. si pupillus sine tutoris auctoritate expromittit. (§. 769. *) L. 1. §. 1. L. 2. L. 5. L. 14. *D. eod.*

§. MXIII.

Quotuplex? Diuiditur nouatio in VOLVNTARIAM, quae fit interueniente stipulatione, * per conuentionem partium: L. 2. *D. eod.* vel NECESSARIAM, quae fit per litis contestationem, iudicio accepto. L. 29. *D. eod.* Illa denuo vel SINE DELEGATIONE fit, vel PER DELEGATIONEM.

* Quum

* Quum tamen dicatur, et absentes posse nouatione liberari, *L.* 13. §. 10. *D. de acceptil.* delegationem fieri consensu, nutu et per epistolam: *L.* 17. *D. de nouat. et deleg.* id intelligendum de mandato, quo delegans substituit alium: ipsa enim nouatio, id est noua delegati obligatio verbis sollemnibus vel stipulatione, siue inter praesentes, siue per procuratorem constituebatur. L. 27. *D. eod.* PAVLL. *sent. recept. Lib.* 5. *tit.* 8.

§. MXIIII.

SINE DELEGATIONE fit NOVATIO, quoties manente eodem debitore et creditore, (1. vel species obligationis mutatur, v. c. si qui ex emto debet, se quasi ex stipulatione reum constituit, §. 3. *Inst. h. t.* (2. vel priori obligationi aliquid accedit vel detrahitur, v. c. si quod sub conditione debetur, pure promittitur, §. 3. *Inst. eod.* (3. vel nihil quidem ex priore obligatione mutatur, sed diserte tamen declaratur nouandi animus. L. 2. *D. eod. L. vlt. C. eodem.* Nisi enim id fiat, et prior obligatio manet, et posterior quoque rata est. *d. L. vlt. C. eod.* Quando fiat sine delegatione?

§. MXV.

DELEGATIO contra fit, *quoties nouus debitor in locum prioris substituitur. L.* 11. *pr. D. eod.* Nouus ille reus dicitur EXPROMISSOR, L. 8. §. 5. *D. de nouat.* siue se ipse deleget vltro, L. 4. §. 1. *D. de manumiss.* quod fecit Paullus, dum pro Onesimo interuenit, *Philem. v.* 18. 19. Vid. ZACH. HVBERI *Dissert. philol. iurid. Lib. I. diss. III. cap.* 2. siue a debitore priore per mandatum delegetur. L. 17. *D. de nouat.* Quid delegatio et expromissio.

§. MXVI.

Ex his ergo sequitur, (1. vt prior debitor per delegationem liberetur, etiamsi delegatus deinde non sit soluendo. L. 26. §. 2. *D. mand. L.* 3. *C. de nouat.* (2. Vt delegationem et creditore volente, et consentiente delegato fieri oporteat. L. 1. L. 6. *C. eod.* (3. Vt inter delegantem et delegatum mandatum, inter creditorem et delegatum stipulatio plerumque intercedat. L. 1. §. 1. L. 17. *D. de nouat.* Eius effectus.

§. MXVII.

Hinc ergo EXPROMISSIO facile discernitur (1. a FIDEIVSSIONE vel ADPROMISSIONE, et CONSTITVTO, quorum neutrum obligationem priorem perimit. (§. 873.) Aeque facile delegatio (2. a CESSIONE discernitur, quippe qua persona creditoris inuito etiam debitore mutatur. L. 1. *C. eod.* quaeque adeo non est nouatio, ob L. 3. *C. de nouat.* Et differentia ab aliis negotiis.

§. MXVIII.

Voluntariae nouationis ratione obligationis prioris eadem effecta, ac solutionis. (§. 1002.) §. 3. *Inst. h. t.* Voluntariae nouationis effectus.

§. MXVIIII.

Necessariae vel litis contestationis non alius effectus est, quam quod Necessariae.

 post

post acceptum iudicium actio temporalis fit perpetua, poenalis rei persequutoria, L. 6. §. *vlt. D. de re iud. L. 26. D. de oblig. et act.* et hinc etiam actio poenalis contra heredem detur. §. 1. *Inst. de perpet. et tempor. action. L. 1. C. ex delict. def. in quant. her.*

§. MXX.

Modi quibusdam contractibus proprii.

Hi ergo sunt modi COMMVNES. PROPRII quibusdam contractibus sunt ACCEPTILATIO, et MVTVVS DISSENSVS. (§. 996.)

§. MXXI.

Eorum fundamentum.

Quum enim ex principiis Romanorum nihil esset tam naturale, quam eo genere quidque dissolui, quo colligatum est: (§. 997.) consequebatur, *vt verborum obligatio verbis tolleretur*. *L. 35. D. de reg. iur.* Nuda ergo remissio, seu pactum de non petendo non ipso iure tollebat obligationem, sed tantum producebat exceptionem pacti §. 3. *Inst. de except. L. 7. §. 4. L. 27. §. 2. D. de pact.* At ipso iure perimebat *acceptilatio* obligationem stipulatione contractam. L. 1. *D. de acceptilat.*

§. MXXII.

Acceptilatio.

Est ergo ACCEPTILATIO *actus legitimus*, (§. 70.) L. 77. L. 123. *D. de reg. iur. quo interrogatione debitoris, et congrua creditoris responsione obligatio per stipulationem contracta dissoluitur*. *L. 1. D. de acceptil.* Formula erat: QVOD EGO TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTVM? HABEO ACCEPTVM. §. 1. *Inst. h. t.*

§. MXXIII.

Quo modo acceptum ferri non possit?

Quum ergo sit actus legitimus: (§. 1022.) sequitur, (1. vt nec tutor, nec curator, nec procurator recte acceptum ferat. L. 3. L. 13. §. 10. *D. de acceptilat.* (2. Vt ea nec conditionem, nec diem admittat. L. 4. L 5. *D. eod.* Quamuis etiam, quod in diem vel sub conditione debetur, acceptilatione pure remitti posse, nullum sit dubium. L. 12. *D. eod.*

§. MXXIIII.

Et possit?

Deinde quum obligatio stipulatione dissoluatur, adeoque illa veluti alienetur: sequitur, (3. vt pupillus etiam sine tutoris auctoritate recte acceptum roget, L. 2. *D. eod.* sed non acceptum ferat. L. 1. *C. eod.* (§. 251. *sequ.*) (4. Vt et totum debitum, et pars eiusdem hoc modo exstingui possit, modo res sua natura sit diuidua. §. 1. *Inst. h. t.* L. 9. L. 10. L. 13. §. 1. *D. de acceptilat.*

§. MXXV.

Qualia debita tollat?

Denique et ex definitione (§. 1022.) et ex axiomate (§. 1021.) infertur, (5. acceptilationem ad solas verborum obligationes pertinere. §. 1. *Inst. h. t. L. 8. §. 3. D. de acceptilat.* adeoque, (6. si aliae obligationes, re, litteris, vel consensu initae, acceptilatione tollantur, hanc eas non ipso iure tollere, sed tamquam pactum de non pe-

petendo producere solum exceptionem pacti conuenti. (§. 1021.) L. 8. *pr. L. 19. pr. D. de acceptilat.*

§. MXXVI.

Inuenit tamen C. Aquillius Gallus, aequissimus ille et solertissimus cautionum artifex, CIC. *de nat. deor. Lib. III. cap. 30. de offic, Lib. III. cap. 14. pro Caecin. cap. 27.*) modum, etiam alias, quam verborum obligationes, per acceptilationem eodem effectu perimendi, quae acceptilatio STIPVLATIO AQVILLIANA dicitur. §. 2. *Inst. h. t.* Acceptilatio Aquiliana.

§. MXXVII.

Illa in eo consistit, quod obligatio primum per stipulationem in verborum obligationem deducitur, v. c. Titius interrogat Sempronium: *Quidquid te mihi ex mutuo*, (emto, chirogapho, cet.) *dare oportet, tantam pecuniam tu mihi dare spondes?* Respondet Sempronius: *spondeo*. Deinde noua haec verborum obligatio noua stipulatione tollitur, dum interrogat Sempronius: *quod tibi iam me daturum spopondi, id habesne a me acceptum?* Respondet Titius: *habeo a te acceptum*. Eo facto, acceptilatione sublata est obligatio etiam realis, litteralis, consensualis, ad quas alioquin non pertinet acceptilatio. §. 2. *Inst. h. t.* Eius descriptio.

§. MXXVIII.

Enimuero has ambages numquam recepere maiores nostri. Quumque pacta inter gentes nostras semper obligationem perfectam produxerint: (§. 777. *) hodie inter *pactum de non-petendo* et *acceptilationem* sollemnem nihil interesse, inter omnes constat. Vsus hodiernus.

§. MXXVIIII.

Alter modus *proprius*, MVTVVS DISSENSVS, (§. 996.) ad contractus consensu initos pertinet. Quemadmodum enim *nihil tam naturale est, quam eodem genere quidquid dissolui, quo colligatum est:* (§. 997.) ita rationi consentaneum est, *nudi consensus obligationem contrario consensu dissolui*. L. 35. *D. de reg. iur.* Mutuus dissensus.

§. MXXX.

Est vero MVTVVS DISSENSVS contraria priori obligationi consensuali, nondum adimpletae, conuentio: vt *emimus, non emimus*, §. *vlt. Inst. h. t.* Quas obligationes soluat?

§. MXXXI.

Ex quo sequitur, (1. vt contractus consensualis mutuo dissensu dissolui tantum possit re adhuc integra, *d. §. vlt. Inst. h. t.* adeoque, (2. si, re tradita et soluto pretio, aliud placeat contrahentibus, non prior obligatio tollatur, sed nouus contractus ineatur. *d. §. vlt. Inst. eod.* Quando ei locus sit?

L I B. IIII.

T I T. I.

DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX DELICTO NASCVNTVR.

§. MXXXII.

Connexio. Obligationem omnem aut *ἀμέσως* ex *aequitate* vel *lege* nasci diximus, aut mediante et intercedente *facto* nostro. (§. 771.) Factum id vel *licitum* esse monuimus, vel *illicitum*. Illud CONVENTIONEM; hoc MALEFICIVM, vel DELICTVM adpellauimus. (§. 772) Hactenus de conuentionibus: iam de delictis agendum.

§. MXXXIII.

Delictum quid? Est vero DELICTVM *factum illicitum*, *sponte admissum*, *quo quis et ad restitutionem*, *si fieri possit*, *et ad poenam obligatur*. Quum enim in omni delicto concurrant *reatus*, seu vitiositas actus, et *effectus*, seu damnum alteri illatum: illi *poena* respondet, huic *damni reparatio*, vti recte obseruauit GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 17. §. 22. Ad *poenam*, quia delicta suos auctores tenent, L. 32. *C. de poen.* illos solum, qui deliquerunt, obstrictos esse; L. 26. *D. eod.* contra *reparationem damni* et ex bonis peti posse, res ipsa docet.

§. MXXXIIII.

Verum et quasi delictum. Est porro delictum vel VERVM, vel QVASI DELICTVM*. Illud ex dolo malo; hoc ex culpa sine dolo admittitur*.

* Quamuis enim damnum iniuria datum tam ex culpa, quam ex dolo, nascatur: §. 3. *Inst. de leg. Aquill.* a potiore tamen ICti id delictum, quam quasi delictum, adpellare maluerunt.

§. MXXXV.

Publicum, vel priuatum. VERVM iterum vel PVBLICVM, vel PRIVATVM est. Illud publico iudicio publicaeque animaduersione vindicatur; hoc quum directe ad laesionem priuatorum tendat, tantum priuatam producit persequutionem. Talia sunt FVRTVM, RAPINA*, DAMNVM INIVRIA DATVM, INIVRIA. *pr. Inst. h. t.*

* Sed

* Sed duo priora semper visa sunt publica gentibus originis Germanicae, quia non minus securitas publica violatur furtis et rapinis, quam homicidiis. Quae principia et hodie sequitur. [Cont. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 19. §. 31.* et *tit. 20. §. 65.*]

§. MXXXVI.

Ordinarium et extraordinarium.

PVBLICVM vel ex lege quadam publicorum iudiciorum descendit, L. 1. *D. de publ. iud.* vel extra ordinem, quamuis nulla huiusmodi lex eam in rem lata sit, vindicatur. Prius vocatur CRIMEN ORDINARIVM: posterius EXTRAORDINARIVM *.

* Non ergo delicta extraordinaria hoc sensu *priuata* sunt, sed *publica*. Nam et ad rei publicae detrimentum pertinent, veluti *annonae flagellatio, ruptio aggerum Nili, collegia et corpora illicita*: et publico iudicio vindicatur, vnde locum habet accusatio, subscriptio in crimen, *L. vlt. D. de dol. priu.* poena capitalis, veluti ob aggeres Aegypti ruptos, cadauera spoliata, abigeatum, crimen receptatorum, effractorum. Vocantur quidem haec crimina *priuata*, *L. 1. §. vlt. D. de poen.* et inprimis non semper publica iudicia esse dicuntur, quae instituuntur ob concussionem, *L. 2. D. de concuss.* ob praeuaricationem, *L. 3. p. D. de praeuar.* ob stellionatum: *L. 1. D. de stellion.* sed id non fit, nisi eam ob caussam, quod inde ius accusandi non cuilibet ex populo datur, sed illi, qui laesus est. Hinc et de stellionatu actio neque publicis iudiciis, neque priuatis actionibus contineri dicitur PAPINIANO. *L. 1. D. de stell.* Non publicis, quia non licet cuius accusare; non priuatis, quia persequutio est publica. *L. 3. §. 2. D. eod.*

§. MXXXVII.

Actiones ex delictis rei et poenae persequutoriae, item mixtae.

Quum ergo in delictis vitiositas actus et effectus concurrant: (§. 1033.) consequens est, vt ex iis et ad *poenam* et ad *reparationem damni* agi possit. Hinc aliae actiones, natae ex delicto, REI PERSEQVVTORIAE sunt, vti condictio furtiua, actio rerum amotarum, aliae POENAE PERSEQVVTORIAE, vti actio furti, aliae REI ET POENAE PERSEQVVTORIAE, vti vi bonorum raptorum, actio ex lege Aquillia, maxime contra inficiantem, cet. §. 16. *Inst. de act.*

§. MXXXVIII.

Natura harum actionum.

Quumque hae actiones ad diuersa sint comparatae: sequitur, (1. vt se mutuo non tollant. (§. 1033.) L. 34. §. 2. *D. de oblig. et act.* (2. Vt rei persequutoriae et heredibus et contra heredes: (§. 1033.) L. 7. §. 2. L. 9. *D. de condict. furt.* L. 6. §. 4. *D. rer. amot.* (3. poenae persequutoriae, heredibus, sed non contra heredes; nisi lite cum defuncto contestata; (§. 1019.) *L. vn. C. ex delict. def. in quant. her. conuen.* (4. quae ad solam vindictam tendunt, nec heredibus nec contra heredes competant: (§. 1. *Inst. de perpet. et temp. act.* nisi lis iam cum defuncto contestata sit. *d. L. vn. C. ex del. defunct.* (5. Vt ex delictis plures rei teneantur in solidum, ita tamen, vt, si rem persequamur, vno soluente, reliqui liberentur. L. 1. C. *de condict. furt.*

§. MXXXV.

errore facti id, quod naturaliter indebitum erat, soluendo, alterum, qui ex ignorantia accepit, ad restitutionem obligasse censetur. §. 6. *Inst. h. t.*

§. DCCCCLXXXVIII.

Eius fundamentum.

Quum ergo fundamentum huius quasi contractus sit solutio ex errore facti praestita: (§. 987.) consequens est, (1. vt, qui sciens soluit indebitum, donandi consilio id fecisse videatur. *L.* 53. *D. de reg. iur. L.* 1. §. 1. *D. de condict. indeb.* (2. Vt qui ignorantia iuris soluit, indebitum non repetat, L. 10. *C. L.* 9. *pr. D. de iur. et fact. ign. L.* 6. 7. *C. de cond. indeb. L.* 9. *C. ad leg. Falc.* nisi fuerit minor, mulier, cet. quibus ius ignorare licet. L. 9. *D. de iur. et fact. ign.* (3. Vt, si in persona erratum, res semper condici possit. L. 19. §. 1. L. 65. §. *vlt. D. L.* 5. *C. de cond. indeb.*

§. DCCCCLXXXVIIII.

Quando repeti possit?

Quumque, quod solutum, vel naturaliter saltim indebitum esse oporteat: §(. 987.) sequitur, (4. vt quod naturaliter debebatur, non autem iure ciuili, (§. 769.) repeti nequeat, L. 13. *L.* 19. *L.* 38. *D. de condict. indeb.* nisi naturalis obligatio plane reiiciatur iure ciuili, quale quid contingit in obligatione pupillorum, prodigorum, mulierum intercedentium. L. 127. L. 6. *D. de verb. oblig. L.* 41. *D. de condict. ind. L.* 16. §. 1. *D. ad SC. Vellei.* (5. Vt, si id, quod et naturali, et ciuili iure indebitum est, vel solo iure ciuili debetur, soluitur, id repeti possit. L. 29. *et L.* 22. *L.* 26. §. 3. 7. *L.* 40. *L.* 54. *L.* 56. *D. de condict. indeb.*

§. DCCCCLXXXX.

Item.

Quum denique et in accipiente requiratur ignorantia: (§. 987.) sequitur, (6. vt non modo quasi ex contractu, sed et ex delicto repeti possit id, quod alter sciens dolo malo accepit: adeoque hoc casu soluenti non modo condictio indebiti, sed et condictio furtiua detur. *L.* 18. *D. de condit. furt.*

§. DCCCCLXXXXI.

Condictio indebiti.

Ceterum ex hoc quasi contractu nascitur CONDICTIO INDEBITI, quae actio, stricti iuris, (§. 781.*) competit ei, qui indebitum per errorem soluit, contra accipientem, eiusue heredem, ad restituendum id, quod solutum, cum fructibus et accessionibus, L. 15. *pr. L.* 65. §. 5. *D. de condit. indeb.* non vero cum vsuris. (§. 781.*) L. 1. *C. h. t.*

§. DCCCCLXXXXII.

Eius differentia ab aliis condictionibus.

Quae condictio facile ab aliis distinguitur. Qui enim non ex errore soluit, sed ob certam caussam futuram honestam, nec tamen sequutam dedit, ei ad repetendum id, quod datum est, competit CONDICTIO CAVSSA DATA, CAVSSA NON SEQVVTA. *L.* 1. *sequ. D. de condict. causs. dat.* Qui ob caussam futuram, solius accipientis contem-

pla-

platione turpem, dedit, is instituit CONDICTIONEM OB TVRPEM CAVSSAM. *L.* 1. *pr.* §. 1. 2. *D. de condict. ob turp. causs.* Denique qui plane sine omni caussa dedit, et nulla alia harum condictionum vti potest, ei contra accipientem ad rem restituendam datur CONDICTIO SINE CAVSSA. L. 1. *sequ. D. de condict. sin. causs.*

T I T. XXVIIII.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

§. DCCCCLXXXXIII.

Axiomatas de personis, per quas adquiritur nobis.

QVae personae res alias nobis adquirunt: eae etiam adquirunt OBLIGATIONES. Quare quum de illis abunde actum sit supra: (*Lib. II. tit.* 9. §. 469. *sequ.*) nihil attinet hic plura addere, praeterquam, quod in obligatione ex contractibus spectetur rei initium: * L. 78. *pr. in fin. D. de verb. oblig.* et hinc conditio exsistens ad principium retrotrahatur. L. 11. §. 1. *D. qui potior. in pign.* (§. 832. 7.)

* Aliud in legatis, quae ex eo tempore, quo dies cedere coepit, vires capiunt. *L.* 18. *D. de reg. iur.* L. 5. §. 2. *D. quand. dies leg. ced.* (§. 632. 7.)

§. DCCCCLXXXXIIII.

Conclusiones ex hoc axiomate.

Ex quo axiomate sequitur, (1. vt filiusfamilias patri, seruus domino, adquirat, licet vel maxime sibi stipuletur in eum euentum, si sui iuris futurus sit. *L. vlt. D. de stipulat. servor.* (2. Vt obligatio adquiratur patri vel domino, etiamsi conditio emancipato iam filio exstiterit. *L.* 78. *pr. D. de verb. oblig.*

T I T. XXX.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGATIO.

§. DCCCCLXXXXV.

Quot modis tollatur obligatio?

OBligatio semel constituta vel per EXCEPTIONEM tollitur, vel IPSO IVRE. Inter quae non vna differentia, (1. Si prius: obligatio non perimitur, nisi exceptio sit in iudicio opposita. L. 27. §. 2. *D. de*

D. de pact. Sin posterius: ea tollitur statim vi legis, etiam antequam ea caussa allegetur. Ita et (2. ex obligatione priore modo sublata nulla actio nascitur: ex obligatione posterioris generis nascitur quidem actio, sed exceptione eliditur.

§. DCCCCLXXXXVI.

Modi ipso iure soluendi obligationes, vel communes, vel proprii.

Modi, quibus ipso iure obligatio tollitur, aut COMMVNES sunt contractibus omnibus, vel plerisque, vti *solutio*, *compensatio*, *confusio*, *oblatio et consignatio*, *rei interitus*, et *nouatio*: aut quibusdam contractuum generibus PROPRII, vti *acceptilatio* et *mutuus dissensus.*

§. DCCCCLXXXXVII.

Axioma de his.

Posteriorum fundamentum latet in regula iuris: *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolui, quo colligatum est.* L. 35. et L. 100. *D. de reg. iur.*

§. DCCCCLXXXXVIII.

Solutio quid?

COMMVNIVM primus modus est SOLVTIO, (§. 996.) quae est *vera praestatio eius, quod in obligatione est.* L. 176. *D. de verb. sign.* Solutio enim non hic generatim omnem liberationem continet, sed est liberatio per praestationem eius, quod debetur. *L. 49. D. de solut. pr. Inst. h. t.*

§. DCCCCLXXXXVIIII.

Quis soluere possit?

Quum ergo in solutione aliquid praestandum sit: (§. 998.) sequitur, vt is demum recte soluat, eique cum effectu soluatur, cui libera est rerum suarum administratio. §. *vlt. Inst. quib. al. lic.* Perinde vero est, siue pro se quis soluat, siue pro alio, mandante, ignorante, inuito: *L.* 23. *L.* 40. *L.* 53. *D. de solut.* quamuis qui pro inuito soluit, regressum non habeat aduersus debitorem, nisi ex iure a creditore cesso. (§. 886.*)

§. M.

Quis non possit? et cui non possit?

Ex quo sequitur, (1. vt non recte soluat furiosus, pupillus, minor, sine tutoris auctoritate vel curatoris consensu. (§. 466.) §. *vlt. Inst. quib. alien. lic. L.* 9. §. 2. *D. de auct. tut. L.* 3. *C. de in int. rest. min.* (2. Vt iisdem non recte soluatur sine tutorum auctoritate, curatorum consensu, magistratuum decreto. (§. *eod.*) §. 2. *Inst. quib. alienar. lic. L.* 15. *L.* 96. *D. de solut.*

§. MI.

Quomodo soluendum.

Quumque solutio sit vera praestatio eius, quod debetur: (§. 998.) consequens est, (1. vt neque aliud pro alio inuito creditori soluendum sit, *pr. Inst. h. t. L.* 2. §. 1. *D. de reb. cred.* neque (2. per partes illi inuito fieri possit solutio, *L.* 9. *C. de solut. L.* 41. §. 1. *D. de vsur.* nisi debitum pro parte sit illiquidum, *L.* 21. *D. de reb cred.* neque (3. alio tempore et loco, quam conuenit. *L.* 39. *D. de solut.*

§. MII.

§. MII.

Quum denique, si ita vere praestitum sit, quod in obligatione erat, obligatio soluatur: (§. 996.) recte infertur, facta solutione ipso iure omnem perimi obligationem, vt et reus, et fideiussores, et pignora, et hypothecae liberentur: *pr. Inst. h. t. L. 43. D. de solut.* modo, quod ad pignora attinet, non alia supersint debita, quippe ob quae creditor ius retentionis exercere possit. (§. 825. *) *tit. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. ten.* Eius effectus.

§. MIII.

Alter modus *communis* est COMPENSATIO, (§. 995.) quae *est debiti et crediti (mutui) inter se contributio*. L. 1. *D. de compens.* Compensatio quid?

§. MIIII.

Quum ergo locum habeat, si debitum et creditum sit mutuum: (§. 1003.) sequitur, (1. vt frustra compensare velint, quorum creditum vel iniustum sit, *L. 14. D. L. 2. C. de compens.* vel mere naturale, plane inefficax. L. 30. L. 41. *D. de condict. indeb.* vel illiquidum, *L. vlt. §. 1. C. de compensat.* vel sub conditione aut ex die contractum. L. 7. L. 16. §. 1. L. 22. *D. eod.* (2. Vt vtriusque sit certa aestimatio. L. 4. L. 8. L. 12. *C. eod.* Vnde nec species cum genere, nec genus cum genere diuerso, L. 18. *pr. D. de pign. act. L. 2. §. 1. D. de reb. cred. L. 16. C. de solut.* nec delictum cum delicto compensatur. L. 2. §. 4. L. 13. §. 5. *D. ad leg. Iul. de adult.* (3. Vt, si diuersi sint creditores et debitores, nulla locum habeat compensatio. L. 16. *pr.* L. 18. §. 1. *D. L. 9. C. de compens.* Eius requisita.

§. MV.

Quumque debitum et creditum contribuantur: (§. 1003.) sequitur, (4. vt compensationis idem effectus sit, ac solutionis. (§. 1002.) L. 4. L. 12. *C. de compensat.* (5. Vt ex eo momento, quo mutuum debitum natum, vel vtrumque exspiret, vel alterutrum ad concurrentem summam ipso iure minuatur, * §. 30. *Inst. de act. L. vlt. C. de compens.* Et effectus

* Ita iure nouo. Iure veteri enim multum intererat inter contractus *bonae fidei*, et *stricti iuris*. In illis compensatio *ipso iure* minuebat debitum: in his non nisi *per exceptionem doli mali*. §. 30. *Inst. h. t.* (§. 782. *)

§. MVI.

Tertius modus communis est CONFVSIO, (§. 996.) quando obligatio debitoris et ius creditoris in eadem persona coalescunt. L. 75. *L. penult. D. de solut.* Quum enim ex contractu alter alteri obligetur: neminem sibi ipsi debere posse, adeoque hoc modo obligationem tolli, satis adparet. Confusio.

§. MVII.

Quartus est OBLATIO et CONSIGNATIO, (§. 996.) quo obligatio tol- Oblatio et consignatio.

tollitur, si debitor totam summam iusto tempore et loco *oblatam*, et a creditore *non receptam*, in iudicio, citata altera parte, *obsignat* et *deponit*. *L.* 19. *C. de vsur. L.* 9. *C. de solut.*

§. MVIII.

Eius effectus. Quod legitime factum, offerentem liberat (1. ab obligatione, tum ratione sortis, tum ratione vsurarum, quarum cursus statim sistitur: *L.* 19. *C. de vsur.* (2. a periculo rei, quippe quae ex eo non debitori, sed creditori perit. L. 9. C. *de solution.*

§. MVIIII.

Rei interitus. Quintus modus communis est REI INTERITVS. Quum vero vel species, vel genus, vel quantitas debeatur: (1. is modus ad solam speciem pertinet, L. 23. L. 49. *pr. D. de verb. oblig.* quia genus et quantitas non perire censentur. (§. *623.*)

§. MX.

Eius effectus. Quumque huius iuris fundamentum in eo positum sit, quod casum sentiat dominus: (§. 785. 3.) sequitur, (2. vt interitus speciei debitorem non liberet, qui in mora est, *d. L.* 23. *et L.* 49. nisi res aeque apud creditorem peritura fuisset. L. 14. §. 1. *D. depos. L.* 15. §. *vlt. D. de rei vind.* (3. Vt nec eum liberet interitus, cuius culpa res interiit. L. 23. *fin. D. de reg. iur. L.* 23. *L.* 49. *pr. D. de verb. oblig.* (§. *eod.*) (4. Vt fures et violenti possessores nullo modo rei interitu liberentur. *L. vlt. D. de condict. furt. L.* 1. §. 34. *L. penult. D. de vi et vi arm.*

§. MXI.

Nouatio. Sextus modus communis est NOVATIO, (§. *996.*) id est, *prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem, vel naturalem per stipulationem transfusio atque translatio. L.* 1. *pr. D. de nouat. L.* 27. §. 2. *D. de pact.*

§. MXII.

Quibus contractibus locum habeat? Quum ergo communis sit omnibus contractibus: nouari possunt obligationes omnes, ciuiles et praetoriae aeque ac naturales, siue verbis, siue consensu, siue alio modo contractae, transfundique non tantum in alias ciuiles, verum etiam in mere naturales, v. c. si pupillus sine tutoris auctoritate expromittit. (§. *769.* *) L. 1. §. 1. L. 2. L. 5. L. 14. *D. eod.*

§. MXIII.

Quotuplex? Diuiditur nouatio in VOLVNTARIAM, quae fit interueniente stipulatione, * per conuentionem partium: L. 2. *D. eod.* vel NECESSARIAM, quae fit per litis contestationem, iudicio accepto. L. 29. *D. eod.* Illa denuo vel SINE DELEGATIONE fit, vel PER DELEGATIONEM.

* Quum

* Quum tamen dicatur, et absentes posse nouatione liberari, *L.* 13. §. 10. *D. de acceptil.* delegationem fieri consensu, nutu et per epistolam: *L.* 17. *D. de nouat. et deleg.* id intelligendum de mandato, quo delegans substituit alium: ipsa enim nouatio, id est noua delegati obligatio verbis sollemnibus vel stipulatione, siue inter praesentes, siue per procuratorem constituebatur. L. 27. *D. eod.* PAVLL. *sent. recept. Lib.* 5. *tit.* 8.

§. MXIIII.

Quando fiat sine delegatione?

SINE DELEGATIONE fit NOVATIO, quoties manente eodem debitore et creditore, (1. vel species obligationis mutatur, v. c. si qui ex emto debet, se quasi ex stipulatione reum constituit, §. 3. *Inst. h. t.* (2. vel priori obligationi aliquid accedit vel detrahitur, v. c. si quod sub conditione debetur, pure promittitur, §. 3. *Inst. eod.* (3. vel nihil quidem ex priore obligatione mutatur, sed diserte tamen declaratur nouandi animus. L. 2. *D. eod. L. vlt. C. eodem.* Nisi enim id fiat, et prior obligatio manet, et posterior quoque rata est. *d. L. vlt. C. eod.*

§. MXV.

Quid delegatio et expromissio.

DELEGATIO contra fit, *quoties nouus debitor in locum prioris substituitur.* L. 11. *pr. D. eod.* Nouus ille reus dicitur EXPROMISSOR, L. 8. §. 5. *D de nouat.* siue se ipse deleget vltro, L. 4. §. 1. *D. de manumiss.* quod fecit Paullus, dum pro Onesimo interuenit, *Philem. v.* 18 19. Vid. ZACH. HVBERI *Dissert. philol. iurid. Lib. I. diss. III. cap.* 2. siue a debitore priore per mandatum delegetur. L. 17. *D. de nouat.*

§. MXVI.

Eius effectus.

Ex his ergo sequitur, (1. vt prior debitor per delegationem liberetur, etiamsi delegatus deinde non sit soluendo. L. 26. §. 2. *D. mand. L.* 3. *C. de nouat.* (2. Vt delegationem et creditore volente, et consentiente delegato fieri oporteat. L. 1. *L.* 6. *C. eod.* (3. Vt inter delegantem et delegatum mandatum, inter creditorem et delegatum stipulatio plerumque intercedat. L. 1. §. 1. L. 17. *D. de nouat.*

§. MXVII.

Et differentia ab aliis negotiis.

Hinc ergo EXPROMISSIO facile discernitur (1. a FIDEIVSSIONE vel ADPROMISSIONE, et CONSTITVTO, quorum neutrum obligationem priorem perimit. (§. 873.) Aeque facile delegatio (2. a CESSIONE discernitur, quippe qua persona creditoris inuito etiam debitore mutatur. L. 1. *C. eod.* quaeque adeo non est nouatio, ob L. 3. *C. de nouat.*

§. MXVIII.

Voluntariae nouationis effectus.

Voluntariae nouationis ratione obligationis prioris eadem effecta, ac solutionis. (§. 1002.) §. 3. *Inst. h. t.*

§. MXVIIII.

Necessariae.

Necessariae vel litis contestationis non alius effect us est, quam quod

 post

post acceptum iudicium actio temporalis fit perpetua, poenalis rei persequutoria, L. 6. §. *vlt. D. de re ind. L. 26. D. de oblig. et act.* et hinc etiam actio poenalis contra heredem detur. §. 1. *Inst. de perpet. et tempor. action. L. 1. C. ex delict. def. in quant. her.*

§. MXX.

Modi quibusdam contractibus proprii.

Hi ergo sunt modi COMMVNES. PROPRII quibusdam contractibus sunt ACCEPTILATIO, et MVTVVS DISSENSVS. (§. 996.)

§. MXXI.

Eorum fundamentum.

Quum enim ex principiis Romanorum nihil esset tam naturale, quam eo genere quidque dissolui, quo colligatum est: (§. 997.) consequebatur, *vt verborum obligatio verbis tolleretur. L. 35. D. de reg. iur.* Nuda ergo remissio, seu pactum de non petendo non ipso iure tollebat obligationem, sed tantum producebat exceptionem pacti §. 3. *Inst. de except. L. 7. §. 4. L. 27. §. 2. D. de pact.* At ipso iure perimebat *acceptilatio* obligationem stipulatione contractam. L. 1. *D. de acceptilat.*

§. MXXII.

Acceptilatio.

Est ergo ACCEPTILATIO *actus legitimus*, (§. 70.) L. 77. L. 123. *D. de reg. iur. quo interrogatione debitoris, et congrua creditoris responsione obligatio per stipulationem contracta dissoluitur. L. 1. D. de acceptil.* Formula erat: QVOD EGO TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTVM? HABEO ACCEPTVM. §. 1. *Inst. h. t.*

§. MXXIII.

Quo modo acceptum ferri non possit?

Quum ergo sit actus legitimus: (§. 1022.) sequitur, (1. vt nec tutor, nec curator, nec procurator recte acceptum ferat. L. 3. L. 13. §. 10. *D. de acceptilat.* (2. Vt ea nec conditionem, nec diem admittat. L. 4. L. 5. *D. eod.* Quamuis etiam, quod in diem vel sub conditione debetur, acceptilatione pure remitti posse, nullum sit dubium. L. 12. *D. eod.*

§. MXXIIII.

Et possit?

Deinde quum obligatio stipulatione dissoluatur, adeoque illa veluti alienetur: sequitur, (3. vt pupillus etiam sine tutoris auctoritate recte acceptum roget, L. 2. *D. eod.* sed non acceptum ferat. L. 1. *C. eod.* (§. 251. *sequ.*) (4. Vt et totum debitum, et pars eiusdem hoc modo exstingui possit, modo res sua natura sit diuidua. §. 1. *Inst. h. t.* L. 9. L. 10. L. 13. §. 1. *D. de acceptilat.*

§. MXXV.

Qualia debita tollat?

Denique et ex definitione (§. 1022.) et ex axiomate (§. 1021.) infertur, (5. acceptilationem ad solas verborum obligationes pertinere. §. 1. *Inst. h. t. L. 8. §. 3. D. de acceptilat.* adeoque, (6. si aliae obligationes, re, litteris, vel consensu initae, acceptilatione tollantur, hanc eas non ipso iure tollere, sed tamquam pactum de non pe-

petendo producere solum exceptionem pacti conuenti. (§. 1021.) L. 8. *pr.* L. 19. *pr.* D. *de acceptilat.*

§. MXXVI.

Inuenit tamen C. Aquillius Gallus, aequissimus ille et solertissimus cautionum artifex, Cic. *de nat. deor. Lib. III. cap.* 30. *de offic. Lib. III. cap.* 14. *pro Caecin. cap.* 27.) modum, etiam alias, quam verborum obligationes, per acceptilationem eodem effectu perimendi, quae acceptilatio STIPVLATIO AQVILLIANA dicitur. §. 2. *Inst. h. t.* Acceptilatio Aquiliana.

§. MXXVII.

Illa in eo consistit, quod obligatio primum per stipulationem in verborum obligationem deducitur, v. c. Titius interrogat Sempronium: *Quidquid te mihi ex mutuo*, (emto, chirogapho, cet.) *dare oportet, tantam pecuniam tu mihi dare spondes?* Respondet Sempronius: *spondeo*. Deinde noua haec verborum obligatio noua stipulatione tollitur, dum interrogat Sempronius: *quod tibi iam me daturum spopondi, id habesne a me acceptum?* Respondet Titius: *habeo a te acceptum*. Eo facto, acceptilatione sublata est obligatio etiam realis, litteralis, consensualis, ad quas alioquin non pertinet acceptilatio. §. 2. *Inst. h. t.* Eius descriptio.

§. MXXVIII.

Enimuero has ambages numquam recepere maiores nostri. Quumque pacta inter gentes nostras semper obligationem perfectam produxerint: (§. 777. *) hodie inter *pactum de non petendo* et *acceptilationem* sollemnem nihil interesse, inter omnes constat. Vsus hodiernus.

§. MXXVIIII.

Alter modus *proprius*, MVTVVS DISSENSVS, (§. 996.) ad contractus consensu initos pertinet. Quemadmodum enim *nihil tam naturale est, quam eodem genere quidquid dissolui, quo colligatum est*: (§. 997.) ita rationi consentaneum est, *nudi consensus obligationem contrario consensu dissolui*. L. 35. *D. de reg. iur.* Mutuus dissensus.

§. MXXX.

Est vero MVTVVS DISSENSVS contraria priori obligationi consensuali, nondum adimpletae, conuentio: vt *emimus, non emimus*, §. *vlt. Inst. h. t.* Quas obligationes soluat?

§. MXXXI.

Ex quo sequitur, (1. vt contractus consensualis mutuo dissensu dissolui tantum possit re adhuc integra, *d.* §. *vlt. Inst. h. t.* adeoque, (2. si, re tradita et soluto pretio, aliud placeat contrahentibus, non prior obligatio tollatur, sed nouus contractus ineatur. *d.* §. *vlt. Inst. eod.* Quando ei locus sit?

LI-

* Sed duo priora semper visa sunt publica gentibus originis Germanicae, quia non minus securitas publica violatur furtis et rapinis, quam homicidiis. Quae principia et hodie sequitur. [Cont. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 19.* §. 31. et *tit.* 20. §. 65.]

§. MXXXVI.

PVBLICVM vel ex lege quadam publicorum iudiciorum descendit, L. 1. *D. de publ. iud.* vel extra ordinem, qu[illegible]muis nulla huiusmodi lex eam in rem lata sit, vindicatur. Prius vocatur CRIM[illegible]EN ORDINARIVM: posterius EXTRAORDINARIVM *. Ordinarium et extraordinarium.

* Non ergo delicta extraordinaria hoc sensu *priuata* sunt, sed *publica*. Nam et ad rei publicae detrimentum pertinent, veluti *annonae flagellatio, ruptio aggerum Nili, collegia et corpora illicita:* et publico iudicio vindicatur, vnde locum habet accusatio, subscriptio in crimen, *L. vlt. D. de dol. priu.* poena capitalis, veluti ob aggeres Aegypti ruptos, cadauera spoliata, abigeatum, crimen receptatorum, estractorum. Vocantur quidem haec crimina *priuata*, L. 1. §. *vlt. D. de poen.* et inprimis non semper publica iudicia esse dicuntur, quae instituuntur ob concussionem. L. 2. *D. de concuss.* ob praeuaricationem, L. 3. *p. D. de praeuar.* ob stellionatum: L. 1. *D. de stellion.* sed id non fit, nisi eam ob caussam, quod inde ius accusandi non cuilibet ex populo datur, sed illi, qui laesus est. Hinc et de stellionatu actio neque publicis iudiciis, neque priuatis actionibus contineri dicitur PAPINIANO. *L. 1. D. de stell.* Non publicis, quia non licet cuiuis accusare; non priuatis, quia persequutio est publica. L. 3. §. 2. *D. eod.*

§. MXXXVII.

Quum ergo in delictis vitiositas actus et effectus concurrant: (§. 1033.) consequens est, vt ex iis et ad *poenam* et ad *reparationem damni* agi possit. Hinc aliae actiones, natae ex delicto, REI PERSEQVVTORIAE sunt, vti condictio furtiua, actio rerum amotarum, aliae POENAE PERSEQVVTORIAE, vti actio furti, aliae REI ET POENAE PERSEQVVTORIAE, vti vi bonorum raptorum, actio ex lege Aquillia, maxime contra inficiantem, cet. §. 16. *Inst. de act.* Actiones ex delictis rei et poenae persequutoriae, item mixtae.

§. MXXXVIII.

Quumque hae actiones ad diuersa sint comparatae: sequitur, (1. vt se mutuo non tollant. (§. 1033.) L. 34. §. 2. *D. de oblig. et act.* (2. Vt rei persequutoriae et heredibus et contra heredes: (§. 1033.) L. 7. §. 2. L. 9. *D. de condict. furt. L. 6. §. 4. D. rer. amot.* (3. poenae persequutoriae, heredibus, sed non contra heredes; nisi lite cum defuncto contestata; (§. 1019.) *L. vn. C. ex delict. def. in quant. her. conuen.* (4. quae ad solam vindictam tendunt, nec heredibus nec contra heredes competant: (§. 1. *Inst. de perpet. et temp. act.* nisi lis iam cum defuncto contestata sit. *d. L. vn. C. ex del. defunct.* (5. Vt ex delictis plures rei teneantur in solidum, ita tamen, vt, si rem persequamur, vno soluente, reliqui liberentur. L. 1. C. *de condict. furt.* Natura harum actionum.

§. MXXXV.

§. MXXXVIIII.

Delictum primum priuatum, furtum. Iam de delictis priuatis, (§. 1035.) et speciatim quidem hoc titulo de FVRTO agendum.

§. MXXXX.

Eius definitio. FVRTVM *est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel vsus eius, possessionisue, quod lege naturali prohibitum est admittere*. L. 1. §. 3. *D. de furt.* §. 1. *Inst. h. t.*

§. MXXXXI

Quis furti reus? Quum ergo furtum sit contrectatio, id est rei motio a loco: (§. 1040.) sequitur, (1. vt qui furandi animo ingressus, nihil contrectauit, fur dici haud possit, sed vel iniuriarum, aut de vi teneatur, L. 21. §. 7. *D. de furt.* sed tamquam *directarius* extra ordinem sit puniendus. L. 7. *D. de extraord. crimin.* L. 1. §. 2. *D. de effract.* (2. Vt sola cogitatio furti faciendi furem haud faciat, L. 1. §. 1. *D. de furt.* praeterquam si cuius ope vel consilio furtum factum, §. 11. *Inst. h. t.* (3. Vt in tantum locum habeat actio furti, in quantum facta contrectatio. L. 21. *pr. D. eod.*

§. MXXXXII.

An et furiosus, infans, impubes, pauper? Quumque furtum sit *fraudulosa* contrectatio: (§. 1040.) consequens est, (4. vt furtum non faciant furiosi, dementes, infantes, infantiaeque proximi. §. 18. *Inst. h. t.* (5. Vt contra furti reus esse possit pubertati proximus, licet mitius vulgo puniri soleat. L. 23. *D. de furt.* (6. Vt necessitas extrema a furto excuset. GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 11. §. 6. *cap.* 3. *X. de furt.*

§. MXXXXIII.

An et res propria, et nullius surripi queat? Quia porro fur *rem alienam* contrectat: (7. furtum rei propriae nemo facit, L. 43. §. 1. *D. eod.* nisi ea ab alio iuste possidetur, quo casu locum habet furtum possessionis: (§. 1050.) nec (8. rei nullius, vel a nemine possessae, furtum fieri potest. Quod adeo verum est, vt nec, qui ex hereditate iacente aliquid surripit, fur intelligatur, L. 68. *D. eod.* quamuis quia hereditas nondum adita defuncti vicem sustinere censetur, (§. 329.) crimen EXPILATAE HEREDITATIS extraordinarium locum habeat. L. 4. *D. expil. her.*

§. MXXXXIIII.

Res amotae. Ex eodem principio sequitur, (9. vt, quia vir et vxor, saltim quoad vsum, constante matrimonio quodammodo in communione sunt, (§. 146.*) si quid illa viro, vel hic vxori, ante diuortium* subtraxerit, non furti actio locum habeat, sed RERVM AMOTARVM, ad res diuortii caussa amotas cum omni caussa restituendas. *Tit. D. de act. rer. amot.*

* Hinc

* Hinc si concubina quid surripuit, L. 17. *pr. D. de act. rer. amot.* aut si vxor post diuortium res mariti contrectet, L. 3. *pr. D. eod.* furtum committitur.

§. MXXXXV.

An filius familias furti reus?

Multo minus (10. filius familias qui viuo patre rerum paternarum quodammodo dominus habetur, (§. 588.) patri quid suffuratus, furti reus est. §. 12. *Inst. h. t.* Accedit et altera ratio, quod pater et filius pro vna persona habeantur, adeoque nulla inter eos nascatur actio: (§. 139. 7.) L. 16. *D. de furt.* Quae ratio et in seruos cadit. *d.* §. 12. *Inst. h. t. L.* 17. *pr. D. de furt.*

§. MXXXXVI.

Furtum non est sine animo lucri faciendi.

Quandoquidem etiam *lucri faciendi caussa* furtum committitur: (§. 1040.) sequitur, (11. vt, qui non lucri, sed libidinis caussa ancillam alienam rapuerit, furtum non committat. *L.* 39. *pr. D. de furt.* (12. Vt, qui nocendi caussa contrectauit, ex lege Aquillia; L. 5. §. *vlt.* L. 41. *D. ad l. Aquill.* qui contumeliae caussa, actione iniuriarum possit conueniri. *L.* 53. *pr. D. de furt.*

§. MXXXXVII.

Furtum quotuplex.

Denique quum contrectatione interuerti possit vel res, vel vsus, vel possessio (§. 1040.) furtum quoque vel REI, vel VSVS, vel POSSESSIONIS est. §. 6. *Inst. h. t.*

§. MXXXXVIII.

Furtum rei.

Furtum REI committit, qui contrectat (1. res mobiles, siue animatas, siue inanimatas, siue magnas, siue minimas §. 1. *Inst. de vi bon. rapt.* adeoque (2. etiam filios familias, (§. 135. *) §. 9. *Inst. h. t. L.* 14. §. 13. *L.* 38. §. 1. *D. de furt.* multoque magis (3. seruos et ancillas, (§. 77.) modo non libidinis, sed lucri caussa surripiantur: (1046. 11.) non autem (4. liberos homines sui iuris, vel fugitiuos, vel in quibus crimen PLAGII committitur. L. 1. L. 2. L. 6. §. 2. *D. ad leg. Fab. de plag.*

§. MXXXXVIIII.

Vsus.

Furtum vsus committitur ab eo, qui vel re, sibi vsui non concessa, vtitur, (§. 810. 4. 822. 6.) vel concessa aliter vtitur, ac dominus velit. L. 40. L. 54. *pr. L.* 76. *pr. D. de furt.* §. 6. *Inst. h. t.* Elegans rigidioris Romanorum disciplinae exemplum exstat apud VALER. MAX. *Lib. VIII. cap.* 2. GELL. *Lib. VII. cap.* 15.

§. ML.

Possessionis.

Furtum POSSESSIONIS * committitur ab ipso domino debitore, qui creditori pignus datum clam aufert. §. 10. *Inst. h. t. L.* 12. §. 2. *L.* 19. §. *penult. L.* 79. *D. de furt.*

* Quamuis enim ex contractu pignoris non trasferatur possessio ciuilis: (§. 810. 2.) transfertur tamen naturalis strictius accepta, qua quis rem non quidem animo domini, sed tamen propter ius in re possidet. *L.* 37. *D. de adquir. rer. domin.*

§. MLI.

Altera diuisio furti.

Diuidebatur porro furtum a Romanis in MANIFESTVM, (ἐπ' αὐτοφώρῳ,) NEC MANIFESTVM, CONCEPTVM, OBLATVM, PROHIBITVM, NON EXHIBITVM. §. 4. *Inst. h. t.*

§. MLII.

Quid nec manifestum?

MANIFESTVM est, quum fur in ipso furto, antequam eo perueneRit, quo furtum deferre destinauerat, adclamando vel accurrendo deprehenditur §. 3. *Inst. h. t. L.* 3. *pr.* §. 1. *sequ. L.* 4. *L.* 5. *L.* 71. §. 1. *D. de furt.*

§. MLIII.

Quid nec manifestum?

NEC MANIFESTVM, quum fur ἐπ' αὐτοφώρῳ non deprehenditur. §. 3. *Inst. h. t. L.* 8. *D. de furt.*

§. MLIIII.

Quid conceptum.

CONCEPTVM, quando res furtiua sollemni ritu per lancem et licium quaesita ac apud aliquem, qui, licet fur non sit, rem tamen furtiuam esse sciuerit, L. 8. *C. ex quib. causs. infam.* inuenta sit. (Vid. *Antiqu. nostr. Rom. h. t.* §. 13. *sequ.*) §. 4. *Inst. h. t.*

§. MLV.

Quid oblatum?

OBLATVM, quum res furtiua ab aliquo tibi, ignoranti, rem furtiuam esse, L. 14. §. 4. *D. de furt.* oblata, apud te concepta sit, dum eo oblata sit animo, vt apud te potius, quam apud eum, qui dedit, conciperetur. §. 4. *Inst. h. t.*

§. MLVI.

Quid prohibitum?

PROHIBITVM, quum quis furtum quaerere praesentibus testibus volentem prohibuit. §. 4. *Inst. h. t.*

§. MLVII.

Quid non exhibitum?

NON EXHIBITVM, quum quis furtiuam rem apud se quaesitam et inuentam non exhibuit. §. 4. *Inst. h. t.*

§. MLVIII.

Poena furti quadruplum duplem ec.

Ex furto *manifesto* actio dabatur poenae persequutoria in quadruplum, ex *nec manifesto* in duplum. §. 5. *Inst. h. t.* Ex *concepto* initio in triplum, postea in duplum. GELL. *Noct. Att. Lib. XI. cap.* 18. Ex *oblato* in triplum, non computata rei aestimatione, GELL. *ibid.* PAVLL. *Sent. recept. Lib. II. tit.* 31. §. 45. ex *prohibito* denique et *non exhibito* itidem in duplum *.

* De

* De furto saltim *non exhibito* id colligitur ex PLAVT. *Poenul. Act. III. scen.* 1. *v.* 54. *sequ.* vbi Agorastocles adolescens infortunio mactaturus Lycum, lenonem, Collybisco villico suo dederat trecentos nummos Philippum, quos deferret ad lenonem, assimulans, peregrinum se esse, et locum quaerere, vbi genio indulgeat. Venit postea Agorastocles cum aduocatis testibus, villicum, tamquam fugitiuum, et pecuniam apud lenonem quaesiturus, quumque hic Milphionem seruum quaeri ratus, inficiaretur, seruum cum pecunia secum esse, leno dupli reus fit. Plerique hunc locum de actione *serui corrupti* interpretantur; sed perperam, quum potius sit actio *furti non exhibiti*. Aiunt enim eo loco aduocati

Ille negabit, Milphionem quaeri censebit tuum
Id duplicabit omne FVRTVM, *leno addicetur tibi.*

Ita et *act.* I. *scen.* 1. *v.* 55.

Negabit, quid tu dubitas, quin extempulo
Dupli tibi auri et hominis FVR *leno siet?*

Nec non *act.* III. *scen.* 4. *v.* 27. *Homo* FVRTI *se adstringit. Act.* III. *scen.* 5. *v.* 39. *Age, omitte actutum, furcifer, marsupium. Manifesto* FVR *es mihi.* Denique *act.* V. *scen.* 6. *v.* 14. *Duplum pro* FVRTO *mihi opus est.* Quis dubitet ergo, de actione furti non exhibiti sermonem esse?

§. MLVIIII.

Sed et priuata illa et sollemnis rerum furtiuarum inquisitio iam pridem post legem Aebutiam ab vsu recesserat, * GELL. *Noct. Att. Lib. XVI. cap.* 10. et ipsae actiones furti concepti, oblati, prohibiti, non exhibiti obsoleuerant, quamuis omnes, qui scientes rem furtiuam susceperunt, et celarunt, furti nec manifesti rei sint. §. 4. *Inst. h. t.* — Vsus hodiernus.

* Non tamen exoleuit ipsa inquisitio, quae iudicis auctoritate fit in aedibus priuatorum, dummodo vel vicatim fiat, vel indicia quaedam concurrant L. 8. *C. ex quib. causs. infam.* L. 1. §. 2. *et* 3. *L.* 3. *D. de fugit.* L. 2. *C. de seru. fug.*

§. MLX.

Sed et vel NOCTV fit furtum, vel INTERDIV. L. 54. §. 2. *D. de furt. Nocturnum* furem occidere licet, si aliter periculum euitari non possit, et id clamore suo occideus testificetur: *diurnum* non nisi si se telo, quum deprehenditur, defendit. L. 54. §. 2. *D. eod. L.* 4. §. 1. *D. ad leg. Aquill. L.* 9. *D. ad leg. Cornel. de sicar.* Conf. *Exod. XXII.* 2. *et* 3. *cap.* 3. *X. de homicid.* — Furtum nocturnum et diurnum.

§. MLXI.

Ex furto agitur vel CIVILITER, vel CRIMINALITER. Si *ciuiliter*: tunc aut *poenam*, aut *rem* persequimur. (§. 1037.) — Actiones ex hoc delicto quotuplices?

§. MLXII.

REI persequendae caussa datur CONDICTIO FVRTIVA domino, * L. 1. *D. de condict. furtiu.* vel bonae fidei possessori, nec non tutori nomine pupilli, L. 136. *D. de reg. iur. L.* 56. §. *penult. D. de furt.* eiusue heredi, (§. 1038. 2.) contra furem, siue possideat, siue possidere dolo desierit, eiusque heredes, (§. *eod.* 2.) ad rem furto ablatam restituendam, cum omni caussa, eiusue aestimationem. *Tit. D. de condict. furt.* — Condictio furtiua.

* Quod alias iuris principiis repugnare videtur. Dominus enim rem suam non condicit, vel actione personali petit, sed vindicat. (§. 1126. 3.) *L. vlt. D. vsufr. quemad. cau.* §. 14. *Inst. de. act.* Vnde id odio furum receptum. Interim tamen et omissa hac condictione dominus potest vti *rei vindicatione*. §. *vlt. Inst. h. t.*

§. MLXIII.

Actio furti. Ad poenam persequendam comparata est ACTIO FVRTI, quae datur non modo domino, nec huic semper, sed et ei, cuius interest, §. 13. *Inst. h. t.* veluti creditori ratione pignoris, §. 14. *Inst. h. t.* b. f. possessori, §. 15. *Inst. h. t.* omnique cuius est periculo res, quique soluendo est, §. 17. *Inst. h. t.* aduersus furem, eumque, qui recepit, celauit, cuiusue ope consilioue furtum factum, §. 11. *Inst. h. t.* ad duplum, si furtum *nec manifestum* sit, ad quadruplum, si *manifestum*. §. 5. *Inst. h. t.*

§. MLXIIII.

An altera alteram tollat? Quumque actiones rei et poenae persequutoriae se mutuo non tollant: (§. 1038. 1.) sequitur, vt licet fur duplum vel quadruplum soluerit, tamen condictio furtiua vel rei vindicatio nihilominus habeat locum. L. 54. §. 3. *D. de furt.*

§. MLXV.

Criminalis persequutio. Extra ordinem etiam CRIMINALITER iure Romano ex furto agitur vel ad mulctam fisco adplicandam, vel ad poenam corporis adflictiuam, vel capitalem. *L. vlt. D. de furt. L. 6. pr. D. ad leg. Iul. pecul.* Sed Iustinianus vetuit ob furtum cuiquam irrogari poenam capitalem, vel quae in membri mutilatione consistat, voluitque, vt fures in exsilium eiiciantur, vel condemnentur in mulctam. *Nou.* CXXXIIII. *cap. vlt. Auth. sed noue* C. *de seru. fugit.*

§. MLXVI.

Vsus hodiernus. Tale ius Romanum. Moribus nostris fere poena furti cessat in furto vsus, et actio tantum datur in id, quod interest. Quin actiones poenales in duplum et quadruplum fere vbique cessant, quia vix fert rerumpublicarum nostrarum facies, vt poenae pecuniariae actori adplicentur. Quum vero nostris maioribus furtum semper visum sit crimen publicum: (§. 1035. *) eius persequutio et hodie fere criminalis est.

§. MLXVII.

Poena suspendii vnde? Ex constitutione ergo criminali Carolina furum masculorum gula laqueo frangitur, foeminae suffocantur in aquis: *Const. crim. art.* 162. non ex principiis iuris Romani, sed veteris Germanici, cuius vestigia in constitutione FRIDERICI imp. 2. *Feud.* 27. §. *vlt.* expressissima supersunt.

§. MLXVIII.

§. MLXVIII.

Nimirum (1. furtum commissum vel *simplex*, vel cum effractione seu adscensu per scalas, aut cum vi maiore coniunctum est, veluti si telo instructus fur in aedes irruerit, quod furtum Nemesćos Carolinae interpretes *qualificatum* vocant. Et in hoc posteriore ordinarie locum habet poena suffocationis. *Const. crim. Carol. art.* 159. (2. *Simplex* in *magnum* et *paruum* distinguitur. Si enim fur ultra quinque florenos solidos, id est, vltra quinque aureos Hungaricos surripuerit, furtum dicitur *magnum*, et hoc quoque suffocatione puniri solet. *Const. crim. art.* 160. 161. (3. *Paruum* vel *primum*, vel *iterum*, vel *tertium* commissum est. Furtum *primum* pro diuersis circumstantiis carcere, relegatione, ictu fustium punitur. *Art.* 158. Circa *secundum* itidem obtinet poena extraordinaria. *Art.* 161. *Tertium* furati autem suffocatione plectuntur; Si aestimatio omnium furtorum summam quinque solidorum excedat. *Art.* 162. Eius poena ex constitutione Caro-

§. MLXVIIII.

Sed quia haec poena satis atrox est: ea non irrogatur (1. ob furta domestica, *art.* 165. nec (2. iis, qui res ab alio amissas inuentasque a se celant, nec (3. piscantibus in alienis riuis, nec (4. ob furta, vbi de rerum aestimatione non satis constat, *art.* 165. 168. 169. nec (5. ex quorumdam sententia, sane mitiore, furibus, qui rem ablatam restituerunt. CARPZ. *Part. IIII. Const.* 32. *def.* 15. *sequ.* Quando mitigetur.

§. MLXX.

Ceterum nec suffocationis, nec vlla alia poena tollit actionem rei persequutoriam. (§. 1038. t.) VLR. HVBER. *Prael. Pand. de furt.* §. 6. Aliud vulgo doctores Saxonici ob *glossam iuris provinc. Sax. Lib. II. art.* 30. *n.* 4. *mit dem Todt wettet man dem Richter, und busset dem Klager*, quam ita vertunt: *morte et iudici satisfit, et actori;* quum tamen verbum *Bussen* non notet rei restitutionem, sed poenam actori adplicandam. Sed ita tamen in foro Saxonico obtinet. CARPZOV. *Part. IIII. const.* 32. *def.* 23. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 19. §. 30. *seqq.*] An supplicium capitale tollat rei persequutionem?

TIT. II.

DE VI BONORVM RAPTORVM.

§. MLXXI.

Alterum delictum priuatum est RAPINA, (§. 1035.) quae est *violenta rei alienae mobilis ablatio, lucri faciendi caussa dolo malo facta.* Rapinae definitio.

§. MLXXII.

§. MLXXII.

Eius es furti differentia. Ergo eatenur conueniunt *furtum* et *rapina*, quod vtrumque delictum in dolosa rei alienae mobilis contrectatione consilioque lucrum faciendi consistit: sed in eo differunt, quod furtum sit ablatio *fraudulosa;* rapina ablatio *violenta*. L. 2. §. 1. *D. h. t.*

§. MLXXIII.

Actio vi bonorum raptorum locum non habet de immobilibus. Ex definitione ergo (§. 1071.) infertur, (1. locum non habere actionem vi bonorum raptorum, si quis rem immobilem inuasit: sed tunc vel ex interdicto *vnde vi*, vel ex lege Iulia *de vi publica vel priuata* agendum esse. L. 2. §. 1. *D. h. t.*

§. MLXXIIII.

Nec de rebus propriis alteri ereptis. Ex eadem sequitur, (2. vt, si quis rem non alienam, sed quam suam putauit, siue mobilem, siue immobilem, vi rapiat, is rapinae reus haud sit. L. 2. §. 18. *D. h. t.* Ne tamen, dum talia excogitantur, via inueniatur, per quam raptores impune suam exerceant auaritiam: cautum est constitutionibus, vt, qui rem, quam suam existimabat, vi rapuit, dominio rei suae caderet: sin aliena res reperiatur, post restitutionem eius aestimationem praestare teneatur, L. 13. *D. quod met. causs.* L. 7. *C. vnde vi*, §. 1. *Inst. h. t.* et quidem non fisco, sed laeso. VLR. HVBER. *Prael. Inst. h. t.* §. 11.

§. MLXXV.

Eius delicti forma in dolo consistit. Porro inde colligendum, (3. solum hic dolum spectari, non rei raptae pretium. *pr. Inst. h. t.* L. 2. §. 18. *D. eod.* (4. Hoc delictum non cadere in impuberem, L. 2. §. 19. *D. eod.* adeoque nec in quemquam, qui doli incapax, veluti furiosum, dementem, cet.

§. MLXXVI.

Actio inde nata. Potest quidem et contra raptorem ACTIO FVRTI locum habere, quia et ipse fur improbus est: *pr. Inst.* L. 2. §. 10. *D. h. t.* Datur tamen et a praetore ACTIO VI BONORVM RAPTORVM mixta, id est, rei ac poenae persequutionem continens, (§. 1037.) qua dominus, vel is, cuius interest, (§. 2. *Inst.* L. 2. §. 22. *seqq. D. h. t.*) agit contra raptorem (non etiam contra heredem, (§. 1038. 2.) intra annum in quadruplum, post annum in simplum, *pr. Inst. h. t.* nisi Iudaeo Christianus quid rapuerit, quo casu tantum poena simpli, L. 6. *C. de pagan.* vel nisi quis nauicularios diripuerit, quo casu quadruplum poena est. L. 5. *C. de nauicul.*

§. MLXXVII.

Quadruplum an solam poenam contineat? Hoc vero quadruplum, vti diximus, secus ac in actione furti, et rei pretium, et poenam continet. *pr. Inst. h. t.* Ex quo colligendum, (1. nullam ex hoc delicto dari actionem rei persequutoriam. (2. Si quis ob rapinam actionem furti instituerit: (§. 1076.) ei et condictionem

ctionem furtiuam ad rem eiusue aestimationem etiam ab ipsis heredibus consequendam, vel rei vindicationem competere. L. 2. §. *vlt. et penult. D. h. t.*

§. MLXXVIII.

Dabatur et criminalis huius delicti persequutio contra grassatores, qui ferro instructi rapiunt, et latrones, qui et occidunt, et spoliant. L. 28. §. 10. L. 28. §. 15. *D. de poen.* Actio criminalis.

§. MLXXVIIII.

Sed vti Germanis rapina semper visa est delictum publicum: (§. 1035. *) ita et hodie paenae vbique criminaliter ex ea agitur, nec locum habet actio in quadruplum. (§. 1076.) Secundum constitutionem sane criminalem et mores, raptor rei vel minimae gladio feritur, grassatoris cadauer praeterea rotae in via publica illigatur: latro crurifragio plectitur. *Const. crim. art.* 126. *et arg. art.* 130. Alibi grassatores, qui saepe id fecerint, vel ferro vsi sint, capitis damnantur, alibi exsilio vel ictu fustium adficiuntur. Secundum L. 28. §. 10. *D. de poen.* grassatores capitis damnantur: famosi latrones furcae figuntur, L. 28. §. 15. *D. eod.* Raptores simplices alicubi extra ordinem puniuntur, secundum *περιστάσεις*, et tunc demum, si rapinam tamquam artificium exercent, capitis damnantur. Vid. VLR. HVBER. *Prael. ad Dig. h. t.* §. 1. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 20. §. 65. *seqq.*]. Vsus hodiernus.

T I T. III.

DE LEGE AQVILLIA.

§. MLXXX.

TErtium delictum est DAMNVM INIVRIA DATVM, quod vindicatur ex LEGE AQVILLIA. (§. 1035.) DAMNVM vero INIVRIA DATVM *est omnis patrimonii deminutio, nullo iure facta*, et quidem *ab homine libero*. Nam si seruus, (olim et filius familias §. 138. 3.) delicto priuato quocumque alterum laesisset, id quidem NOXIAE; sin quadrupes nouisset, PAVPERIEI nomine veniebat ICtis. Damnum iniuria datum quid?

§. MLXXXI.

Quum ergo *iniuria* damnum datum esse oporteat, (§. 1080.) *iniuria* autem *factum* dicatur, quod non iure factum: §. 2. *Inst. h. t.* sequitur, (1. vt ex lege Aquillia teneatur non modo qui dolo, sed et qui culpa damnum intulit, §. 2. 3. 14. *Inst. h. t.* etiam leuissima, An solo dolo datum huc pertineat?

* L. 44.

* L. 44. *pr. D. h. t.* veluti, si quis imperitia artis, quam profitetur, aliquid egit, vel infirmitatis suae parum memor aliquid suscepit, quo alteri nocetur. §. 4. §. 5. §. 6. §. 7. §. 8. *Inst. L.* 5. *L.* 6. *L.* 7. *L.* 8. L. 30. *L.* 31. *L.* 44. *pr. D. h. t.*

* Ex quo non absurde a quibusdam colligitur, legem Aquilliam non solum ad vera delicta, sed et ad damna quasi ex delicto data pertinuisse, quamuis facta a potiore denominatione ea lex verum delictum vindicasse dicatur. (§. 1034. *) Sane si actio de effusis et deiectis ex lege Aquillia est, quod visum BYNKERSHOEKIO: eo minus haec obseruatio vocari potest in dubium.

§. MLXXXII.

An damnum alteri illatum ab eo, qui iure suo vtitur?

Contra (2. ex lege hac non tenetur, qui, iure suo vsus, alteri damnum dedit, veluti qui *moderamine inculpatae tutelae adhibito*, (ita enim vocatur in L. 1. *C. vnde vi*,) adgressorem vel latronem occidit. §. 2. *Inst. L.* 4. *L.* 29. §. 7. *L.* 45. §. 4. *D. h. t.* Is vero id moderamen adhibuisse intelligitur, qui (1. aggressorem iniusta vi irruentem, (2. imminente vitae, corpori, vel rebus periculo, (3. in continenti, (4. tuendi sui caussa, occidit. L. 4. L. 5. *pr. L.* 45. §. 4. *D. h. t. L.* 3. *D. de inst. et iur.*

§. MLXXXIII.

An damnum casu datum?

Similiter, nec (3. qui casu fortuito damnum dedit, reus est, §. 3. *Inst. h. t.* quia casum nec in contractibus, nec in delictis quisquam praestat. (§. 785.)

§. MLXXXIIII.

An damnum, quo non patrimonium, sed vita laeditur?

Quum vero omnem deminutionem patrimonii lex Aquillia vindicet: (§. 1080.) sequitur (4. vt directe ex ea lege actio non detur, si liber homo vulneratus sit, L. 13. *D. h. t.* (5. vt contra ea competat, si corpore corpori nocitum, patrimoniumque alterius imminutum sit, ad quem casum proprie verba legis Aquilliae pertinebant, §. *vlt. Inst. h. t.*

§. MLXXXV.

Capita legis Aquilliae.

Ceterum tria potissimum fuere legis Aquilliae capita, quorum primo cautum, vt, *si quis seruum seruamue, alienum alienamue, quadrupedemue pecudem iniuria occiderit, is tantum domino aes dare damnas sit, quanti id in eo anno plurimi fuerit.* L. 2. *pr. D. h. t.*

§. MLXXXVI.

Cap. 1. quae damna vindicet?

Ergo PRIMVM caput vindicabat damnum non quoduis, sed (1. OCCIDENDO datum: L. 7. §. 1. 2. *D. h. t.* (2 non in re quauis, sed in SERVIS, et PECVDIBVS QVADRVPEDIBVS, * id est, *quae gregatim habentur*, datum, quales et sues sunt. L. 2. §. 2. *D. h. t.* §. 1. *Inst. h. t.*

* ICti, quoties ex arte loquebantur, distinguebant *quadrupedes*, *pecudes* et *bestias*. QVADRVPEDES sunt, *quae dorso et collo domantur*, id est, quae sar-

sarcinas vehunt et trahunt. VLPIAN. *Fragm. tit. 19.* §. 1. PECVDES. *quae gregatim pascuntur:* reliqua animalia BESTIAE vocabantur. BYNKERSHOEK. *de reb. manc. cap. 6. p. 119. sequ.* Quum ergo in lege nostra iungantur *pecudes quadrupedes:* facile patet, non adeo absurdam esse veterum dubitationem, *an sues sint pecudes quadrupedes?* §. 1. *Inst. h. t.* L. 65. §. 4. *D. de legat. 3.* Plerique forte quadrupedes esse negabant, quia dorso et collo non domarentur, at *pecudes* esse concedebant, quod gregatim pascerentur.

§. MLXXXVII.

Quomodo vindicet?

Adeoque ex hoc primo capite datur actio poenalis domino, vel ei, cuius ex iure in re interest, L. 11. §. 9. 10. *D. h. t.* cuique damnum passus est, aduersus occidentem, non eius heredem, (§ 1037. 2.) §. 10. *Inst. h. t.* vel contra plures in solidum, L. 11. §. 2. *D. h. t.* ad praestandum tantum, quanti ea res eo anno proxime elapso plurimi fuit, ita, vt omne commodum, quod intra proximum annum pretiosiorem facere potuisset seruum, ad aestimationem eius accedat. L. 23. §. 6. *D. h. t.* Exempla sunt in L. 22. §. 1. L. 23. *pr.* §. 1. 2. *D.* §. 10. *Inst. h. t.*

§. MLXXXVIII.

Cap. 2. ignotum.

SECVNDVM caput et ab vsu recessit, et hodie ignotum est: §. 12. *Inst.* L. 27. §. 4. *D. h. t.* quamuis verosimillimum videatur, eo capite vel de seruo corrupto, vel de effusis, et deiectis egisse Aquillium, vel etiam plura, quam tria huius legis capita fuisse. Vid. BYNKERSOHEK. *Obs. Lib. I. cap.* 13. et quae disputauimus in *Antiqu. nostr. Rom. h. t.* §. 9. *sequ. edit. nou.*

§. MLXXXVIIII.

Caput 3.

TERTIO cautum fuerat, vt, si quis *alias res, praeter hominem et pecudem occiderit, vel si quis alteri damnum dederit vrendo, frangendo, rumpendoue iniuria, is tantum aes domino dare damnas esset, quanti ea res fuerit in triginta diebus proximis.* L. 27. §. 5. *D. h. t.*

§. MLXXXX.

Quae damna vindicarit?

Quare ex hoc capite vindicabatur damnum (1. in alia re, quam seruo vel pecude quadrupede, (2. non solum occidendo, sed et quouis modo corrumpendo illatum. §. 13. *Inst. h. t.* L. 27. §. 13. *D. h. t.*

§. MLXXXXI.

Quomodo?

Ergo ex hoc capite dabatur actio domino, eiue, cuius ex iure in re interat, L. 11. §. 10. *D. h. t.* aduersus occidentem res alias, praeter seruum vel pecudem quadrupedem, vel aliud qualecumque damnum inferentem, in tantum, quanti res intra triginta dies proximos plurimi fuerit. *d.* L. 27. §. 4. *D. h. t.* Nec tamen vllo modo haec actio infamat. L. 1. *D. de his, qui not. infam.*

§. MLXXXXII.

Actio ex lege Aquillia

Addenda adhuc tria veluti corollaria: I. Si liber homo vulneratus sit, eum ex hoc tertio capite non directam, sed vtilem actionem ha-

ob liberum hominem vulneratum. habere, non ad aestimationem, sed ad id; quod interest, in quod et operarum cessantium, et impendiorum, non autem doloris, cicatricum, et deformitatis, aestimatio venit. L. 13. *D. h. t. L.* 3. *D. si quadrup. pauper. fec. dic. L. vlt. D. de effus. et deiect.*

§. MLXXXXIII.

Ex lege Aquillia lis inficiando crescebat. Alterum est, II. quod ex hac actione lis inficiando creuerit, adeoque, qui negasset delictum, dupli reus fuerit. §. 26. *Inst. de act. L.* 2. §. 1. *D. ad leg. Aquill.*

§. MLXXXXIIII.

Actio directa, vtilis, in factum. Postremum, III. quod si corpore corpori damnum datum esset, competierit *actio ex lege Aquillia* DIRECTA; si corpori, sed non corpore, actio VTILIS; si nec corpori, nec corpore, IN FACTVM. (§. 1084.) §. *vlt. Inst. h. t. L.* 11. *D. de praescript. verb.*

§. MLXXXXV.

Vsus hodiernus. Moribus nostris simpliciter agitur ad id, quod interest, praestandamque veram rei aestimationem. Nec ergo capita legis differunt, nec, quanti ea res antea fuerit, spectatur, nec, corporine corpore, an alio modo damnum illatum sit, quaeritur, nec lis inficiando crescit. Si tamen dolus accedat, praeter aestimationem actori praestandam, et poena, vel statutis expressa, vel arbitraria, locum habet. Vnde verissima eorum sententia, qui hodiernam actionem non ex lege Aquillia, sed ex iure patrio, vel aequitate naturali, superesse statuunt. Quamuis, quae moribus hodiernis adplicari possunt, ea in foro hodienum obseruari, nemo temere negaturus sit. Sic v. g. etiamnum obseruantur, quae diximus in §. 1092. de vulnerato libero homine. In Germania tamen etiam pro dolore aliquid adiudicatur vulnerato. *Arg. Const. crim. art.* 20. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 20. §. 80. *seqq.*]

TIT. IV.

DE INIVRIIS.

§. MLXXXXVI.

Iniuria quid? QVartum delictum priuatum est INIVRIA, (§. 1035.) quo vocabulo hic non denotatur omne, quod non iure fit, vti in lege Aquillia, (§. 1081.) sed *quoduis dictum factumue, ad alterius contumeliam dolo malo directum. pr. Inst. h. t.*

§. MLXXXXVII.

§. MLXXXXVII.

Verbalis et realis.

Quum ergo contumelia haec vel dictis, vel factis, alteri fiat: (§. 1096.) ſequitur, vt iniuria ſit vel VERBALIS, vel REALIS. §. 1. *Inſt. L. 1. §. 1. D. h. t.* Ad priorem etiam *iniuria ſcripta*, et *famoſus libellus*; id eſt integrum ſcriptum, ad alterius infamiam editum, ſiue ἀνώνυμον, ſiue ψευδώνυμον, ſiue nomine auctoris inſignitum; L. 5. §. 9. *D. h. t. L. vn. C. de famoſ. libell.* ad poſteriorem etiam *contumelioſa pictura* refertur.

§. MLXXXXVIII.

Simplex et atrox.

Quumque et maior et minor poſſit inferri contumelia: iniuria in SIMPLICEM et ATROCEM diuiditur, §. 9. *Inſt. L. 7. §. 7. 8. L. 8. L. 9. D. h. t.* et haec vel ex facti atrocitate, vel ex loco, vbi contumelioſe quis habitus eſt, vel ex perſona, cui illata, aeſtimatur. §. 9. *Inſt. L. 7. §. vlt. D. h. t.*

§. MLXXXXVIIII.

Supponit dolum vel animum iniuriandi.

Quum porro doloſe illatam eſſe oporteat iniuriam: (§. 1096.) ſequitur, (1. vt ſine animo iniuriandi ea non committatur. L. 5. *C. L. 15. §. 13. L. 32. L. 33. D. h. t.* (2. Vt furioſi, impuberes, aliique doli incapaces, iniuriarum rei eſſe nequeant. L. 3. §. 1. *D. h. t.* (3. Vt, qui per iocum quid facit, L. 3. §. 3. *D. eod.* vel (4. ſeruum ſuum percuſſurus, liberum hominem percuſſit, L. 3. §. 4. L. 4. *D. h. t.* vel (5 corrigendi emendandique animo quid dixit fecitue. L. 5. §. 3. *D. ad leg. Aquill.* L. 15. §. 39. *D. h. t.* iniuriam feciſſe haud praeſumatur, quamuis haec praeſumtio veritati et probationi actoris cedat. Exemplum de magiſtratibus eſt in L. 32. *D. h. t.*

§. MC.

Quis agere poſſit?

Quia etiam, quod in alterius contumeliam vel fit, vel dicitur, iniuria eſt: (§. 1096.) perinde ſane eſt, (6. ſiue quis directe iniuria affectus, ſiue per latus alterius e familia ſua, v. c. filii, ſerui immo et ſponſae, multoque magis vxoris, petitus ſit. L. 18. §. 4. 5. L. 15. §. 35. *et ſequ. L. 41. D. h. t.* (7. Vt tunc pater ob iniuriam filio, maritus ob vxori, ſponſus ob ſponſae, dominus ob ſeruo illatam recte agat, §. 2. *Inſt. L. 1. §. 3. et §. vlt. D. h. t.* non autem vxor ob maritum, niſi et in illius ſimul contumeliam comparata ſit iniuria. §. 2. *Inſt. L. 2. L. 11. §. 8. D. h. t.*

§. MCI.

Actio iniuriarum quotuplex?

Poteſt vero ob iniuriam vel CIVILITER agi, vel CRIMINALITER: itemque vel ex EDICTO PRAETORIS, vel ex LEGE CORNELIA *de iniuriis*. Accedit etiam remedium extraiudiciale RETORSIONIS.

§. MCII.

Praetoria ciuilis.

PRAETORIA, quae et AESTIMATORIA vocatur, datur iniuriam vel in ſe, vel in aliis e familia ſua paſſo, non vero eius heredi,

(§. 1038. 2.) aduersus eum, qui vel ipse, vel per alios intulit, L. 11. *pr.* §. 3. *D.* §. 11. *Inst. h. t.* non vero aduersus heredes, (§. *eod.*) ad id, quanti iniuriam actor aestimauerit §. 7. *Inst. h. t.*

§. MCIII.

Criminalis extraordinaria.

Extraordinaria *criminalis* datur iisdem contra eosdem, ad poenam *arbitrariam* infligendam. §. 10. *Inst. L. vlt. D. h. t.* Quae poena et capitalis est, (1. ob libellum famosum, factum sparsumue in vulgus, *L. vn. C. de fam. libell.* (2. ob iniuriam cultui diuino locisque sacris, aut sacerdotibus inter sacra publica illatam. L. 13. *C. de episc. et cler.* Ob iniuriam professoribus et studiosis academicis illatam infamiam irrogari, et auctores iniuriae dignitatibus priuari iussit FRIDERICVS imp. *Auth. Habita C. ne fil. pro patre.*

§. MCIIII.

Eae actiones an cumulari possint.

Prior actio praetoria est, et ad vindictam comparata: atque inde anno elapso exspirat. L. 5. *C. de iniur.* Vtraque autem poenam persequitur, et hinc cumulari nequeunt. L. 6. L. 7. §. 1. *D. h. t. L. vn. C. quando ciu. act. crim. praei.* Differunt autem, (3. quod in priore et agi et actio suscipi possit per procuratorem. L. 11. §. 2. *D. h. t.* Si criminaliter agitur, procurator nec actoribus, nec reis conceditur, praeterquam personis illustribus: §. 10. *Inst. h. t. Nou. LXXI. cap. 1.*

§. MCV.

Actio ex lege Cornelia ciuilis.

ACTIO *ex lege Cornelia de iniuriis* CIVILIS non datur omnibus, iniuriam quamcumque passis, sed cum quis *pulsatus*, *verberatus* *, vel *eius domus vi introita est*, *L.* 5. *pr. D.* §. 8. *Inst. h. t.* non eius heredi, (§. 1038. 4.) aduersus pulsantem, verberantem, introeuntem, vel id fieri mandantem, non aduersus eorum heredes, (§. *eod.*) ad id, quanti actor iniuriam aestimauerit. L. 37. §. 1. *D. h. t. L.* 42. §. 1. *D. de procur.*

* *Verberare* est cum dolore; *pulsare* sine dolore ignominiae caussa caedere. *L.* 5. §. 1. *D. h. t.*

§. MCVI.

Criminalis.

CRIMINALIS ex eadem lege data videtur iisdem, aduersus eosdem, ad poenam publicam reo infligendam. L. 5. L. 37. §. 2. *D.* §. 8. *Inst. h. t.*

§. MCVII.

Earum differentia a praetoriis.

Quae §. 1104. monuimus, etiam ad has actiones pertinent, praeterquam, quod praetoria actio elapso anno, L. 5. *C. de iniur.* actio ex lege Cornelia ciuilis post triginta, criminalis post viginti demum annos exspirat. L. 42. §. 1. *D. de procurat. L.* 3. *C. de praescr.* 30. *vel* 40. *annor. L.* 12. *C. ad leg. Corn. de fals.*

§. MCVIII.

§. MCVIII.

Extra iudicium per mores saeculi et RETORSIONE vti licet, (§. 1101.) qua quis iniuriam verbalem in continenti retorquendo in illum, qui eam euomuit, contumeliam a se amolitur. L. 14. §. 6. *D. de bon. libert.* L. 25. *D. de procurat.* Sed quum haec ad priuatam vindictam comparata sit: facile patet, ea omnem actionem exstingui. Retorsio extraiudicialis quid?

§. MCVIIII.

Omnia haec vsus fori probat: sed ita, (1. vt plerumque aestimationi actorum iudicis arbitrio permultum decedat. §. 7. *Inst. h. t.* (2. Vt aestimatio plane non permittatur actori, sicubi locorum in singula iniuriarum genera certa poena legibus vel statutis sancita est. VLR. HVBER. *Iurispr. hodiern. Lib. IIII. cap. 9. part. 2.* (3. Vt plerisque locis ob iniurias verbales etiam concedant actionem e vetere iure Germanico superstitem ad *palinodiam* vel *recantationem*. Vsus hodiernus: Actio ad palinodiam.

§. MCX.

De ea obseruandum, (1. non poenalem haberi hanc actionem, sed famae, adeoque rei persequutoriam, et hinc cum aestimatoria vel criminali posse cumulari. (§. 1038. 1. (2. Magnum in foro discrimen statui inter *palinodiam*, *deprecationem*, et *declarationem honoris*, quarum *istam* reus praestat formula: *se male mentitum omnia*, adeoque et cum infamia coniuncta creditur: *illam* verbis paullo mitioribus: *se poenitere dictorum, et rogare vt actor det veniam, pro eo ac Christianum deceat*. Denique *hanc* formula dilutissima: *se actorem virum honestum esse profiteri, nec vmquam de eo secus sensisse*. Vnde *palinodia* rarius, et non nisi ob iniurias atrociores; *deprecatio* ob leuiores, sed satis tamen manifestas; *declaratio honoris* ob verba ambigui sensus decerni solet. MEV. *Part. III. decis.* 30. Eius natura

§. MCXI.

Ceterum hae persequutiones omnes exspirant (1. retorsione: (§. 1108.) (2. praescriptione: (§. 1107.) (3. remissione, siue expressa, L. 17. §. 1. *D. de pact.* L. 11. §. 1. L. 17. §. 1. *D. h. t.* siue tacita, quae ex dissimulatione irae, et familiari cum reo consuetudine colligitur: §. *vlt. Inst.* L. 11. §. 1. *D. h. t.* (4. morte tum inferentis, tum iniuriam passi: (§. 1038. 4.) L. 13. *pr. D. h. t.* §. 1. *Inst. de perpet. et temp. act.* nisi lis cum defuncto contestata sit. (§. 1019.) L. 13. *pr. D. h. t.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 22. §. 101. *seqq.*] Actiones iniuriarum quomodo cessent?

T I T. V.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE QVASI EX DELICTO NASCVNTVR.

§. MCXII.

Quid quasi delictum.

HActenus de *veris delictis*. Quae his opponuntur, QVASI DELICTA, sunt *facta illicita*, *sola culpa*, *sine dolo admissa*. *§. vlt. Inst. h. t.* (§ 1034.) Non ergo ex dolo patrantur haec quasi delicta, sed ex culpa, eaque non aliena vel imputata, vti STRVVIO visum, ob §. 1. *Inst. h. t.* sed propria, seu vel exemplo iudicis litem suam facientis adparet. *d. §. vlt. Inst. h. t. L. vlt. §. 4. D. de naut. caup. stab.*

§. MCXIII.

Quasi delictum I. Iudicis litem suam facientis.

Tale quasi maleficium est I. IVDICIS LITEM SVAM FACIENTIS. *Litem* autem *suam facere* dicitur, qui male iudicauit. Quod si is dolo fecit, *ex vero*; sin ex imperitia et imprudentia, *ex quasi delicto* obligatur. Et quidem priore casu in veram litis aestimationem cum famae et muneris dispendio; L. 15. §. 1. *D. de iud. L. vlt. C. de poen. iud. qui mal. iud.* posteriore in mulctam arbitrariam condemnatur, *pr. Inst. h. t.* et potest conueniri *actione in factum*. * *L. 6. D. de extraord. cognit. L. 5. §. 4. D. de oblig. et act.*

* Doctores illam nouo nomine vocant actionem *ex syndicatu*. Sed qui poterit ex quasi delicto conueniri iudex, quum potius, qui eius sententia se laesum putat, adpellatione sibi consulere debuisset? Eleganter respondet CASP. ZIEGLERVS, *in Dicastice, concl.* 45. §. 5. ex omissa adpellatione ius quidem nasci parti aduersae, capientis, vt sententia retractari nequeat, nisi plane nulla sit: sed id non excusare imperitiam iudicis, male qui tulerit sententiam.

§. MCXIIII.

II. Ob effusa vel deiecta.

Deinde ex *quasi delicto* tenentur II. habitatores coenaculorum, seu domini, seu inquilini, ob DEIECTA vel EFFVSA a quocumque, quibus damnum datum praetereuntibus. §. 1. *pr. Inst. h. t.* A culpa enim alieni non videntur, qui homines socordes et proteruos recipiunt in familiam. *L. penult. §. 2. D. de his, qui effud. vel deiec.*

§. MCXV.

Actio inde nata.

Datur ergo his, quibus nocitum, eorumque heredibus, L. 5. §. 5. *D. h. t.* actio IN FACTVM, L. 5. §. 5. *D. de his, qui effud. vel deiec.* contra dominum vel inquilinum aedium, non eorum heredes, (§. 1038.) L. 5. §. 5. *D. eod.* nec contra hospitem. L. 1. §. 9. L. 5. §. 1. *D. eod.* aduersus plures in solidum, * L. 1. §. *vlt. L. 2. L. 3. L. 4. L. 5.*

L. 5. *pr. D. eod.* (1. ad praestandum duplum, si damnum sit aestimabile, §. 1. *Inst. h. t. L.* 1. *pr. D. eod.* (2. in L. aureos vero actori adplicandos, si liber homo occisus, L. 1. §. 5. *D. h. t.* vel (3. si ei nocitum, ad *refundendum sostrum*, impensas, et id, quod interest. (§. 1092.) L. 5. §. 5. *L. vlt. D. eod.*

* Vno tamen soluente reliqui liberantur, *dict. L.* 3. *sequ.* quod secus in actionibus poenalibus ex delicto. (§. 1038.) *L.* 11. §. 2. *D. ad leg. Aquill.*

§. MCXVI.

Haec actio *in factum*, si ad quinquaginta aureos instituitur, annalis est, et nec heredi, nec in heredem competit: L. 5. §. 5. *D. eod.* §. 1. *Inst. h. t.* alias ob reliqua damna et perpetua est actio, et heredibus datur. (§. 1115.) L. 5. §. 5. *D. eod.* Eius natura.

§. MCXVII.

Quasi delinquere etiam videtur, III. qui aliquid supra eum locum, quo vulgo iter fit, SVSPENSVM vel POSITVM habet, cuius casu alicui noceri possit, vel nocitum sit. L. 5. §. 6. *D. eod.* III. Ob suspensum vel positum.

§. MCXVIII.

Ex hoc etiam quasi delicto datur actio *popularis* IN FACTVM, cuiuis e populo aduersus eum, qui posuit, vel suspendit, non aduersus habitantem, vel ad decem aureos actori adplicandos, L. 5. §. 6. §. 12. §. *vlt. D. eod.* vel seruum, qui insciente domino posuit suspenditue, noxae dedendum. *L.* 2. *pr. D. de nox. act.* Actio inde nata.

§. MCXVIIII.

Si filius familias, seorsum a patre habitans, ex his quasi delictis reus factus est: pater quidem ex his filii factis conueniri nequit, §. 2. *Inst. h. t. L.* 58. *D. de reg. iur.* condemnato tamen filio, actio rei iudicatae victori aduersus patrem datur, vt satisfaciat ex peculio.* L. 57. *D. de iudic. L.* 3. §. 11. *D. de pecul.* Quid si filius seorsum a patre habitet?

* Cuius rei ratio haec est. Pater ex delicto filii non tenetur, §. *vlt. Inst. de noxal. act.* quia delicta tenere debent suos auctores. (§. 1038. *sq.*) ergo nec ex huiusmodi factis filii conueniri. Quum vero per litis contestationem fiat nouatio: (§. 1042.) adeoque filius ex iudicato, quasi ex contractu teneatur; ex contractibus vero filii pater obligetur peculiotenus, *L.* 1. *L.* 3. §. 11. *D. de pecul.* consequens est, vt actio ex iudicato detur aduersus patrem peculiotenus.

§. MCXX.

Quasi ex delicto etiam competit actio IIII. aduersus NAVTAS, CAVPONES, STABVLARIOS, ob damnum in rebus viatorum vel hospitum datum. Sed tu nota, eos vel QVASI EX CONTRACTV teneri, *L.* 3. §. 1. *D. de naut. caup. stabul.* si damnum factum ab extraneis, quorum opera exercitores nauis vel cauponae non vtuntur, veluti vectoribus aut viatoribus, L. 1. *pr.* §. *vlt. L.* 3. §. 1. *L.* 5. §. 5. §. 1. *D. eod.* IIII. Nautarum, cauponum, stabulariorum, quorum familia peccauit.

D. eod. vel ex QVASI DELICTO, si famuli * eorum damnum dederint. §. *vlt. Inst. h. t.* Prioris fundamentum est consensus in restitutionem, qui ex receptione praesumitur :.** L. 1. §. 1. L. 2. *D. eod.* posterioris culpa nautae vel cauponis, qui opera malorum hominum vtitur. L. 5. §. *vlt. D. de oblig. et act.* §. *vlt. Inst. h. t. L. vlt. pr. et* §. 4. *D. de naut. caup. stabul.*

* Non serui, quia ex eorum delictis non tenetur dominus, si noxae dedantur. *L. vn.* §. 5. *D. furt. aduers. naut. caup. stabul.* Nec magis ob furtum ab vxore vel liberis factum tenetur, quia hoc malum veluti necessarium. *L. fin.* §. 4. *D. de naut. caup. stab. L. vn.* §. *vlt. D. furt. adu. naut.*

** Vnde haec praesumtio cedit veritati, et actio cessat, si exercitor nauis vel cauponae vel stabuli praedixerit, vt vnusquisque res suas seruet, et vectores vel viatores consenserint. *L. vlt. pr. D. eod.*

§. MCXXI.

Quando tunc agatur ex quasi contractu? Ex QVASI CONTRACTV a praetore datur *actio* IN FACTVM vel persecutoria vectoribus et viatoribus, eorumque heredibus, contra nautas, caupones, stabularios, eorumque heredes, ad res receptas restituendas, vel damnum a quouis, etiam ab extraneo datum, resarciendum. *L. 1. pr.* §. 2. §. 6. 7. §. *vlt. L.* 3. §. 1. *et* 4. *L.* 5. §. 1. *D. eod.*

§. MCXXII.

Quando ex quasi delicto? Ex QVASI DELICTO itidem praetoris beneficio iisdem competit actio IN FACTVM poenalis, aduersus nautas, caupones, stabularios, non eorum heredes, (§. 1038. 3.) *L. vlt. D. de naut. caupon. stabul.* in duplum. §. *vlt. Inst. h. t.* Quae actio, quamuis praetoria poenalis, tamen perpetua est. L. 7. §. *vlt. D. de naut. caup. stabul.*

§. MCXXIII.

V. Ob misericordiam intempestiuam, et VI. Conninentiam. Sunt et alia quasi delicta, hic omissa, veluti V. MISERICORDIA intempestiua, qua alteri nocitum. *L. 7. pr. D. depos.* VI. CONNIVENTIA, qua quis patitur delictum fieri, quod et poterat, et debebat prohibere. *L. 45. pr. D. ad leg. Aquil.* Ex quibus itidem actio in factum concedi posse videtur.

§. MCXXIIII.

Vsus hodiernus. Haec omnia nec a foro nostro aliena sunt, praeterquam quod actiones populares, actiones in duplum, et poenales, ad poenam actori adplicandam comparatae, hodie non frequentantur. Hinc ex his factis hodie tantum agitur ab iis, qui damnum passi, in simplum, vel in id, quod interest.

TIT.

TIT. VI.

DE ACTIONIBVS.

§. MCXXV.

OMne ius vel ad PERSONAS, vel ad RES, vel ad ACTIONES pertinere, iam supra monuimus. (§. 74.) Explicatis ergo iuribus *personarum* et *rerum*: de ACTIONIBVS agendum erit. Connexio.

§. MCXXVI.

ACTIO, quatenus est *ius*, ad secundum iuris obiectum, et speciatim ad *res incorporales*, pertinet: L. 49. *D. de verb. sign.* quatenus vero accipitur pro *remedio ius persequendi*, ad tertium iuris obiectum referenda est, et sic priore sensu definiri potest, quod sit *ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur*: *pr. Inst. h. t.* posteriore, quod sit *medium legitimum, persequendi in iudicio iura, quae tum in re, tum ad rem cuique competunt*. (§. 331.) Actionis definitio.

§. MCXXVII.

Quum ergo actionibus persequamur iura tum *in re*, tum *ad rem*: (§. 1126.) consequens est, vt aliae actiones sint IN REM, quae et VINDICATIONES dicuntur, aliae IN PERSONAM, quae et CONDICTIONES adpellantur: * §. 1. *Inst. h. t.* actiones *in rem* aeque, ac *in personam*, denuo vel CIVILES sunt, vel PRAETORIAE. §. 3. §. 8. *Inst. h. t.* Diuisio prima in reales et personales, praetorias et ciuiles.

* Nec tamen ideo negamus, dari mixtas, quales esse iudicia tria diuisoria et hereditatis petitionem alibi demonstrauimus. *Pand. Part. II.* §. 63. *) Nec ideo mixta definit esse actio, quae vel ad realem, vel ad personalem accedit propius.

§. MCXXVIII.

Quum ergo actiones IN REM ex iure in re nascantur, (§. 1126.) ius vero in re vel ex *dominio*, siue pleno siue minus pleno, vel ex *hereditate*, vel ex *seruitute*, vel denique ex *pignore* competat: (§. 334. 3.) consequens est, (1. vt totidem sint actionum realium species, partim ciuiles, partim praetoriae. Quot actiones in rem?

§. MCXXVIIII.

Quum porro *ius in re* sit facultas homini in rem competens, sine respectu ad certam personam: (§. 332.) sequitur, (2. vt actio in rem detur aduersus possessorem quemcumque, L. 25. *pr. D. de oblig. et act.* pro quo et is, qui dolo possidere desiit, habetur. L. 36. L. 131. L. 157. §. 1. *D. de reg. iur.* L. 27. *D. de rei vindicat.* (3. Vt is, qui pos- Earum natura.

possidet, numquam in rem agere possit, praeterquam *vnico casu* *. §. 2. *Inst. h. t.* (4. Vt dominus rem suam condicere vel actione personali petere nequeat, excepta condictione furtiua, de qua supra. (§. 1062. *) §. 14. *Inst. de act.*

* At quis ille? Qui possessionem iuribus in re adnumerant: hunc vnum casum de turbato possessore accipiunt. Alii de specie, quae est in *L. 9. D. de rei vind.* alii aliter. Sed res ipsa docet, Iustinianum intelligere actionem negatoriam, in qua possessor fundi agit, *L. 4. §. vlt. L. 6. §. 1. D. si seru. vindic.* et ita hanc §. 2. *Inst. h. t.* interpretatur THEOPHILVS. Vid. VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t. §. 6.*

§. MCXXX.

I. Ex dominio actio ciuilis, *rei vindicatio*. Ex DOMINIO ergo iure ciuili REI VINDICATIO datur domino contra quemcumque possessorem, (§. 1129. 2.) eumue, qui dolo possidere desiit, (*ibid.*) L. 27. §. 3. *D. de rei vind.* ad rem cum omni caussa, accessionibus, fructibusque secundum qualitatem possessionis, (§. 377. *sequ.*) restituendam. Quae actio vti ex pleno dominio *directa* est: ita ex minus pleno, veluti iure emphyteutico, feudo, rei vindicatio *vtilis* conceditur. L. 1. §. 1. *D. si ag. vectig.* L. 73. §. 1. *L.* 74. *L.* 75. *D. de rei vind.*

§. MCXXXI.

Actio praetoria Publiciana. Quia vero, qui vindicat, et possessionem alterius et dominium suum probare tenetur, eaque probatio est difficillima: Q. Publicius praetor ex DOMINIO FICTO * (§. 4. *Inst. h. t. L. 7. §. 6. D. de Public. in rem act.*) nouam inuexit in rem actionem, quae PVBLICIANA vocatur, daturque ei, qui rem alienam a non domino bona fide et ex iusta caussa traditam accepit, iterumque amisit, contra possessorem, qui infirmiore iure possidet, ad rem actori cum omni caussa, accessionibus et fructibus pro qualitate possessionis (§. 377. *sequ.*) restituendam. §. 4. *Inst. h. t.* Emphyteutae et superficiario itidem datur PVBLICIANA VTILIS. L. 12. §. 2. 3. L. 11. §. 1. *D. de Public. in rem act.*

* Dominium illud plane pretorium est. Fingit enim praetor, actorem rem vsucepisse, quam non vsucepit. §. 4. *Inst. h. t. L. 7. §. 6. D. de Public. in rem act.* Quum enim bonae fidei possessor pro domino sit: finxit praetor, eum plane dominum esse ratione illius qui infirmiore ac plane nullo iure possidet: eique, quasi domino, actionem in rem concessit.

§. MCXXXII.

Rescissoria. Eiusdem naturae est ACTIO RESCISSORIA. Quum enim vsucapione adquiratur dominium, verique domini ius excludatur: (§. 438.) et hinc expleta vsucapione domino superueniente et rem suam vindicaturo valide obstet exceptio praescriptionis: praetor hanc actionem dedit domino * vero absenti, non omni, sed qui metus, necessitatis, vel reip. caussa abfuerat, eiusue heredi, contra possessorem, qui interea rem eius vsuceperat, eiusue heredem, ad rem vsucapione, cum omni caussa restituendam, §. 5. *Inst. h. t. L. 1. seqq. D. quib. ex causs. mai. in int. rest.*

* Da-

* Datur ergo haec actio domino contra dominum: sed rei dominium rescindit praetor, et, quemadmodum in Publiciana fingit, rem vsucaptam, quae vsucapta non est: ita hic fingit, eum non vsucepisse, qui vsucepit. d. §. 5. *Inst. h. t.* Quare et eiusdem cum superiore originis est, et Publiciana ideo vocatur. *L.* 35. *D. de obl. et act. L.* 57. *D. mand.*

§. MCXXXIII.

II. Ex iure hereditario, *hereditatis petitio.*

Ex IVRE HEREDITATIO, tamquam altera specie iuris in re, nascuntur duae actiones ciuiles, puta HEREDITATIS PETITIO, et QVERELA INOFFICIOSI. HEREDITATIS PETITIO datur heredi, vel ex testamento, vel ab intestato, aduersus eum, qui pro herede vel possessore possidet, vel dolo possidere desiit, (1129. 2.) eiusue heredes non vero contra eos, qui titulo singulari possident, L. 7. *C. de hered. petit.* ad id, vt actor heres declaretur, et possessor ad hereditatem cum omni caussa, accessionibus et fructibus, pro qualitate possessionis, (§. 377.) restituendam condemnetur. Quare vere quidem actio in rem est, sed tamen, quum praestationes quaedam personales ob administrationem hereditatis petantur, ea quoque non male mixta adpellatur. (§. 1127. *) L. 7. *C. h. t.*

§. MCXXXIIII.

Querela inofficiosi.

Ex iure ciuili stricte sic dicto, (§. 45.) id est, ex interpretatione prudentum, est QVERELA INOFFICIOSI, de qua copiose actum §. 579. *sequ.* quaeque nihil est aliud, quam species hereditatis petitionis. L. *penult. pr. D. de bonor. poss. contr. tab.* L. 34. *C. de inoff. test.*

§. MCXXXV.

III. Ex seruitute confessoria.

Occasione SERVITVTVM, aliorumque iurium nascuntur duae actiones ciuiles, CONFESSORIA, et NEGATORIA. CONFESSORIA *directa* datur, seruitute iam constituta, (§. 396.) domino praedii dominantis, vel vsufructuario, aduersus dominum praedii seruientis, seruitutem ei negantem, vel aduersus proprietarium, et quemuis possessorem, negantem vsumfructum, ad id, vt iudex seruitutem ei vel eius praedio, (§. 392. *sequ.*) competere declaret, possessionem et facultatem vtendi fruendi restitui iubeat, reum, quantum actoris interest, condemnet, et cautionem de non turbando praestandam esse iudicet. §. 2. *Inst. h. t. L.* 4. §. 2. *L.* 6. §. 6. *D. si seru. vindic. Vtilis* haec actio datur et creditori, cui fundus pignori traditus, emphyteutae, superficiario, fructuario contra vicinum, a quo ius vindicat. L. 16. *D. de seruit.*

§. MCXXXVI.

Negatoria, ex libertate naturali.

NEGATORIA datur domino praedii liberi, seruitutem vel personalem vel realem alteri neganti, quamuis possessori, (§. 1129. 2.*) contra quemuis, seruitutem sibi asserentem, ad id, vt praedium liberum declaretur, reusque condemnetur ad id, quod actoris interest, et cautionem praestare iubeatur de in posterum non turbando. §. 2. *Inst. h. t. L.* 4. §. 2. *L.* 7. *L.* 12. *D. si seruit. vind.*

§. MCXXXVII.

Earum natura. *Confefforia* agenti incumbit onus ius fuum probandi : *negatoria* qui experitur, a probatione libertatis fuae releuatur, fi in eius quafi poffeffione fit: L. 23. *C. de probat. L. vlt. C. de rei vind.* non, fi aduerfarius fit in quafi poffeffione feruitutis. *Arg. L.* 8. §. 3. *D. fi feruit. vind.* Contrariam tamen fententiam ob gloffae auctoritatem fere vbique in foro triumphare, iam ab aliis obferuatum eft. BRVNNEM. *ad L.* 9. *C. de feruit.* CARPZOV. *Lib. I. refp.* 67.

§. MCXXXVIII.

Pignoris. Ex iure PIGNORIS nafcuntur duae actiones praetoriae, SERVIANA et QVASI SERVIANA. * §. 7. *Inft. h. t.*

* His fimilia interdicta SALVIANVM et QVASI SALVIANVM perfonalia funt, et de illis infra erit agendi locus.

§. MCXXXVIIII.

Actio Seruiana: SERVIANA datur locatori praedii ruftici aduerfus colonum, et quemcumque poffefforem rerum pro mercede pignori fiue expreffe fiue tacite obligatarum, ad res illas perfequendas. §. 7. *Inft. h. t.*

§. MCXXXX.

Quafi Seruiana vel hypothecaria. Quemadmodum vero haec actio tantum ad vtilitatem locatoris praedii ruftici comparata eft: ita QVASI SERVIANA vel HYPOTHECARIA generalis eft, daturque pignore iam conftituto, (§. 818.) cuilibet creditori, contra debitorem vel quemcumque rem oppignoratam vel hypothecam poffidentem, ad rem illam vna cum fructibus et acceffionibus perfequendam. * §. 7. *Inft. h. t. L.* 16. §. 3. *fequ. D. de pign. et hypoth.*

* Non ergo actor res, aut debitum petendum, fi aduerfus tertium inftituatur haec actio. Quamuis enim rei electio fit, malitne rem tradere, an debitum foluere: *L.* 16. §. 3. *D. de pign. et hypoth. L.* 12. §. 1. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. folu.* actori tamen cum tertio poffeffore nullum interceffit negotium, ex quo in perfonam agere poffit, ad foluendum, quod alius ex contractu debet.

§. MCXXXXI.

Actiones praeiudiciales. Hae funt actiones IN REM. PAVLLIANA enim, quam huc refert imp. §. 6. *Inft. h. t.* mere perfonalis eft. * L. 38. *pr. iunct.* §. 4. *D. de vfur.* INTERDICTA quoque, vti infra demonftrabitur, omnia in perfonam funt. L. 1. §. 3. *D. de interd.* Solae fuperfunt actiones PRAEIVDICIALES, quae et ipfae in rem effe dicuntur, §. 13. *Inft. h. t.*

* Realis tamen quodammodo dici poteft, quia datur ex iure, quod creditores in tota obaerati fubftantia per poffeffionem confequuti funt. Vid. PAGENSTECH. *Admon. ad Pand. Part. VI.* §. 212.

§. MCXXXXII.

§. MCXXXXII.

Sunt vero actiones PRAEIVDICIALES, quibus de statu hominum disceptatur, veluti si quaeritur, seruus aliquis sit, an liber? quod iudicium CAVSSA LIBERALIS dicitur: *tit. D. de liber. cauff.* libertusue, an ingenuus? *L. vlt. D. si libert. ing. ess. dic.* sitne partus agnoscendus, necne? L. 3. §. 1. *D. de agnosc. et al. liberis et parent.* Quaenam ita dicantur?

§. MCXXXXIII.

Ex *liberali caussa* agit vel dominus contra seruum, qui se pro libero gerit, vt in seruitutem reuocetur: vel ad libertatem proclamans, aduersus eum, qui ipsum seruire cogit, vt liber declaretur. *Tit. D. de liber. cauff. L. 1. C. de assert. toll.* Quia ergo seruus est in classe rerum: (§. 77.) prior actio re vera est ipsa rei vindicatio. Et quia in posteriore, qui ad libertatem proclamat, alteri negat ius in se esse; illa negatoriae quodammodo similis est. (§. 1137.) Simile quid de altero praeiudicio, libertus quis sit, an ingenuus, notandum. Si enim patronus agit aduersus libertum, pro ingenuo se gerentem, actio haec confessoriae; sin ingenuus contra eum, qui iura patronatus iniuste in se exercet, negatoriae simillima habetur. Ex liberali caussa.

§. MCXXXXIIII.

Actio DE AGNOSCENDO PARTV datur vxori repudiatae aduersus maritum, qui praegnantem repudiauit, ad partum editum agnoscendum atque alendum. Similiter et agere poterit pater aduersus repudiatam, vt partus suus declaretur: vel ipse filius contra parentes; vt partus suus declaretur: vel ipse filius contra parentes, vt agnoscatur et alatur. §. 13. *Inst. h. t. tit. D. de agnosc. et alend. liber.* Actio de agnoscendo partu.

§. MCXXXXV.

Sequuntur actiones IN PERSONAM, quae ex *iure ad rem* nascuntur, (§. 1127.) et alias CONDICTIONES vocantur, §. 15. *Inst. h. t.* Actiones in personam.

§. MCXXXXVI.

Quum ergo *ius ad rem* sit facultas, competens personae in personam, ad aliquid praestandum: (§. 332.) sequitur, (1. vt actiones personales non dentur aduersus quemcumque possessorem, * sed aduersus eum, quocum nobis negotium intercessit. (§. 768.) L. 25. *pr. D. de oblig. et act.* §. 1. *Inst. h. t.* (2. Vt omnes nascantur ex obligatione, (§. 767.) non quidem naturali tantum, sed ea, cui vel praetor, vel ius ciuile adsistit. (§. 777.) Vnde (3. eas vel CIVILES, vel PRAETORIAS esse constat. §. 2. 3. *Inst. h. t.* Earum natura.

* Quaedam exceptae sunt, quae quum sint personales, tamen aduersus tertium possessorem dantur, vocatae ideo IN REM SCRIPTAE, quales sunt actio *Pauliana*, *quod metus caussa*, *noxales*, *ad exhibendum*, *aquae pluuiae arcendae*, L. 9. §. *vlt. D. quod met. cauff. L. 3. §. 3. D. ad exhib.* de quibus suo loco.

§. MCXXXXVII.

§. MCXXXXVII.

Quotuplices? Quumque ex obligatione nascantur hae in personam actiones: (§. 1166. 2.) ea vero vel immediate ex aequitate, vel ex lege, vel mediate ex facto obligatorio, conuentione scilicet vel delicto, oriatur: (§. 771. *sequ.*) actiones quoque in personam partim *ex aequitate*, partim *ex lege*, partim *ex facto obligatorio* proficiscuntur.

§. MCXXXXVIII.

Actiones ex sola aequitate natae, ad exhibendum, de edendo. Ex sola aequitate rarius leges, plerumque praetor vel aediles actiones concedunt. Huc pertinet I. actio AD EXHIBENDVM, ex sola aequitate sine facto obligatorio nata, L. 3. §. *penult. D.* L. 7. *C. ad exhib.* L. 2. §. 5. *D. de aqu. quot. et aestiu.* quae datur illi, cuius speciatim interest, aduersus quemcumque possessorem, (§. 1176.*) ad rem mobilem, de qua lis est, eiusque caussam, exhibendam, vel si dolo non exhibeatur, ad praestandum id, quod interest. L. 3. §. 9. L. 9. §. *penult.* L. 10. *sequ. D. ad exhib.* II. Actio in factum DE EDENDO, L. 4. §. 1. L. 10. §. 1. *D. de edend.* quae datur aduersus argentarios, non aduersus eorum heredes, ad edendas rationes, vel praestandum id, quod interest. L. 4. *pr.* L. 6. L. *vlt. D. de edend.*

§. MCXXXXVIIII.

Interdicta prohibitoria. Ex aequitate sola etiam nascuntur III. pleraque INTERDICTA, quae prohibent, ne vis fiat ei, qui re sua vti, vel publice prodesse cupit, de quibus infra ad titulum *de interdictis*.

§. MCL.

Restitutiones in integrum. Praeterea IIII. et RESTITVTIONES IN INTEGRVM ex sola aequitate * dantur. Quae enim negotia stricto iure rata essent, ea praetor, aequitate motus, rescindit, data restitutione in integrum iis, qui *metu, dolo, aetate, absentia, status mutatione, vel alienatione iudicii mutandi caussa facta* in captionem inciderunt. L. 1. L. 2. *D. de restit. in int.*

* Fundamentum earum est sola aequitas, quae ius strictum corrigit. Non [illegible]o restitutio fit ob alterius delictum, veluti vim, dolum: quamuis haec delicta esse nemo dubitet, sed ob aequitatem, quae non patitur vnum ab altero hoc modo laedi, et hunc cum eius damno locupletiorem fieri. Hinc praetor directe non punit vim, et dolum, sed restituit metu doloque circumuentum, quia laesus est: non restituturus, nisi laesio probaretur. Quamuis ergo vis et DOLVS delicta sint: non tamen restitutiones proprie ex his delictis, sed ex aequitate nascuntur.

§. MCLI.

Quod metus caussa. Huius generis est (1. actio, QVOD METVS CAVSSA, quae a praetore datur laeso ex contractu stricti iuris per iniustum metum inito, eiusue heredibus, aduersus eum, qui metum intulit, (non eius heredes, §. 1038.) (3. omnemque rei amissae possessorem, (§. 1146. 3.) ad rem cum omni caussa restituendam, vel, ni arbitrio iudicis restitua-

tuatur, in quadruplum. L. 9. §. 8. L. 12. L. 14. §. 7. *D. quod met. causs.* §. 27. *Inst. h. t.*

§. MCLII.

Eiusdem generis (2. actio DE DOLO MALO, quae datur in subsidium dolo circumuento, (siue in contractu stricti iuris caussam dederit contrahendo, siue inciderit. L. 7. *pr.* §. 7. *D. de dol. mal.*) eiusue heredi, aduersus decipientem, (non eius heredem, §. 1038.) ad rem dolo amissam cum omni caussa, restituendam, vel, ni restituatur, in id, quod interest. L. 1. L. 13. *D. de dol. mal.* De dolo malo.

§. MCLIII.

Eadem aequitate praetor (3. MINORIBVS viginti quinque annis laesis, eorumque heredibus, restitutionem dat contra eos, cum quibus negotium gestum est, eorumue heredes, vt integrum ius suum recipiant. L. 13. §. *vlt.* L. 12. L. 14 L. 24. §. 8. L. 28. *D. de minor.* Quae actio nomine singulari destituitur. L. 24. §. *vlt. D. eod.* (4. ABSENTIBVS reipublicae caussa contra praesentes, vel praesentibus contra absentes concedit actionem RESCISSORIAM, de qua, quia rea. lis est, egimus supra §. 1432. Reliquas restitutiones in integrum (5. ob CAPITIS DEMINVTIONEM, et (6. ALIENATIONEM IVDICII MVTANDI CAVSSA FACTAM, quia hodie extra vsum sunt, praeteruehimus. Minoribus et absentibus datae.

§. MCLIIII.

Ex aequitate, vel fortean quasi contractu, nascitur V. CONDICTIO SINE CAVSSA, de qua supra, (§. 991.) et denique VI. ACTIO PAVLIANA, seu *reuocatoria* *; (§. 1141.) quae datur creditoribus, missis in possessionem bonorum debitoris, eorumue heredibus, aduersus quoscumque possessores, (§. 1146.) fraudis conscios, eorumque heredes, quamquam ignaros, vel eos, qui ex caussa lucratiua possident, ad id, vt res in fraudem creditorum alienatae cum omni caussa restituantur. §. 6. *Inst. h. t.* Similes his sunt actiones FAVIANA et CALVISIANA, de quibus infra (§. 1188. 9.) Condictio sine caussa, et actio Pauliana.

* Fundamentum huius actionis, quatenus personalis, sola est aequitas: non maleficium. Si enim ex delicto nasceretur haec actio conueniri nulla ratione possent possessores fraudis ignari. Neque etiam delictum commiserat, emens ab eo, cui ius ciuile ante creditorum concursum rerum suarum alienationem permittebat. L. 26. *D. de contrah. emt.*

§. MCLV.

A LEGE (§. 1108.) *quibus* datur CONDICTIO EX LEGE, quae competit, quoties obligatio, noua lege introducta, nec, qua actione experiundum sit, expressum est. L. *vn. D. de condict. ex leg.* Sic donatarius aduersus donantem agit ex L. 35. §. *vlt. C. de donat.* (§. 461.) Donator aduersus donatarium ad reuocandum id, quod vltra modum donatum, nec insinuatum est, ex L. 21. *fin. D. de donat.* (§. 462.) II. Condictiones ex lege.

Con-

Contrahens vltra dimidium laesus aduersus laedentem ad rescindendum contractum ex L. 2. C. *de rescind. vendit.* cet. (§. 909. 2.)

§. MCLVI.

III. Ex obligatorio facto.

Mediate ex FACTO OBLIGATORIO nascuntur actiones tam EX CONVENTIONE, quam EX DELICTO. (§. 772.) Quumque *conuentiones* in *pacta* et *contractus*; (§. 779.) pacta in *nuda*, et *non nuda* (§. 777.) diuidantur: ex pactis nudis olim nulla actio nascebatur. (§. 777.) Hodie alii inde concedunt *condictionem ex stipulatu*, alii *condictionem ex lege*, alii *condictionem ex moribus*. VLR. HVBER. *Pracl. ad Dig. Lib. II. tit 19.* §. 11. SCHILTER. *Exerc. VIII.* §. 5. Sed nomine actionis non opus est, quum satis constet, actionem dari.

§. MCLVII.

Et quidem pacto legitimo et adiecto.

Pactum *non nudum* vel LEGITIMVM est, vel PRAETORIVM, vel *adiectum*. *Legitimo* lex; *praetorio* praetor adsistit. (§. 777. **) Ex LEGITIMIS ergo omnibus nascitur *condictio ex lege*, de qua §. 1155. ADIECTA eamdem pariunt actionem, quae ex contractu b. f. cui insunt, oritur. L. 7. §. 5. *D. de pact. L. 69. D. pro soc. L. 79. de contrah. emt. L. 4. D. de leg. commiss. L. 6. D. de in diem addict.*

§. MCLVIII.

Ex constituto.

PRAETORIA pacta sunt *hypotheca*, *constitutum*, et *delatio iurisiurandi* extraiudicialis, seu voluntarii. (§. 777. **) *Ex hypotheca*, quia non traditur, et tamen ius in re producit, (§. 341. **) nascuntur actiones non personales, sed reales, *Seruiana* et *quasi Seruiana* vel *hypothecaria*, de quibus supra §. 1138. *sequ.* Ex pacto CONSTITVTI * actio DE CONSTITVTA PECVNIA personalis, quae datur creditori, contra eum, qui pacto constituit, se soluturum, quod ipse vel alius debet, eiusue heredem, ad soluendum id, quod constitutum est §. 9. *Inst. h. t.*

* Hodie, qui pro alio constituit, a fideiussore non differt, quia inter pactum et stipulationem ratione effectus nulla est differentia. Nec amplius in vsu est ACTIO RECEPTITIA, quae dabatur creditori aduersus argentarium, pro se aliove constitutionem, eiusue heredem, ad rem quamcumque, siue fungibilem siue non fungibilem, quae constituta sit, soluendam. THEOPH. *ad* §. 8. *h. t.* SALMAS. *de modo vsur. cap.* 16. Nam eam actionem in alteram de constituta pecunia transfudit Imperator L. 2. C. *de const. pec.*

§. MCLVIIII.

Ex iureiurando.

IVRISIVRANDI voluntarii delati olim iure stricto non maior effectus erat, quam pacti nudi L. 35. §. 1. *D. de iureiur.* Sed ei postea adsistebat praetor, actioneque IN FACTVM EX IVREIVRANDO dabat ei, qui reo deferente voluntarium iusiurandum praestiterat, sibi deberi, aduersus deferentem, ad soluendum id de quo iuratum fuerat. §. 11. *Inst. h. t.*

§. MCLX.

Sequuntur CONTRACTVS iique vel VERI, vel QVASI CONTRACTVS. (§. 778.) *Veri* vel *nominati* sunt, vel *innominati* : (§. 779.) itidemque vel *reales*, vel *verbales*, vel *litterales*, vel *consensuales*. (§. 780.) Ex contractibus.

§. MCLXI.

REALES sunt quatuor, MVTVVM, COMMODATVM, DEPOSITVM, PIGNVS. (§. 791.) Ex MVTVO datur *condictio certi* vel *actio ex mutuo*, de qua (§. 796.) Ex COMMODATO *actio commodati*, *directa* et *contraria*, de qua §. 803. *seq.* Ex DEPOSITO *actio depositi*, *directa* et *contraria*, de qua §. 814. Ex PIGNORE actio pignoratia vel, contra, de qua §. 824. *sequ.* De *Saluiano* et *quasi Saluiano* interdicto infra erit dicendi locus. Ex realibus

§. MCLXII.

Et VERBORVM OBLIGATIONIBVS nascitur *condictio certi et incerti ex stipulatu*, de qua §. 834. Ex LITTERARVM OBLIGATIONE *condictio ex chirographo*, de qua §. 894. Ex verbali et litterali.

§. MCLXIII.

Contractus CONSENSVALES sunt EMTIO VENDITIO, ex qua nascuntur actiones EMTI et VENDITI, de quibus §. 912. *sequ.* et ex aedilitio edicto actiones *redhibitoria* et *quanti minoris* : (§. 913.*) LOCATIO CONDVCTIO, ex qua dantur actiones LOCATI CONDVCTI, de quibus §. 928. *sequ.* contractus AMPHYTEVTICVS, qui producit *actionem* AMPHYTEVTICARIAM *vtrimque directam*, de qua §. 939. *sequ.* SOCIETAS ex qua fluit actio PRO SOCIO, de qua §. 951. denique MANDATVM, ex quo oritur ACTIO MANDATI *directa* et *contraria*, de qua §. 962. *sequ.* Ex consensualibus.

§. MCLXIIII.

Hactenus *contractus* NOMINATI. Ex INNOMINATIS omnibus (§. 779.) vna ac generalis *actio* IN FACTVM vel PRAESCRIPTIS VERBIS nascitur, L. 5. §. 1. *sequ. D. de praescr. verb.* ita dicta, *quod* non nomine contractus, sed *praescriptis verbis rem gestam demonstrat*. *L.* 6. *C. de transact.* daturque ei, qui dedit vel fecit, contra eum qui se vicissim daturum facturumque promisit, ad praestandum, quod promisit, vel, ni praestet, in id, quod interest, L. 5. §. 1. *sequ. D. de praescr. verb.* Qua etiam occasione CONDICTIO CAVSSA DATA CAVSSA NON SERVATA nascitur, de qua supra §. 992. Ex innominatis.

§. MCLXV.

Sequuntur QVASI CONTRACTVS, quales sunt NEGOTIORVM GESTIO, ex qua nascitur actio NEGOTIORVM GESTORVM, *directa*, et *contraria* : (§. 972.) TVTELA, ex qua nascitur ACTIO TVTELAE, *directa*, et *contraria* : (§. 976. *sequ.*) HEREDITATIS COMMVNIO, ex qua nascitur actio *communi diuidundo*, (§. 983.) quamuis hae quo- Ex quasi contractibus.

dammodo mixtae sint: (§. 927. *) HEREDITATIS ADITIO, ex qua nascitur *actio personalis ex testamento*: (§. 986.) INDEBITI SOLVTIO, vnde *condictio indebiti*: (§. 991.) RECEPTIO RERVM a nautis, cauponibus, stabulariis facta, vnde *actio in factum de recepto*, de qua §. 1121. CVRATIO FVNERIS, ex qua ACTIO FVNERARIA datur ei, qui sumtus in funus alienum, hereditate nondum adita, fecit, eiusque heredi, aduersus eum, ad quem res pertinet, eiusue heredem, ad impensas illas in primis restituendas. L. 14. L. 15. *D. de religios.*

§. MCLXVI.

Ex delictis.

Proxima sunt DELICTA, (§. 1156.) eaque vel VERA, vel QVASI DELICTA. (§. 1034.) Illa iterum vel *publica*, vel *priuata*: vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. (§. 1036. *sequ.*) De *publicis* infra titulo XVIII.; de *extraordinariis* ad Pandectas; de *priuatis* hic erit agendum.

§. MCLXVII.

Iisque tum veris priuatis.

Talia sunt FVRTVM, ex quo CONDICTIO FVRTIVA, (§. 1062.) et ACTIO FVRTI: (§. 1063.) RAPINA, vnde actio VI BONORVM RAPTORVM; et *actio* FVRTI: (§. 1076.) DAMNVM INIVRIA DATVM, quod vindicatur actione ex LEGE AQVILLIA: (§. 1087. 1091.) INIVRIA, vnde competit *actio iniuriarum praetoria* et *criminalis* et *persequutio*, (§. 1102. *sequ.*) et ex *lege Cornelia de iniuriis*. (§. 1105. *sequ.*)

§. MCLXVIII.

Et ex aliis factis illicitis.

Ex vero etiam delicto sunt (1. actio DE ALBO CORRVPTO, quae cuiuis e populo dabatur aduersus eum, qui quid in albo praetoris dolo malo corruperat, ad quingentos aureos actori adplicandos. L. 7. *D. de iurisdict.* (2. Actio IN FACTVM, qua vindicabatur dolus eius, qui vel ius nouum iniquum statuerat, vel impetrauerat, ad id, vt ipse eodem vti cogeretur. L. 1. §. 1. *D. quod quisque iur.* (3. Actio IN FACTVM poenalis, data actori vel reo contra aduersarium, ius dicenti non obtemperantem, ad id, quanti ea res erat. L. vn. *D. si quis ius dic.* (4. Actio IN FACTVM, quae datur actori aduersus eum, qui in ius vocatum vi exemit, ad id, quanta ea res ab actore aestimatur. L. 5. §. 1. *D. ne quis eum, qui in ius voc.* (5. Actio IN FACTVM contra eum, per quem factum est, quo minus quis in iudicio se sistat, ad id, quod interest. L. 3. *pr. D. de eo, per quem fact. erit.*

§. DCLXVIIII.

Qualia et hoc paragrapho recensentur.

Eodem pertinent (6. *actio in factum de* CALVMNIATORIBVS, quae datur ei, cui calumnia nocitum, non eius heredi, (§. 1038. 4.) L. 4. *D. de calumn.* aduersus eum, qui accepit pecuniam, vt calumniae caussa negotium faceret, vel non faceret, intra annum in quadruplum, post annum in simplum. L. 1. *pr. D. eod.* (7. Condictio OB TVRPEM CAVSSAM, de qua supra iam actum, (§. 992.) quamuis haec et ex alio fonte deriuari possit. (8. Actio DE SERVO CORRVPTO, qua dominus,

minus, eiusue heres, agit aduersus eum, qui seruum corrupit, in duplum §. 23. *Inst. de action.* (9. Actio IN FACTVM contra mensorem, qui falsum modum vel per se vel per alium renunciauit, ad id, quod interest. L. 1. *pr. L.* 3. §. 1. *L.* 5. §. 1. *D. si mensor fals. mod.*

§. MCLXX.

Ex delicto porro sunt (10. actio RERVM AMOTARVM, (§. 1044.) (11. actio *de* SVSPECTIS TVTORIBVS, (§. 302.) (12. actio *de* RATIONIBVS DISTRAHENDIS, (§. 263.) de quibus omnibus iam supra actum. Nec non sequente.

§. MCLXXI.

Haec de *veris delictis*: ex QVASI DELICTIS omnibus communis competit *actio* IN FACTVM, de qua diximus §. 1113. 1115. 1118. 1122. Ex quasi delictis.

§. MCLXXII.

Haec ergo prima est actionum diuisio: (§. 1127.) Altera est, quod aliae sint REI PERSEQVVTORIAE, quibus persequimur id, quod e patrimonio nostro abest: L. 35. *pr. D. de oblig. et act.* aliae POENALES, quibus persequimur poenam legibus constitutam: L. 7. *D. de seru. export.* aliae MIXTAE, quibus partim poenam legibus constitutam, partim, quod interest, persequimur. §. 16. *Inst. h. t.* Secunda actionum diuisio in rei persequutorias, poenales, et mixtas.

§. MCLXXIII.

REI PERSEQVVTORIAE sunt (1. reales omnes, de quibus supra a §. 1128. ad §. 1144. actum. (2. Actiones ex conuentionibus, de quibus §. 1156. *sequ.* excepto *deposito miserabili*, ex quo actio contra inficiantem et ex dolo in duplum datur. (§. 812.) §. 17. *Inst. h. t.* (3. *Condictio furtiua* (§. 1072.) et *actio rerum amotarum*. (§. 1044.) *L.* 7. §. 1. 2. *D. de condict. furt. L.* 25. §. 2. *D. rer. amot.* Rei persequutoriae.

§. MCLXXIIII.

POENALES sunt actiones pleraeque ex delicto, veluti *actio furti*, *de albo corrupto*, et similes: §. 18. *Inst. eod.* MIXTAE, actio, *vi bonorum raptorum*, (§. 1076. *sequ.*) actio ex *lege Aquillia*, (§. 1087. *sequ.*) actio *de legatis*, *venerabilibus locis*, *vel ecclesiae relictis*, quae contra heredem inficiantem vel morosum in duplum datur. §. 19. *Inst. h. t.* Poenales et mixtae.

§. MCLXXV.

Tertio omnes actiones vel IN SIMPLVM, vel IN DVPLVM, vel IN TRIPLVM, vel IN QVADRVPLVM conceptae sunt. §. 21. *Inst. h. t.* Actiones in simplum, duplum cet.

§. MCLXXVI.

In SIMPLVM agunt, quicumque rem persequuntur: adeoque (1. omnes actiones rei persequutoriae (§. 1173.) in simplum dantur, §. 22. *Inst. h. t.* nec non (2. actiones quaedam poenales, et mixtae, postquam annus elapsus est: veluti *actio de calumniatoribus*: (§. 1169. 6.) *actio vi bonorum raptorum*. (§. 1076.) In simplum.

§. MCLXXVII.

In duplum. In DVPLVM quaedam ab initio conceptae sunt, vti actio *furti nec manifesti*, (§. 1058.) et *serui corrupti*: (§. 1169. 8.) quaedam ex postfacto vel inficiando crescunt, veluti *actio ex lege Aquilia* (§. 1113.) actio depositi miserabilis: (§. 812.) vel aut inficiando, aut differendo solutionem, vti actio de legatis, venerabilibus locis vel ecclesiae relictis. (§. 1174.) §. 26. *Inst. h. t.*

§. MCLXXVIII.

In triplum. In TRIPLVM actio dabatur* aduersus eum, qui maiorem vera aestimatione quantitatem libello conuentionis inseruerat, vt ex hac caussa viatores, id est, exsequutores litium eo ampliorem summam sportularum nomine à reo exigerent. * §. 24. *Inst. h. t.*

* Solitos enim viatores et exsequu- que ad centum aureos petitum, di- tores litium sportularum quantitatem midium aureum exigere: obseruat proportione sortis temperare, et si vs- THEOPH. *d.* §. 24. *Inst. h. t.*

§. MCLXXVIIII.

In quadruplum. In QVADRVPLVM similiter quaedam actiones poenales statim ab initio conceptae sunt, veluti *actio furti manifesti*, (§. 1057.) *actio in factum de calumniatoribus*, (§. 1169. 6.) *actio vi bonorum raptorum*, (§. 1076.) et *condictio*, quae dabatur aduersus exsequutores litium, qui sportularum nomine plus iusto exegerant. §. 25. *Inst. h. t.* Vnica actio *quod metus caussa* ab initio in simplum datur, et si reus arbitrio iudicis rem non restituit, in quadruplum. (§. 1151.) §. 27. *Inst. h. t.* *L.* 14. §. 1. *D. quod met. cauff.*

§. MCLXXX.

Vsus earum actionum hodiernus. Hodie, quum pleraque delicta respublica persequatur, neque mores nostri ferant, vt poena pecuniaria actori adplicetur, denique leges poenas definiant, vel iudicantium arbitrio relinquant: actiones poenales in duplum, triplum, quadruplum fere extra vsum sunt, nisi quod ob legata piis corporibus relicta non exsoluta, in duplum condemnari heredem, memini. Conf. THOMAS. *Diss. de exiguo actionum poenalium vsu in foris Germaniae*.

§. MCLXXXI.

Quarta diuisio in actiones bonae fidei, stricti iuris, arbitrarias. Quarto actiones quaedam sunt BONAE FIDEI, quaedam STRICTI IVRIS, quaedam ARBITRARIAE. §. 28. 31. *Inst. h. t.* Quam diuisionem vt intelligamus rectius, sciendum, apud *praetores* et magistratus ordinarie non nisi *quae in iure fiunt*, et quae litis contestationem antecedunt, esse peracta: reliqua delegata fuisse vel IVDICIBVS, vel ARBITRIS, L. 15. *pr. D. de re iudic.* qui de facto cognoscerent, et ex formula a magistratu praescripta ferrent sententiam. Vid. GER. NOODT. *de iurisdict. Lib. I. cap.* 8.

§. MCLXXXII.

§. MCLXXXII.

Natura et origo actionum stricti iuris.

Quum ergo quaedam negotia tam stricti iuris essent, vt vltra, quam conuentum, adiudicari nihil posset; quaedam sua natura aequitatem iudicis desiderarent: in illis iudex dabatur cum formula: SI PARET, TITIVM CENTVM EX STIPVLATV DEBERE, TV ILLVM IN CENTVM CONDEMNA. Hic ergo nec vsuras, nec quidquam aliud adiudicare poterat iudex pedaneus, formula praetoris circumscriptus. *Ad iudicium*, teste CICERONE, *hoc modo veniebant, vt totam litem aut obtinerent, aut amitterent*. CIC. *pro Q. Rosc. cap.* 4. SENECA *de benef. Lib. III. cap.* 3. Et hae actiones, ex quibus cum hac formula dabatur iudex, STRICTI IVRIS vocabantur.

§. MCLXXXIII.

Bonae fidei.

In negotiis contra, quae magis ex aequo definienda videbantur, praetor certam summam non exprimebat formula, sed ex contractibus consensualibus ita arbitrum dabat: SI PARET, TITIVM MAEVIO EX LOCATO DEBERE, TVM, QVANTVM TITIVM MAEVIO OB EAM REM DARE OPORTET EX FIDE BONA, TANTI DAMNETVR. In actionibus ex fiduciae contractu natis loco verborum EX FIDE BONA adhibebatur formula: VTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET: in actione rei vxoriae: QVANTVM AEQVIVS MELIVS. CIC. *de offic. Lib. III. cap.* 17. Hic ergo vsurae ob moram, fructus, et si quid aliud aequum et bonum videbatur, adiudicari ab arbitro poterant. CIC. *pro Q. Rosc. cap.* 4. SENECA *de benefic. Lib. III. cap.* 3. Hae vero actiones omnes dicebantur BONAE FIDEI. * §. 30. *Inst. h. t.*

* Quare hic bona fides non opponitur *dolo* malo, vti in *L.* 59. §. 1. D. *mand.* sed stricto iuri, adeoque idem est, ac laxior vel liberior iudicis potestas. §. 30. *Inst. h. t.*

§. MCLXXXIIII.

Arbitraria.

Non numquam et ita dabatur arbiter, vt liceret ei, (quantum restituendum sit, aestimare, et si non pareret reus, tunc vel iusiurando in litem locus, vel arbitro facultas esset, reum in aliquid maius condemnandi. Et tunc dabatur arbiter hac formula: SI PARET, TITIVM MAEVIO METVS CAVSSA QVID EXTORSISSE, TVM TV, QVANTVM TITIVS MAEVIO DARE OPORTEAT, AESTIMA, et SI ARBITRIO TVO NON RESTITVET, IN QVADRVPLVM ILLVM CONDEMNA. Vel: SI PARET, TITIVM MAEVII VESTEM HABERE, NEQVE IS ARBITRIO TVO EAM EXHIBVERIT: TVM, QVANTVM IN LITEM MAEVIVS IVRAVIT, TANTI TITIVM CONDEMNA. SIGON. *de Iudic. Rom. Lib. I. cap.* 24. Et hae actiones dicebantur ARBITRARIAE. §. 31. *Inst. h. t.*

§. MCLXXXV.

Differentia harum actionum.

Hinc recte definiuntur *actiones* BONAE FIDEI, quod sint *actiones, in quibus iudici*, (olim arbitro,) *conceditur liberior potestas, ex bono et aequo aestimandi, quantum alterum alteri dare facere oporteat*. §. 30. *Inst. h. t. Actiones* STRICTI IVRIS, *in quibus potestas iudicis* (olim formulae) *iam conuentioni partium adstricta est*. L. 99. *D. de verbor. oblig. Actiones* ARBITRARIAE, *in quibus iudici*, (olim arbitro,) *ex aequo et bono aestimare licet, quantum dari fieri oporteat: si vero arbitrio huic non pareat reus, condemnatio in maius fieri potest*. §. 31. *Inst. h. t.* Et hinc THEOPHILVS *d.* §. 31. ἰδικὰς ἐχεῖοθαι τὰς τοιαύτας ἀγωγάς, *proprium hanc earum actionum naturam esse*, ait.

§. MCLXXXVI.

Actiones b. f. recensitae.

Tales actiones BONAE FIDEI sunt (1. omnes ex contractibus consensualibus ortae, §. 3. *Inst. de oblig. ex consf.* veluti EMTI VENDITI, LOCATI CONDVCTI, EMPHYTEVTICARIA, PRO SOCIO, MANDATI. (2. Ex contractibus realibus actiones COMMODATI, DEPOSITI, PIGNORATITIA. (3. Ex contractibus innominatis actio PRAESCRIPTIS VERBIS, ex permutatione et aestimatoria. (4. Ex quasi contractibus actiones NEGOTIORVM GESTORVM, FVNERARIA, TVTELAE, et binae mixtae, FAMILIAE ERCISCVNDAE, COMMVNI DIVIDVNDO. (5. Ex actionibus in rem sola HEREDITATIS PETITIO, quia illa mixtae naturae est. §. 1127.*) §. 28. *Inst. h. t.*

§. MCLXXXVII.

Item stricti iuris.

Actiones STRICTI IVRIS sunt *condictio certi* EX MVTVO, *actio* EX STIPVLATV, *condictio* EX CHIROGRAPHO, *condictio* INDEBITI, *actio* EX TESTAMENTO, quae tamen ambiguae quodammodo naturae videtur. L. 5. *D. de eo, quod cert. loc. iunct. L.* 87. §. 1. *D. de legat.* (2. Et reliquae, quae nec b. f. nec arbitrariae sunt.

§. MCLXXXVIII.

Et arbitrariae.

Arbitrariae denique sunt (1. *actiones* omnes IN REM, de quibus §. 1128. *sequ.* excepta *hereditatis petitione*, (§. 1186.) (2. *actio* QVOD METVS CAVSSA, (3. *actio* DE DOLO, (4. *actio* AD EXHIBENDVM, L. 3 1. *D. h. t.* (5. *actio* DE EO, QVOD CERTO LOCO, (6. *actio* REDHIBITORIA, (7. *actio* FINIVM REGVNDORVM. L. 4. §. 2. 3. L. 7. *D. fin. reg. iunct. L.* 22. *D. de rei vindicat.* (8. *actio* PAVLLIANA, arg. L. 8. L. 10. §. 20. *D. quae in fraud. cred.* (9. *actiones* FAVIANA et CALVISIANA, quae competunt patrono eiusque heredibus, contra quemcunque possessorem, eiusque heredes, ad res in fraudem patroni alienatas in totum vel pro parte rata reuocandas. L. 1. §. 11. 12. 26. *vlt. D. quae in fraud. patron.* (10. *Actio* RERVM AMOTARVM. (§. 1044.) L. 8. §. 1. *D. de act. rer. amot.*

§. MCLXXXVIIII.

Actionis ex stipulatu de

Singularis natura est actionis EX STIPVLATV *de dote*. Quum enim antea

antea vxori ad repetendam dotem competeret REI VXORIAE actio, quae bonae fidei: (§. 1183.) Iustinianus eam transfudit in actionem EX STIPVLATV, ita tamen, vt qualitates actionis vxoriae cum ea communicaret. Atque inde fit, (1. vt, contra naturam actionis ex stipulatu, sit *bonae fidei*, (2. vt mulieri detur, etiamsi nulla stipulatio interuenerit, (3. vt mulieri simul competat tacita hypotheca in mariti bonis, et priuilegium, vt omnibus creditoribus mariti praeferatur. *L. vn. C. de rei vxor. act.* §. 29. *Inst. h. t.*

dote natura singularis.

§. MCLXXXX.

Ceterum multum inter actiones *bonae fidei* et *stricti iuris* interest. (1. In illis compensatio fiebat ipso iure; in his opposita exceptione doli: quod tamen nouo iure sublatum. §. 30. *Inst. h. t. L. vlt. D. de compensat.* (2. In illis ob metum, dolum, contractus videtur nullus, in his actionem et exceptionem suggerit, ad contractuum rescissionem. L. 9. §. 8. L. 12. L. 14. §. 7. *D. quod met. causs. L. 7. pr. et* §. 3. *D. de dolo malo*. (3. In illis fructus omnes debentur a tempore morae; in his, si res nostras repetimus, ex tempore, quo reus eas accepit, in reliquis stricti iuris iudiciis a litis contestatione. L. 35. §. 7. L. 38. *D. de vsur.* (4. In illis vsurae non solum ex stipulatione, sed et ex pacto, immo et ex mora debebantur, etiam non promissae; in his ex sola stipulatione. L. 1. *et L.* 3. *C. L.* 32. §. 2. *L.* 34. *sequ. D. de vsur.* (5. In illis pacta in continenti adiecta producunt ex illo contractu actionem; in his non producunt. L. 7. §. 5. *D. de pact.*

Effectu quomodo b. f. et stricti iuris actiones differant?

§. MCLXXXXI.

Nec minus ab *actionibus bonae fidei* et *stricti iuris* effectu differunt *arbitrariae*. (1. In illis condemnatio fit simpliciter; in his, *εἰ μὴ μεσιτείᾳ καὶ κελεύσει τοῦ δικαστοῦ ὁ ῥεὸς καταστήσῃ*, *si arbitrio iussuque iudicis reus non restituat*. THEOPHIL. §. 31. *Inst. h. t.* (2. In actionibus *stricti* iuris condemnatio fit secundum conuentionem partium; in his ex arbitrio iudicis. §. 31. *Inst. h. t.*

Neo non actiones arbitrariae.

§. MCLXXXXII.

Quamuis vero in actionibus *bonae fidei* et *arbitrariis* permultum relictum sit iudicis arbitrio: opera tamen danda, vt et actione, si fieri possit, certa summa exprimatur, et iudex certae pecuniae vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta actum sit *. §. 32. *Inst. h. t.*

In libello certa, quantum licet, summa exprimenda.

* Rem enim certam actor libello exprimere nequit, si vel actio ipsa sua natura est alternatiua, *L.* 75. §. 7. *D. de verb. oblig.* vel iudicium est vniuersale, e. g. si hereditas petitur. *L. 7. D. si pars hered. pet.* Ex L. 2. *C. de resc. vend.* absolute ad rescissionem agendum, quamuis deinde rei sit electio, contractum rescindi malit, an laeso satisfacere.

§. MCLXXXXIII.

Non licet ergo PLVS petere, quamuis, qui MINVS intentione sua complexus est, quam ad eum pertinet, sine periculo agat, et aduersarius

Pluris et minoris petitio.

farius eodem iudicio in reliquum condemnari possit ex constitutione diui Zenonis imp. §. 34. *Inst. h. t.* Immo et is, qui per errorem aliud pro alio intendit, in eodem iudicio libellum emendare potest, ad sententiam vsque. L. 4. §. *fin. D. de nox. act. L. 4. et L. 45. D. de petit. hered. L. 3. C. de edend. L. 69. D. de iudic.*

§. MCLXXXXIIII.

Qui dicuntur plus petere.

Plus autem aliquis *petit* vel R, si maiorem summam vel partem petat, quam debetur: vel TEMPORE, si ante diem vel conditionem petat: vel LOCO, si, quod quis certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petat: vel CAVSSA, qui quid abscisse petit, quod alternatiue promissum, vel speciem petit, quum genus promissum. §. 33. *Inst. h. t.*

§. MCLXXXXV.

Ii olim caussa cadebant.

Et olim quidem, qui plus petierat, caussa cadebat, PLAVT. *Mostell. act. III. sc. 1. v. 122.* neque restituebatur in integrum, nisi vel minor esset, vel alia iusta caussa praetorem moueret. *d.* §. 33. Postea Zenoniana constitutione cautum, vt, si plus *tempore* fuerit petitum, tempus reo duplicaretur, actorque condemnaretur in expensas, §. 10. *Inst. de except. L. 12. C. de plus petit.* et Iustinianea, vt si plus re vel caussa intentione sua actor complexus sit, damnum, quod reus incurrit, triplo lueret. §. 33. *Inst. h. t.* Denique ob pluris petitionem ratione loci datur *condictio de eo, quod certo loco*, ad id, vt iudex arbitretur, quid alter alteri praestare teneatur, habita ratione eius, quod interest, eo loco fuisse solutum, quo solui debuerat. L. 1. L. 8. *D. de eo, quod cert. loc.*

§. MCLXXXXVI.

Quid hodie obtineat?

Vsu fori hodierno discrimen inter actiones bonae fidei et stricti iuris plerisque locis cessat, in Germania saltim huius distinctionis vsus vix vllus superest ob *Rec. Imp. a.* 1600. §. *so viel. nun.* Iis locis, vbi iuris Romani sanctior custodia est, effectus illius differentiae etiamnum vigent, exceptis iis, qui a veteribus formulis pendent. SAND. *Decis. Lib. III. tit. 14. defin.* 1. Arbitrium vero iudicis hodie nusquam eo pertingit, vt ob contumaciam reum in quadruplum condemnare possit. Quod ad pluris petitionem attinet, nemo ideo hodie caussa cadito sed reus absoluitur ab instantia, et actor condemnatur in expensas litis, adeoque nouum libellum offerre non prohibetur. CHRISTIN. *Vol. I. dec. 266.* Immo emendare libellum vsque ad conclusionem licet, eatenus, vt ne genus actionis mutetur: Mutare vero non licet post litis contestationem, nisi restituantur expensae, et lis de nouo inchoetur. BRVNNEM. *Process. ciuil. cap. 5. num. 17.* SAND. *Decis. Lib. I. tit. 4. def.* 2.

§. MCLXXXXVII.

Quinta actionum di-

Sequitur quinta actionum summa diuisio, quod aliis SOLIDVM, aliis MINVS QVAM SOLIDVM consequamur. Solidum ordinarie persequimur: minus

minus quam solidum I. *actione* DE PECVLIO, de qua *tit. sequ.* §. 1219. quippe quae tantum competit in id, quod in peculio est. §. 36. *Inst. h. t.* — uisio, Aliis solidum consequimur.

§. MCLXXXXVIII.

Minus etiam, quam solidum, II. ob COMPENSATIONEM consequimur, quippe quae summam debitam, pro quantitate concurrente ipso iure minuit. (§. 1005. 5.) §. *penult. Inst. h. t.* — Aliis minus quam solidum, veluti ob compensationem.

§. MCLXXXXVIIII.

Ac denique III. ob BENEFICIVM COMPETENTIAE, quod est *ius singulare, ob necessitudinem singularem, militiam, beneficium, vel calamitatem personis quibusdam concessum, vt non queant in plus conueniri, quam quantum facere possint.* §. 37. *Inst. h. t. L.* 29. *L.* 30. *D. de re iud. L.* 173. *D. de reg. iur.* Ex quo sequitur, vt hoc priuilegium personale sit, quod nec heredibus, nec fideiussoribus prodest. *L.* 24. *sequ. D. de re iud. L.* 63. §. 1. *D. pro soc.* — Beneficium competentiae.

§. MCC.

Ob *necessitudinem* hoc beneficium competit (1. parentibus, §. 38. *Inst. h. t.* (2 patronis, L. 16. L. 17. *D. de re iud.* (3 fratribus, et, 4 quia etiam socii loco fratrum sunt, (§. 942.) sociis, actione *pro socio* inter se agentibus, L. 16. *D. de re iud. L.* 63. *D. pro soc.* §. 36. *Inst. h. t.* (5. conjugibus, L. 17. L. 20. *D. de re iud.* (6 soceris, durante adfinitate. L. 21. L. 22. *pr. D. eod. L. penult. D. de iur. dot.* — Quod quibusdam competit ob necessitudinem.

§. MCCI.

Ob *militiam* id beneficium datur (7 militibus, L. 7. *et L.* 18. *D. de re iud.* quod frustra doctores ad nobiles, clericos, caussarum patronos, scholarum doctores proferunt. RICHT. *Decis. XXIIII.* §. 2. — Ob militiam.

§. MCCII.

Ob *beneficium* (8. donatoribus competit, qui non conueniuntur a donatario, nisi deducto aere alieno. L. 30. *D. de re iud. L.* 28. *D. de reg. iur.* — Ob beneficium.

§. MCCIII.

Denique ob *calamitatem* id beneficium competit (9. liberis emancipatis, exheredatis, et qui se paterna hereditate abstinuerunt, L. 49. *D. de re iud. L.* 2. *pr. D. quod cum eo, qui in al. potest.* (10. iis, qui bonis cesserunt. §. 40. *Inst. h. t. L.* 4. *D. de cess. bon.* — Ob calamitatem.

TIT. VII.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE DICITVR.

§. MCCIIII.

Connexio. HActenus de quinque actionum diuisionibus: sequitur sexta, quod quaedam actiones ex facto PROPRIO, quaedam ex ALIENO nascantur. Tales vel ex filiorum, vel ex seruorum, vel ex animalium nostrorum facto oriuntur. Priores sunt EDIECTITIAE QVALITATIS, quae, tamquam genus, plures sub se species continent. Sic actio QVOD IVSSV genus est: quia datur *condictio certi* QVOD IVSSV, *actio emti* QVOD IVSSV, *condictio ex stipulatu* QVOD IVSSV, cet.

§. MCCV.

Actiones ex facto alieno natae. Tales fere actiones sunt, quae ex facto non nostro, sed alieno, nascuntur. Quamuis enim nemo vel alteri stipulari, vel pro alio promittere, (§. 833. 12. 13.) adeoque ex facto alterius alteri nec actio, nec obligatio, nec dominium oriri possit: aliud tamen obtinet circa *filiosfamilias* et *seruos*, ob vnitatem personae, quae vinculum potestatis efficere intelligitur. (§. 469. *sequ.*)

§. MCCVI.

Veluti filii vel serui. Obligatur vero pater et dominus ex facto filiifamilias vel serui, non illicito, ex quo filius ipse in solidum conuenitur: (L. 4. §. 2. *D. quod cum eo, qui in al. potest. est, neg. esse dic.*) sed ex contractu, L. 1. *D. eod.* L. 39. *D. de oblig. et act.* vel (1. quod *iussit*, vel (2. quod negotio *praeposuit*, vel (3. quod *peculium* adest, vel (4. quia *in rem versum* est. Ex prima caussa oritur actio QVOD IVSSV, ex secunda EXERCITORIA et INSTITORIA, ex tertia TRIBVTORIA et DE PECVLIO, ex quarta DE IN REM VERSO, *d. L.* 1. *D. h. t.*

§. MCCVII.

Actio quod iussu. IVSSVM proprie est parentum et dominorum. (§. 954. 5.) Iussisse ergo videntur, qui vel testato, vel per epistolam, vel verbis aut per nuncium, vel generatim, vel specialiter in vno contractu iusserunt, mandarunt, gestumue ratum habuerunt. L. 1. §. 1. 3. 4. 6. *D. quod iuss.*

§. MCCVIII.

Eius natura. Quo facto praetor dat actionem QVOD IVSSV *adiectitiae* qualitatis, (§. 1204.) ei, quocum filius vel seruus patris vel domini iussu contraxit, contra patrem dominumue in solidum. §. 1. *Inst. h. t.* Quamuis

uis iure nouo directè quoque et ciuiliter contra patrem vel dominum iubentem ex contractu, eius iussu inito, agi possit. §. *vlt. Inst. h. t.*

§. MCCVIIII.

Actiones exercitoria et institoria.

Deinde commerciorum caussa repertae actiones EXERCITORIA et INSTITORIA. EXERCITOR vero est, *ad quem quotidianae nauis, seu propriae, seu conductae, obuentiones et reditus pertinent*. §. 2. *Inst. h. t. L.* 1. §. 15. *D. de exerc. act.* Qui enim ita vel ab exercitore vel a magistro naui praepositus est, vt ei totius nauis cura incumbat, is MAGISTER NAVIS adpellatur, siue sit liber, siue seruus, isque, siue proprius, siue alienus, L. 1. §. 1. 3. 4. 5. *D. eod.* §. 2. *Inst. h. t.* INSTITOR denique est, *qui tabernae ad emendum vendendumque praeponitur*, cuiuscumque sit conditionis vel aetatis. L. 18. *D. de inst. act.*

§. MCCX.

Exercitoriae natura.

Est ergo EXERCITORIA actio adiectitiae qualitatis, §. 1204.) quae a praetore datur ei, qui cum magistro nauis (non cum nauta, L. 1. §. 2. *D. eod.*) iis de rebus, quarum caussa naui praepositus est, contraxit, L. 1. §. 8. 9. 12. *D. de exerc. act.* eiusue heredi, aduersus exercitorem, eiusue heredem, vel plures exercitores in solidum, L. 1. §. *vlt. L.* 2. *L.* 3. *D. eod.* ad praestandum id, quod ex contractu debetur. §. 2. *Inst. h. t.*

§. MCCXI.

Et institoriae.

INSTITORIA et ipsa qualitatis adiectitiae, (§. 1204.) datur ei, qui cum institore iis de rebus, quarum caussa praepositus est, contraxit. L. 5. §. 11. *segu. D. L.* 3. *C. de inst. act.* eiusque heredi, aduersus eum, qui praeposuit, eiusue heredem, vel plures praeponentes in solidum, L. 13. §. *vlt. D. eod.* ad consequendum id, quod ex contractu debetur. §. 2. *Inst. h. t.*

§. MCCXII.

An et magister nauis et institor conueniri possint.

Sed de his actionibus adhuc obseruandum, I. magistros etiam nauium, et institores directe conueniri posse ex contractu suo, quamdiu naui vel negotiationi praesunt, non autem finito officio. *L. vlt. D. de inst. act.* nisi vel fidem suam pro dominis obstrinxerint, L. 67. *D. de procur.* vel falsi fuerint exercitores vel institores. SAND. *Lib. III. tit.* 7. *def.* 1.

§. MCCXIII.

An et dominus possit agere cum iis, qui cum institore vel magistro contraxere?

II. Posse quidem eum, qui cum institore vel magistro nauis contraxit, cum domino tabernae vel exercitore agere, non autem hos aduersus eos, qui cum institore vel magistro nauis contraxerunt, nisi aliter rem suam seruare nequeant. L. 1. L. 2. *D. de inst. act. L.* 1. §. 18. *D. de exerc. act.* Ergo contra institorem potius vel magistrum nauis agunt conducti vel mandati, si sint liberi homines.

§. MCCXIIII.

Ius nouum. III. Nouo iure etiam directe agi posse aduersus exercitores vel dominos tabernae. (§. 1211.) §. *vlt. Inst. h. t.*

§. MCCXV.

Vsus fori. Vsu fori hodierno, saltim in Belgio, aduersus plures exercitores vnius nauis, vel dominus vnius tabernae, non datur amplius actio in solidum. Grot. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 11. §. 13. Vinn. *ad L.* 4. *D. h. t.* Struv. *Exerc.* XX. §. 12.

§. MCCXVI.

Actio tributoria. Tributoria actio a *tribuendo* dicitur. Tribuere vero hic idem est, ac distribuere. Si enim filiusfamilias vel seruus, sciente patre vel domino, negotiatus fuerat: creditoribus filii vel serui satisfactionem exigentibus, patri vel domino ius erat merces peculiares pro rata distribuere.

§. MCCXVII.

Eius natura. Quod si is dolo malo inaequaliter tribuerat: praetor creditoribus dabat actionem tributoriam adiectitiam, (§. 1204.) contra patrem vel dominum, dolo malo vel plane non, vel inaequaliter tribuentem, eiusque heredem. * (L. 7. §. *vlt.* L. 8. L. 9. *D. de trib. act.*) vt merces peculiares pro rata tribuantur. §. 3. *Inst. h. t.*

* Quamuis enim haec actio non aliter, quam dolo interueniente competat: tamen non est de dolo. L. 8. *D. de tribut. act.* Id est, creditores, quamuis agere nequeant, nisi dolo inaequaliter tributum sit, tamen non agunt ad puniendum dolum, sed ad rem persequendam, adeoque et aduersus heredem recte agunt.

§. MCCXVIII.

Vsus hodiernus. Quia autem seruis hodie non vtimur ad negotiandum in mercibus peculiaribus, et filii familias negotiantes plerumque exeunt patria potestate: vsum sane huius actionis vel nullum, vel rarissimum esse oportere, per se patet.

§. MCCXVIIII.

Actio de peculio. Eiusdem fere naturae est actio de peculio. *Peculium* quid sit, et quotuplex, iam supra explicauimus. (§. 473. *sequ.*) Quod si quis itaque cum filio familias vel seruo contraxerat: actio aduersus patrem vel dominum non iubentem ex eo contractu non dabatur, nisi filio vel seruo esset peculium profectitium. * Tunc enim praetor concedebat actionem adiectitiae qualitatis de peculio iis, qui cum seruo vel filiofamilias contraxerant, aduersus dominum vel patremfamilias, in id, vt soluat, quantum esset in peculio, §. 4. *Inst. h. t.* §. 10. *Inst. de action.* deducto prius, quod ipsi domino vel patri, nec non fratribus in eiusdem patris potestate constitutis debebatur. L. 9. §. 2. 3. L. 6. *pr. D. de pecul.*

* De

* De castrensi enim et quasi castrensi ipse filius tamquam paterfamilias tenetur. (§. 478. 1.) L. 18. *D. de castr. pecul.* De aduentitio pater conuenitur, non actione de peculio, sed tamquam legitimus filii administrator. (§. 480.) *L. 6. et. L. vlt. C. de bon. quae liber.*

§. MCCXX.

Huius quoque actionis, quatenus ad seruorum contractus pertinet, nullus hodie vsus. Quod attinet ad filios, nostris moribus raro illis dantur peculia profectitia, iisque datis, patria potestas fere soluitur. Vbi tamen pater filiofamilias peculium dat ad negotiandum, ibi actionem de eo etiamnum institui posse, non negauerim. Eius vsus hodiernus.

§. MCCXXI.

Denique adiectitiae qualitatis est actio DE IN REM VERSO. *In rem* vero patris vel domini *versum* censetur, quidquid necessario vel vtiliter impensum est a filio vel seruo, quoque domini vel patris patrimonium auctum est. L. 3. §. 1. 2. *sequ. D. de in rem vers.* Actio de in rem verso.

§. MCCXXII.

Quum ergo aequitati aduersetur, alterum cum alterius damno fieri locupletiorem: (§. 967. 2.) praetor iis, qui cum filiofamilias vel cum seruo contraxerant, actionem DE IN REM VERSO dat contra patrem vel dominum, in id, quod et quatenus in rem rem versum est. §. 4. *Inst. h. t. L. 1. pr. §. 4. D. de in rem vers.* Eius natura.

§. MCCXXIII.

Et hactenus quidem perinde est, siue quis cum seruo contraxerit, siue cum filiofamilias. Circa hunc vero singulare quid occurrit, quod SCto MACEDONIANO inuectum, nouimus. Quum enim inter ceteras sceleris caussas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset: et saepe qui incertis nominibus (HORAT. *Lib. II. epist.* 1. *v.* 105.) crederet, materiam peccandi malis moribus praestaret, sub Claudio imp. * (TACIT. *Annal. Lib. XI. cap.* 12.) senatui placuit, *ne cui, qui filio familias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur, vt scirent, qui pessimo exemplo foenerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen, exspectata patris morte, fieri.* L. 1. pr. *D. de SC. Maced.* SC. Macedoniani origo.

* Filiusfamilias, cui creditum, an foenerator improbus, qui crediderat, Macedo sit dictus, itemque quo tempore in lucem prodierit hoc SC. disquisiuimus in *Pand. Part. III. §. 168. sequ.* [itemque in *Histor.* nostr. *iur. ciu. Lib. I. §. 219.*]

§. MCCXXIIII.

Ex quo fluunt axiomata: I. SC. hoc non tam in gratiam filii mutuum accipientis factum, quam in gratiam patris, et in odium foeneratorum. II. SC. hoc praebet exceptionem, non actionem. III. Axiomata de illo.

Idem

Idem tantum ad pecuniam in patris detrimentum mutuatam, non ad alias res fungibiles, nec ad alios contractus pertinere. L. 3. §. 3. L. 7. §. 3. *D. L.* 3. *C. de SC. Maced.*

§. MCCXXV.

Consectaria ex axiomate primo. Ex primo sequitur, (1. filium huic exceptioni frustra renunciare. L. 29. *C. de pact. L.* 40. *D. de condict. indeb.* (2. Renunciare contra posse patrem vel expresse, quo casu actio *quod iussu* locum habet, vel tacite, debitum agnoscendo vel soluendo. L. 13. *D. L.* 2. *C. de SC. Maced.* (3. Cessare exceptionem, si pecunia in rem patris versa sit. L. 7. §. 12. *D. eod.* (4. Filium teneri, si peculium castrense vel quasi castrense habeat. (§. 478. 1.) L. 1. §. 3. L. 2. *D. h. t.* (5. Nec non, si, se patrem familias esse, mentitus sit, L. 1. *C. eod.* (6. vel si creditor, eum filiumfamilias esse, nesciuerit: *L. penult. D. h. t.* (7. Maiorem illud SC. non opponere posse minorenni vel pupillo. L. 3. §. 2. *D. de SC. Maced.*

§. MCCXXVI.

Ex secundo. Ex secundo infertur, (8. filium patremue si soluerunt, id, quod solutum, condicere non posse, tamquam indebitum. (§. 988.) L. 64. *D. de condict. indeb. L.* 10. *D. de SC. Maced.*

§. MCCXXVII.

Ex tertio. Denique ex tertio axiomate colligendum, cessare hanc exceptionem, (1. si pecunia credita in res vtiles, veluti in studia, modo ne vltra modum L. 7. §. 13. *D. eod.* vel (2. Si res aliae praeter pecuniam mutuo datae, modo ne in fraudem SC. * L. 7. §. 3. *D. eod.*

* Quo pertinet contractus MOHATRA barbaro nomine dictus, quando quis pecuniae indigo merces cariori pretio credit, vt, iis viliore pretio venditis, pecuniam conficiat. VALER. *Diff. vtriusque fori*, *tit. negotiatio*, *diff.* 2. *pag.* 565. STRYK. *Caut. contr. sect. II. cap.* 1. §. 31. qui contractus et ad palliandam vsurariam prauitatem, et ad eludendum SC. Macedonianum inuentus est.

TIT. VIII.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

§. MCCXXVIII.

Connexio. ACtiones superiore titulo explicatae ad *contractus* cum seruis vel filiis familias initos pertinent. (§. 1204.) Ex DELICTO vel QVASI DELICTO filii vel serui nec pater obligatur, nec dominus. (§. 1033.)

1033.) Poterat tamen olim vterque, (§. 138. 3.) et iure nouo saltim dominus ex seruorum delictis priuatis * conueniri noxaliter.

* Ob publica enim ipse seruus plectitur, L. 4. C. *de noxal. act.* L. 2. C. neque dominus offerendo aestimationem damni a seruo dati publicae disciplinae vigorem sistere potest. L. 17. §. 18. D. *de aedil. edict.* L. 200. *de accus.* D. *de verb. sign.*

§. MCCXXVIIII.

Quid noxia et noxa?

NOXIA dicitur *damnum quocumque priuato serui delicto vel quasi delicto datum:* (§. 1080.) ipsum corpus, quod nocuit, id est, seruus, NOXA vocatur. §. 1. *Inst. h. t.* Actio vero NOXALIS est, *qua vel damni aestimatio, vel serui deditio a domino petitur. pr. Inst. et L. 1. pr. D. h. t.*

§. MCCXXX.

Actionum noxalium natura.

Quum ergo ex quocumque delicto priuato vel quasi delicto nascatur: (§. 1229.) consequens est, (1. vt et haec actio sit *adiectitiae* qualitatis, eiusque tot species, quot sunt delicta priuata vel quasi delicta. Vnde dantur actiones noxales *furti*, *vi bonorum raptorum*, *ex lege Aquillia*, *iniuriarum*, *deiecti vel effusi*, *cet.*

§. MCCXXXI.

Noxa caput sequitur.

Quumque alternatiue ad resarciendum damnum, vel seruum noxae dandum agatur: (§. 1229.) sequitur, (2. vt hae actiones sint in rem scriptae, (§. 1146. *) et hinc noxa sequatur caput. §. 5. *Inst. h. t.* (3. Vt seruus post delictum manumissus, ipse conueniendus sit, adeoque actio noxalis cesset. L. 4. C. *an seru. pro suo fact.* L. 15. *D. de condict. furt.* multoque magis, (4. si ante litem contestatam seruus obierit diem supremum, actio omnis exspiret. L. 1. L. 2. *D. si ex nox. causs.* L. 69. *D. de verb. oblig.*

§. MCCXXXII.

Quomodo agatur noxaliter.

Dantur ergo actiones noxales iis, qui delicto vel quasi delicto serui priuato (§. 1230. 1.) laesi sunt, aduersus dominum vel quemcumque serui possessorem, (§. 1231. 2.) ad hoc, vt vel damnum resarciat, vel seruum noxae dedat. *pr. Inst. h. t.*

§. MCCXXXIII.

An et ob delicta filiorum familias?

Idem et circa maleficia filiorum familias olim obtinebat, (§. 1078.) qui et ipsi noxae dari poterant a patre, (§. 138. 3.) saluo illis manumissis iure ingenuitatis. (§. 91. 5.) *Collat. leg. Mos. et Rom. tit. 2.* §. 3. Sed id iure nouo mutatum. Pater ergo hodie nec directe, nec noxaliter ex filii maleficio priuato conuenitur, §. *vlt. Inst. h. t.* sed contra ipsum filium agitur, eoque condemnato; datur actio iudicati de peculio aduersus patrem *. L. 3. §. 11. *D. de pecul.* L. 33. 34. 35. *D. h. t.*

* Ra-

* Rationes huius iuris iam reddidimus supra, (§. 1119. *) qui paragraphus hic omnino conferendus.

§. MCCXXXIIII.

Vsus hodiernus.

Addimus postremo, huius tituli hodie vsum plane nullum esse in foris nostris, siquidem et serui proprii vel adscriptitii in Germania, quia non omnia dominis adquirunt, (§. 85.) ipsi ex delictis suis conueniuntur, et, si non habent, vnde soluant, corpore et corio soluunt. L. 1. §. *vlt. D. de poen.*

T I T. VIIII.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

§. MCCXXXV.

Quid pauperies?

VTi liberi homines DAMNVM: (§. 1080.) serui et olim filiifamilias NOXIAM inferre dicuntur: (§. 1229.) ita quadrupes facere dicitur PAVPERIAM. *Pauperies* itaque est *damnum, sine iniuria facientis* (§. 36.*) *datum*. L. 1. §. 3. *D. h. t.*

§. MCCXXXVI.

Quando locum habebat haec actio?

Quia tamen et bestias secundum naturam communem viuere, idque faciendo iuri naturae satisfacere existimabant veteres: (§. 36.) pauperiem tum demum factam aiebant, * si quadrupes non prouocata, sed proprio motu, contra naturam * damnum dederit. *pr. Inst.* L. 1. §. 4. *D. h. t.* Ita enim quasi deliquisse censebant bestiam: non autem, si secundum naturam damnum dederit, e. g. gramina depascendo. L. 14. §. *vlt. D. de praescript. verb.*

* Hinc si fera bestia nocuerat, non dabatur actio de pauperie, quum, iudice QVINCTILIANO, adsaeuitiam gignantur, non contra naturam sui generis damnum dedisse censentur. Dabatur tamen hoc casu actio vtilis de pauperie, quae et locum habet, quando animal, non quadrupes damnum dedit L. 4. *D. h. t.*

§. MCCXXXVII.

Eius natura.

Si ergo quadrupes contra naturam generis damnum dedit, non instigata, nec prouocata, datur actio noxalis, in rem scripta, (§. 1146.) DE PAVPERIAE, ei, cuius interest, eiusque heredi, aduersus eum, qui tempore litis contestatae quadrupedis dominus est, in id, vt vel factam pauperiem resarciat, vel noxae dedat animal: *pr. Inst.* L. 1. *pr.* L. 3. *D. h. t.* aut si falso negauerit, suum esse animal, in solidum. L. 1. §. 15. *D. h. t.*

§. MCCXXXVIII.

§. MCCXXXVIII.

Sin instigante alio animal fecerat pauperiem: contra instigantem dabatur actio ex lege Aquillia. L. 1. §. 4. *sequ. D. h. t.* Quid si quis quadrupedem instigarit?

§. MCCXXXVIIII.

Si secundum naturam agrum depascendo nocuerat: competebat actio IN FACTVM *de pastu pecorum*, *L. 14. §. vlt. D. de praescript. verb.* quae et ipsa noxalis fuisse videtur. PAVLL. *Sent. recept. Lib. I. tit. 15.* §. 1. Sin dominus immiserat bestiam: actioni ex lege Aquillia locus erat. *L. vlt. C. de leg. Aquill.* Quia id quoque *iniuria*, id est damnum iniuria datum. IVVEN. *Sat. XIIII. v. 151.* Quid si quadrupes agrum depascendo nocuerit?

§. MCCXXXX.

Denique qui verrem, aprum, canem iuxta viam, vbi iter fit, habet, is ei, qui damnum aestimabile inde sensit, in duplum; vel, si liber homo occisus, in ducentos solidos; sin eidem nocitum, in id, quod arbitratur iudex, tenetur ex edicto aedilitio. (§. 1112.) §. *Inst. h. t. L. 42. D. de aedilit. edict.* Actio aedilitia ob feram iuxta viam habitam.

§. MCCXXXXI.

Vsus fori hodiernus non vbique idem est. Iure Saxonico, siue fera, siue mansueta quadrupes pauperiem fecit, damnum sarcit dominus, per Wergeldum *, nisi confestim bestiam expulerit. *Ius prou. Sax. Lib. II. art. 40.* Quibusdam locis ius Romanum obtinet, veluti in Prussia. *Ius Prut. Lib. VI. tit. 11. art. 5. §. 1.* De aliis locis conferantur GROENEWEG. *de legib. abrog. ad pr. Inst. h. t. n. 5.* GROT. *iur Belg. Lib. III. p. 38. n. 13.* In Frisia, si animal antea famosum fuerit ob feritatem, dominus abscisse pro damno praestat dimidium eius, quod praestandum esset ex statutis, si homo id dedisset. Sin ignota fuerit pecudis ferocia: aut damnum sarciendum, aut pecus noxae dandum. *Stat. Fris. Lib. II. tit. 3. art. 4.* Vsus hodiernus.

* Wergeldum masculi occisi in Saxonia est XX. imperialium; feminae decem. SCHILT. *Exerc. XVIIII. §. 14. sequ.*

§. MCCXXXXII.

Ob damnum depascendo datum plerisque locis recepta est pignoratio, vti vocant, vel inclusio animalis, (iure Romano illicita, *L. 39. D. ad leg. Aquill.*) in agro deprehensi, dummodo id statim offeratur iudici rei sitae: Quo facto, animal tamdiu retineri potest, donec damna et expensas refuderit dominus. STRYK. *Vs. hod. Digest. h. t. §. 15.* MEV. *Decis. I. 34. 13.* In Frisia hac ex parte eatenus seruatur, *L. 39. D. ad leg. Aquill.* vt si is, cui damnum datum, quadrupedem non violenter expulerit, sed custodierit, dominus arbitrio iudicis ad aestimationem damni, et ad refusionem alimentorum pecudis teneatur. *Stat. Fris. ib. art. 3.* Pignorationis priuatae origo et indoles.

§. MCCXXXXIII.

Vsus actionis aedilitiae. Loco actionis aedilitiae in duplum conceptae, et poena pro modo culpae fere est arbitraria. Vid. *Const. crim. Carol. art.* 136.

TIT. X.

DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.

§. MCCXXXXIIII.

Olim per alium agere non licebat. QVum omnes actiones ex iuris formularii veteris principiis essent actiones legis, (§. *69.*) L. 2. §. *6. D. de orig. iur.* hae vero per alium explicari haud possent. (§. 70.) L. 123. *D. de reg. iur.* praeterea quoque nemo iure Romano alteri, cuius in potestate non est, adquirat: (§. 482.) §. 5. *Inst. per quas pers. cuiqu. adquir.* inferebant veteres, neminem pro alio agere, vel actionem excipere posse. *pr. Inst. h. t. et ibi* VVLTEIVS.

§. MCCXXXXV.

Exceptis paucis casibus. Nullus ergo apud veteres admittebatur procurator *, nisi quis vel pro populo, vel pro libertate, (LIV. *Lib. III. cap.* 45.) vel pro pupillo, vel furti ex lege Hostilia agere vellet pro eo, qui apud hostes erat, vel pro absente reip. caussa, eoue, qui in eorum cuius tutela esset. *pr. Inst. eod.*

* Vnde dirissima lex XII. tabb. *si morbus aeuitasue vitium escit, qui in ius vocat, iumentum dato: si nolit, arceram ne sternito*. GELL. *Lib. XX. cap.* 1. Inde etiam ob morbum sonticum non admittebatur procurator, sed *dies diffindebatur*.

§. MCCXXXXVI.

Quomodo nihilominus admitti potuerint procuratores? Quum vero id admodum videretur incommodum: iureconsulti veteres rationem commenti sunt, qua et in aliis caussis procuratores, saluis illis principiis, (§. 1244.) admitti possent. Fingebant enim, *procuratorem fieri dominum litis*. *L.* 4. §. 3. *D. de alienat. iud. mut. causs. fact.* L. 4. §. *vlt. D. de adpell.* L. 22. L. 23. *C. de procur.* L. 11. §. 3. *D. de except. dol. mal.* ALTESERRA *de fict. iur. Lib. II. cap.* 13.

§. MCCXXXXVII.

Dominium litis quale? Dominium illud litis adquiri ordinarie * fingebatur litis contestatione, L. 4. §. *vlt. D. de adpell.* sed praeuio veri domini mandato. L. 1. *pr. D. de procur.* Hoc instar tituli vel caussae erat, litis contestatio instar occupationis. Mandabat dominus, vt procurator dominium litis occuparet. Procurator illud occupabat per litis contestationem. L. 32. *D. de*

D. de procurat. Hinc et sententia ferebatur in procuratorem; *L. vn. C. de satisdat.* et eidem aeque, ac principali, adquirebatur actio rei iudicatae, et aduersario eadem dabatur contra vtrumque, quamuis ea exceptione elideretur. L. 28, *D. de procur.*

* Extra ordinem et satisdatione *de rato* et *iudicatum solui* dominium litis et sine mandato adquirebatur. *L. 40. §. vlt. D. de procurat.* Sed posteriore casu qui alieno nomine litem suscipiebat, non procurator, sed DEFENSOR vocabatur. *L. 46. §. 2. L. 76. D. de procurat.*

§. MCCXXXXVIII.

Procurator quid?

Procurator ergo hic est, *qui negotia iudicialia vel lites alienas domini mandato administrat.* L. 1. *pr. L. 33. pr.* §. 1. *D. de procurat.*

§. MCCXXXXVIIII.

Quis eos constituat?

Quum ergo in procuratores dominium litis transferendum esset: (§. 1246. *sequ.*) sequebatur, (1. vt constitui possent a dominis solis*, *L. pr. D. h. t.* (2. nec ab omnibus tamen, sed ab iis, quibus libera rerum suarum esset administratio. Vnde haud constituunt furiosi, mente capti, infantes, surdi, muti, cet.

* Vnde iam patet, cur tutores et curatores ante litis contestationem non *procuratores*, sed *actores* constituant, et cur post litem contestatam procuratorem dare possint? Vid. supra §. 277.

§. MCCL.

Qui procuratores esse possint?

Hinc etiam liquet, (3. procuratores esse posse, quicumque et dominium adquirere, et in foro commode agere possunt: non ergo furiosos, mente captos, infantes; L. 2. §. 1. *D. de procur.* non feminas, L. 54. *D. eod.* milites, L. 1. §. 2. *D. eod.* minores annis XVII. L. 13. *D. de manumiss. vind.* §. 5. *Inst. qui et ex quib. causs.* seruos, infames, modo eorum manifesta sit infamia. §. *vlt. Inst. de except.*

§. MCCLI.

In quibus caussis?

Inde etiam patet, (4. admitti potuisse procuratores in caussis ciuilibus quibuscumque, *pr. Inst. h. t. L. 1. D. de procurat.* non in criminalibus, *L. penult.* §. 1. *D. de publ. iud.* nisi reus iam litem contestatus esset, et poena absenti quoque infligi posset. L. 10. *D. eod. L. 33. §. 3. D. de proc.*

§. MCCLII.

Quomodo id officium cesset?

Quum tamen hoc fictum tantum esset dominium: (§. 1246.) inferebant, procuratoris officium solui (5. mutuo dissensu, §. *vlt. Inst. quib. mod. toll. oblig.* (6. reuocatione mandantis ante litis contestationem, (post illam enim ob §. 1247. caussae cognitione opus erat, L. 17. *sequ. D. h. t.*) (8. renunciatione procuratoris tempestiue facta, §. 11. *Inst. de mand.* (9. non autem morte domini, vel procuratoris, L. 23. *C. de procur.* qua alia mandata soluuntur, §. 10. *Inst. de mand.*

§. MCCLIII.

Vſus hodiernus. Enimuero hodie ſaltim per Germaniam procurator non eſt dominus litis, ſed mandatarius, et hinc pleriquе effectus dominii litis ceſſant. Concipitur enim in ipſos principales ſententia: actio iudicati non procuratori, ſed ſoli domino, adquiritur: nec contra procuratorem datur, ſed contra mandantem. Hinc et libere hodie reuocatur mandatum, tum ante, tum poſt litis conteſtationem. Sed et morte mandantis eius officium exſpirat, niſi mandatum ſimul conceptum ſit nomine heredum, quod neceſſario fieri debet per *Rec. Imp. a.* 1654. §. 99. (Conf. Boehmer. *Diſſ. de domin. litis cap.* 3.

TIT. XI.

DE SATISDATIONIBVS.

§. MCCLIIII.

Cautionum iudicialium ratio. INtereſt litigantium, ne iudicia fiant eluſoria; et hinc a ſe inuicem cavtiones exigunt.

§. MCCLV.

Cautio quotuplex? Cavtio eſt, *qua parti aduerſae praeſtatur ſecuritas*, eaque vel fideivssoria eſt, quae et satisdatio dicitur, (§. 274.) vel pignoratitia, vel ivratoria, vel nvde promissoria. *Rubr. tit. D. qui ſatiſdar. cog. vel iurat. promitt. vel ſuae promiſſ. comm.* L. 1. §. 9. *D. de collat. bon.* §. 2. *Inſt. h. t.*

§. MCCLVI.

Qualis exigi ſoleat? Ordinarie cauetur *fideiuſſoribus*. *Pignora* tunc admittuntur, ſi aeſtimatio rei certa ſit: (§. 281.) *iurato* promittunt tum viri illuſtres, L. 17. *C. de dignit.* tum olim poſſeſſores rerum immobilium, L. 26. §. 6. *C. de epiſc. aud.* L. *vlt. C. de ſportul* L. *vlt. C. de princ. agent. in reb.* tum alii probatae vitae, qui idoneos fideiuſſores et pignora reperire haud poſſunt. Arg. *Nou. CXII. cap.* 2. Suae denique promiſſioni committuntur hodie ex ſententia in foro recepta poſſeſſores rerum immobilium, (§. 389.) L. 15. *pr. D. qui ſatiſdar. cog.* nec non fiſcus et reſpublica. L. 1. §. 18. L. 6. §. 1. *D. vt legat. vel fideic. ſeru. cauſſ. cau.* immo et clerici. L. 25. §. 1. L. 33. §. 3. *C. de epiſc. et cler.*

§. MCCLVII.

Reus quomodo caueat? Et quidem iure nouo revs nec actione perſonali, nec reali conuentus, cautionem *de iudicato ſoluendo* praeſtat, ſed tantum *de iudicio ſiſti*, ſimulque, *quod in iudicio permanſurus ſit ad terminum litis.* §. 2. *Inſt. h. t.*

§. MCCLVIII.

§. MCCLVIII.

Actor cauet, se sub poena dupli intra duos menses a tempore exhibiti libelli litem contestaturum, eamque ad exitum persequuturum, et, si succubuerit, decimam quantitatis libello comprehensae partem, impensarum nomine restituturum. *Nou. LXXXXVI. cap.* 1. Item actor?

§. MCCLVIIII.

Procurator rei *praesentis* ex sua persona non cauet: sed reus vel praesens in iudicio pro eo satis promittit, vel extra iudicium pro eo satisdat, partim *de iudicatum solui*, partim, *quod tempore sententiae recitandae venturus sit in iudicium*. §. 4. *Inst. h. t.* rei *absentis* procurator, vel defensor potius cauere tenetur de *iudicatum solui* §. 5. *Inst. eod.* Procurator rei?

§. MCCLX.

Procurator actoris vero mandato instructus non cauet: *L.* 1. *C. de proc.* mandato destitutus non admittitur, etiamsi satis offerat. *L.* 1. *L.* 24. *C. de procur.* Si mandatum vel quodammodo, mancum videatur, vel persona coniuncta pro altera, vel procurator omnium bonorum pro domino, vel tutor pro pupillo, curator pro minore agat, satisdabit, *dominum rem ratam habiturum*. §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. *C. L.* 35. *L.* 40. §. *vlt. D. de procurat.* Procurator actoris?

§. MCCLXI.

Hodie ordinarie non cauet reus, nisi de fuga suspectus, vel arresto constrictus, vel eius criminis reus, quod poenam capitalem vel corporis adflictiuam non meretur. Tunc enim *de iudicio sisti et iudicatum solui* cauere iubetur. Quando hodie caueat reus?

§. MCCLXII.

Actor contra ordinarie cauet *de impensis litis*, et quidem non de decima illa parte summae, quam libello complexus est, (§. 1258.) sed de omnibus, reo, si succubuerit, et in impensas condemnetur, restituendis. Iis locis, vbi reconuentioni finita demum conuentione locus est, actori etiam iniungitur cautio *de reconuentione*, dummodo reus caussam reconueniendi indicet. Procurator non cauet: sed mandatum offert cum formula *sub hypotheca bonorum*, quod si vitio laboret, idem seruatur, quod diximus §. 1260. Quando actor?

TIT.

T I T. XII.

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBVS ACTIONIBVS, ET QVAE AD HEREDES ET IN HEREDES TRANSEVNT.

§. MCCLXIII.

Actionibus cur praescribatur?

QVum et iura et actiones in bonis esse censeantur : (§. 388. 2.) veteres inde collegerunt, vti rerum corporalium dominium, ceteraque iura, tempore exspirant ; (§. 438.) ita et actiones exspirare, maxime, quum interesse videretur reipublicae, ne lites essent immortales.

§. MCCLXIIII.

Actiones vel perpetuae, vel temporales.

Quum autem aliae actiones citius, aliae tardius exspirent : iure Romano aliae PERPETVAE, aliae TEMPORALES adpellantur. PERPETVAE, quae triginta saltim annos vel longum certe tempus durant *: L. 3. C. *de praescript.* 30. *ann.* TEMPORALES, quae citius exspirant.

* Olim actiones ciuiles vere erant perpetuae, hodie tantum ita vocantur, si saltim XXX. annos durent. L. 1. §. 1. C. *de ann. except.* Nam spatium XXX. annorum veteribus erat γενεά, adeoque perpetuum dicebatur, quod XXX. annos durabat. *Glossae nomicae :* περπετούον καλεῖ καὶ τὸν τριάκοντα ἐτῶν χρόνον, καὶ τὸν ἄχρι τῆς ζωῆς τοῦ ἀνθρώπου χρόνον ; *perpetuum vocatur tum triginta annorum spatium, tum quod per vitam hominis durat.* Addidimus vel longum saltim tempus. Nam et actiones reales perpetuae dicuntur in iure nostro.

§. MCCLXV.

Regula I. de actionibus realibus.

De vtrisque obseruandae regulae : I. *Actiones in rem, si alter vsucapiat, tamdiu durant, quamdiu ipsum ius in re, ex quo oriuntur :* (§. 445.) *alias sunt* XXX. *annorum*. *L. penult. C. de praescript. long. temp.* Hinc rei mobilis VINDICATIO post triennium, immobilis inter praesentes post decennium, inter absentes post vicennium exspirat, nisi vel rei possessae vitium, (§. 450. 3.) vel mala fides possessoris, vel personae, contra quam praescribitur, aetas vsucapionem impediat, vbi rei vindicationi post triginta annos ; (§. 450. 2. 4. 5.) vel nisi ecclesiae, aut ciuitates, aut fiscus res suas vindicent, vbi post quadraginta demum annos eidem praescribitur. (§. 451.) *Auth. quas actiones C. de SS. eccles.* Quod idem contingit, si lis sit contestata. *L. vlt. C. de praescr.* 30. *vel* 40. *annor.*

§. MCCLXVI.

§. MCCLXVI.

Ordinarium vsucapionis tempus obtinet etiam circa actionem CONFESSORIAM et NEGATORIAM, quia et seruitutibus inter praesentes decem; inter absentes viginti annis praescribitur. (§. 413. 3.) In foris tamen Germanicis fere inoleuit opinio, seruitutes rusticorum praediorum, quas discontinuas vocant, immemoriali demum tempore et adquiri, et exspirare. GAIL. *Obseru. Lib. II. cap. 66. n. 7.* MEV. *Part. VIIII. decis. 168. n. 9.* — Inprimis confessoria et negatoria.

§. MCCLXVII.

Idem etiam tempus obtinet circa *ius hypothecae*, quod ipsum quoque X. annis inter praesentes, XX. inter absentes excluditur, si res ad tertium possessorem bona fide, et iusto titulo peruenerit. L. 1. §. 2. *C. si aduers. credit.* triginta annis, si tertius mala fide possideat, L. 7. *pr. D. de praescript. 30. annor.* quadraginta annis, si ipse debitor possideat. (§. 451. 4.) L. 1. §. 1. *C. de ann. except.* Et tamdiu etiam tunc durat actio HYPOTHECARIA. — Hypothecaria.

§. MCCLXVIII.

Solae actiones ex iure hereditario natae diuersae naturae sunt. HEREDITATIS enim PETITIONI tamquam mixtae XXX. annis, L. 7. *C. de pet. her. L. 3. C. in quib. causs. cess. long. temp. praescr.* QVERELAE INOFFICIOSI tamquam odiosae, quinquennio praescribitur. (§. 584. 3.) — An et hereditatis petitio, et querela inofficiosi?

§. MCCLXVIIII.

Addimus, actionum illarum in rem naturam ex actionibus personalibus in rem scriptis, seruare actionem QVOD METVS CAVSSA, quae, quatenus in simplum concepta est, longo tempore exspirat, si tertius b. f. et iusto titulo possidet. *L. 3. C. de his, quae vi met. causs.* — An et actiones in rem scriptae?

§. MCCLXX.

Altera regula est: II. *Actiones personales rei persequutoriae, ciuiles et praetoriae, perpetuae sunt, adeoque triginta annos durant.* Exceptae sunt (1. actio personalis ad seruitutem promissam consequendam, quae actiones reales imitatur, (§. 1265. et non nisi decennii vel vicennii non vsu expirat. *L. penult. C. de vsufr. L. 13. C. de seruit.* (2. actionem ecclesiarum, ciuitatum, fisci, quae XXXX. annos durant. (§. 451. 1.) (3. actiones honorariae, que ad rescissionem actus tendunt, quae sunt temporales. Sic actio *Paulliana* annum vtilem, *L. 1. §. vlt. L. 10. §. 18. D. quae in fraud. cred.* restitutiones pleraeque quadriennium; *L. vlt. C. de temp. in int. rest.* actio redhibitoria sex menses; quanti minoris annum durat. *L. 38. pr. D. de aedilit. edict.* — Regula II. de actionibus personalibus rei persequutoriis.

§. MCCLXXI.

III. *Omnes actiones poenales ex delictis priuatis ciuiles perpetuae; praetoriae annales sunt.* Excipitur (1. actio FVRTI MANIFESTI, quae, — Regula III. de actionita-

bus poenalibus ex delictis priu.

tametsi a praetore inuenta, perpetua est, *pr. Inst. h. t.* quia exemplo legis XII. tabb. inuenta. (2. *actio* FVRTI *aduersus nautas, caupones, stabularios*, et (3. actio ARBORVM FVRTIM CAESARVM, quae itidem praetoriae et perpetuae tamen *L. vlt. D. naut. caup. stab. L.* 1. §. 6. 7. *D. arb. furt. caes.* Cuius naturae etiam sunt (4. actio DEPOSITI MISERABILIS L. 18. *D. depos.* (5. SERVI CORRVPTI, *L.* 13. *D. de seru. corr.* (6. de EFFVSIS et DEIECTIS, nisi de occiso libero homine agatur, quo casu annalis est. L. 5. §. 5. *D. de his, qui effud.* (7. Actio de dolo biennalis est, et ne litis quidem contestatione perpetuatur. *L. vlt. C. de dol. mal.*

§. MCCLXXII.

Regula IIII. de persequutione criminum.

Quartum axioma esto: IIII. *Accusationes criminales ordinarie vicennariae sunt. L.* 12. *C. ad leg. Cornel. de fals.* Ordinarie inquam. Nam fallit regula, (1. si crimen continuetur, siquidem tunc perpetua est accusatio. *L.* 4. *C. de apost.* (2. In crimine adulterii, *L.* 29. §. 5. *sequ. D. ad leg. iul. de adult.* (3. in crimine peculatus, *L.* 7. *D. ad leg iul. peculat.* et (4. ex. SC. Silaniano, quibus quinquennio praescribitur *L.* 13. *D. ad SC. Silan.*

§. MCCLXXIII.

Quaenam actiones denique heredibus et aduersus heredes? Axioma I.

Ex eodem fundamento, quod actiones in bonis sint, (§. 1263.) eae etiam ex parte heredibus et aduersus heredes dantur. Ex parte inquam. Vnde primum axioma: I. *Omnes actiones rei persequutoriae et poenales heredibus quoque dantur, nisi vel ad meram vindictam comparatae sint, vel actoris speciatim non intersit.* Vnde facile patet, cur actiones iniuriarum, (§. 1102.) de inofficioso testamento, (§. 584. 2.) de calumniatoribus, (§. 1169. 6.) de reuocanda donatione ob ingratitudinem, (§. 463. 3.) omnesque actiones populares (*L.* 5. §. 5. *D. de his, qui effud.*) heredibus non competant.

§. MCCLXXIIII.

Axioma II.

Alterum est: II. *Omnes actiones rei persequutoriae, etiamsi ex delicto sint, aduersus heredes dantur.* §. 1. *Inst. h. t.* Exemplo est *condictio furtiua*. quae et aduersus heredes instituitur, (§. 1062. L. 9. *D. de condict. furt.* nec non *actio rerum amotarum*, quamuis priorem ideo quidam ex delicto esse negent. Immo axiomatis nostri veritas etiam patet ex §. 9. *Inst. de leg. Aquill.* vbi imp. concedit, actionem legis Aquiliae, quamuis ex delicto sit, tamen *transituram fuisse aduersus heredem, si vltra damnum lis numquam aestimaretur*, id est, si esset rei persequutoria.

§. MCCLXXV.

Axioma III.

III. *Actiones poenales, siue ex delicto, siue ex contractu, heredibus quidem, sed non contra heredes dantur, nisi ab ipsis delinquentibus sint contestatae.* §. 1. *Inst. h. t. L.* 26. et *L.* 58. *D. de oblig. et act. L.* 164. *D. de reg. iur.*

TIT.

T I T. XIII.

DE EXCEPTIONIBVS.

§. MCCLXXVI.

HActenus de *actionibus*. Quemadmodum vero *actoris* est, ius suum persequi in iudicio: ita *rei*, se defendere, idque fit, vel negando fundamentum actionis, vel caussam fatendo quidem, sed subiuncta EXCEPTIONE. Connexio.

§. MCCLXXVII.

EXCEPTIO vero latius accepta est *omnis rei allegatio ac defensio, qua intentio actoris vel ipso iure vel ob aequitatem eliditur*. *L.* 2. §. 1. *L.* 15. *D. h. t.* Si vero accipiatur strictius, est *actionis iure stricto competentis ob aequitatem exclusio*. *pr. Inst. h. t. L.* 2. *pr. D. h. t. L.* 12. *D. de dol. mal. et met. exc.* Ergo exceptiones proprie non sunt, quibus ipso iure actio excluditur, vti solutionis, compensationis, quamuis hodie in foro id nomen obtineant, et a doctoribus *exceptiones facti* appellentur. Exceptio quid?

§. MCCLXXVIII.

Eae sunt vel CIVILES, *quae ex iure ciuili*; vel PRAETORIAE, *quae ex iure praetorio nascuntur*. §. 7. *Inst. h. t.* Sic CIVILES sunt exceptio *SC. Macedoniani, Velleiani, non numeratae pecuniae, praescriptionis*; PRAETORIAE, exceptiones *doli mali, pacti, iurisiurandi, quod metus caussa*. Ciuiles et praetoriae.

§. MCCLXXVIIII.

Deinde aliae PERPETVAE et PEREMTORIAE sunt, *quae semper agentibus obstant*, * *et semper rem, de qua agitur, perimunt*, §. 9. *Inst. h. t.* quales sunt omnes superiore paragrapho recensitae, vel TEMPORARIAE et DILATORIAE, *quae ad tempus nocent, et temporis dilationem tribuunt*. §. 10. *Inst. h. t.* siue ob personam et iurisdictionem iudicis, siue ob inhabilitatem actoris vel procuratoris, siue ob modum procedendi, siue ob merita caussae. Tales sunt exceptiones *praescriptionis fori, suspecti iudicis, feriarum, libelli obscuri, cautionis, ante diem petitionis*. Perpetuae et peremtoriae.

* Alio sensu quaedam exceptiones dicuntur *perpetuae*, quia nullo tempore iis praescribitur, quamuis actiones ex eadem caussa temporales sint, veluti exceptio doli, quae perpetua est, quum actio de dolo sit biennalis. Et tales ordinarie sunt omnes, quia reus non potest prius excipere, quam actione conueniatur. *L.* 5. §. *vlt. D. de dol. mal. et met. except. Temporariae* contra hoc sensu sunt, quae certo tempore expirant, quales sunt, quae per modum actionis proponi possunt, vti exceptio *non numeratae pecuniae*, quam bien-

biennalem esse diximus, (§. 894. 2.) L. 4. C. *de non num. pec.* et exceptionem *non numeratae dotis*, de qua §. 813. idemque, *querelae inofficiosi testamenti*. L. 8. §. 14. D. *de inoff. test.*

§. MCCLXXX.

In rem et personam. Postremo quaedam exceptiones IN REM sunt, *quae rei cohaerent*, et hinc heredibus quoque et fideiussoribus prosunt, vti peremtoriae pleraeque: quaedam IN PERSONAM, *quae personam non egrediuntur*, vti exceptiones competentiae, (§. 1198.) pacti personalis de non petendo. L. 22. L. 35. §. 1. *D. de pact.*

§. MCCLXXXI.

Quando opponendae dilatoriae? Exceptiones *dilatoriae* opponendae sunt ante litis contestationem, *L. penult. et vlt. C. h. t.* nisi vel ad iudicii substantiam pertineant, idque retro nullum reddant, L. 24. *C. de proc.* vel post litem contestatam demum aut emerserint, aut ad rei notitiam peruenerint. L. 4. *D. h. t.* Priuilegium singulare est exceptionum incompetentis iudicis, *L. vlt. C. si a non compet. iud.* et cedendarum actionum, L. 41. §. 1. *D. de fideic.* quae et post sententiam recte opponuntur.

§. MCCLXXXII.

Quando peremptoriae. Peremtoriae in iudiciis *bonae fidei* opponi possunt in quacunque parte iudicii: in iudiciis stricti iuris ante litis contestationem allegandae, et post litem contestatam probandae sunt. L. 8. *C. h. t. L. 9. C. de praescript. long. temp.* Exceptis iis, quae litis ingressum impediunt, quae ante litem contestatam allegandae et probandae, et exceptionibus SC. Velleiani et Macedoniani, quae et post sententiam recte opponuntur. L. 11. *D. ad SC. Velleian.*

T I T. XIIII.

DE REPLICATIONIBVS.

§. MCCLXXXIII.

Connexio. Replicatio. VTi *reus* exceptione sua intentionem actoris; (§. 1277.) ita *actor* noua allegatione exceptionem rei elidit, eaque vocari solet REPLICATIO. *pr. Inst. h. t.*

§. MCCLXXXIIII.

Duplicatio. Quum vero contingere possit, vt replicatio, quae prima facie iusta est, noua allegatione excludatur a reo: ea tunc vocatur DVPLICATIO. §. 1. *Inst. eod.*

§. MCCLXXXV.

§. MCCLXXXV.

In quibusdam foris et actori TRIPLICATIO, et reo QVADRVPLICATIO conceditur, §. 2. *Inst. h. t.* immo et vlteriores allegationes admittuntur. Verum in iudiciis bene constitutis id non temere permittitur, sed partes coguntur in replicatione et duplicatione ad sententiam concludere, et, ni id faciant, iudex caussam ex officio pro conclusa habet. Ceterum reo vltimam allegationem competere, et ratio iuris, et vsus fori probat. — Quot allegationes partibus permittendae?

T I T. XV.

DE INTERDICTIS.

§. MCCLXXXVI.

BEati in iure censentur possidentes: quia (1. ab editione ac probatione tituli liberantur; L. 11. *C. de pet. her.* et L. 28 *C. de rei vind.* (2. quia, si in bona fide sint, fructus quosdam lucrantur, (§. 377. *sequ.*) (3. quia iidem rem tamdiu retinent, quamdiu alter, suam esse, non probauerit, §. 4. *Inst. h. t.* (4. seque in possessione etiam priuata auctoritate defendunt, L. 1. *C. unde vi*, eaque deiectl deiicientem confestim iterum iure deiiciunt. L. 3. §. 9. L. 17. *D. de vi et vi arm.* Ac quia denique (5, eo iure gaudent, vt in pari caussa melior eorum conditio existimetur, L. 2. §. 9. *D. vti possid.* et hinc in dubio pro iis feratur sententia. L. 125. L. 128. *D. de reg. iur.* — Beatitudo possidentium.

§. MCCLXXXVII.

Ea commoda facile subigunt homines, vt de possessione litigent. Ea vero lis ne in verbera, ac caedes euadat: prodita sunt INTERDICTA, id est iure veteri *formulae et conceptiones verborum, quibus praetor in caussa verae vel quasi possessionis aliquid fieri iubebat aut prohibebat. pr. Inst. h. t.* Iure nouo vero *extraordinariae actiones, quibus maxime de vera vel quasi possessione summarie agitur. pr.* §. *vlt. Inst. h. t.* L. 2. §. 2. *D. h. t.* — Quid interdictum?

§. MCCLXXXVIII.

POSSESSIO *in genere* est rei detentio: L. 1. *pr.* §. 1. *D. de adquir. vel amitt. possess.* L. 9. *D. de rei vind.* sed ita diuiditur in *naturalem* et *ciuilem*. NATVRALIS modo dicitur, quae in nuda detentione consistit, modo quae saltim non cum proposito rem sibi iure dominii habendi coniuncta est. L. 12. *pr. D. eod.* CIVILIS vero modo est, qua quis rem detinet, in qua ipsi ius est, modo, qua quis rem detinet animo domini, et rem sibi habendi. L. 1. §. 9. *D. de vi et vi arm.* L. 2. §. 1. *D. pro hered.* — Possessio quid et quotuplex?

§. MCCLXXXVIIII.

Interdicta quotuplicia?

Quamuis vero interdicta maxime ex caussa POSSESSIONIS, eiusque ciuilis, vel latius vel strictius sic dictae, dentur: horum tamen exemplo quaedam inuenta, quae ex caussa PROPRIETATIS oriuntur.

§. MCCLXXXX.

Prohibitoria, restitutoria, exhibitoria.

Sunt ea vel PROHIBITORIA, velut interdicta *ne vis fiat ei, qui in possessionem misso* [illegible] *ne quid in loco sacro fiat, ne quid in loco publico vel itinere fiat*, cet. vel [illegible] *unde vi*, vel EXHIBITORIA, v. c. *de libero homine exhibendo, de tabulis exhibendis*, de quibus tituli singulares exstant in Digestis. Immo et MIXTA quaedam esse, docemur L. 1. §. 1. *D. h. t.*

§. MCCLXXXXI.

Adipiscendae, retinendae, et recuperandae possessionis.

Deinde alia sunt ADIPISCENDAE, alia RETINENDAE, alia RECVPERANDAE POSSESSIONIS. §. 2. 3. 4. *Inst. h. t.*

§. MCCLXXXXII.

Quaenam adipiscendae possessionis?

ADIPISCENDAE possessionis caussa praecipue comparata sunt interdicta QVORVM BONORVM, QVOD LEGATORVM, et SALVIANVM. §. 3. *Inst. h. t.*

§. MCCLXXXXIII.

Interdictum quorum bonorum.

Interdictum QVORVM BONORVM datur bonorum possessori vel heredi praetorio, L. 1. *pr. D. quor. bonor.* non contra quemuis possessorem, qui titulo singulari; sed aduersus eum, qui pro herede vel pro possessore possidet, * ad consequendam rerum hereditariarum possessionem. §. 3. *Inst. h. t. d. L. 1. pr. D. quor. bonor.*

* *Pro herede possidere* dicitur, qui se heredem esse ait; *pro possessore*, qui hereditatem, sciens, nullo ad se iure pertinere, possidet, quia possidet. §. 3. *Inst. h. t.* L. 11. L. 12. L. 13. *D. de hered. petit.*

§. MCCLXXXXIIII.

Eius differentia ab hereditatis petitione.

Differt ergo hoc interdictum ab hereditatis petitione, quod hac ius hereditatis; illo eiusdem possessionem; hac et res corporales et iura; illo solas res corporales persequimur. L. 2. *D. quor. bonor. L. 12. L. 19. D. de hered. petit.*

§. MCCLXXXXV.

Remedium ex L. fin. C. de edict. diui Hadr. toll.

Ei vero interdicto affine est REMEDIVM *ex L. vlt. C. de edicto diu. Hadr. toll.* quo heres, in testamento scriptus, in possessionem mitti iure petit, si testamentum vitio visibili non laboret.

§. MCCLXXXXVI.

Interdictum quod legatorum.

Alterum interdictum QVOD LEGATORVM datur heredi bonorumue possessori, qui satisdedit, L. 1. §. 16. *D. quod legat.* aduersus legatarium.

rium, qui rem legatam sine voluntate heredis occupauit, vt eam restituat, quo quarta Falcidia detrahi possit, vel in id, quod interest, condemnetur. L. 1. §. 2. *D.* L. *vn.* *C.* *quod legat.* Quamuis enim legatae speciei dominium sine traditione in legatarium deuoluatur: (§. 606. 3.) non deuoluitur tamen possessio.

§. MCCLXXXXVII.

Interdicta Saluianum [illegible]

SALVIANVM interdictum datur domino fundi contra colonum ad §. 3. *Inst. h. t.* L. 1. §. 1. *D. de Saluian. interd.* [illegible] omni creditori aduersus possessorem rei sibi obligatae ad eius consequendam possessionem. *d. L.* 1. §. 1. *D. eod.*

§. MCCLXXXXVIII.

Quomodo differant ab actionibus Seruiana et quasi Seruiana?

Vnde eodem fere modo differunt haec interdicta ab actionibus Seruiana et quasi Seruiana, quo interdictum quorum bonorum ab hereditatis petitione: (§. 1294.) nisi quod (1. in actionibus Seruiana et quasi Seruiana probandum, rem in debitoris bonis esse: L. 15. §. 1. *D. de pign.* in interdictis Saluiano et quasi Saluiano, eamdem in fundum illatam esse. *L.* 1. *pr.* §. 1. *seqq.* L. 2. *D. de Salu. interdict.* (2. Illae actiones contra quemcumque possessorem: hoc interdictum directe tantum contra colonum datur. L. 1. *C. de precar.*

§. MCCLXXXXVIIII.

Interdicta retinendae possessionis.

RETINENDAE possessionis caussa (§. 1291.) prodita sunt interdicta VTI POSSIDETIS et VTRVBI. §. 4. *Inst. h. t.*

§. MCCC.

Interdictum *vti possidetis.*

Interdictum VTI POSSIDETIS competit ei, qui rem immobilem tempore litis contestatae nec *vi*, nec *clam*, nec *precario* possidet, L. 1. §. 8. 9. *D. vti possid.* contra turbantem, ad id, vt a turbatione desistat, deque eo caueat, et praestet simul, quod interest. L. 1. §. 4. 6. *D.* L. *vn.* *C. vti possid.*

§. MCCCI.

Interdictum *vtrubi.*

Interdictum contra VTRVBI datur ei, qui rem mobilem tempore litis contestatae nec vi, nec clam, nec precario possidet, *L. vn.* §. 1. *D. vtrubi et* §. 4. *Inst. h. t.* aduersus turbantem, vt a turbatione desistat, cautionem de non amplius turbando, idque, quod interest, praestet.

§. MCCCII.

Ea interdicta an et ad iura pertineant?

Vsus fori haec interdicta etiam ad seruitutes et iura, ad superficiem, vsumfructum, immo et ius colonorum protulit. SAND. *Part. I. tit.* 4. *def.* 2.

§. MCCCIII.

§. MCCCIII.

Interdictum recuperandae possessionis, *unde vi*.

RECVPERANDAE possessionis caussa interdictum VNDE VI competit ei, qui per vim a possessione rei immobilis deiectus est, eiusque heredi, L. 1. §. 44. *D. de vi et vi arm.* aduersus deiicientem, non eius heredem, nisi in quantum ad eum peruenit, L. 1. §. *vlt.* L. 2. *D.* L. 2. *C. eod.* ad restituendam possessionem, cum fructibus ac omni vtilitate, damnumque deiiciendo datum resarciendum, §. 6. *Inst. h. t.* et, si possidere desierit, ad id, quod interest. L. 15. *D. eod.*

§. MCCCIIII.

Actio de spolio.

In praxi, affine remedium passim receptum est ex interpretatione potius, quam verbis *canonis redintegranda 3. causs. qu. 1. et cap. 18. X. de restit. spol.* nempe ACTIO DE SPOLIO, quo spoliatus agit non modo de re immobili, sed et de mobili, non modo aduersus spoliantem, sed et aduersus quemcumque possessorem ad restituendum spolium. ZIEGLER. *Comm. ad cap. redinteg.* GAIL. *Obs. Lib. II. cap. 75.*

§. MCCCV.

Interdicta simplicia et duplicia.

Denique alia interdicta SIMPLICIA sunt, in quibus facile adparet, quis possideat, adeoque quis reus sit, e. g. *quorum bonorum*, *quod legatorum*, *Saluianum*, *vnde vi*: alia DVPLICIA, in quibus vterque actoris vel rei vice fungi possit. Qualia sunt interdicta *vti possidetis* et *vtrubi*. L. 2. *pr. D.* §. *vlt. Inst. h. t.*

§. MCCCVI.

Interdictorum vsus in foro.

Frequentissima hodie sunt haec interdicta in foro, vocanturque REMEDIA POSSESSORIA, et fere mandatis cum vel sine clausula expediuntur.

§. MCCCVII.

Eorum natura.

Omnibus interdictis hoc commune est. (1. quod sint in personam, nec priantur ex iure in re, sed ex iure ad rem. L. 1. §. 3. *D. de interd.* (2. Quod in iis leuato velo absque iudicii strepitu procedatur.

§. MCCCVIII.

Possessorium ordinarium et summarium.

Diuiduntur tamen haec remedia in SVMMARIVM quod vocant, et ORDINARIVM: Inter quae hoc obseruatur discrimen, (1. quod in summario de nouissima et momentanea possessione; in ordinario de antiquiore disceptatur. Vnde ei, qui in summario succubuit ordinarium adhuc saluum est. (2. Quod in illo non quaeritur, an quis possideat vi, clam, precario? sed, an quiete possideat? in hoc vero ad qualitatem possessionis attenditur. (3. Quod in illo non seruato iuris ordine et absque iudicii strepitu; in hoc solito ordine, et adhibita pleniore caussae cognitione proceditur. POSSESSORIO opponitur PETITORIVM, non nisi finito iudicio possessorio instituendum. L. 13. §. 1. *D. de vi. Cap. significauerunt 36. X. de test. et attestat.*

TIT. XVI.

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.

§. MCCCVIIII.

Poenae temere litigantium.

POENAE *temere litigantium* hic sunt *media coërcendi litigantium temeritatem*. VLR. HVBER. *Prael. ad Inst. h. t.* Coercetur autem ista temeritas IVREIVRANDO CALVMNIAE, POENA PECVNIARIA, INFAMIA. *pr. Inst. h. t.*

§. MCCCX.

Ius iurandum calumniae quotuplex?

Iusiurandum CALVMNIAE, *quo partes et aduocati iurant, se caussam suam iustam existimare*, vel GENERALE est, vel SPECIALE. GENERALE praestant *reus*, *actor*, et *aduocatus*; et *reus* quidem iurat, sibi iustam videri caussam suam, se non temere negaturum, nec litem prolaturum; *actor*, se non calumniandi vexandique animo, sed quia se iustam caussam habere existimet, actionem instituisse, nec falsis probationibus vsurum esse; *aduocatus* denique, sibi hactenus caussam clientis iustam videri, nec se ei patrocinium commodaturum, si aliud deprehendat. *L. 2. C. de iureiur. propt. calumn. L. 14. §. 1. C. de iudic. Nou. XXXXVIIII. cap. 3.*

§. MCCCXI.

Generale a quibus praestandum?

Praestandum id ab omnibus, praeterquam a parentibus, patronis, *L. 16. D. de iureiur.* et *L. 34. §. 4. D. eod. (edit. Haloandr.)* et aliis, quibus debetur reuerentia. *2. Feud. XXXVII. §. 1.* Praestandum in omnibus caussis, praeterquam criminalibus, vbi ex parte rei iustissima esset periurii suspicio. Praestandum etiam abscisse, nisi actor caussa cadere, reus condemnari velit. *Auth. principales C. de iurei. propt. calumn.*

§. MCCCXII.

Quando speciali locus fit?

SPECIALE, quod et MALITIAE vocatur ex *cap. 2. §. vlt. de iur. cal. in 6.* vel ab aduersario, vel a iudice defertur, quoties calumniae suspicio in qualibet iudicii parte sese exserit, inprimis, quoties quis vel iusiurandum alteri defert, L. 24. §. 4. L. 37. *D. de iureiur.* vel editionem instrumentorum petit, vel rem sibi exhiberi desiderat, vel nouum opus nunciat, L. 5. §. 14. *D. de oper. nou. nunc.* vel denique positiones factorum offert, vel ab altero ad illas respondetur, quod iusiurandum *dandorum* et *respondendorum* adpellatur a pragmaticis, *ex cap. 2. de testam. in 6.*

§. MCCCXIII.

Vtriusque vsus hodiernus.

Sed *generale* quidem iusiurandum non solum in Germaniae prouinciis

ciis quibusdam, verum etiam in Hollandia, extra vsum est. *Speciale* vbique in foro obtinet: praeterquam quod mos positiones factorum offerendi multis principum Germaniae legibus recentioribus improbatur.

§. MCCCXIIII.

Poena pecuniaria.

Alter modus coercendi litigantium temeritatem est poena pecuniaria (§. 1309.) Nam (1. iure Rom. (rarius hodierno,) lis in quibusdam caussis inficiando crescit, (§. 1177.) (2. Victus victori, nisi probabilis ei caussa fuerit litigandi, in expensas litis condemnatur. §. 1. *Inst. h. t. L. 79. pr. D. L.* 13. §. *6. C. de iudic.* (3. Si quis in ius vocauerat, quem non debebat, mulctabatur olim L. solidis. L. 1. §. 2. *D. de in ius voc.* Quod hodie extra vsum est.

§. MCCCXV.

Infamia.

Denique et INFAMIA notantur, partim (1. qui ex delicto, et quidem vel priuato, (excepta lege Aquillia) vel publico, vel de dolo actione; partim, (2. qui ex quatuor illis contractibus, quos infamiam inurere, supra (§. 785. 2.) notauimus, suo nomine condemnantur. §. 1. 2. *Inst. h. t.*

TIT. XVII.

DE OFFICIO IVDICIS.

§. MCCCXVI.

Connexio.

Quum adhuc de partibus actoris aeque ac rei actum sit: proximum, est vt et de IVDICE videamus.

§. MCCCXVII.

Magistratus et iudices quomodo differant.

Distincta Romae fuisse MAGISTRATVVM et IVDICVM officia, iam supra monuimus. (§. 1181.) MAGISTRATIBVS iurisdictio cum imperio mixto; IVDICIBVS nuda notio competebat. L. 15. *D. de re iud.* Coram *illis* quae fiebant, IN IVRE; coram *his* facta, IN IVDICIO peragi dicebantur. SCHILT. *Exerc. VII.* §. 3. *Ille* de IVRE; *hic* de FACTO cognoscebat. (§. 853. *) Si ipse praetor et de iure et de facto cognosceret, dicebatur id *iudicium* EXTRAORDINARIVM. *L.* 178. §. *vlt. D. de verb. sign.* qualia iure nouo erant *interdicta*, (§. 1287.) aliaeque *extraordinariae cognitiones. Tit. D. de extr. cognit.*

§. MCCCXVIII.

Iurisdictio et imperium quomodo differant?

Ceterum, prout magistratus vel ciuiles, vel criminales caussas cognoscit: ita et vel IVRISDICTIO tribuitur, vel IMPERIVM IVRISDI-

DICTIO est *notio iure magistratus competens*. CVIAC. *Paratitl. ad tit. Pand. de iurisdict.* IMPERIVM contra erat *potestas armata*. SIGON. *de iure ciu. Rom. Lib. I. cap. 2.*

§. MCCCXVIIII.

Quia tamen, cui iurisdictio data est, ei quoque concessa videntur illa, sine quibus iurisdictio explicari non potest: L. 2. *de iurisdict.* voluerant Romani, vt et cum iurisdictione imperii quaedam particula, quae in exsequutione et coercitione ciuili consistit, coniuncta esset, quemadmodum et iurisdictio, quatenus est caussae cognitio, non separatur ab imperio. L. *6. pr. D. de offic. procos.* Sunt ex parte coniuncta.

§. MCCCXX.

Atque inde est quod imperium diuiditur in MERVM et MIXTVM: vbi *merum* non accipitur pro vehemente, summo, excellente, sed eo sensu, quo opponitur ei, quod *mixtum* est, vti apud Graecos *τὸ ἄκρατον τῷ μιχθέντι*. (*Pand. Part. I.* (§. 245.*) Imperium merum et mixtum.

§. MCCCXXI.

Ac proinde imperium MERVM est *potestas gladii, ad animaduertendum in homines facinorosos speciali lege concessa*. L. 3. *D. de iurisdict.* MIXTVM contra dicitur *imperium, cui etiam iurisdictio inest*, L. 3. *D. de iurisdict.* siquidem vti potestas gladii sine notione esse nequit; (§. 1319.) ita partim vis ac potestas exsequendi et coercendi iurisdictioni cohaeret, *quia iurisdictio sine modica coercitione nulla est*. *L.* 1. §. *vlt. L. vlt.* §. 1. *D. de offic. eius; cui mand. est iurisdict.* Vtriusque definitio.

§. MCCCXXII.

Ergo cui iurisdictio competit, ei ordinarie et *mixtum* est imperium: contra cui *mixtum* est imperium, ei non statim competit *merum*. *L.* 1. §. *vlt. D. eod.* Fuit tamen, vbi, cui iurisdictio est, ei *mixtum* non competeret imperium. Exemplo esse possunt magistratus municipales, quibus negant auctores nostri *quae magis imperii sunt*, non *quae magis iurisdictionis*. *L.*4. *D. de iurisdict.* *L.* 26. *pr. et* §. 1. *D. ad municipal.* Cui merum et mixtum imperium competat?

§. MCCCXXIII.

Iurisdictio porro vel VOLVNTARIA est, vel CONTENTIOSA. Illa *inter volentes exercetur*; vti adoptio, manumissio, emancipatio: haec *inter inuitos cum caussae cognitione*, vti omnes actiones. *L.* 2. *L.* 3. *D. de offic. procos.* Illa *a quocumque magistratu* exerceri poterat, dummodo apud eum esset legis actio; (§. 69. 2.) haec a *iudice tantum competente*. *L.* 20. *D. de iurisdict.* Illa etiam diebus *feriatis*, *L.* 8. *C. de fer. et extra tribunal.* (§. 100.) *L.* 36. *pr. D. de adopt.* §. 2. *Inst. de libertin.* immo *in caussa propria* exercetur: *L.* 3. *L.* 14. *D. de adopt.* in hac omnia secus se habent. Iurisdictio voluntaria et contentiosa.

§. MCCCXXIIII.

Ordinaria et extraordinaria.

Deinde eadem in ORDINARIAM et EXTRAORDINARIAM diuiditur. Iurisdictio *ordinaria* iure magistratus competit, vti ius decernendi, iudicem dandi, exsequendi. *Extraordinaria* speciali lege defertur, vti tutoris datio. (§. 242.) L. 7. §. *fin. D. de off. procos.* Illa mandari potest, haec non potest. *L. 1. pr. D. de off. eius, cui mand. est. iurisdict.*

§. MCCCXXV.

Propria et mandata.

Porro diuiditur in PROPRIAM, quae iure magistratus sui, adeoque iure proprio competit, L. 5. L. 6. *D. de iurisdict.* MANDATAM, quam quis nomine magistratus alterius exercet, L. 5. L. 16. *D. eod. L. 1. §. 1. L. 3. D. de offic. eius, cui mand. est iurisdict.* et PROROGATAM, quae vel expresso consensu vtriusque partis, vel tacito, vel ex legis praescripto extra terminos exercetur. L. 18. *D. de iurisdict. L. 1. L. 2. D. de iudic.*

§. MCCCXXVI.

Patrimonialis.

Hodie his iurisdictionis speciebus accedit alia, passim obuia, quae possessoribus praediorum iure hereditario competit in rusticos, et cum praediis vendi, locari, aliisque modis et in feminas aliquando transferri potest, atque hinc PATRIMONIALIS vocari solet. Sed hanc a veteri potestate dominica in seruos vel homines proprios repetendam, et nihil aliud esse, quam potestatem dominicam, iurisdictionis σχήματι indutam, iam supra monuimus. (§. 132.)

§. MCCCXXVII.

An hodie magistratus et iudicis sit differentia?

Non autem hodie obseruatur, discrimen inter ea, quae *in iure*, et quae *in iudicio* fieri dicuntur. Iudices enim pedanei apud ipsos Romanos dari desierant, non quidem a temporibus Diocletiani, vti ex *L. 2. C. de pedan. iud.* colligunt, (vid. GER. NOODT. *de iurisdict. et imper. Lib. I. cap.* 15. *p.* 143. *sequ.*) sed tamen ante Iustinianum, §. *vlt. Inst. de interdict.* Germanicae autem originis gentibus numquam in vsu fuerunt. Eoque sensu accipiendi ICti, dum hodie omnia iudicia aiunt esse extraordinaria, *ex d. §. vlt. Inst. de interd.*

§. MCCCXXVIII.

Hodie ipse magistratus iudicat.

Quum itaque hodie omnia iudicia sunt extraordinaria: (§. 1327.) ipse magistratus et cognoscit, et sententiam fert, et eamdem exsequitur.

§. MCCCXXVIIII.

Eorum officium nobile et mercenarium.

Quumque quaedam impertiatur tantum rogatus, quaedam ex officio et aequitate decernat, etiam non rogatus, officium eius in MERCENARIVM et NOBILE a doctoribus diuiditur: et ad hoc pertinet *tit. C. vt, quae desunt aduocatis iudex suppleat.*

§. MCCCXXX.

§. MCCCXXX.

In ſententiis ferendis non aliter iudicare debet, quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt. *pr. Inſt. h. t.* Et conſuetudinem quidem et ſtatuta primas ferunt: his tacentibus, ad ius commune deueniendum. (§. 17. 7.) Quomodo debeant ferre ſententiam?

§. MCCCXXXI.

Quae in variis actionibus ac iudiciis, inprimis diuiſoriis, obſeruanda ſint a iudice, exemplis docet Imperator §. 1. *ſequ. Inſt. h. t.* Exempla in Inſtitutionibus.

§. MCCCXXXII.

Rem iudicatam exſequitur iudex, ſed ita, vt puſillum laxamenti concedere poſſit, ſi ad quantitatem dandam ſit condemnatus reus, et hic caueat, ſe intra certum tempus ſoluturum. §. 2. *Inſt. h. t.* Quadrimeſtre ſpatium reo condemnato conceditur in *L. vlt. C. de exſequut. rei iud.* Species autem ſtatim reſtituenda: *L. 9. D. de rei vind.* Exſequutio ſententiae.

§. MCCCXXXIII.

Et huiuſmodi ſpecies iudicio familiae erciſcundae vel communi diuidundo, vel finium regundorum adiudicatae, ſine traditione. (§. 339. **) ſtatim eius fiunt, cui adiudicata eſt: Vlpian. *Fragm. tit. 19. §. 16. §. vlt. Inſt. h. t.* dum ne ſit res aliena, ſiquidem tunc vſucapiendi tantum conditio transfertur. *L. 17. D. de vſucap.* Ex reliquis iudiciis per ſententiam nec dominium adquirimus, nec aliud ius in re, quia ſententia non dat dominium, ſed declarat, L. 8. §. 4. *D. ſi ſeru. vindic.* et hinc *actio iudicati* non in rem eſt, ſed in perſonam. In res quaſdam adiudicatas dominium ſine traditione conſequimur.

TIT. XVIII.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

§. MCCCXXXIIII.

Svpra diximus, delicta alia privata eſſe, alia pvblica, (§. 1035.) quorum cognitio quum non ad magiſtratus, quibus erat iuriſdictio, ſed libera adhuc republica vel ad eos, quibus imperium merum lege datum fuerat, vel ſi de capite ciuis Romani ageretur, ad ipſum populum; ſub imperatoribus ad praefectum vrbi et praeſides prouinciarum pertineret: de his ſub finem libelli Imperator agit. Connexio Crimen publicũ quid?

§. MCCCXXXV.

Maxime haec crimina publica differunt a priuatis. Nam (1. ea non priuati perſequuntur, quorum intereſt, ſed reſpublica: et hinc (2. vni- Differentia iudiciorum.

publicorum et priuatorum. vnicuique accusandi ius est, nisi quis speciatim prohibeatur, §. 1. *Inst. h. t.* dummodo (3. accusator subscribat in crimen, id est, libello se obstringat ad poenam talionis, si calumniae conuictus fuerit. L. 7. *pr. L. vlt. C. de accus. et inscript. L. vlt. C. de calumn.* Quin et (4. non actor hic persequitur poenam pecuniariam, sibi adplicandam, sed ad vindictam publicam agit accusator.

§. MCCCXXXVI.

Poena quotuplex. Poena vel CAPITALIS est, vel NON CAPITALIS. *Illa* vel vitam naturalem, vel caput ciuile (§. 223. *) tollit: *haec* nec vitam, nec caput ciuile, libertatem puta aut ciuitatem aufert. L. 6. §. *vlt. D. de poen.* §. 2. *Inst. h. t.*

§. MCCCXXXVII.

Poenae capitales et non capitales. Poenae *capitales* apud Romanos receptae erant damnatio ad furcam, viuicomburium, capitis amputatio, damnatio in metalla, deportatio in insulam: L. 28. *pr.* §. 11. *L.* 8. §. 1. *sequ. D. de poen. Non capitales* fustium admonitio, flagellatio, damnatio ad operas publicas, relegatio, infamia, dignitatis priuatio. L. 6. §. *vlt. L.* 7. *L.* 8. *pr. L.* 28. *D. de poen.*

§. MCCCXXXVIII.

Crimina extraordinaria. Quum vero illae poenae vel certis legibus de publicis iudiciis destitutae sint, vel eiusmodi leges de iis non exstent: iudicia illa κατ' ἐξοχὴν PVBLICA; haec EXTRAORDINARIA dicebantur. (§. 1036.) De his libro Pandectarum *XXXXVII.* de illis solis in Institutionibus iam agitur.

§. MCCCXXXVIIII.

Leges de iudicus publicis. Leges autem, quae de publicis iudiciis exstant, sunt I. *lex Iulia* MAIESTATIS, II. *lex Iulia* DE ADVLTERIIS, III. *lex Cornelia* DE SICARIIS, IIII. *lex Pompeia* DE PARRICIDIIS, V. *lex Cornelia* DE FALSIS, VI. *leges Iuliae* DE VI PVBLICA et PRIVATA, VII. *lex Iulia* DE PECVLATV, et RESIDVIS, VIII. *lex Fabia* DE PLAGIARIIS, VIIII. *leges Iuliae* AMBITVS, REPETENDARVM, et DE ANNONA.

§. MCCCXXXX.

Lex Iulia maiestatis. I. *Lex Iulia* MAIESTATIS, lata a Iulio Caesare, CIC. *Philipp.* I. in eos animaduerti iubet, qui contra reip. vel principis summam potestatem aliquid moliti sunt. §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. §. 1. *D. ad leg. Iul. maiest.* et, tum PERDVELLIONEM, tum CRIMEN MAIESTATIS, speciatim ita dictum, vindicat. *L. vlt. D. eod. L. vlt. C. de abolit.*

§. MCCCXXXXI.

Quid perduellio, et crimen maiestatis? PERDVELLIONIS crimine se obstringit, *qui hostili animo aduersus rempublicam vel principem animatus est. L.* 1. *L.* 2. *L. vlt. D. ad leg. Iul. maiest.* §. 3. *Inst. h. t.* CRIMINIS MAIESTATIS in specie reus fit, qui iura maiestatis inuadit, aut aliquid verbis vel factis, sine animo

mo hostili in contumeliam principis committit. L. 6. L. 7. *L. vlt. D. eod.*

§. MCCCXXXXII.

Ob criminis enormitatem plura hic occurrunt singularia, veluti (1. quod et alioquin accusare prohibiti accusare possint, L. 7. *pr.* §. 1. 2. *L.* 8. *D. eod.* (2. quod aduocati non admittantur, L. 5. §. 2. *C. eod.* (3. quod adpellationi locus non sit, L. 6. §. 9. *D. de iniust. rupt. irrit. fact. testam.* (4. quod et testes inhabiles admitti possint, L. 7. §. 1. *C. ad leg. Iul. mai.* (5. quod etiam aduersus principis ministros, qua tales, committi possit hoc crimen, L. 5. *pr. C. h. t.* (6. quod et nudum consilium et nuda scientia vel conscii silentium puniatur*. L. 5. §. 6. 7. *C. eod.* — *Singularia circa crimen perduellionis.*

* Ita sane ex illa lege statuendum videtur cum BARTOLO. At BALDVS *Consil. I.* 34. eius animam ob hanc sententiam in inferno cruciari ait. In praxi facile cum Baldo fecerim, quamuis *Lex.* 5. *C. de maiest.* vere suffagetur Bartolo.

§. MCCCXXXXIII.

Poena criminis *perduellionis* est (1. supremum supplicium, L. 5. *pr.* §. 6. *C. eod.* (2. memoriae post mortem damnatio, §. 3. *Inst. h. t.* (3. publicatio bonorum, *L. vlt. D. L.* 5. 6. 7. 8. *pr. C. eod.* (4. filiorum a materna, auita, omniumque propinquorum successione, immo et testamentis extraneorum delata hereditate, nec non ab omni dignitate exclusio, filiarum hereditate materna ad legitimam tantum portionem restricta. L. 5. §. 1. 3. 6. *D. eod.* — *Eiusdem poena.*

§. MCCCXXXXIIII.

Rei criminis maiestatis speciatim dicti pro eius qualitate capitis damnantur, vel deportantur, vel relegantur, nec ea poena ad liberos extenditur. §. 3. *Inst. h. t. L.* 24. *D. de poen. arg. L. vlt. D. et L.* 5. *pr.* §. 1. *C. h. t.* — *Poena reorum maiestatis.*

§. MCCCXXXXV.

Firmauit hanc atrocem legem *Nemesis Carolina art.* 129. nisi quod non gladio percutitur perduellis, sed corpus eius in quatuor partes secari, easque in locis publicis suspendi iubetur. Nec mores ab hoc supplicio abhorrent. [Conf. quae dicta sunt in *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 23. §. 121. *seqq.*] — *Vsus hodiernus.*

§. MCCCXXXXVI.

II. *Lex Iulia* de ADVLTERIIS non solum *adulteria*, vernm etiam *nefandam et monstrosam Venerem*, *incestum*, *stuprum*, et *lenocinia* coërcet. *Meretricum* enim improbitas apud Romanos, satis poenae tantae turpitudinis professioni inesse existimantes, extra poenam ciuilem fuit. L. 12. L. 29. §. 1. *C. ad leg. Iul. de adult.* L. 13. §. 2. *D. eod.* — *Lex Iulia de adulteriis.*

§.MCCCXXXXVII.

§. MCCCXXXXVII.

Adulterium quid? ADVLTERIVM est *mulieris alii nuptae vel desponsae vitiatio*. L. 6. §. 1. L. 13. §. 2. L. 34. §. 1. D. eod. Adeoque ex principiis iuris Romani non solum maritus, sed et caelebs, qui alienam subagitauit uxorem vel sponsam, adulterium committit, non maritus, qui cum innupta rem habuit, quippe stupri tantum reus. L. 6. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adult.* At ex principiis iuris canonici *can.* 15. *causs.* 32. *qu.* 5. omnis violatio fidei coniugalis adulterium habetur.

§. MCCCXXXXVIII.

Eius poena publica. Id crimen et *publica* seueritate ex hac lege coercetur, et *priuatim* quibusdam casibus iure vindicatur. Poena publica ex lege Iulia non fuit gladii, (vti Iustinianus tradit §. 4. *Inst. h. t.* L. 19. *C. de transact.* et L. 9. *C. ad leg. Iul. de adult.*) sed relegatio in insulam, et publicatio dimidiae partis bonorum, tum adulteri, tum adulterae, et huius simul dimidiae dotis. PAVLL. *Sent. recept. Lib. II. tit.* 26. §. 14. Postea Constantinus capitale esse iussit adulterium. L. 30. §. 1. *C. ad leg. Iul. de adult.* Iustinianus adulteram verberatam in monasterium mitti, et, nisi eam intra biennium recipiat maritus, attonderi voluit. *Nou. CXXXIIII. cap.* 10.

§. MCCCXXXXVIIII.

Priuata adulterii persequutio. Priuatim vindicta permittitur et marito, et patri adulterae. Sed *illi* occidere licet tantum adulterum, non vxorem, immo nec illum, nisi domi suae, vel alibi post trinam denuntiationem, testibus tribus munitam, deprehensum: *huic* et filiam familias, domi suae generiue in adulterio deprehensam vna cum adultero occidere licet. L. 20. *sequ. D. ad leg. Iul. de adult. Nou. CXVII. cap.* 15.

§. MCCCL.

Vsus hodiernus. Hodie per Germaniam adulterium duplex gladio punitur in Saxonia, Palatinatu, Marchia, Hassia, ducatu Brunsuicensi: at in prouinciis Austriacis, Bauaricis, et vbi ius Lubecense viget, mulcta coercetur. Si maritus cum innupta rem habuit, extra Saxoniam ille fustibus caeditur, haec relegatur, nisi et in duplici mulcta recepta sit. In Saxonia maritus capite plectitur, innupta virgis caesa relegatur. Denique si caelebs vxorem alienam corrupit: extra Saxoniam, vbi mulcta hoc crimen expiari non solet, masculus capitis damnatur, adultera fustigatur. In Frisia itidem mulcta obtinet, Statutis expressa *Lib. II. tit.* 11. §. 3.

§. MCCCLI.

Poena monstrosae Veneris. *Monstrosae* et *nefandae Veneris* poena similiter capitalis est. L. 31. *C. ad leg. Iul. de adult.* §. 4. *Inst. h. t.* Et ex *constitutione* quidem *crim. art.* 116. viuicomburio plectuntur rei quidam tam nefandae turpitudinis, quam scire non proficit. L. 31. *C. de adult.*

§. MCCCLII.

§. MCCCLII.

Incestus est *coitus illicitus, inter eas personas, quae ob consanguinitatem vel adfinitatem coniungi non possunt.* (§. 152. *sequ.*) *L. 6. L. vlt. C. de incest. nupt.* Illud crimen inter adscendentes et descendentes commissum deportatione; in reliquis gradibus arbitrarie punitur. L. 5. *D. de quaestion. Nov. XII. cap. 1. L. vlt. D. de rit. nupt.* Hodie fere obtinet poena capitalis, si personae, quas ius diuinum *Leu. XVIII.* et *XX.* coniungi non patitur, coierint. Alibi saltim, si adscendentes cum descendentibus rem habuerint, poena gladii; sin personae, inter quas parentum liberorumque ratio est, vel fratres et sorores, poena fustigationis, inter personas remotiores relegatio obtinet. CARPZOV. *Prax. crim. qu. 64.* Incestus.

§. MCCCLIII.

Stuprum est, *quod virgini vel viduae honeste viventi sine vi infertur.* *L. 6. §. 1. L. 34. pr. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult.* Eius poena iure Romano in personis honestis est publicatio dimidiae partis bonorum, in humilibus corporis coercitio cum relegatione. §. 4. *Inst. h. t.* Stuprum vi illatum capitis supplicio luitur. L. 1. §. 2. *D. de extraord. crimin.* Stupri.

§. MCCCLIIII.

Moribus Germanicis eatenus obtinuit ius diuinum, *Deut. XII. 29.* vt stuprator stupratam virginem aut dotare, aut ducere cogatur. *cap. 1. 2. X. de adult.* Alterutrum si fecerit, poena est pecuniaria, vel carceris aliquot dierum. Si virgo matrimonii spe illecta stuprum passa est: abscisse eam ducere tenetur stuprator, et tunc eamdem poenam subeunt coniuges. Alibi sola poena pecuniaria obtinet. Vsus hodiernus.

§. MCCCLV.

Lenocinium est, *quando quis feminas aliis quaestus caussa prostituit.* *L. 29. pr. D. eod.* Poena capitalis est, si quis filiam vel vxorem prostituat, alias arbitraria. *Nou. XIIII. et L. 29. §. 3. D. eod.* Id et *Const. crim. Carol. art. 122. sequ.* et mores sequuntur. [Conf. quae de his criminibus dicta sunt in *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit. 24. §. 147. seqq.*] Lenocinii.

§. MCCCLVI.

III. *Lex Cornelia*, DE SICARIIS coercet *homicidia* et *veneficia*. HOMICIDA vero est, qui dolo malo hominem occidit, L. 1. §. 3. L. 14. *D. ad leg. Corn. de sicar.* qui dolus praesumitur, si quis telo vsus sit. L. 1. §. 3. *D. eod.* Homicidium tale dolosum capite; §. 5. *Inst. h. t. Gen. VIIII. 5. 6. Const. crim. art. 147. sequ.* culpa commissum extra ordinem punitur; L. 4. §. 1. L. 7. *D. eod.* casu commissum a poena immune est, eoque et moderamen inculpatae tutelae pertinet. (§. 1082. 2.) Et eo iure vtimur, nisi quod assassinatores, qui percussorem conduxere, poena gladii, assassini, qui operas locarunt, nec non latro- Lex Cornelia de sicariis.

trones, (§. 1079.) crurifragio puniri solent. CARPZOV. *ib. qu.* 19. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 28. §. 247. *seqq.*]

§. MCCCLVII.

et veneficis. VENEFICIVM adpellatur vel *crimen, quo quis venena mala necandi hominis caussa fecit, vendidit, dedit, L.* 1. §. 1. *L.* 3. *pr.* §. 1. 2. *D. eod.* vel *quo quis susurris et incantationibus magicis homines occidit, vel occidere conatus est. L.* 13. *D. eod.* §. 5. *Inst. eod.* Horum quoque poena capitalis est. §. 5. *Inst. h. t. L.* 1. *L.* 4. *L.* 5. *C. de malef. et mathem.*

§. MCCCLVIII.

Quomodo plectendi. Qui venenis malis occiderunt, ex *Constitutione criminali Carol. art.* 130. si masculi sunt, crurifragio plectuntur, sin feminae, culleo insutae in aquis suffocantur. Sortilegi, qui susurris et incantationibus nocuerunt, gladio feriuntur; qui pactum cum daemone expressum inierunt, viui comburuntur. *Const. crim. art.* 109. Sed si vlla in re, in hac sane caussa, tot vulgi implicata erroribus, non nimis credulum esse decet iudicem. [Conf. *Elem. iur. Germ. l. c.* §. 253. *seqq.*]

§. MCCCLVIIII.

Lex Pompeia de parricidiis. IIII. *Lex Pompeia de* PARRICIDIIS vindicat homicidium inter proximos cognatos commissum: et quidem, si quis patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam (§. 111.) occiderit. *L.* 1. *pr. D. ad leg. Iul. Inst. de parric.*

§. MCCCLX.

Eius poena. Poena in eo consistit, quod parricida, virgis sanguineis caesus, culleo insuitur, et cum cane, gallo gallinaceo, vipera, et simia, inter ferales istas angustias comprehensus, in vicinum mare vel amnem proiicitur. §. 6. *Inst. h. t. L.* 9. *pr. D. eod. L. vn. C. de his, qui par. vel lib. occ.* Si mare vel flumen sit remotius, parricida vel viuus comburitur, vel obiicitur bestiis. *L.* 9. *pr. D. eod.*

§. MCCCLXI.

Et huius vsus hodiernus. Poenam cullei et *Const. crim. art.* 131. in parricidio inter adscendentes et descendentes admisso, probat. Alias fere gladii poena obtinet, reusque ad supplicium trahitur, vel ante illud forcipe candente aliquoties vritur, si atrocius fuerit parricidium. *Const. crim. ib. et art.* 137. [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 27. §. 290. *seqq.*]

§. MCCCLXII.

Lex Cornelia de falsis. V. *Lex Cornelia de* FALSIS coercet crimen, *quod in veritatis imitatione ac suppressione, in alterius fraudem dolose facta, consistit.* §. 7. *Inst. h. t. L.* 16. §. 2. *L.* 23. *D. L.* 20. *D. ad leg. Cornel. de fals.*

Cu-

Cuius criminis rei sunt, qui in testamento vel aliis instrumentis, in alio nomine adsumendo, in testimonio perhibendo, in supponendo partu, in mensuris, ac denique in numis adulterandis, falsum committunt.

§. MCCCLXIII.

Falsi poena. Ob falsa haec omnia serui supremo supplicio; liberi deportatione et publicatione bonorum adficiuntur. L. 1. §. *vlt.* L. 27. §. *vlt.* L. 32. *D. ad leg. Cornel. de fals.* Adulterantes monetam viuicomburio plectuntur ex constitutione CONSTANTINI M. L. 1. *C. de fals. mon.* quam poenam retinuit CAROLVS V. in *Const. crim. art.* 111. si quis monetam, quoad materiam falsam, cudit, vel ab alio cusam sciens dolo malo expendit. Saepius tamen gladii poena irrogatur. Capitale quoque est crimen suppositi partus, L. 1. *C. de fals.* falsum testimonium, ob quod quis capitis damnatus est, L. 1. §. 1. *D. ad leg. Cornel. de sicar.* immunitas a tabulario ciuitatis falso concessa. L. 1. *C. de imm. nem. conced.* Reliqua falsa poenis arbitrariis coercentur. Quod et in Frisia obtinere, patet ex VLR. HVBERI *Praelect. ad tit. D. ad leg. Cornel. de fals.* [Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 28. §. 307. *seqq.*]

§. MCCCLXIIII.

Lex Iulia de vi publica et priuata. **VI.** *Lex Iulia* etiam VIM PVBLICAM et PRIVATAM coercet. PVBLICA est *vis atrocior, maxime armata, per quam securitas publica violatur.* L. 13. *pr. et* §. *vlt. D. ad leg. Iul. de vi publ.* Quo et raptus virginum et viduarum, nec non vis a persona publica vel personae publicae illata. L. 7. L. 10. *pr. D. ad leg. Iul. de vi publ.* PRIVATA est *vis minus atrox, et sine armis commissa.* §. 8. *Inst. h. t.*

§. MCCCLXV.

Poena. Vis publica deportatione punitur. §. 8. *Inst. h. t.* Si cum telo aedes alienae expugnatae, vel raptus commissus, poena est capitalis. L. 5. §. 2. L. 11. *D. ad leg. Iul. de vi publ.* L. *vn. C. de rapt. virg.* Vis priuata publicatione tertiae partis bonorum et infamia coercetur. L. 1. *pr.* L. *vlt. D.* L. 2. *de vi priu.* §. 8. *Inst. h. t.* Circa vim publicam idem fere hodie obtinet. Crimen raptus etiam ex *Constit. crim. Car. art.* 118. capitale est, si quis inuitam rapuit. Add. *cap. penult. et vlt. X. de rapt. virg.* Vis priuata fere arbitrarie punitur. CARPZOV. *Prax. crim. qu.* 40. *n.* 7. (Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 25. §. 219. *seqq.*)

§. MCCCLXVI.

Lex Iulia de peculatu et sacrilegiis. **VII.** *Lex Iulia de* PECVLATV et SACRILEGIIS coercet *eos, qui pecuniam publicam, aut sacram, quam non administrant, furantur.* §. 9. *Inst. h. t.* L. 4. *pr.* L. 9. §. 2. *D. ad leg. Iul. de pecul.*

§. MCCCLXVII.

Poena.

Peculatus poena est deportatio. L. 3. *D. eod.* §. 9. *Inst. h. t.* aliquando quadrupli. L. 6. §. *vlt. L. penult. D. eod.* (Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 29. §. 361. 362.) Sacrilegium extra ordinem, et aliquando capitali poena, coercetur. L. 4. §. 1. L. 9. *pr. D. eod.* Horrenda est sacrilegii poena, iis proposita, qui monstrantiam, quam vocant, surripiunt. *Const. crim. art.* 172. Hodie, quum nobis res sacrae extra vsum nullae sint, et poena furti plerisque locis satis atrox videatur: nihil caussae est, cur sacrilegii et peculatus poena a poena furti discernatur.

§. MCCCLXVIII.

Lex Fabia de plagiariis.

VIII. *Lex Fabia* DE PLAGIARIIS eos, qui liberos homines vel alienos seruos dolo malo celant vel surripiunt, mulcta pecuniaria coercuit. *L. vlt. D. ad leg. Fab. de plag.* Postea poena arbitraria, et aliquando capitalis esse coepit. L. 1. *L. vlt.* §. 10. *D. L.* 6. *L.* 7. et *L. vlt. C. eod.* (Vid. *Elem. iur. Germ. l. c.* §. 330. *seqq.*)

§. MCCCLXVIIII.

Lex Iulia repetundarum, de ambitu, et aliae.

VIIII. Exstiterunt etiam *leges Iuliae* REPETVNDARVM, DE AMBITV, DE ANNONA, DE RESIDVIS, quae crimina animae amissionem non irrogant, et ex parte hodie fere rarius, pro laxa saeculi disciplina, puniuntur. Quare iis non immoramur. (Conf. *Elem. iur. Germ. Lib. II. tit.* 29. §. 363. 364.)

§. MCCCLXX.

Accusationes priuatorum cur hodie rariores.

Id monere satius fuerit, rariores hodie, ac alicubi paene sine exemplo esse accusationes criminum, a priuatis susceptas. Alibi enim respublica per procuratorem fisci, alibi magistratus per modum inquisitionis, quam vocant, facinorosos persequitur, et sollicite agit, *vt malis hominibus purgetur prouincia. L. 3. D. de off. praes.*

IN-

INDEX PRIMVS TITVLORVM.

NB. Primus Numerus Librum, secundus Titulum, tertius Paginam designat.

tute-

IN-

INDEX SECVNDVS RERVM.

Adro-

Cogna-

D.

Decre-

E.

F.

L

M.

N.

O.

PA-

P.

D.

Decre-

E.

F.

L

M.

Metus

P.

S

F I N I S.